Est. 54
nº – 68

Liber

francisci Sanchij Cathedrarij hispalensis

Costo xviij. Reales

Anno. 1562

mense novembri

Cuspinianus

IOANNIS CVSPINIANI, uiri clarissimi, Diui quondam MAXIMILIANI IMPERATORIS A' CONsilijs, & Oratoris, de Consulibus Romanorum Commentarij, ex optimis uetustissimisq; authoribus collecti.

esta expurgado

PRAEFERTVR HIS COMMENTARIIS, SEXTI RVFFI V. Consularis Rerum gestarum Pop. Rom. deq; accesione Imperij Epitome, cum eiusdem Cuspiniani eruditissimis Scholijs.

MAGNI AVRELII CASSIODORI SENATORIS Chronicon, siue de Consulibus Romanorum Libellus, passim Cuspiniani Commentarijs insertus.

NICOLAI GERBELII IN EOSDEM COMmentarios, ad ornatiss. uirum D. IOANNEM IACOBVM FVGGERVM Praefatio: in qua de Chronographis, de eorum discordia, deq; huius Operis maxima utilitate.

Ad haec, rerum atq; uerborum toto opere memorabilium Index locupletissimus.

esta expurgado conforme al nuevo expurgatorio deste año de 1632.



22 del.

Mira la pagina 641. y 668 y veras que bien expurgado esta.

Cum S. Regiae Maiest. gratia & priuilegio ad decennium: cuius exemplum statim post Praefationem reperies.

BASILEAE, EX OFFICINA Ioannis Oporini.

AD ORNATISS. UEREQUE NOBILEM HEroa, IOANNEM IACOBUM FUGGERUM, KIRCHBERGAE UUEISsenhorniq; Dominum, Musarum ἀρχηγέτην, & studiosorum omnium Patronum, NICOLAI GERBELII P. in doctissimi uiri IOANNIS CUSPINIANI CONSULES,

PRAEFATIO.

A SEMPER egregios & doctos homines aluit, regionũ omniũ nobilissima GRAECIA. Inter quos septem præcipuè memorantur, qui ob humanarum, diuinarumq; rerum scientiam, sapientes fuere cognominati. Ex his unus, ferè reliquorum princeps, Thales Milesius, uel ut Leãder & Herodotus prodidere, Phœnix, Olympiade XXXV, Anco Marcio Romæ regnante, in lucem editus, uitæ suæ cursum ad LVIII usq; Olympiadem, hoc est annum nonagesimum secundum, deduxit. Is ob ingenij diuinitatem, ab omnibus qui tum uiuebant, honore, uenerationeq; multa colebatur. Nam constans fama est, eundem primum omnium solis atq; lu-

B næ periodos defectusq; reperisse. Qua solertia, quo ingenij acumine instructus, eclipsim solis, quæ Astyagis Lydorũ regis temporibus uisa est, multo antea quàm euenit, prędixit. Quã ob rem, utpote nouã, atq; adhuc mortalibus incognitã, Thaletem ueluti numẽ quoddã sunt admirati. Neq; uerò id, mea quidẽ sententia, iniuria. Cum enim eidẽ res futuræ satis cognitæ perspectæq; essent, cuperetq; nominis sui gloriam ac famam apud posteros florere, præsciens uitæ suæ finem, locum quendam extra Miletum amicis affinibusq; indicat, rogatq; ut eum mortuum eò loci sepeliant. Sciebat enim futurum, ut illic olim frequentissimũ forum deberet extrui: in quo ob hominum concursum sperabat gratos ciues, & benemerita sua, tum ingenij dotes, amplioribus laudibus celebraturos. Hic Thales, inter multas alias illustres sententias, & hãc crebrò in ore habuit, τὸν χρόνον εἶν σοφώτατον, ὃς πάντα ἀνευρίσκει. hoc est, Quoniã omnia inuenit atq; in lucẽ produxit Tempus, nihil eo esse sapientius. Quid enim usquam est magnificum aut gloriosum in hominum negotijs, quod non inuestigauerit

Tempus? Inter alia multa quæ admirari solemus, quid laudabilius, quid præstantius literis? quas ex obscuris. tenebris in apertum eduxit tempus. Post repertas literas, annis ante euersum Iliũ ferè centum, statim artes, reliquæq; omnes bonæ disciplinę, temporis beneficio, per solertes uiros in usum exercitationemq; hominum deuenere. Et quid quęso in hac nostra uita, mutuaq; coniunctione & societate præstabilius, quid dignius, quid laudabilius, VERITATE? quæ παγκρατὴς σοφία à Bacchilide, à maioribus nostris Temporis filia nominata est. quæ, nisi fallor omnino, rerum omnium pulcherrimã genuit HISTORIAM. Quam qui non amant, non inter summas delicias amplexantur, non solum ab omni humanitate sunt alienissimi, sed etiã præcipua animi oblectatione, uidelicet cognitione ANTIQVITATIS, priuantur. A

Cum itaq; tot excellentiũ rerum causa & origo existat Tempus (quod sanè breuiter ac lepidissimè dixit Sosamus, καιρῷ πάντα πρόσεισι καλὰ) nemini mirum sit, tantam à uetustiss. doctoribus temporis habitam rationẽ atq; curam. Apud Aegyptios, quibus sapientiæ laudem, secretissimarumq; artium peritiã tribuebant, sacerdotes, hoc in primis studio, hac procuratione occupabantur, ut ex superiorum ætatum rebus gestis, historiæ ueritatẽ cõsonantiamq; colligerent. Quod illis planè facilimũ erat: cum inter cæteras gentes, uix alia prouectioris ætatis homines protulerit. Hæc fuit illa præcipua causa, cur tot philosophi, studiorũ ac sapientiæ gratia, in Aegyptum olim profecti sint. Quò cum peruenissent, primùm omnium sacerdotes adibant, à quibus & alias præclaras artes, & Astronomiæ principia ediscebãt. Ex quibus certè nõ mediocris temporum ratio certitudoq; colligitur. Cognitionem de uero & uno DEO, Platonem tradunt in Aegypto ex Mose, reliquorumq; prophetarũ scriptis didicisse: quã tamen ad suos rediens, Socratis κώνειον ueritus, profiteri non audebat. Democritũ, Solonem, & poetarum omniũ principem Homerũ omitto: qui literis Aegyptiorũ imbuti, patriã suam multa sapientia impleuerũt. Cæterùm nemo mihi facile persuadebit, ullam unquam gentem tam fuisse barbaram, tam incultis moribus, quæ non unum atq; alterum protulerit, antiquorum temporum obseruatorem. ATHENAE, omnium bonarũ artium domicilium, Dexippum & Apollodorum, excellentes Chronographos B

A graphos nobis exhibuerũt. Peloponneſus, totius GRAECIAE arx, Hippiam: qui Olympiades, quę aliquandiu interquieuerant, in ordinem digeſsit. ASIA, qua non alia toto terrarum orbe regio doctis & egregijs ingenijs magis inclaruit, Dionyſium nobis præſtitit Halicarnaſſeum: cuius in obſeruatione temporum diligentiam, Flauius Clemens στρωματεὺς, & Euſebius, doctiſsimi epiſcopi, non indiligenter ſunt imitati. Eadem ex Aſia, Charaxem Pergamenum, Epheſiumq́; Andronem accepimus. Trallis, Cariæ ciuitas, Phlegonem dedit: qui ſub Seuero principe de Olympiadibus ſedecim libros conſcripſit, orſusq́; à prima, uſque ad ducenteſimam & uigeſimam Olympiadem peruenit. Huius teſtimonio uſus eſt Origenes, in cognitione admodum iucũda, & Chriſtiano homini neceſſaria: quo tempore ſcilicet, terræmotus, ſolisq́; miranda illa obſcuratio, CHRISTO humani generis redempore patiente, acciderit. Præterea Charon è Lampſaco, urbe littorali Aſiæ, primi Darij tẽporibus, libris duobus urbium κτίσεις atq; Chronica deſcripſit. Heſychius Mileſius, hiſtoriam
B Chronicam in ſex διαστήματα diſtributam (ſic enim libros ſuos inſcribit) ad Anaſtaſij imperatoris uſq; ætatem deduxit. Neq; prætereunda nobis Aegyptus, quæ Appionem, & temporum diligentiſsimum annotatorem Flauium Clementem, cuius paulo antea meminimus, progenuit. Quid quæris? Aphrica illa, ſubaſpera & dura natio, Eratoſthenem, quo nõ alius frequentius in doctorum uirorum ore uerſatur. Quale uerò flagitiũ fuerit, ſi INSULAS, delicias meas, præteriero? quæ etiam ſuos aluere, educaueruntq́; χρονογράφους. Thaſos inſula in Aegæo mari Thraciæ oppoſita, Steſimbrotum exhibuit, quem LXXVIII Olympiade, Cimonis Periclisq́; tempore uixiſſe memorãt. eum inter antiquiſs. authores numerat Tatianus, deq́; Homeri genere, poeſi, ætateq́; qua floruerit, ſcripſiſſe adfirmat. Lesbos in eodẽ mari, Theophraſtũ. nam & ipſe, Suida Laertioq́; referentibus, Chronica ſcripſit, citante eundem libro XII πρὸς τοὺς ἑταίρους Parthenio, perquàm uetuſto doctoq́; ſcriptore. Neq; mihi neceſſe eſt recenſere, apud Romanos Ciceronem in eodem ſcripti genere uerſatum: qui in longiſs. illa ad Lentulum epiſtola, ſe III libros uerſibus de temporibus ſuis ſcripſiſſe gloriatur. Nolo prolixius referre, quibus laudibus idem Cicero Atticum ſuum extollat: qui magna cura notatis obſeruatisq́; temporibus, cum nihil memo-

ria dignum omitteret, ſeptingentorum annorũ curſum uno libro collegit. Fuit certe hoc peculiare ueteribus Hiſtoricis, ſummum ſtudium temporum notationibus impendere. id quod in Thucydide, Halicarnaſſeoq; Dionyſio, facilimè deprehendes. Multus eſt in ea diligentia Polybius, qui ſingulorum annorum acta, mira prudentia obſeruauit. Velleius Paterculus ſub finem libri primi, poetarũ, philoſophorũ, oratorũ, hiſtoricorũq; tempora accuratiſsimè digerit. adſeritq;, tempus, unius cõſimilisq; profeſsionis authores, in unum breueq; ſpacium, uelut in capſam concluſiſſe. Eadem de grammaticis, pictoribus, plaſtis, ſcalptoribus, ſi quis temporũ notis inſtiterit, adfirmat. Quanta uerò ſolicitudine Diodorus Siculus, nuſquam non ingerit, ſub quibus Athenienſium ducibus, ſub quibus Conſulibus Romanorum, quibus Olympiadibus, ſingula uel bella geſta, uel illuſtrium uirorum egregia facinora patrata fuerint?

Sed & illud omnino memorabile, apud antiquos alias atq; alias extitiſſe annorum ſupputationes. ARGIVI ſuas à ſacerdotibus feminis numerabant. ut ſi ſacris hoc anno præfecta fuiſſet Chryſis, à Chryſide annorum numerum accipiebant. Achæi, ab aſtrorum reuolutione. Apud Athenienſes magiſtratus erat ἐπώνυμος, reliquorũ princeps: à quo, uelut à Conſulibus Romæ, anni nomenclaturam ſumebant. Quanquam Thucydides, grauiſs. author, non rectè ab Eponymis rerum geſtarum ordinem accipi arbitratur: quòd primis annis, tum medijs, tum extremis, plurima geruntur, quæ facilimè fallant, à ducibus annum cognominantes. Quam ob rem, ipſe in æſtates atq; hyemes tempora digeſsit, utpote quibus minus ineſſet erroris. Itaq; libẽter crediderim, hanc rationẽ poetas noſtros ſecutos, qui per meſſes hyemesq; faſtos ſuos ſignabant. Hinc perquàm eleganter Ouidius:

Vrbe uirum uidi, tectoq; animoq; recepi:
Hic tibi bis æſtas, bisq; recurrit hyems.

Atq; alio in loco:

Tertia nudatas acceperat area meſſes,
Inq; cauos ierant tertia muſta lacus.

Sed multo elegãtius idẽ poeta à ſole tẽpora colligit, his uerſibus:

Signa recenſebat bis ſol ſua, tertius ibat
Annus, & exilio terra paranda nouo eſt.

Non minus lepidè Claudianus, egregius poeta, de ſenatore quodam, ſuburbium ſuum nunquam egreſſo, qui non à Conſulibus, ſed à

A ſed à fructibus & pomis tempora numerabat, ita cecinit:

Frugibus alternis, non Conſule computat annos:
Autumnum pomis, uer ſibi flore notat.

Deniq; multi rerũ geſtarum ſeriem ab annis ante urbẽ Troiam conditam, uel poſt captam deduxere. Homerus, poetarum pater, Troiæ euertendæ annos per paſſerculos ſignificauit. Illud aliquanto iucundius, Romanos ueteres, ſingulis annis, in ſacrarũ ædium parietibus clauum, quem annalem appellabant, figere ſolitos, à quo præteritos annos computabant. Siue igitur à ſacerdotibus feminis, ſiue ab aſtris, ab Eponymis, ab æſtate & hyeme, à clauo pomiſq; tempora notaueris: hoc in primis, atq; ante omnia maximopere cauendum, ne rerum geſtarũ narratio, cum temporum ratione pugnet. Nam hoc unum, ac propè ſolum erratum, de ueritate (cuius in hoc ſcripto ſummum eſt pondus) ſuſpectam reddit hiſtoriam. Thucydides, cuius apud omnes eruditos ſemper maxima fuit authoritas, Hellanicum, alioqui laudatum hiſtoricum, & qui Atticam hiſtoriam annis ante Thucydidem ſexaginta conſcripſit, quòd aliubi temporum inſcitia aber-
B raſſet à uero, grauiter refellit. Sed infinitum foret, tædioq́; plenum, ſi quis Hiſtoricorũ Chronographorumq́; diſcordias, diſceſsiones, contradictiones, erroreſq́; enumerare uelit. Nos monendi tantummodo gratia pauca ſubijciemus.

Summus ille philoſophus Plato, non uno in loco, erroris ab Athenæo inſimulatur, qui Socratẽ tribus interfuiſſe bellis refert: uni, ad Potidæam urbem Macedoniæ: alteri, ad Amphipolim Mygdoniæ, in eadem Macedonia: tertio, contra Bœotios. Adijcitq́;, Socratem uictoriȩ νικητήρια præmiaq; accepiſſe, cum tamen hæc nullus hiſtoricus prodiderit. Itaq; hæc omnia falſa eſſe, neq; conſtare ſibi, non ſolum temporum ratio, ſed etiam totius belli genus coarguit. Tum enim copiæ ex ſelectiſsimis militibus inſtruebantur, Socrate præter pallium & baculum nihil armorũ gerente. Quid enim philoſopho, præſertim Socrati, cum armis? Præterea Platonem memoria lapſum in Critone, idem Athenæus adſerit, cum Socratem contra ea omnia quæ retulimus, in nulla unquam expeditione, præterquã in Iſthmiaca, fuiſſe refert. Non abſimilem errorem idem Athenæus impingit Xenophonti, atq; illorum libros huiuſmodi ἀσυχήμασι plenos eſſe magna cõtentione adſeuerat. Mirum eſt, quod Halicarnaſſeus Dio

 nyſius

nysius prodidit, multos in ea opinione hæsisse, ut Numam Pom A
pilium, secundum Romanorum regem, qui XVI Olympiade
ad Imperij culmen electus est, certò crederent Pythagoræ & di-
scipulum & auditorem fuisse, tum, cum philosophiæ præcepta,
silentiumq; sectatores suos apud Crotonem doceret: cum tamẽ
Numæ tẽporibus, nondum extructa fuerit Croton. immò ue-
rò integris tribus ętatibus post Numam, utpote quinquagesima
Olympiade, Pythagoram floruisse dicitur: inter quam & deci-
mamsextã, qua Numa imperauit, triginta tres Olympiades, quæ
annos centum triginta sex constituunt, effluxere. Mirari er-
go poterit aliquis, quid Ouidio, argutissimo poetæ, in mentẽ ue-
nerit, qui hunc in modum de Pythagora Numaq; rege cecinit:

Primus oliuiferis Romam deductus ab aruis,
Pompilius, menses sensit abesse duos.
Siue erat à Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat, Aegeria siue monente sua.

Sed hoc erratũ, siquidem erratũ est (nam & de Pythagoræ libris
hæc intelligi possunt) grauiter & eruditè Cicero discutit, libro
Quæstionum quarto, referens: Quum de Numæ sapientia pieta B
teq; à maioribus suis plurima percepissent, ætates autem & tem-
pora propter uetustatem ignorarent, eundem, quia sapientia ex-
celleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt. Non est
huic dissimile, quod de Pisandro scribitur: quem nonnulli Ale-
xandrinum faciunt, cum Pisandri ætate nondum condita fuerit
Alexãdria. uixit enim Pisander XXXIII Olympiade, cum circa
centesimam atq; undecimam ea urbs condita sit. A. Gellius so-
phistam quendam ἀπαίδευτον, qui palàm dixerat, Carneadem phi
losophum ab Alexandro Magno pecunia donatum fuisse, graui-
ter incessit: atq; id optimo iure. Cum enim Alexãder circa cente
simam atq; undecimã Olympiadem rerum potitus sit, Carnea-
des centesima quadragesima secũda Olympiade legatione apud
Romanos, & circà functus est. Inter quas Olympiades XXXI
intercedunt, quæ annos efficiunt centum uigintiquatuor. Vi-
den? quanto errore, ex temporum inscitia, à uero putidus ille so-
phista recesserit? Isocrates, qui passim à Cicerone laudatur, acer
bè criminatur eos, qui Busiridem, hospitum obtruncatorem, ab
Hercule occisum opinantur, cum Busiris Herculem plusquam
ducentis annis præcesserit: siue, ut Hesiodus hoc tempus compu
tat, undecim ætatibus. Quàm pudendo uerò in errore uersa-
tur

A tur Suidas, alioqui diligentiſsimus author, cum adſerit, Apollonium Tyanæum cum Poro rege, de ratione uictus, deq; alijs philoſophicis quæſtionibus diſputaſſe? cum tamẽ Porus Alexandri Magni, Apollonius Domitiani temporibus uixerit. Inter quos duos heroas, quantum ſit annorum interuallum, nemo non uidet. Philoſtratus ergo rectius Phraoti Indorũ regi tribuit ea, quę Poro Suidas adſcribit. Idem Suidas, Parthenium poetam adhuc puerum, à Cinna captiuum Romã deductum adfirmat, eumq; ad Tiberij tempora perueniſſe: cum tamen à Cinna uſq; ad Tiberium, anni propè centũ & uiginti numerentur. Cum olim totus ferè orbis teterrima peſte uaſtaretur, Græcis pro ea auerruncanda Apollinis oraculum ſciſcitantibus, reſpondit idolum, Athenienſes pro omnibus preces uotaq; ſuſcepturos. Hæc tam famoſa eluuies, quónam tempore acciderit, admiranda eſt Chronographorum diſcordia. Hippoſtratus circa III Olympiaden, Pindarus eam quinquageſimaquinta, qua Crœſus Lydorum rex imperauit, cœpiſſe prodit. Alij uigeſimamprimam Olympiadem definiuerunt. Quid tibi uidetur, de illa authorum pugnan
B tia? De Perdiccæ imperio non minor diſſenſio ſcriptorum. Acanthius Nicomedes, annum unum & quadraginta ante Archelaum imperauit. Theopompus annos ponit triginta quinq;, Anaximenes XL. Hieronymus XXVII. Ex hac confuſione, qualis error de Pericle ſubortus ſit, longè lateq; diſputat libro V Athenæus. Hippiæ tyrannis quàm diu durarit, non conuenit inter hiſtoricos. Eratoſthenes annos numerat quinquaginta, Ariſtophanes unum & quadraginta, Herodotus triginta ſex. Sed quid opus eſt uerbis? Quid rem tam exploratam in dubiũ reuocamus? Inter tot egregias artes, tot diſciplinas, tot præclara & amœniſs. ſtudia, uix aliud eſt excellentius, humanoq; generi conducibilius, quàm cognitio Hiſtoriæ. ex qua in primis PRVDENTIA, quę tota in delectu optimarum pulcherrimarumq; rerum conſiſtit, pleniſsimè diſcitur. Et tamen propè nulla alia ſcientia, maioribus tenebris & erroribus, obſcuritate tẽporũ ac diſcrepantia eſt inuoluta, intricata, & obtecta, quàm illa ipſa Hiſtoria. Timæus Tauromenites (eſt aũt Tauromenium Siciliæ ciuitas) qui Chronica πραξίδια ſcripſit, hiſtoricos, qui ante ipſum res geſtas literis tradiderunt, πικρότατα, ut Suidas inquit, hoc eſt, acerbiſsimè reprehendit. Caſtor è Rhodo inſula, Chronica ἀγνοήματα compoſuit, quibus ignorantiam ſuperiorum ſeculorum peruellit &

emendat. Quoties Dionysius Halicarnasseus Fabij Pictoris incuriam circa temporum obseruationem castigat? Quoties Licinij, reliquorumq; eius ætatis historicorum lapsus, maximè sub finem libri septimi, perstringit & refutat? Sic in Politicis Aristoteles, eos qui Lycurgum Thaletis auditorem fuisse adstruunt, grauiter obiurgat. neq; id, ut mea fert opinio, iniquè. nam Lycurgus, annis ferè triginta quinq; ante Olympiades, leges suas condidisse fertur: cũ Thales, nisi me fallat Eusebius, postea annis propè centum, de principijs rerum scripserit. In eundem modum Plutarchus, Græcorum omnium facile princeps, de Chronographorum incuria sæpenumero cõqueritur: in primis autem sub initia uitę eiusdem Lycurgi. quo loco ingenuè fatetur, se neq; de tempore quo natus est, neq; de eius genere, de peregrinationibus aut legibus, quicquam certi posse adfirmare. qua occasione arrepta, disertè admodum, atq; copiose annorum perturbationẽ ex Aristotele, Eratosthene, Apollodoro, Timæoq; explicat. Vt de ea temporum confusione, rectißimè quidam dixisse uideri potest: Solos Deos neq; senescere, neq; mori: reliqua omnia ex tempore confundi. Nolo hic recensere, quæ de Homeri Hesiodiq; incertißimis natalibus magni scriptores prodiderunt: neq; longiùs prosequi, quàm acerbè in Chronicorum errores inuehatur doctißimus ille Plinius, cum de pictoribus, alijsq; opificibus, reclamantes dißidentesq; inter se Olympiades aßignat. Sed potius ad rem ipsam propius accedamus, deq; Cõsulibus, quorum hæc propria est tractatio, quanta in his nominandis digerendisq; in suos annos authorum sit inconstantia, paucis exponamus.

Clodius in Enchiridio temporum, omnẽ errorum causam, in antiquißimos rerum Romanarum commentarios reijcit: utpote, qui urbe à Gallis capta, penitùs interierunt. Itaq; Aemilius Probus in libello de Imperatoribus Græcorum, de Hannibale, nemini non notißimo duce, refert, Pomponium Atticum in annales suos retulisse, ipsum, M. Claudio Marcello & Q. Fabio Labeone COSS. mortuum esse: Polybius autem, Aemilio Paulo & M. Bebio Pamphilo: Sulpitius, P. Cornelio Cetægo & M. Bebio Pamphilo COSS. excessisse è uita tradidit. T. Liuius, cuius in Romana historia semper magna fuit authoritas, non semel magistratuum Consulumq; confusionẽ grauißimè reprehendit. qui libro ab V. C. secũdo scribit, A. Posthumio & T. Virginio COSS.

A ad Regillum lacum commissam pugnam: A. Posthumium, quia collega dubiæ fidei fuerit, se consulatu abdicasse: dictatorem inde factũ. Hîc adijcit Liuius: Tanti errores implicant temporũ, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta uetustate, non rerum modò, sed etiam authorum, digerere possis. Hæc sanè sunt Liuij uerba. Nec multo pòst: L. Aemilius (inquit) & Opiter Virginius Consulatũ ineunt: Vopiscum Iulium, pro Virginio, in quibusdam annalibus Consulem inuenio. Viden, quæ nam sit in Romanis annalibus ambiguitas? Libro VIII, satis modestè ciuiliterq́;, annalium magistratuumq́; libros, quos LINTEOS uocant, ab errore uindicare conatur: cuius tamen rei existimationem relinquit apud Lectorem. EGO certè, cum huius necessariæ ac iucundissimæ cognitionis difficultatem incertitudinemq́; animo conciperem, sæpe optaui, uel unum aut alterum ex uetustis illis Chronographis extare, si fortè certior aliqua temporum ratio, aut rerum gestarum ordo, ex B eorum commentarijs inuestigari posset. Quoniam autem superiorum ætatum negligentia & culpa utilissimos horum labores amisimus, fruamur ijs, quos adhuc Dei benignitate possidemus. Excusa sunt ante annos duos, Flauij Clementis στρώματα, unà cum alijs æternitate dignis uoluminibus: quibus multa insunt, ad temporum cognitionem accommoda. LOCVS est apud Eusebium de Præparatione Euangelica, ex Aphricani historijs excerptus: in quo aliquot seculorum notæ diligentissimè sunt enumeratæ. nam & Hebræorum & Barbarorum, Græcorumq́; in Imperijs successiones, breuiter atque argutè complectitur. Non postremas partes tribuerem Eusebio Cæsariensi, episcopo doctissimo, si ad nos Chronicorum liber integer ac incorruptus peruenisset: quem aiunt, à Diodoro Tarsi episcopo, sub Iuliano & Valente Imperatoribus, ab erroribus ac mendis diligenter fuisse repurgatum. Sed quàm corruptus & deprauatus ad ætatem nostram peruenerit, testantur omnes eruditi, qui in consimili scripti genere cum laude uersantur.

Hæc cum uerè se ita habeant, utilissimum erit historię amatoribus, si eos maximè authores, qui in notatione Consulum fuere diligentiores, paulo maiore cura studioq́; euoluerint. Ex ueteribus superius nonnullos indicauimus. Aetate nostra satis indu-

ſtrij ſolerteſq́; extitere, Haloander, Glareanus, & poſt eos Funccius. A
Cæterùm ante annos XXXVII, cum uir opt. ac commodi publici ſtudioſiſsimus heros, IOANNES CVSPINIANVS uideret, quam utilitatem, quem fructum aliquis exhibere ſtudioſis poſſet, qui Conſulum tempora, ſucceſsiones atq; ordinem accuratè componeret, opus hoc egregiũ labore ſummo, adſiduiſq́; uigilijs tandem abſoluit. haud dubiè ſperans, ſe hac opera obſcuris aliquot, turbatiſq́; hiſtoricorũ locis nonnullam lucem allaturum. Collatis enim uetuſtiſs. utriuſq; linguæ authoribus, ſi quos in iſtis deprehendit errores, eos moderatiſsimè caſtigauit. Deinde uerò, qua ratione, quo modo, diſcrepantes diſsidenteſq́; inter ſe, reconciliandi ſint: quid addendum uni, quid adimendum alteri, incredibili cura induſtriaq́; commonſtrauit. Quodq́; ſingulari cum uoluptate leges, ſi qui inter ſe cõſenſerint, remq́; eandem iiſdem uerbis expoſuerint, eos omnes in unã ueluti claſſem contrahit, colligitq́; ſtudioſiſsimè. Quę diligentia, quantam locis obſcuris tenebroſiſq́; lucem adferat, quantã intricatis claritatem, perſpicuitatem confuſis, nemo non, qui mediocri in literis iudi- B
cio pollet, intelligit. Breuiter, nihil inexploratum reliquit: excuſſit omnia, quæ ſibi uſui futura credebat. Bibliothecas plurimas perluſtrauit: nihil tam recens, nihil tam uetus, quod nõ ſumma uigilantia perueſtigauerit. Nullum omnino ſaxum, nullum lapidem, nullum triumphalem arcum, nulla Imperatorum edicta, nullas marmorum baſes, nullos parietes aut muros prætermiſit, ex quibus non titulos, inſcriptiones, epitaphia deprompſerit, inq́; doctiſs. hos Commentarios tranſtulerit. Quam ob rem ſi ſtudioſi, Lucubrationes Cuſpiniani, cum ueterum, cumq́; recentiorum libris ſedulò cõtulerint, adfirmare auſim, eos ſi non perfectiſsimã, tamen aliquam, multoq́; expeditiorem quàm hactenus, harum pulcherrimarum rerum cognitionem adſecuturos.

Ob tam indefeſſos huius præclari uiri labores, ob tot uigilias, tot innumerabiles curas, ob amorem ſummum, quo non modo ſuæ ætatis homines, ſed etiam poſteritatem complexus eſt, non ſpero quenquam futurum tam barbaris moribus, tam inhumanum aut crudelem, qui nõ perpetuis laudibus placidiſsimos Cuſpiniani manes ſit exornaturus. Itaq; & ego, cũ diu multumq́; mecum agitaſſem animo, quem'nam Cuſpiniano meo patronum deberem eligere, ſub quo tutus alacerq́;, unà cum duobus

doctiſs.

A doctiſs. comitibus, Rufo & Caſsiodoro, tum etiam Conſulibus ſuis in publicum prodire auderet: memoriã mihi excitauerunt, quæ de præſtantia tua, ornatiſsime FVGGERE, uir omniũ optimus atq; doctiſs. Hieronymus Vuolfius, ſæpe mecũ ſuperioribus annis magna cũ gratia & ſuauitate cõmentari ſolebat. Quę deinde paulo fuſius, uir egregius atq; animo meo gratiſs. Ioannes Oporinus, de humanioribus literis optimè meritus, de tuis mãſuetiſs. moribus, de incredibili ardore promouendarum literarum, de iuuandis ſtudioſis, de extruenda pulcherrima & inſtructiſsima Bibliotheca, me audiente deprædicare conſueuit. Hæc inquam, cum memoriam mihi refricarẽt, nihil amplius dubitaui, quin T. præſtantiam, tot egregijs nobilitatam dotibus, ilico ſeligerẽ: ſub cuius ueluti blandiſsimis alis, caput erigeret, exiretq́; in doctorum hominum conſpectum, Cuſpinianus. Quare te uir præſtantiſsime, per Gratias, perq́; ſtudiorũ præſides doctiſs. Muſas, oro & obteſtor, ne uel clientulum modò tuum Cuſpinianũ, uel me dedicatorem, aſpernari uelis: ſed utrunq; placida fronte, hilariq́; uultu in patrocinium tuum ſuſcipere. Quod ſi impetra
B uero (quid autẽ mihi negaret tanta tua Humanitas?) me ſatis felicem, beatumq́; putabo. Vale, & uiue diutiſsimè, uir præſtanti & excelſo animo: cuius me fauori dignitatiq́; commendo. Argentorati, Calend. Nouembr. Anno M. D. LII.

HOS VERSICVLOS

NICOLAVS GERBElius Cuspiniani manibus consecrauit.

Tempus erat uernum, uernis erat undiq; tellus
Floribus ornata, atq; omnia plena rosis.
Triste nihil, nihil incultum, nil deniq; durum,
Insigni stabant omnia lęticia.
Tempora prima iterum mundi rediisse putasses,
Cuius in aspectu nil nisi risus erat.
Tum fortè Elysijs in uallibus, inq; remotis
Doctorum errabat turba diserta locis.
Aeris illecebris tam blandi excita, repentè
Castaliæ Clio sedula liquit aquas.
Follibus à primis, à prima incude labores
Accipit ad sese Cuspiniane tuos.
Ilicet in campos lætos, & amœna uireta
Euolat, Historicis exhibitura librum.
Nec mora, quod uoluit doctissima Musa peregit,
Doctorumq; gregi nobile reddit opus.
Læticiam illius cœtus, quis gaudia fando
Explicet, aut laudes Cuspiniane tuas?
Quas in te doctus populus congessit, & uno
Diuinum scriptum comprobat ore tuum.
Floribus extemplo, uiolisq; recentibus omne,
Quîs nemus hoc sacrum, quîs locus ille uiret:
Exornant doctæ monumenta insignia dextræ,
Dextræ quam meritò Iuppiter æquus amat.
Quam grata egregijs æquabit honoribus ætas
Posterior, multis accumulata bonis.
Pro quibus immensas referet pia pectora grates
Manibus ô felix Cuspiniane tuis.

EXEMPLUM *Priuilegij.*

FERDINANDVS, diuina fauente clementia, Romanorum, Hungariæ, Bohemię, &c. Rex semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Marchio Morauiæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Proponimus cognoscendum uniuersis, quòd cùm fidelis subditus noster Nicolaus Chrysostomus Spieshamer, aliàs Cuspinianus appellatus, ciuis ciuitatis nostræ Viennēsis, ad notitiam nostram deduxerit, patrem suum quondam Ioannem Cuspinianum, Præfectum eiusdem ciuitatis nostrę Viennensis, duo uolumina magnis uigilijs & laboribus conscripta post se reliquisse, unum nempe de uitis tam Græcorum quàm Romanorum Cæsarum & Imperatorum, qui usque ad eius tempora fuerunt, iam antea quidem typis excusum, sed eius impresionis nulla amplius extare exemplaria uenalia: alterum uerò de Cōsulibus Romanis, nunquam adhuc in lucem editum. Se itaqꝫ nunc ad doctorum uirorum, amicorum suorum, qui huius Cōsularis operis editionem iam diu auidissimè expectassent, adhortationem & persuasionem, utrunqꝫ uolumen nostro & sacri Romani Imperij fideli dilecto Ioanni Oporino typographo Basiliensi imprimendum assignauisse & tradidisse. Eundem tamen Oporinum, qui eorundem operum impressionem proprijs suis sumptibus faciendam & elaborandam suscepisset, magnopere uereri, ne ubi ipse plurimum & laboris & sumptuum fecerit, alij, ut frequenter hoc tempore fieri soleat, fructum & commodum ei debitum, imitatione, aut aliqua alia præpostera ratione præripiant, magnoqꝫ ipsum damno & iactura afficiant: & propterea idem Nicolaus Chrysostomus à nobis humiliter petierit, ut eiusdem Oporini in hac parte indemnitati clementer consulere, & talem ab eo iniuriam auertere dignaremur. Nos idcirco tum æquissima hac petitione, tum alijs rationabilibus causis inducti, antenominato Ioanni Oporino, eiusqꝫ hæredibus, ex certa nostra scientia, deqꝫ Romanæ Regiæ, & qualiscunqꝫ nobis competentis potestatis plenitudine, hoc priuilegium nostrum concessimus & dedimus, ac damus & concedimus hisce literis nostris, quo expresse efficacissimeqꝫ uetitum & prohibitum esse uolumus, ne quisquam alius memorata duo uolumina in uniuersis ditionibus, terris, ciuitatibus, municipijs, colonijs, metrocomijs, atque alijs locis tam Sacro Romano Imperio, quàm cæteris Regnis, Dominijs, & Prouincijs nostris hæreditarijs, mediatè uel immediatè subiectis, per continuum decenniū, ab eo die, quo utriusqꝫ operis impressio per ipsum Oporinum, uel eius heredes, aut causam ab eo habituros, absoluta fuerit, computandum, imprimere, imprimi'ue mandare, coniunctim siue separatim, in eadem uel alia forma, ijsdem'ue characteribus, aut in aliud idioma conuersa, aut alibi impressa, adducere, uendere, distrahere publicè seu occultè præsumat. Quod si quis facere, & huic nostro priuilegio quoquo

modo

modo contrauenire ausus fuerit, præter librorum impressorum seu aduectorum amißionẽ, quos idem Oporinus, eius'ue hæredes, uel ab eis mandatum habentes, ubicũq; repertos, auxilio magistratus loci, aut sua etiam authoritate apprehẽdere, & sibi uendicare possunto, etiam pœnam quindecim marcharum auri puri se noucrit ipso facto incurrisse, nostro uel Imperiali fisco fraudis uindici, & præfato Oporino, eius'ue hæredibus ex æquo pendendam toties, quoties contrafactũ fuerit. Mandantes proinde uniuersis nostris & Sacri Romani Imperij Electoribus, Principibus ecclesiasticis & secularibus, Magistratibus, Officialibus, Communitatibus, & alijs subditis, cuiuscunq; dignitatis, præeminentiæ, ordinis, seu conditionis existentibus, ut antedicto Ioanni Oporino, eiusq; hæredibus & ministris, aut ab eis mandatum habentibus, pro executione præmissorum omnem fauorem & assistentiam præstent, & præstandam curent: potissimum autem typographis & bibliopolis, ne contra hoc nostrum priuilegium facere quoquo modo audeant, seu præsumant, in quantum pœnas prædictas euitare uoluerint: harum testimonio literarum, sigilli nostri impresione munitarum. Datum in nostra & Imperiali ciuitate Augusta Vindelicorum, die quarta mensis Martij, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo: Regnorum nostrorum, Romani uigesimo primo: aliorum uerò, uigesimo quinto.

FERDINANDVS.

Ad mandatum sacræ Regiæ Maiest. proprium.

I. Ionas D.
Vicecancellarius.

Iordanus.

SEX. RVFFI VIRI CONSVLARIS RERVM GESTARVM PO. RO. EPItome, de Consulari & Imperiali dignitate, atq; accessione Ro. Imperij ad Valentinianum Imperatorem.

PIO PERPETVO DOMINO VALENTIniano Imperatori, & semper Augusto, Ruffus Sextus uir Consularis.

A BREVEM fieri clementia tua libellum præcepit. Parebo libens præceptis: quippe cui desit facultas latius eloquendi. morem sequutus calculatorum, qui ingentes summas ære breuiori exprimunt: res gestas signabo, non eloquar. Accipe ergo, quo breuiter dicta breuius computentur, ut annosam uetustatem R. P. legẽdo detineamus: ac præteriti facta temporis, non tam legere, gloriose princeps, q̃ numerare uidearis.

HAec est præfatio Ruffi in suum libellum, qui inscribitur, De Regia Consulari Imperialiq; dignitate, ac de accessione Romani Imperij: qui ita mutilus & lacer inter Plutarchi uitas insertus circũfertur impressus, ut in eo uix tres integræ lineæ cohæreant. Non potui nõ stomachari ac excandescere in eos, qui se correctores, immò potius corruptores, satis elatè in frontispicijs librorum inscribunt, uno adiecto solo Epistolio: quasi satis sit, lecta præfatione, toti operi fidẽ habere: id quod lon-
B gè alienum est à uero, ex alieno scilicet labore famam aucupari fœliciter. Studui igitur, collatis plerisq; exemplaribus, quoad licuit pro uirili, mendas tollere, & ex diuersis autoribus quasi repertorium aliquod Romanæ historiæ condere, quod usui sit studiosis & bonæ frugis adolescentibus: distinxiq; in capita ac rubricas, ut facilius singula intelligantur, reperianturq;: quasi calculator aliquis ex hoc opusculo res gestas numerare uelit, & in breui tabella uniuersum orbem pictum cognoscere. Superfluũ autem est, eloquentiam hic inuestigare: quia

Ornari res ipsas nequit, contenta doceri. Quæcunq; enim in forma scripta sunt enchiridij, amplam refutant eloquentiã: & ideo se breuem scribere profitetur. In aliorum quoq; cõtumeliam, qui longissima usi præfatione, nescio quos Chrysippæos tradunt commentarios. Sed ne ego quoq; excedam, & fabula prolixior sit prologus, cætera adibo. Appellat autem Ruffus hunc suum libellum breuem, more ueterũ Romanorum, qui sua scripta hac uoce appellabant: ut Imperatores Valentinianus, Valens & Gratianus, Tit. Codicis, de Conueniendis fisci debitoribus, lib. decimo: Inter chartulas (aiunt) cõfiscati breuis quidam asseueratur inuentus, &c. Inde deducitur diminutiua forma, breuiculus. Vnde in C. de Sententijs ex breuiculo recitandis, honestius & uerius legitur, quàm ex periculo: sicut corrupti habent codices, ut Alciatus docuit. hodie etiam literæ summi Pontificis, Breuia Apostolica uulgò dicuntur.

NVMERVS ANNORVM AB VRBE *condita ad tempora Ruffi.*

Præfari de numeris hoc loco licet, quod Aurelius Augustinus quintodecimo Diuinæ ciuitatis libro, tertiodecimo capite conqueritur: numeros aliter se in Græcis co-

dicibus & Latinis, aliter in Hebreis habere. Nam ubi numeri non faciunt intentũ ad aliquid quod facile posit intelligi, uel quod appareat utiliter disci, & negligẽter describuntur, & negligentius emendantur. Hinc & in sacris literis tot subortæ sunt dissensiones de numeris annorum, tot diuersitates, tot ambiguitates, ut meritò nostræ religionis antistites, magnis inuoluti tenebris, coacti sint quæstionibus longis rem discutere. Id quoq; in gentilibus literis factum, nemo miretur: cum tot, scribentium negligentia, immò inscitia potius, numerorum notas (quarũ Latini septem tantum habent, C.D.I.L.M.V.X.) ita inuerterunt ac deprauarũt, ut nusquam idem numerus in ijsdem etiam autoribus comperiatur. Sic effectum est, ut historiarũ libri sint quàm corruptissimi. Satis sit nobis pro testimonio unus Plinius senior, cuius numeri tam in ponderibus quàm in mensuris, nec nõ in numerandis mensibus ac annis sunt ita deprauati, ut immensos & inexcusabiles pepererint errores, quos etiam doctissimi quique explicare nesciant. quod nimirum culpa accidit antiquitatis, quæ nimis auida fuit notarum, quibus numeri annotantur. Antiqui eum libri, quascunq; numerorum summas notula sua pingebant. Et hinc est quòd diuus Hieronymus in translatione Chronicorum Eusebij, librarium adiurat, ut ex fide numeros conscribat. Fortè augurabatur hoc uir sanctissimus, quòd liber hic ueniret corruptissimus ad nepotes, sicut certè est. Vix enim umbram habemus Eusebij, ita mutilus & lacer est penè undique in numeris. Hoc uerum esse quisque intelliget, qui annos Consulum numerabit ad primum Augustum Octauianum. Vnum uidi scriptum Eusebium, qui multum distabat ab hoc nostro impresso: sed uetustate corrosus, etiam in plerisque legi non poterat. A

Ab urbe igitur condita in ortum perennitatis uestræ, quo prosperius factum Imperium Romanum sortitus es, anni numerãtur mille centum septem decem, sic scilicet: Sub Regibus numerantur ducenti quadraginta tres: sub Consulibus, quadringenti sexaginta septem: sub Imperatoribus, quadringenti septem. B

In alio quodam exemplari legitur sic: Ab urbe igitur condita in ortum perhennitatis uestræ, quo prosperius factum imperium Roma sortita est, anni numerantur M.C.XVII. Tot enim proueniunt anni, si simul colliguntur. Anni sub Regibus, CC.XLIII. Sub Imperatoribus, CCCCVII. Inde enim resultat numerus ille, M.C.XVII. qui hic ponit. Nec te moueat lector, quòd Florus ab urbe condita ad Augustũ septingentos numerat annos, cum pauculi aliquot supersint, et à primis Consulibus ad Augustum CCCCL ab eo supputentur. Sed quomodo anni sub COSS. sint uariati, & aliqui in locum mortuorũ suffecti, inferius in Cassiodori COSS. uidebitur. Non possum uerba Cornelij Taciti, libro primo Historiarum obmittere, quæ breuissimè urbis Romanæ omnes dignitates complectuntur, sic ordientis librum suum: Vrbem Romam à principio Reges habuere: libertatem & Consulatum Lucius Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur. neque Decemuiris potestas ultra bienniũ, neque tribunorum militum cõsulare ius diu ualuit: non Cinnę, non Syllæ longa dominatio. Et Pompeij Crassiq; potentia citò in Cæsarem, Lepidi atque Antonij arma in Augustũ cessere: qui cuncta discordijs ciuilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit. Sed quando sit urbs condita, paulo altius iudico repetendum.

De urbe condita, eiusq; nomine & appellatione, longè diuersissima autores scribunt. Cato: Roma (inquit) principiò sui pascua bobus erat. Dehinc septem rupes urbis describit, pro comperto relinquẽs, à tribus tantum gentibus, Luceribus Thuscis, Ramnensibus Albanis, & Tatiensibus Sabinis, Romam originem habuisse: non à Græcis, ut multi asserunt, quemadmodum Plutarchus & Dionysius Halicarnasseus in primo Antiquitatum multis copiose repetunt. Ob id C. Sempronius, cum de diuisione Italiæ librum concluderet, dixit: Hæc sunt uerè tam priscæ Italiæ quàm urbis Romæ antiquitates & origines, quibus, quoniam plures Græci postremis temporibus in

A bus in Italiam commigrantes commixti fuerũt, ob id à se principiò emanasse Italiam, Græcia falsò existimauit. Græca tamen leuitas, tum fabulositas (tanta uidelicet tum impudẽtia eorum, tum iactantia est) ut omniũ gentium & imperiorũ atq; urbium præclarissimarum se conditores esse, apertis sæpe mendacijs conscribant. Sed præter ea quæ Liuius in primo, Iustinus in quadragesimo tertio, Solinus in suis Collectaneis, Festus, Varro, Gellius, Atteius Capito de urbe condita scribunt, & Ouidius in Fastorum libris, ea annotanda censeo, quæ Sempronius in hæc uerba scribit: Quamobrem parum considerate quidam scribunt, Romam postremis ac nouis seculis à Romulo conditam, & appellatam atque cœptam, cum nullum ex ijs tribus uerum apud maiores inueniatur memoratum, sed sint ab eis contraria prodita. Non enim Roma à Romulo nomen habet, quippe quia geminis non Remus & Romulus nomina posuit Faustulus Ethruscus, & regius pastor, sed Rumulũ & Rumen illos ab euentu appellauit, quæ sunt nomina Ethrusca. Alioqui Romæ nomen, & nominis origo uulgata esset atque manifesta, quæ occulta esse saluberrima religio sanxit: ne si origo nominis Romæ claresceret, eius deus (in cuius tutela est, & à quo deriuationẽ habet) gentibus pateret, & euocaretur, ut cæteri. Non igitur à Romulo Roma, sed econtrà ab ipsa potius Roma (cuius adeò est occulta deriuatio) Romulus nomẽ habuit: quę ante ipsum Romulum cœpta legitur coli, annis paulo minus octingentis, ab Italo in Auentino Capena, & filia eius Roma in Palatino colle, & ante hos plusquam trecentis annis aureo seculo à Saturno Romulus solum ex oppidulo Roma in Palatino colle, quadratam & regiam reddidit, ut pulchrè Q. Fabius Pictor edocet. uide illic paulo diligentius, quomodo eam condidit. Tandem subiungit: Sunt qui tradant, illam conditam duodecima Olympiade: placet alijs octaua, septima quibusdam, sexta completa nonnullis. Præualet omnibus ijs Eratosthenis inuicta regula, ut aiunt. Sed cum Pomponius Atticus coram senatu atque doctissimis uiris conferret Græcorum certissima tempora, compertum est, quod ab Aenea & Troia excisa per tempora regum Latinorum, usque ad Romulum regem iam creatum, fluxerunt anni circiter triginta & quadringenti. Quare haud dubiè cõdita est Roma Olympiade septima, aut eius anno secũdo. hæc Caius. Dionysius autem, primo anno septimę Olympiadis: Eusebius, sexta. Hinc lector, Orosij & Eutropij aliorumq; opiniones contrarias facilè discernes. Orosius enim libro secundo, capite quarto sic narrat: Anno igitur post euersionẽ Troiæ circiter CCCXXXV, Olympiade autem sexta, quæ quinto demum anno, quatuor in medio expletis, apud Elidem Græciæ ciuitatem agone & ludis exerceri solet, urbs Roma in Italia à Remo & Romulo, à geminis autoribus condita est. Eadem ferè Eutropius, qui Orosium citat. Quod si secundum illos est condita sexta Olympiade expleta & finita, conuenit cum Dionysio, qui primo septimæ Olympiadis anno eam conditam (quod idem est) prodit. Sed profectò Solinus in suo Polyhistore, cum & Fabij, & Cornelij Nepotis, Luctatij, Eratosthenis, Apollodori, Pomponij Attici, & M. Tullij opiniones recitauit, doctè subiungit: Collatis igitur nostris & Græcorum temporibus, inuenimus incipiente Olympiade septima Romam conditam, anno post Ilium captum quadringentesimo tricesimo tertio: quippe post certamen Olympicum, quod Hercules in honorẽ Pelopis ataui materni ediderat, intermissum Iphitus Elæus filius eius restaurauit, post excidiũ Troiæ anno quadringentesimo octauo. Ergo ab Iphito numeratur Olympias prima. Ita sex medijs Olympiadibus interiectis, quibus singuli anni quaterni imputantur, cum septima cæptante Olympiade Roma cõdita est. Inter exortum urbis & Troiam captam, iure esse annos quadringentos & triginta tres constat. Huic argumento accedit & illud, quòd tum C. Pompeius Gallus & Q. Veranius, anno urbis conditæ octingentesimo primo fuerunt Consules, Consulatuq; eorum Olympias septima & ducentesima actis publicis annotata est. Quater ergo multiplicatis sex & ducentis Olympiadibus, erunt anni octingenti uiginti quatuor: quibus septimæ Olympiadi annectẽdus est unus annus, ut in solidum colligant DCCCXXV anni. Ex quibus, detractis quatuor & uiginti annis Olympiadum retro sex, manifestè anni octingen-

ti & unus reliqui fient. Quapropter cum octingentesimoprimo anno urbis conditę, ducentesima septima Olympias computetur, par est, Romã septimæ Olympiadis anno primo credi conditam: quod & Dionysius Halicarnasseus approbat. Et hinc facile eorum opiniones tollentur. Quanquam, ut Metasthenes Persa inquit, qui de temporibus scribere parant, necesse est illos non solo auditu & opinione Chronographiam scribere, ne cum per opiniones scribant (uti Græci) cum ipsis pariter & se & alios decipiant, & per omnem uitam aberrent. Sic igitur liquet, Romam antiquitùs fundatam ac habitatam, restitutamq́, sed à Romulo instar urbis quadratam redditam, & ab eo tunc Romam per syncopen, quasi Romulam uocitatam, uno communi nomine, quod effari licuit. Alterum uerò quod enunciari prohibitum erat, ut Plinius libro tertio, & uigesimo octauo scribit, & Solinus repetit, colligi potest ex Beroso: qui in quinto Chaldaicæ deflorationis, sub rege Assyriorum sextodecimo Mamelo, scribit fuisse Romanesson, filium Romæ, filiæ Itali, qui primus fuit sub regibus montanorum Aboriginum. Interpretatur autem Roma sublimitas, & uetustissimum fortè ualidumq́ augurium, ut diuus Hieronymus interpretatur. Ergo illi Romanesso, id est sublimi fortitudini auguratæ & uaticinatæ nomen futura sublimitas Romani imperij indidit: quod Tuscus eius pater à disciplina augurandi Tusca, tum eximia, præsciuerit, ex eius urbe ac materno paternoq́ genere futurum fore imperium orbis, ut interpretatio nominis significat. Præterea cum, ut Manethon in supplementis Berosi notat, ante secundum Lartem Aegyptium, apud Celtiberos regnauerit Romus: hic tum procul Sagunto Romam in littore constituerit, à posterioribus Romanis per interpretationem Valentia nuncupata est. Nam Romus, ualens & robustus dicitur. Ob id Solinus, cum scribit Romæ uocabulum ab Euandro inditum, intelligendum est, appellatione græca. Nam antea uocabulo barbaro etiam Roma dicta fuit, à Roma prima conditrice, Itali filia, ut Berosus & Plutarchus testantur. Roma autem græcè robur interpretatur: licet Hieronymus de interpretatione nominũ Hebræorum, non solum robur, sed sublimitatem cum tonitruo augurio & imperio per Romam significari asserat. A B

QUANTUM SUB REGIBUS *sit gubernatum.*

Regnarũnt Romæ per ducentos quadraginta tres annos Reges numero septem. Romulus regnauit per annos triginta septem. Senatores per dies quinos, singuli annum unum. Numa Pompilius regnauit annis quadraginta tribus. Tullus Hostilius regnauit annis triginta duobus. Ancus Martius regnauit annis uiginti quatuor. Tarquinius Priscus regnauit annis triginta octo. Seruius Tullius regnauit annis quadraginta quatuor. Tarquinius Superbus expulsus est regno, anno uigesimo quinto.

Si illi anni rectè supputentur, ueniet legitimus numerus ducentorum quadraginta quatuor annorum. Vno enim anno fuit interregnum post mortem Romuli, quo centum patres decem decurijs factis, singulisq́ in singulas decurias creatis, qui rerum summæ præessent, consociant. Decem imperitabant: unus cum insignibus imperij & lictoribus erat. quinque dierum spacio finiebatur imperium, ac per annos in orbem ibat, annuumq́ interuallum regni fuit. Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum, ut Liuius in primo ab Vrbe condita docet, qui hunc magistratum Decurialem principatum appellat. Dionysius Halicarnasseus in secundo Antiquitatum, pulchrè post mortem Romuli interregnum quod fuerit, explicat. Sed & cæteri autores sæpius interregni meminerunt, ut Vopiscus in Tacito, Asconius Pedianus super oratione pro Milone. De interrege Appianus in primo Ciuilium, ubi de Sylla dictatore agit, & in secundo, ac passim alibi. Numerum autem illum

A lum ducentorum quadraginta quatuor annorum, sic explicat Liuius in fine primi libri: Regnatum Romæ ab condita urbe ad liberatam, annos ducentos quadraginta quatuor. Hoc item Dionysius in primo Antiquitatum asserens, sic probat: Hoc (inquit) cognoscitur ex successionibus Regum, & annis, quibus unusquisque imperium tenuit. Nam Romulus quidem urbis conditor, septem & triginta annos tenuisse imperium dicitur. Postquam eum sine Rege urbs fuisse tempus annuum. Rex deinde creatus à populo Numa Pompilius, tres & quadraginta regnauit annos. Tullus Hostilius post Numam annos duos & triginta. Qui uerò post eum regnauit Ancus Martius, quinque & uiginti. Post Martium Tarquinius Priscus uocatus, octo & triginta. succedens Seruius Tullius, quatuor & quadraginta. Seruium autem interficiens L. Tarquinius, uir tyrannicus, & ob iustitiæ contemptum Superbus cognominatus, ad quintum usque & uigesimum annum produxisse dominatum dicitur. Annis autem ducentis & quadraginta quatuor, quibus Reges imperarunt, unam & sexaginta Olympiadas conficientibus, necesse est omnino primum urbi imperantem Romulum, anno primo septimę Olympiadis imperium suscepisse. Eandem penè supputationem uide in Solino, à principio libelli sui, ubi & hos septem Reges & Olympiadas notat. Et euidenti argumento comprobat, urbem conditam septima Olympiade incipiente. Licet alij duodecima, alij octaua, alij sexta prodiderint. Cum Plutarchus tertio anno sextæ Olympiadis tradiderit iacta fundamenta urbis, credibile est primo septimę Olympiadis anno muros absolutos, adeò ut nulla differentia appareat. Est autem Olympias (quod tam ex Dionysio quàm Solino discere potes) spacium quatuor annorum: quemadmodum lustrum quinque annorum spacium definitur. Quia teste Afranio, diligentissimè omnia quadriennio notabantur, ut omnis temporum confusio tolleretur: ita apud Eusebium, Isidorum, Plinium. Vnde ad illius differentiam Ouidius alibi dixit,

B In Scythia nobis quinquennis olympias acta est.

Quod certè non dixisset, nisi & quadriennis uera esset Olympias. Hæc enim poetica sunt. ut apud Martialem:

Vt qui prima nouo signat quinquennia lustro,
 Impleat innumeras Burrus Olympiadas.

Et apud Ausonium item:

Fors erit, ut lustrum cum se cumulauerit, illis
 Confectam Proculus signet Olympiaden.

Non tamen ex ijs probabitur, idem esse lustrum & Olympiaden, quemadmodũ Seruius putabat: cum lustrum quinquennale sit spacium, quo & ciuitas lustrabatur, & uectigalia ac census locabantur agrorum, ut crebrò, in lib. Digestorum, de Administratione rerum ad ciuitatem pertinentium, de Soluto matrimonio, de Liberatione legata, de Iure fisci, & passim alibi cernitur apud Plinium iuniorem in Epistolis, libro secundo & octauo, ubi lustri fit mentio, nusquam Olympiadis: licet interpretes idem esse credant lustrum & Olympiaden, quod uerè nusquam constabit, cum Eusebius apertè signet in libro Temporum, Olympiadem esse spacium quatuor annorum. Et si totus is liber, qui tamen deprauatus est mirum in modum, paulo diligentius examinetur, ubique una Olympiade spacium quatuor annorum inuenietur. Quod & Suidas attestatur Græcus, qui quadrienne certamen asserit. Et Censorinus in libello suo Natalitio, capite nono, sic scribens: Sed horum omnium penteridas maximè notandas temporibus Græci obseruant, id est, quaternorum annorum circuitus, quos uocant Olympiadas. Vbi quidam haud indoctus censebat legendum Quinorum, non quaternorum annorum, &c. sed perperam. Non enim penterida nominarunt, quod propriè quinque annis constaret, plenis atque perfectis: sed quòd confecto quadriennio, consummatoque, adiecto intercalari die, qui quadrantibus constat, quinto quoque anno respondente, Græci Ioui Olympio agonem celebrarent, pleni quinquennij significationem obtinuit. Id autem & hinc colligitur, quòd apud omnes historicos inuenimus rem aliquam esse gestam primo, secundo, tertio, quarto anno Olympiadis decimæ, uel uicesimæ: nusquam, quinto anno alicuius Olympiadis.

piadis. Vnde post superiora uerba subiungit Censorinus, significans tempus quo scripserat: Et nunc apud eos ducentesima quinquagesima quarta Olympias numeratur, eiusq; annus hic secundus. Sed reuertamur unde sumus digressi. Orosius & cæteri, sexta Olympiade finita, urbem conditam scribunt: uide libro secundo, capite quarto. Hunc tamen eundem numerum fatetur, quando inquit: Sed Romani quanta mala per CC. XLIIII. annos cõtinua illa Regum dominatione pertulerint, non solum unius Regis expulsio, uerùm etiam abiuratio Regij nominis & potestatis ostendit. Nam si unius tantum superbia fuisset in culpa, ipsum solum oportuisset expelli, seruata Regia dignitate. Melioribus igitur Regibus urbe propulsis, Romani consulendum sibi potius, quàm cuiq; suæ libertati dominandum rati, Consules creauerunt, quibus ueluti adulta Reipublicæ crescentis ætas robustioribus ausis exercebatur. Dionysius quoq; librum suum quintum exordiens: Regius (inquit) dominatus, durans post urbem cõditam annos ducẽtos & quadraginta quatuor, sub rege ultimo in tyrannidẽ cõuersus, his est ex causis dissolutus, per hos uiros, † Olympiade octaua & sexagesima, qua uicit in stadio Ischomachus Crotoniates, gerente Athenis annuum magistratũ Isagro. Quantum uerò regnauerint singuli Reges, Liuius, Dionysius, Plutarchus, Solinus, & inter iuniores Orosius, Eutropius, Eusebius edocent. Sed numerorum notæ faciunt, ut aliquando inter se diuersi sint. Leuiusculæ tamen sunt mendæ, & ab mediocriter erudito facile eluibiles. Eusebius cum alijs nonnullis, attribuit Tarquinio Superbo triginta quinq; annos, quod Romani historici omnes pernegant. Inter omnes enim constat, septem reges, ducentos quadraginta quatuor annos regnasse: & si aliter is numerus inuenitur, corruptus est. Intelligo autem & annum illum, quo interregnum fuit. Solini exemplaria habent XLI. sed deprauata sunt omnino, & hoc pacto corrigenda. Cæterùm quid sub singulis breuiter gestum sit, inferius, dum Cassiodorus enarrabitur, uberius explicabimus. Nunc uerò ordine ad Consules progrediamur.

Locus mutilus. nominandi enim erant Brutus & Collatinus, &c.

QVOT FVERINT COSS. ET ANNI *ipsorum.*

Consules deinde fuerunt, Publicola & Brutus. A' Publicola & Bruto, usq; in Pansam & Hircium, octingenti decem sex: præter eos qui in eodem anno sorte aliqua sunt surrogati. Per annos quadringentos quadragintaseptem, quinque & quadraginta annis Romæ Consules defuerunt. Sub Decemuiris, annis duobus: sub Tribunis militaribus, annis tribus & XL. sine magistratibus Roma fuit annis quatuor.

Tanta est in his paucis uerbis cõfusio, ut qui bene ea resoluat, non facilè inuenias, ob annorũ numerum cõfusum. Numerat autem primũ COSS. à Publicola & Bruto, qui fuerunt primi post exactos reges, usq; ad Hircium & Pansam (qui erant, cum Octauianus Augustus rerum potiret) octingẽtos & decem sex. Cum in quibusdam exemplaribus repererim D. CCC. & XLIIII, in quibusdã LXXVIII, in quibusdam XVII. Qui tamẽ numerus nullo pacto inueniẽ in COSS. Cassiodori, quos dehinc subiungã: ut planè appareat, non modò in notis numerorũ, sed & in autoribus ipsis esse errores & mendas. Si enim regia potestas desijt Olympiade octaua & sexagesima, & Augustus Imperiũ assumpsit Olympiade centesima octogesima quarta, ferè altero anno quo Hircius & Pansa COSS. fuerunt: hic numerus annorũ, qui hic ponit, non perueniet. Vnde & Eusebius inquit: Romæ post exactos reges primùm COSS. duo à Bruto esse cœperunt, deinde Tribuni plebis ac Dictatores, & rursum COSS. Remp. obtinuerũt per annos fermè quadringentos sexaginta quatuor, usq; ad Iulium Cæsarem, qui primus singulare arripuit imperium, Olympiade centesima octuagesima tertia. In principio autem imperij Augusti, erant COSS. Hircius & Pansa, anno quinto post Iul. Si itaq; singulis annis bini numeranẽ COSS. à Bruto & Publicola erunt nongẽti triginta sex COSS. Sed in ijs quadringẽtis sexaginta & aliquot annis

A annis fuerunt Decemuiri, duobus annis Tribuni militares cum consulari potestat. non tribus annis, ut hic Ruffus dicit, sed pluribus annis. Et Roma sine magistratibu fuit annis quinque, ut Liuius scribit in sexto: non quatuor. Sed iuniores omnes in anni illis cum antiquis dissident. Iornandes enim in suis Chronicis sic ait: Consules bini in annis singulis creati, Remp. gubernantes, sequẽti anno ab alijs uenientibus succedebantur: scientesque se annis tantũ singulis præesse in populo, taliter erga alios agebant, qualiter eos erga se acturos sperabant. Qui ordo usque ad Augustum Cæsarẽ obtinuit priuilegium per annos DCCXVI, in annis CCCCLVIII. Nouem siquidem annos sine COSS. sed tantum sub Tribunis fuit, quatuor sine iudicibus. Nam post exactos reges annũ unum singuli Senatorum remp. obtinuerunt. Quæ omnia inferius apertius in Cassiodori COSS. lector candide de anno in annum uidebis. Nunc uerò, quia de Consulibus agit, & inferius COSS. ponentur à primis duobus usque ad urbis destructionem per Gothos, semel de COSS. copiose scribemus.

DE CONSVLATV, ET CONsulis officio.

Consules ab initio à pop. Rom. electi sunt, expulsis Regibus, ut penes illos regia esset potestas. Sed duo pro uno Rege facti, ut si unus malus foret, alter eius maliciam coerceret. Annuum tamẽ illis imperium fuit, ne per diuturnitatem potestatis insolescerent, sed magis ciuiles existerent, scientes non diuturnum fore illorum imperium. Vnde lib. primo Digestorum, de Origine iuris, L. secunda: Exactis deinde Regibus, Cõsules instituti sunt duo, penes quos summum ius uti esset, lege rogatum. Dicti autem sunt ab eo, quòd plurimum reip. consulerent. Qui tamen, ne per omnia regiam potestatem sibi uendicarẽt, lege lata factum est, ut ab eis prouocatio esset, néue possent in caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi. Solum relictum est eis, ut cohercere possent, & in uincula publica duci B iuberent. Vide eodem libro Digestorum, rubricam de officio Consulum. Magistratus igitur annuus erat, & anni apud Romanos à Cõsulibus numerabantur. Lucanus: Annos à Cõsule nomẽ habentes. Pacatus in Panegyrico: Consul creatur, habiturus est nomen annus. Habebant autem COSS. duodecim lictores, qui cum fascibus præibant, quibus adalligatæ erant secures cum uirgis, quibus plectebantur sontes, & qui grauiter & mediocriter delinquebant. Vtebantur uerò fascibus tantum in urbe, securibus extra urbẽ, ut Dion tradit, ex instituto Valerij Publicolæ: quo inuidiosum magistratus fastigium, ad tolerabilem habitum deduceretur, teste Valerio Maximo. Fasces, teste Plinio, ex Gallica fiebant arbore, quæ species est populi, quam Latini betulam uocãt, quia flexibilis est: quod se ignorare fatetur Tortellius. Submittebantur autem fasces, quando COSS. in concionem populi prodibant, teste Liuio & Quintiliano, quod populo admodum gratũ fuit: quia scilicet maiestas pop. Rom. maior esset ipso Consule. Dabantur autem fasces lege Iulia, priori ex COSS. cui uel plures essent liberi, uel qui maritus, uel qui annis senior erat. hic primi mẽsis fasces habebat, ac maior Consul uocabatur: uel qui priore loco Consul renũciatus esset. Hunc uirgis insignẽ uocat. Aderant tum uestes & trabeæ, quæ omnia ex Hetruria Romam ni à Tarquinijs, teste Strabone, sunt allata. Nam ut Berosus in quinto scribit, in Vetulonia duodecim fasces dati sunt à Iano, & quibus decorati atque donati fuerunt postea Lydij. Silius in octauo, in catalogo populorum Italiæ:

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis,
Bissenos hæc prima dedit procedere fasces,
Et iunxit totidem tacito terrore secures.
Hæc altas eboris decorauit honore curules,
Et princeps Tyrio uestem prætexuit ostro.

Et hæc erant ornamenta cõsularia, quæ pòst, ubi Imperatores rerum potiebantur, per indulgentiam Principis dabãtur etiam illis, qui ad consulatum nunquam aspirarant. Qualis autem honor dabatur COSS. docet Val. Max. libro secũdo de Institutis. Inibatur olim hic magistratus Cal. Martijs, quia Marti deo suo initium anni dicauerunt. Tibullus:

Martis Romani festæ uenere Calendæ, A

Exoriens nostris hic fuit annus auis.

Memorat Liuius in tricesimoprimo, quòd idibus Martijs olim consulatus inibatur, licet Cal. Ianuarij dies erat solennis ineundis magistratibus deputatus. Ianuario enim mense pòst Consulatum inibant, qui anno principium dat. Et tunc annus aperiri dicebatur, Plinio in Panegyrico: Fastosq; reserare. Ouidius:

Ergo ubi Iane biceps longum reseraueris annum,

Pulsus & à sacro mense December erit. Et copiosissimè in primo Fastorum:

Iamq; noui præeunt fasces, noua purpura fulget,

Et noua conspicuum pondera sentit ebur. Lucanus:

Instabatq; dies qui dat noua nomina fastis,

Quiq; colit primus ducentem tempora Ianum.

Id quod etiā Plutarchus in Problematis confirmat, scribens, Ianuariū primū mensem cœptum numerari, quòd primo huius mensis die, quem Cal. Ianuarias appellant, primi COSS. exactis regibus creati sunt. Aliquando tamen fuerunt hi dies huic solennitati deputati: sicut olim Idus Maias fuisse solennes ineundis magistratibus, refert Liuius in tertio. Idem in quinto, idus Decembres, solemnem fuisse ineundis magistratibus diem prodidit. Idem memorat, COSS. inijsse Consulatū olim Cal. Sextilibus: quia principium anni eo die agebatur. Dionysius in sexto scribit, Posthumium Cōminium & Sp. Cassium COSS. inijsse magistratū Cal. Septembribus citius quàm cōsuetudo erat, priusquam aliud cæterorum ageret. Idem Dionysius lib. 9. scribit: Sequenti anno circiter conuersiones æstiuas Sextilis mensis, Consulatum suscipiunt uiri bellorum periti, Sp. Seruilius & A. Verginius. Qui proximis Cal. Martijs creati fuerunt, COSS. sequentibus Cal. Ianuarijs consulatū inibant. quamuis etiam prius initum legamus apud Liuium. Sub Cæsaribus deinceps designabantur COSS. in uarios menses, pro libidine eorum. Et aliquando uno anno plures erāt COSS. Sic apud Tacitum B legimus lib. 17. (ut sunt libri hodie distincti) Otho consul cum Titiano fratre in Cal. Martias, ipse proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentū. iungitur Verginio Pompeius Vopiscus, prætextu ueteris amicitiæ. Cæterùm Consulatus ex destinatione Neronis, aut Galbæ, mansere Cœlio ac Flauio Sabinis in Iulias, M. Antonio & Mario Celso in Septembres: quorum honori ne Vitellius quidem uictor intercessit. Qui autem postea creabantur in sequentem annum, ij Designati dicebantur, authore Flauio Vopisco. Postremò adeò creuit ambitio sub imperatoribus, ut anno uno, tradat Lampridius, sub Commodo triginta quinq; COSS. designatos. Non est igitur audienda expositio Georgij Vallæ, in libro Ciceronis de Fato, Hirciusq; noster Consul designatus: id est, insigni nomine consulatus clarior factus. Hæc enim disputatio Ciceronis cum Hircio, facta fuit ante interitū Ciceronis, quando Hircius fuit Consul in sequentem annum designatus. Cum uerò Hircius & Pansa COSS. iam essent, post hos fuit Cicero occisus, ut in Cassiodoro uidebimus. Cum aliqua res relata ad Senàtum fuerat, Consules qui præsidebant, primùm designatos COSS. super ea re sententiā rogabant, ac deinceps cæteros Senatores. Dedit autem Consul designatus Consuli ordinario in sella sedenti, stans iuramentū, quo iurauit explanauitq; uerba, quibus caput suum, domū suam, si scienter fefellisset, deorum iræ consecraret. Quanquam autem Iureconsultus Vlpianus Digestorum primo, titulum faciat de Officio Consulum, quomodo scilicet consilium præbere debeat, & manumittere possit, quod tum scilicet erat sub imperatoribus: antiquitùs tamen officia consularia erant, ius reddendi locandi publicos reditus, sumptus temperandi, de rebus dubijs consultandi. Quod pulchrè Ouidius insinuauit, ad Sext. Pompeium his uersibus, in quarto de Ponto:

Aut reget ille suos dicendo iura Quirites,

Conspicuum signis cum premet altus ebur.

Aut populi reditus positam componet ad hastam,

Et minui magnæ non sinet Vrbis opes.

Aut

A Aut ut erunt patres in Iulia templa uocati,
De tanto dignis Consule rebus aget.
Aut feret Augusto solitam, natoq; salutem,
Deq; parum noto consulet officio.

Sed plenius Consulare munus describit in eodem quarto Ouidius, ad Græcinũ Consulem. Qualia autem munera dabantur consulibus, uide Vopiscum in Aureliano longè lateq;. Præter enim palmatam uestem, baculus & fax dabatur, & alia quædam, ut ibi legitur. Est & titulus in C. lib. duodecimo, de Consulibus, & non spargenda pecunia: ita missilia damnauit Imperator, quemadmodum Vopiscus in Aureliano hanc profusionẽ damnat. Sed in Authenticis quoq; longissima lex est de Consulibus, Stagio Comiti sacrarum largitionum scripta, ubi etiam talia acerrimè damnantur. Sed ea debent simul legi & conferri, ut antiquitas consulatus bene innotescat: licet certè leguleí nostri illa non intelligant, in apicibus (ut ipsi dicunt) iuris occupati. Sunt etiã nonnullæ mendæ in ijs legibus. Pomponius Atticus (si Cor. Nepoti credimus) uolumen scripsit, quo magistratus omnis maiorum exposuit. Noster Mar. Tullius lib. 3. de Legibus, Magistratus omnes Romanos breuiter & eleganter exposuit. Vbi & de COSS. agitur, & eorum officium enarratur. Si placet etiam recentiores uidere, adest Fenestella, Pomponius Lætus de Magistratibus, & Blondus lib. 3. de Roma triumphante. Sed nemo copiosius de officio Consulatus scripsit, quàm Cassiodorus libro Epistolarum 6. Hic est diligenter uidendus: licet aliud tum erat Consulum officium sub Imperatoribus, & presertim quando iam decoxit Imperium, & à tyrannis occupabatur, quàm olim in libera urbe. Et ideo diuersa ratione legendi sunt Tituli Iurisconsulti in lib. Digest. & Codicis. Addam illud quoq;, quod Dionysius scribit lib. quarto Antiquitatũ: Cõsules Grecis appellari συμβούλους, siue προβούλους: symbulos, quoniam βουλὴν Romani consilium uocant, ὕπατοι etiam aliquando nominati sunt isti à Græcis,
B à magnitudine potestatis, quòd & omnibus imperent, & supremam dignationem habeant. Quod enim eminet culmen, ὑπάτην uocabant prisci. Cæterùm de Publicola COS. abundè Plutarchus in eius uita, qui requirendus est. Fuerunt autem primi COSS. Brutus & Collatinus. Sed ubi Collatinus se consulatu abdicauit, suffectus est in eius locum Publicola, ut Liuius & Dionys. docent, & inferius in Cassiodoro latius uidebimus. De ijs ita Cicero lib. 2. de Finibus: stuprata per uim Lucretia à regis filio, testata ciues, seipsam interemit. Hic dolor pop. Rom. duce & autore Bruto, causa ciuitati libertatis fuit: ob eiusq; mulieris memoriã, primo anno & uir & pater eius Consul est factus. Est autem illud notatu dignum, quod Iulius Obsequens ijs uerbis scribit: Constat neminem, qui magistratum collegæ abstulerat, annum uixisse. Abrogauerunt autem ij: L. Iunius Brutus Tarquinio Collatino, Tiberius Gracchus M. Octauio Cecinnæ, P. Tarquinius P. Marullo, Tullius Bruto & Cassio pugnã aduersus Cæsarem & Antonium molientibus.

QVOT IMPP. ET ANNI IPSORVM.

IMperatores ab Octauio Cesare Augusto, usq; in Iouianum, fuerunt numero quadraginta quatuor, per annos quadringentos septem. Sub ijs igitur tribus imperandi generibus, hoc est, Regio, Consulari, & Imperatorio, quantum Roma profecerit, breuiter intimabo.

Appianus in procemio suæ historiæ scribit, quòd Imperator fuerit priscorũ ducum nomen: à quo postea qui Remp. suo nutu regebat tanquã Rex, Imperator est dictus. Nam Imperatoris nomen ante armorum castrorumq; fuit, priusquam intestina bella ex factionibus orta remp. destruxerunt: uerbo quidem legitima potestas, re autem uera dominatio erat. Qui enim rep. occupata Romanis dominabantur, Imperatores se appellari, non solum æquo, sed etiam libenti animo patiebantur. Quia Imperatoriũ nomen & gratius & tolerabilius Romæ erat, quàm quisquam titulus, qui dominationis speciem præferret. Eratq; Imperatoria dignitas apud priscos Romanos, longè

inferior

inferior Regia dignitate. Postea in tantum creuit, ut illi qui reip. Rom. totiq; pene ter- A
rarum orbi dominabantur, Imperatores se dicerent: quòd quemadmodum ipsi poten-
tia anteibant alios, sic nomine quoq; imperatorio reliquis anteferretur omnibus. Me-
morat Dion, Iulio Cæsari decretum nouum Imperatoris nomen, tanquam maximæ
alicuius pugnæ uictori: neq; summa dignitate prædito, sed ueluti omnium rerum do-
mino, à quo cæteri Imperatores nomen traxere, & ab illo Imperatores Romanos con
numerandos. Aliud enim esse nomen Imperatoris olim uictoribus concessum, aliud
per quod omniũ rerum arbitriũ significaretur. Namq; posse nouos milites recensere
& conscribere, pecunias contrahere, bellum indicere, pacem cõficere, Senatores mor
te punire: ex Censura uerò, uitas & mores omnium introspicere, ac malè meritos no-
tare: Senatum legere, & quos uoluerit reijcere: ex Pontificatu omnium sacrorum fa-
cultatẽ habere: ex Tribunatu plebis, inter alia esse sacrosanctũ, neq; uerbis neq; re-
bus ab aliquo posse lædi: eumq; qui id fecisset, scelestũ fore, indictaq; causa damnatũ.
Demum is Imperator nullis legibus subiacet, quod nemini antea unquã fuerat con-
cessum. Hinc idẽ Dion, in Augusto: Imperatores adepti sunt, quod nulli Romanorũ
olim unquam cõcessum fuerat. Soluti enim sunt omnibus, nullisq; scriptis tenentur.
Vnde Digestorũ primo Vlpianus: Princeps legibus solutus est, uoluntate tamẽ sua
seipsum subijcit. Eadẽ Paulus Digestorũ 32. & Imperator Alexãder lib. 6. Codicis, ac
Iustinianus in Institutionibus, sed luculentius in Codice: Digna, inquit, uox est maie
state regnantis, legibus alligatũ se principem profiteri. Hinc Apollonius Vespasia-
no præcepit, legẽ Imperatori dominari debere: quia in illis ferendis erit modestior, si
eas non cõtempserit. Cicero in Philippicis, indicat Hircium, Pansam & Augustum
esse Imperatores appellandos: docetq; Imperatorẽ solitum appellari à senatu, si quis
mille aut duo millia externorum hostium occidisset. Appianus in secundo Ciuilium
scribit, nomen Imperatoris uendicari solere ab ijs prætoribus, qui in Maximis belli o-
peribus uersati sunt cum laude: Nunc autem, inquit, sub quo decem millia in bello ce B
cidissent, hac appellatione dignos haberi audio. Apud Marcum Tullium inquit An-
tonius: Imperator est, administrator belli gerendi. Et ut breuiter finiã, ex monumentis
historiarũ satis patet, ductores exercituũ & militarium copiarũ præfectos, Imperato-
res latinè & eleganter dici. Et ideo paulo maior erat dignitas Imperatoris, quàm Cæ-
saris: qui licet infra Augusti fastigium positus, eiusq; arbitrio bella gereret, summam
tamẽ potestatem in magistratus inq; milites habebat, iusq; illi indicendi belli erat. Sic
Germanicus Agrippinæ pater apud Tacitũ libro 12. Imperatoris nomine fuit decora
tus, licet nunquam dominationem assumpserit. Sic & à Galba Piso Cæsar est nuncu-
patus. Etenim Cæsarum Imperatorumq; creandi potestas primùm militibus conces-
sa est. Sed Maximinum, posthabita (ut inferius scribemus) Senatus autoritate, milites
Augustum fecere. Hodie uerò nomen est dignitatis supremæ: quia licet Turcorũ
Augusto Imperator, Tartarorumq; Imperator uulgò dicatur: uerè tamen is est Imperator Ro-
manorum, qui principum Electorum omnium uel plurium consensu legitimè est ele
ctus, & coronatus debito loco & tẽpore. Licet Leonardus Iustinianus Venetus Ger-
manos arguat, perperamq; reprehendat, quòd Regem suum Imperatorẽ appellitent:
cui tamen satis ingeniosè Bebelius in sua Apologia respondit. ¶ Cæterùm neq; id o-
mittendum censeo, quid distent Augusti à Cæsaribus. Ob quod sciendum, Augustos
hos dici, qui nunc regnant, & ab Senatu Imperatoris nomine honestati sunt. Cæsares
uerò dicuntur, qui ab ipso Augusto electi sunt ad regendam prouinciam aliquã, cum
Cęsaris honore tantũ, donec Augustus uixerit, post eius mortẽ successuri in Imperio,
quasi Augustæ Maiestatis hæredes: interdicta tamen illis administratione, nisi aliquã
prouinciam Augusti iussu haberent. Hinc nulla eis donatiui militibus dandi facul-
tas: sed in comitatu eos solum habebant, quos Princeps tribuisset.

DE NVMERO CAESARVM.

De numero Cæsarum iterum non conueniunt authores, de annis. Si enim Cæsa-
res ab Augusto usq; in Iouianũ numerantur, sicut Eusebius in Chronicis numerauit,
& Casio-

A & Cassiodorus: qui Galbam, Othonem, & Vitelliũ silentio prætererunt, utpote qui uno tantũ anno & paucis mensibus tres ipsi rexerũt: erunt triginta septem tantũ, nõ quadragintaquatuor, ut Ruffus in litera habet: si tamẽ illis triginta septem addantur, Galba, Otho, Vitellius, L. Annius Seuerus, qui cũ M. Antonio imperauit: item Volusianus, qui cum Gallo: item Galienus, qui cum Valeriano: item Florianus, qui post Tacitum aliquot diebus gubernauit: & Constantius, pater Constantini Magni: tum erunt quadraginta quatuor. Quòd si illis anni illi supputentur, quos Cassiodorus attribuit secundum COSS. erunt anni quadringenti quinque, menses nouẽ, dies unus, ut inferius quærenti apparebit. Secundum Eusebium erunt anni quadringenti uigintisex, tres menses. Si uerò omnes numerantur ab Augusto usque in Iouianum, qui Cæsares & Augusti appellati sunt, & unà cum alijs gubernarunt: licet etiam aliquot diebus aliqui rexerint, tantum erunt quinquagintaseptem Cæsares, & anni ipsorum secundum alios autores erunt quadringenti trigintaocto. Quis in tanta autorum diuersitate, & in tam corruptis & deprauatis exemplaribus, potest elicere uerum? Attamen ne dubites, sub oculis omnes cum suis annis ponam, ut tu quoque uarietatem autorum animaduertas.

CAESARVM IMPERIVM PER ANNOS, *& quot usque ad Valentinianum.*

1 C. Iulius Cæsar annos quatuor, menses septem: secundum Cassiodorum, menses quatuor. Sed in Catalogo Cæsarum, illum non scribunt: quasi sit autor Cæsarum, non Augustus.

2 Octauianus Augustus, annos quinquaginta sex, menses sex.

3 Tiberius, annos uiginti tres, secundum omnes.

4 C. Caligula, annos tres, menses decem, secundum Eusebium: secundum Cassio-
B dorum, menses undecim. Alij tres annos, decem menses, & octo dies attribuunt.

5 Claudius, annos tredecim, menses nouem, dies uiginti octo, secundũ Eusebium. Cassiodorus menses octo ei attribuit, Tranquillus XIIII. annos, Iosephus xiij.

6 Nero, annos quatuordecim, menses septem, dies xxviij.

7 Sergius Galba, menses septem.

8 Otho, menses tres, dies quinque, secundum Cassiodorum, & Eusebium.

9 A. Vitellius, menses octo, die uno.

10 Vespasianus, annos nouem, menses undecim, diebus uiginti duobus, secundum Euseb. & Cassiodorum: secundum alios, annos decem.

11 Titus, annos duos, menses duos: aliqui adijciunt uiginti dies.

12 Domitianus, annos quindecim, menses quinque.

13 Nerua, annum unum, menses quatuor, secundum Euseb. & Cassiod. Alij, annum unum, menses tres, & nouem dies ponunt.

14 Traianus, annos decem & nouem, menses sex. Cassiod. menses septem & dies quindecim addit.

15 Hadrianus, annos uiginti unum, secundum Eusebium: at Cassiod. annos uiginti, menses decem, dies uiginti nouem.

16 M. Antoninus Pius, annos uiginti tres, secundum Eusebium: secundum Cassiodorum, annos uigintiduos.

17 M. Antoninus philosophus, & L. Annius Seuerus, annos decem & nouem, mense uno: secundum aliquos, tantum annos decem & octo.

18 Commodus, annos tredecim.

19 Helius Pertinax, menses sex.

20 Didius Iulianus, menses uiginti unum, dies quinque. Aliqui septem menses illi attribuunt.

21 Septimius Seuerus, annos decem & octo.

22 Bassianus Caracalla, annos sex.

23 Macrinus, annum unum.

24 M. An-

24 M. Antoninus Heliogabalus, annos 4. secundũ Euseb. & Casiod. sex. Aurelius A
enim, duob. annis & octo mẽsibus imperasse tradit: Herodianus, 6. annos ei attribuit.
25 Alexander, annos tredecim.
26 Maximinus, annos tres
27 Gordianus, annos sex.
28 Philippus cum filio, annos septem. Aliqui annos sex ei attribuunt.
29 Decius, annum unum, menses tres.
30 Gallus, & filius eius Volusianus, annos duos, menses quatuor.
31 Valerianus & Galienus, annos quindecim.
32 Claudius, annum unum, menses nouem.
33 Aurelianus, annos quinq;, menses sex.
34 Tacitus, menses sex.
35 Florianus, dies octuaginta nouem.
36 Probus, annos sex, menses quatuor.
37 Carus, cum filijs Carino & Numeriano, menses duos: secundum alios, annos 11.
38 { Diocletianus. Maximianus. Galerius, Constantius } annos uiginti.
(Galerius, Constantius: *ab illis adoptati.* Constantius: *Solus duos.*)
39 Constantinus Magnus, sub quo & alij: Maxentius, Licinianus, Galerius, annos triginta, menses decem.
40 Cõstantinus, Constantius, Cõstans, Dalmatius, fratres & patrueles, annos uigintiquatuor, menses quinq;, dies duodecim, secundum Eusebium: secundum Casiodorum, diebus uiginti tribus. Secundum aliquos, hi regnarunt annis triginta octo.
41 Iulianus, anno uno, mensibus septem.
42 Iouianus, mensibus octo. B

Hi sunt Cæsares & Augusti, qui per tot annos rexerunt, ut omnes historici & annales attestantur: exceptis tyrannis, qui sub illis quandoq; ui sibi imperium usurparunt: quos etiam studiosis subscribere libuit, ut ipsorum nomina innotescant.

Sub Claudio fuit Furius Camillus Scribonianus: sub Sergio Galba, Piso Licinianus Cæsar quatriduanus: sub Septimio Seuero, Pescennius Niger.
Sub Alexandro, Taurinus, & Ouinius Camillus.
Sub Maximino, Maximus Pupienus, & Clodius Albinus.
Sub Gallo & Volusiano, Aemilianus.

Sub Valeriano & Galieno fuerunt penè triginta tyranni, {
Odenatus, Mæonius,
Herodes, Zenobia,
Herennianus, Timolaus,
Macrianus iunior, Macrianus senior,
Valens, Piso,
Aureolus, Balista,
Posthumius, Posthumius iunior,
Lollianus, Victorinus senior,
Victoria, Victorinus iunior,
Marius, Tetricus senior,
Tetricus iunior, Regillianus,
Ingenuus, Trebellianus,
Aemilianus, Celsus,
Cyriades, Saturninus,
Helianus.

Sub Claudio, Quintilius.
Sub Aureliano, Firmus.
Sub Probo fuerunt, Saturninus, Proculus, Bonosius.

Sub Caro

A Sub Caro, Sabinus Iulianus.
Sub Diocletiano, Achilleus, Carausius, Iulianus.
Sub Cõstantio, Constante & Constantino fratribus, Nepotianus, Magnentius, Decentius, Britannion, Syluanus, Gallus.

Quorum omniũ res gestas, & quomodo imperium arripuerint, inferius latisimè in catalogo Cæsarũ scribemus: require illic, quot annis singuli rexerint. Si hos cum superioribus Cæsaribus & Augustis coniunxeris, erunt centum & nouem, qui illis quadringentis annis rexerunt. Sed pergamus ad enarrandum Ruffum.

QUANTUM CREUERIT ROM. *Imperium sub Regibus.*

SVb Regibus septẽ, per annos ducentos quadragintatres, nõ amplius quàm usq; Portum atq; Hostiam, intra octauumdecimum miliarium à portis urbis Romæ, utpote adhuc paruæ, & à pastoribus conditę, cum finitimæ circum ciuitates premerent, Romanum procesit imperium.

Hæc omnia sigillatim si quis scire uoluerit, quot bella, & cum quibus gentibus & urbibus habuerint Reges septem, annis illis ducentis, primum Liuij ab urbe condita reuoluat librum. Dehinc priores libros quatuor Dionysij Halicarnassei. Ingeniosa est insuper L. Flori anacephalæosis primi libri, de septem Regibus, paulo diligentius lectitanda. Vbi Romulum ardentem, Numam religiosum, Hostilium bellatorẽ, Ancum ædificatorẽ, Priscum ornatorẽ, Seruium institutorẽ ciuitatis, Tarquiniũ Superbum importunum appellat solicitatorem futuræ libertatis. lege hanc. Si extaret integer Appianus, ex libris tribus illis Italicis, primus, quem Regium inscripsit, plenisimè nos edoceret, quantum res Romana creuisset sub regibus.

B

QUANTUM ROM. CREUERIT *Imperium sub COSS.*

SVb COSS. inter quos nonnunquam Dictatores fuerunt, per annos simul quadringentos sexagintaseptem, usq; trans Padum Italia occupata est, Aphrica subacta, Hispaniæ accesserunt, Galliæ & Britanniæ tributariæ factæ sunt. Inde Illyrici, Istrij, Liburni, Dalmatę domiti sunt. Ad Achaiã transitũ est, Macedones subacti. Cum Dardanis, Mysijs, & Thracibus bellatum est: ad Danubium usq; peruentum. In Asiam, expulso Antiocho, primum pedem posuerunt Romani. Mithridate uicto, Ponti regnum occupatum est. Et Armenia minor, quam idem obtinuerat, armis obtrita ac obtenta est. In Mesopotamiam Romanus peruenit exercitus: cum Parthis fœdus initum est. Contra Carduennos ac Saracenos & Arabes bellatum est. Iudæa omnis uicta est. Cicilia, Syria, in potestatem pop. Rom. uenerunt. Aegypti reges fœderati erant.

Liuius, qui res urbis conditæ ab origine centum quadraginta libris scripsit, has res omnes copiose enarrauit particulatim, quicquid sub singulis COSS. gestum sit. Sed cum iactura temporũ centum libri ex illis desiderentur, adeundi sunt alij, ut Dionysius. Sed & ille imperfectus ad nos uenit. Nam ex quadraginta libris, quibus po. Ro. res gestas usq; ad primũ bellum Punicũ expresit, uix decẽ supersunt integri. Quod idem de Polybio, Appiano, Marcellino, & cæteris historicis cõqueri possumus: quorum nullus integer ad nos uenit. Florus, qui Epitomen historiæ Romanæ scripsit, ubi post exactos reges bellum Ethruscum, Latinum cum Faliscis & Fidenatibus, Sabinis & Samnitibus, Tarentinis, Salentinis, Picentibus, & Vulsinensibus enarrauit, in præfatione secundi libri sit orditur: Domita subactaq; Italia, pop. Rom. propè quingentesimum annum agens, cum bona fide adoleuisset, si quod est robur, si qua iuuen

tas, tum ille uerè robustus & iuuenis, & par orbi terrarum esse cœpit. Itaq; mirũ & incredibile dictu, qui propè quingẽtis annis domi luctatus est (adeò difficile fuerat dare Italiæ caput) his ducentis annis qui sequuntur, Aphricam, Europam, Asiam, totũ deniq; orbem terrarum bellis uictorijsq; peragrauit. Cæterùm obserua hoc lector, omnia hæc uerba Ruffi esse à Blondo Foroiuliensi in suam historiam de inclinatione Imperij traducta, ubi in præfatione eius operis omnia hæc leges de uerbo. Neq; licet præterire pręfationẽ Appiani Alexandrini, in qua terminos Rom. imperij, & omnes nationes à Romanis subactas, pulcherrimè recenset. De quibus etiam singulis, singulos libros conscripserat: regnum item Italicum, Samniticum, Celticum, Siculum, Hibericum, Hannibalis Carthaginensis, Macedonicum, Aegyptium, Asiaticum, Libycum, Syrium, Parthicum, Mithridaticũ, Illyricum. Et præter libros etiam bellorum ciuilium quinq;, librum de Cęsaribus: quorum omnium maior pars perijt, minor extat. Sed populos hic expressos, paulo inferius enarrabimus. A

QUANTUM CREUERIT ROM. *Imperium sub Imperatoribus.*

SVb Imperatoribus uerò per annos quadringentos septem, cum diuersa reip. fortuna multi principes imperarint: accesserunt tamen Romanę urbi & Rom. imperio, Cantabri, & Astures, Hispani ab Augusto subacti: alpes maritimæ, alpes Cottiæ, alpes Rhetiæ, Noricus, Pannonię, Mœsiæ, & omnis ora Danubij in prouinciam est redacta: Pontus omnis, Armenia minor, Oriens totus cum Mesopotamia, Assyria, Arabia cum Aegypto, sub imperij Romani iura transiuit.

Imperatores factos esse quosdam constat ui, utpote qui uiolentia armorum imperium sibi uendicarunt: quemadmodũ Iulius Cæsar, & dehinc Augustus, qui cæso M. Antonio & Lepido, imperiũ arripuit. Aliqui uerò fortitudine, multi Senatus electione: sed plures prætorianorũ factione, qui rapere, stuprare, necare, incendere edocti, à nullis horrendis sceleribus abstinuerunt: stipatores & custodes principũ, & qui ipsos principes nonnunquam ad grauissima quæq; uitia sæuitiæ armabãt. hi primùm uenale imperium proposuerunt, & de capite principis decernebãt: quos primùm Celeres Romulus appellauit, & auspicatò legit, quorũ tamen factione imperiũ penè corruit, quod ab initio plurimũ sub imperatoribus fuit auctum. Ab ortu enim usq; ad Indos propagati imperij fines, non Euphrates, non Tigris uetuere, non superbæ regũ Persarum minę: ut inferius magis clarescet. À meridie Aethiopes per legatos accesserũt. ab aquilone barbaræ Sarmatarũ nationes domitæ. ab occasu Gensoriacus Oceanus, admirabilis uictoriæ testis est, simul & Britannicus. Itaq; toto orbe terrarum, undiq; Rom. arma illustres uictorias assequuta, socijs lætíciam præbuere, rebellibus metum, terroremq; pugnare cupientibus. Sed hæc particularius paulo inferius, ubi etiam de locis & regionibus plura scribemus. B

QUOMODO SINGULAE PROUINCIAE *uenerint sub ditionem Romanam.*

Quo autem ordine singulas prouincias Rom. resp. assequuta est, ostendam ut infrà.

Dicebatur aliquod regnum in prouincię formam redigi, quando sublatis regibus, misso cũ exercitu proconsule, Romanis legibus parebat, ac uectigalia pendebat. Vnde regiones longè ab Italia bello aquisitæ, prouinciæ, à procul uincendo dictæ sunt. ad quas Prætores cum officio quia mittebantur, officia quoq; prouinciæ nominãtur, autore Donato in Phormione. Egesippus lib. 2. Romani cum ius suum prodigerent uincendo, procul positas regiones appellabãt prouincias, Cæterũ quomodo fuerint

diuisæ

A diuisæ prouinciæ in imperio Romano, & quo pacto quædam prætoriæ, quædã Consulares dicebantur, & quale fuerit Imperium sub Augusto, & qualis ratio Romani imperij, nemo pulchrius & copiosius scripsit, quàm Strabo in fine decimiseptimi, qui tẽporibus Augusti & Tiberij diu Romæ uersatus est: quæ hic subscripsissem, nisi longitudinem uerborum essem subueritus: per quæ multa intelligentur in Suetonio de diuisione prouinciarum, quæ aliàs subobscura uidentur. Ob id etiam Velleius Paterculius, quem beatus Rhenanus, uir nostræ ætatis inter doctos non postremus, nuper è situ eruit, in 2. historiarum libro de Pompeio agens, censet necessariũ percurrere, quæ cuiusq; ductu gens ac natio redacta in formulam prouinciæ stipendij pacta sit.

DE SICILIA INSULA.

PRima prouinciarum facta est Sicilia. eam uicto Hierone Siculorum rege Marcellus Cõsul obtinuit: deinde à Prætoribus recta est: postea commissa est præsidibus, nunc à consularibus administratur.

Siciliæ situm descripsere latissimè Ptolemæus lib. 3. cap. 4. tabula septima: Strabo in sexto Geographiæ, Plinius lib. 3. ca. 8. Polybius in primo libro de bello Punico primo, Diodorus Siculus lib. 6. Bibliotheces. plura Pomponius Mela, Dionysius in Periegesi, Stephanus de urbibus, Thucydides, Iustinus in quarto. Sed & poetæ graphicè hãc descripserunt: Virgilius in tertio Aeneidos, Lucanus in tertio Pharsaliæ, Claudianus de raptu Proserpinæ in primo, Lucretius & alij. Quo pacto uerò Sicilia à M. Claudio Marcello sit deuicta, Florus docet libro secundo, rubrica de bello Punico primo, & item de Punico secundo: Liuius in lib. uigesimosexto ab urb. cond. Plutarchus in uita Marcelli copiose, Polybius in primo multa de Hierone rege. Claudij Marcelli etiam meminit Frontinus lib. 2. Stratagematon, cap. 5. sed perperam ibi Metellus pro
B Marcello scriptum est. Cicero in quarta Verrinarum, primam Siciliam esse factã prouinciã docet. Sed eodem penè anno, ijsdemq; temporibus, Sicilia & Sardinia in Romanam potestatem redactæ sunt. Siciliam postea Flaminius prætor, Sardiniam M. Valerius sortiti sunt. Postea fuit sub Imperatoribus, ad Carolum usq; Magnum. Diuiso tunc imperio, cessit Constantinopolitano Cæsari. Pòst Sarraceni afflixerunt: deinde Comites Siciliæ orti sunt, tandem Reges. Sed à diuersis diuersimodè afflictata est hæc insula, quemadmodum docent eius annales. De hac itaq; insula Velleius sic scribit: Primus in Siciliam traiecit exercitũ Claudius COS. & prouinciam eam, post annos fermè 52. captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius.

DE SARDINIA ET CORSICA *insulis.*

SArdiniam & Corsicam Metellus uicit, qui & de Sardis triumphauit. Rebellauere sæpe Sardi. Iuncta administratio harum insularum fuerat: pòst quælibet suos prætores habuit. nunc singulæ à præsidibus gubernantur.

De Corsicæ situ Ptolemæus lib. 3. tabula sexta: de Sardinia, tabula septima: Dionysius Apher in Periegesi, Stephanus de urbibus, Solinus, Martianus Capella, Plin. li. 3. cap. 6. & 7. Strabo in quinto, Mela in secundo, Diodorus Siculus lib. 6. pulchra prodidit. sed & Aristoteles in aureo libello, de Admirandis auditu rebus. Dicebatur autem Sardinia prius Ichnusa, id est, humano uestigio similis: & Corsica, Cyrnos, quòd montibus tanquam capitum uerticibus abundet. κόρσαι enim tempora Græci appellant. Sed & Pausanias & Eustathius multa de his scripserunt. Quod autẽ Festus hic dicit, L. Cecilium Metellum uicisse Sardos, & de his triumphasse, Liuius hoc in decimoseptimo L. Cornelio Scipioni attribuit, qui diruta Calari Sardiniæ urbe, & Hannone superato, de Sardis & Corsis triumphauit, ut etiam inferius in Cassiodori Cõsulibus uidebimus: & Frontinus lib. 3. cap. nono & decimo, Sardi item à Tib. Graccho perdomiti,

miti, totq́ captiuorum ab eo ducti, ut prouerbium fuerit celebratum, Sardi uenales. A
Velleius autem: Sardinia (inquit) inter primum & secundum bellum Punicũ, ductu T. Manlij COS. certum recepit imperij iugum, immane bellicæ ciuitatis argumentũ, quod semel sub Regibus, iterũ hoc T. Manlio COS, tertiò Augusto principe certę pacis argumentum Ianus geminus clausus dedit. In sequentibus temporibus Sarraceni diu habitauerunt, sępe à Pisanis recuperata, sæpe deperdita. Ad postremum in Hispanorum uenit potestatem, per Iacobum Aragonem prius recepta.

QVO PACTO APHRICA subacta sit.

IN Aphricam, pro defensione Siculorũ, Romana transmissa sunt signa. Ter Aphrica rebellauit: ad extremum delata per Aphricanum Scipionem Carthagine, prouincia facta est: nunc sub Consularibus agit.

De Aphrica tertia mundi parte, quæ & Libya dicitur, Ptol. libro 4. quam tabulis quatuor depingit. Strabo autem libro decimoseptimo, Plinius lib. quinto, Mela lib. 1. Dionysius, Stephanus, Solinus, Capella. Cæterùm de bello Aphricano, quod Romani aduersus Carthaginenses gesserunt, nata sunt illa insignia tria Punica bella: de quibus cõcinnè, sed breuiter, Florus scribit lib. 2. Copiosissimè aũt Appianus Alexandrinus in Libyco. De secũdo bello Punico cecinit Silius Italicus libros decẽ & octo, Liuius libros decẽ, qui & de primo & tertio scripserat, si libri extarent: Polybius aũt libros quinq; de bello Punico, primo & secundo scripsit. nam tot ex quadraginta restant. Plutarchus item in uita Hannibalis & Scipionis, abundè satis. Cornelius Tacitus li. 20. in Vespasiano: Legio in Aphrica, auxiliaq́ tutandis imperij finibus, sub diuo Augusto Tiberioq́ principibus, proconsuli parebant. Mox C. Cæsar turbidus animi, ac M. Syllanum obtinentẽ Aphricam metuens, ablatam proconsuli legionem, misso in eam rem legato tradidit. Velleius: Primus Aphricã Regulus, nono ferè anno primi Punici belli. Sed pòst 204. anno, P. Scipio Aemilianus diruta Carthagine, abhinc annos 182. Aphricam in formulam redegit prouinciæ. B

DE NVMIDIA.

NVmidia ab amicis regibus tenebatur. Sed Iugurthæ, ob necatos Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ regis filios, bellum indictum est. Et eo per Metellum Consulẽ attrito, perq́ Marium capto, in potestatem pop. Romani Numidia uenit.

De Numidia, quæ pars est Aphricæ, Metagonitis dicta Græcis, Strabo, Ptolem. Plinius, Mela, Dionysius, Solinus, Martianus, & passim alij cosmographi. Sed Numidas, siue Nomades populos graphicè describit Virgilius Georg. tertio, & Silius in primo & tertio Punicorum. Salustius quoq; belli Iugurthini materiam copiose peculiari opusculo explicat. Florus item lib. 3. cap. 1. Sed & Liuius lib. sexagesimosecundo, sexagesimoquinto & sexto hoc bellum describebat. Appianus in Libyco, Plutarchus in Mario. Sed Q. Metelli aduersus Iugurtham stratagema, uide apud Frontinum lib. 1. cap. 8.

Mauritaniæ à Boccho obtentæ sunt: sed subacta omni Aphrica, Mauros Iuba rex tenebat: qui in causa belli ciuilis à Iulio Cæsare uictus, mortem sibi propria manu consciuit. ita Mauritaniæ nostræ esse cœperunt.

Mauritania, & ipsa pars Aphricæ, Ptolemæo & Straboni in duas partes diuisa, in Tingi-

A Tingitanam & Cæsariensem: hodie Barbaria dicta, populi uerò Mauri, quos Salustius, Lucanus in tertio, & Silius describũt, & in decimoseptimo Strabo. Cæterùm de Boccho rege Mauritaniæ multa Plutarchus in Mario, & Liuius sexagesimosexto, Salustius in bello Iugurthino, Appianus in secundo Ciuilium: ubi etiam de Iuba rege Mauritaniȩ, cuius Lucanus quoq; meminit in octauo. Sed ante omnes uidendus est Cæsar in suis Commentarijs de bello Aphrico libro quinto, & de bello Alexandrino: ubi Bogud dicitur rex, qui hic Bocchus appellatur. Caius princeps Mauritaniã in Tingitanam, quȩ Sitiphensis à loco antea dicebatur, & Cæsariensem (uti refert Plinius) distinxit. Boccho succesit Iuba, qui in causa belli ciuilis, ut diximus, à C. Cæsare superatus, mortem sibi cõsciuit: cuius filius Iuba admodum puer, Romam in triumphum est ductus. Is fuit, qui postea scripsit historiam, quam sæpius Plinius citat, singulari ingenio ac doctrina præditus, & Augusti liberalitate demum ad regnum paternum remissus. Successorem Ptolemæum ex Antonij & Cleopatræ filia natum habuit: quo per Caligulam interfecto, Mauritania in duas est prouincias deducta. Claudius princeps, primus Romanorum Mauritanis bellum intulit, per Suetonium Paulinum, regionesq; eas subegit, colonos nouos deduxit, nomina ciuitatum mutauit, & in prouinciæ formam redegit. Nunc uerò penitus abolita gente, Sarraceni successerunt ex eo tempore.

IN QUOT PROUINCIAS DISTINcta sit Aphrica.

AC per omnem Aphricam sex prouinciæ factæ sunt. Ipsa uerò Carthago est proconsularis, Numidia consularis, Hiratium consularis: Tripolis & Mauritaniæ duæ, hoc est, Sitiphensis & Cæsariensis, præsidiales.

B

Sic distincta fuit Aphrica temporibus Ruffi. Ptolemæus libro quarto, ijs regionibus atq; hoc ordine distinguit. Primò duabus Mauritanijs, Masilia, Numidia, Aphrica minore, Cyrenaica, Marmarica, Aegypto. Sub Tingitana Aethiopes Athacas ponit, sub Cæsariensi Atlantem & Getuliam, sub minore Nigretes Aethiopas, & ijs inferiorem Libyam: sub ea quoq; Aethiopiam interiorem, æquinoctialem transgredientem: postremò sub Aegypto, Aethiopiam sub Aegypto appellatam. Fateor ingenuè, me ignorare quæ regio Aphricæ dicatur Hiratium, & unde sit ita appellata. sed cum tam ueteres quàm neotericos diligenter euoluerim, inuenio apud Isidorum hæc uerba: Habet autem Libya prouincias, Libyam Cyrenensem, Pentapolim, Tripolim, Byzantium, Carthaginem, Numidiam, Mauritaniam Sitiphensem, Mauritaniam Cæsariensem, Mauritaniam Tingitanam, & circa solis ardorem Aethiopiam. Libya Cyrenensis in parte Aphricæ prima est, à Cyrene urbe metropoli, quæ est in eius finibus, nuncupata. Hinc ab Oriente Aegyptus est, ab Occasu Syrtes maiores, & Troglodytæ, à Septentrione mare Libycum: à meridie Aethiopiæ, & Barbarorum uariæ nationes, & solitudines inaccesibiles, quæ etiam basiliscos creant. Pentapolis à quinq; urbibus nuncupata, ut Tripolis à tribus. Byzantia regio, ex duobus nobilissimis oppidis nomen sortita est: Adrumetus unum, alterum Byzantium uocatur. Hæc sub Tripoli est, patens passuum ducenta uel amplius milia: fœcunda oleis, & glebis ita præpinguis, ut iacta ibi semina incremento penè centesimæ frugum nascantur: & reliqua quæ sequuntur. Ex quibus conijctor in Festo esse errorem, & ubi Hiratium scriptum est, Bizantium scribi debere. Facilis est enim literarum lapsus z in r, & h in b. cum cæteræ omnes literæ eædem sint.

Quod si fortè aliquis diceret, Isidoro in orbis descriptione parum credendum, tanquam autori non usquequaq; recepto: huic Plinium obijcio libro quinto, capite quarto, qui sic scribit: Libyphœnices uocantur, qui Byzantium incolunt, ita appella-

pellatur regio 250. mil. pass. per circuitum, fertilitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terra, &c. Ptolemæus item libro quarto, cap. 3. à meridie Libyphœnicum Byzantem regionem describit: & paulo pòst eodem capite, sub Adrumeto ciuitate Byzantium ciuitatem ponit, & Byzantenũ agrum Solinus describit. Sed de Aphrica, & eius partibus, quas nomos & præfecturas appellat Strabo, in 17. lib. uidendus est. A

QVO PACTO IN EVROPA PRIMVM *Hispania sit deuicta.*

HIspanis primũ auxilium aduersus Aphros per Scipionem tumlius. Rebellantes Lusitanos in Hispania per Deciũ Brutum obtinuimus, & usq; ad Gades & Oceanum peruenimus. Pòst ad Hispanos tumultuantes Syllanus missus, eos uicit. Celtiberi in Hispania sæpè rebellabant: sed misso minore Scipione, cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes penè Hispaniæ, occasione belli Sertoriani, per Metellum & Pompeium in deditionem acceptæ sunt. Postea prorogato imperio in quinquennium, à Pompeio perdomitæ sunt. Ad extremum quoq; ab Octauiano Cæsare Augusto Cantabri & Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt.

Quo pacto Scipio deuictis Aphris in Hispaniam traiecerit, & hanc deuicerit, uide Liuium libris 25. 26. & 28. Florum lib. 2. cap. de bello Punico secundo, & capite de rebus in Hispania gestis, eodem libro secundo: Appianum in Libyco, & Plutarchũ in Scipione. Sed in uigesimooctauo Liuius de Hispania sic scribit (quod non est omittendum) Itaq; Romanis prima inita prouinciarum, quæ quidem continentis sint, postrema omnium nostra demum ætate ductu auspicioq; Cæsaris Augusti perdomita est. Sic & Plutarchus in Scipione: Cæterùm eo anno, qui erat 14. secundi Punici belli, felici auspicio proconsulis Scipionis, Hispania prima ex continentis regionibus uicta, postrema tamen in prouinciæ formam redacta ab Augusto Cæsare longo interuallo fuit. Sed Velleius aliter: In Hispanias primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones initio secundi belli Punici, abhinc annos 250. Inde uariè possessa, & sæpe amissa partibus, uniuersa ductu Augusti facta stipendiaria est. De Decio Iunio Bruto atq; Lusitanis, Florus libro secundo, capite de rebus in Hispania gestis. Liuius huius meminit libro quinquagesimoquinto. De Marco Syllano Plutarchus in Scipione. De bello Numantino Florus abundè libro secundo, Liuius quinquagesimoseptimo & nono. Et de Q. Sertorio Liuius lib. nonagesimo secundo, & nonagesimosexto. Abundè Plutarchus in Sertorio & Pompeio, Appianus in primo Ciuilium, Florus libro tertio de bello Sertoriano, Orosius in quinto. Vide nobilissimum stratagema Sertorij, apud Sextum Frontinum libro primo capite decimo, cuius & Plutarchus & Plinius iunior, & Valer. Max. meminerunt. De Cantabrico bello Florus libro quarto, in fine: Suetonius in Augusto, Strabo in tertio, Iustinus in ultimo. Cantabri populi describuntur à Silio & Horatio poetis. Cantabria hodie Piscaia uulgò dicitur. Cæterùm Velleius in secundo Historiarum, ubi post bella ciuilia agit de Augusto, sic scribit: Hispaniæ, nunc ipsius prouincia, nunc Agrippæ, quem usque in tertium Consulatum & mox collegium Tribunitiæ potestatis amicitia principis euexerat, multo uarioq; marte pacatæ. In quas prouincias, cum initio Scipione & Sempronio Longo COSS. primo anno secundi Punici, abhinc annos CCL. Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione Africano patruo per annos CC. in ijs multo mutuoq; ita certatum est sanguine, ut amissis Prætorijs Imperatorijsq; exercitibus, sæpe contumelia, etiam B

nonnun-

A nonnunquam periculum Romano inferatur imperio. Illæ enim prouinciæ, Scipiones consumpserunt: illæ contumelioso 20. annorum bello sub duce Viriato, maiores nostros exercuerunt: illæ terrore Numantini belli populum Rom. concesserunt. In illis turpe Q. Pompeij fœdus, turpiusque Mancini, Senatus cum ignominia deditii imperatoris rescidit. Illa tot consulares, tot prætorios absumpsit duces: patrumque ætate in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, Hispanis Romanis' ne in armis plus esset roboris, & uter populus alteri pariturus foret. Has igitur prouincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos fermè L. perduxit Cæsar Augustus, ut quæ maximis bellis nunquam uacauerant, eæ sub C. Aristio, ac inde P. Sillio legato, cæterisque postea etiam latrocinijs uacarent.

QVOT EIVS PROVINCIAE.

AC per omnes Hispanias sex sunt nunc prouinciæ, Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Galetia, Betica. Transfretum etiã insula terræ Aphricæ prouincia Hispaniarum est, quæ Tingitana Mauritania cognominatur. Ex ijs Betica & Lusitania consulares, cæteræ præsidiales sunt.

Hispaniam, quam Græci Iberiam uocant, corio bubalo similem dixit Strabo in tertio, quæ à Gallia montibus Pyrenæis discernitur. Hanc Ptolemæus libro secundo, in Beticam, Lusitaniam, & Tarraconensem distinguit, & tabula secunda Europæ depingit. Plinius in tertio, in citeriorem & ulteriorem diuidit. In ulteriore Betica omnis, cum parte Lusitaniæ, tantum continetur. Hanc Anas fluuius à Lusitania diducit, Betis uerò mediam abluit. Strabo: Betica (inquit) plebi attribuitur, ad quam Prætor mittitur, qui Legatum habet, & Quæstorem: reliqua Hispania Cæsaris
B est, qui duos mittit Legatos, prætorium & cõsularem. Quidam recentiores in quinque diuisere prouincias, in Carpentaniam scilicet, Beticam, Lusitaniam, Calletiam, & Tarraconensem. Ruffus noster in sex. Hodie in regnum Granatę, Castellæ, Legionis, Nauarreæ, Arragonum. De laudibus Hispaniæ multa Solinus, plura Plinius in ultimo lib, & Iustinus lib. 44. Sed est & uidendus Martianus Capella.

DE GALLIA, QVOMODO ROMANIS *subiecta fuerit, & quot eius prouinciæ.*

CVm Gallis grauissima bella pop. Rom. habuit. Galli etiam illam partem Italiæ, ubi nunc Mediolanum est, usque ad Rubiconem fluuium tenebant: in tantum uiribus freti, ut Romam ipsam bello peterent, & cæsis exercitibus Romanis apud Alliam fluuium, mœnia urbis intrarent, Capitoliumque obsiderent: ad cuius arcem sexcenti nobiles & Senatores confugerant, qui mille auri libris se ab obsidione redemerunt. Postea Gallos cum uictoria remeantes, Camillus, qui in exilio erat, collecta de agris multitudine, oppressit: aurum & signa, quæ Galli cæperant, reportauit. Cum Gallis multi Consules, Prætores, ac Dictatores euentu uario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit: & transcensis alpibus, feliciter aduersus eos pugnauit. Cæterùm Cæsar cum decem legionibus, quæ quaterna millia militum Italicorum habuerant, Gallias subegit, per annos nouem. Cum Gallis ultra Rhenum positis conflixit, ab alpibus Britanniam usque transiuit, decimo anno Gallias & Britannias tributarias fecit.

De primo bello Gallico abundè Liuius ab urb. con. lib. 5. & Plutarchus in Camil-

lo, Florus in primo. De Rubicone & Allia fluuijs, Silius, Lucanus, Cæsar, Liuius, A
Florus, Plutarchus, Strabo, Plinius. Sed de bello Gallico Ligustico, Florus libro secundo, rubrica de bello Gallico: Liuius uerò pasśim in multis locis. De Mario Florus lib. tertio de bello Cymbrico, Plutarchus in Mario De bello uerò Gallico, quod Cæsar gesśit, extant Cæsaris commentarij libri septem, unus A. Hircij: Florus libro tertio, rubrica de bello Gallico: Plutarchus in Cæsare, Suetonius in primo, nonnihil etiam Appianus in Celtico: Liuius libro centesimoquinto, sexto & septimo. & Amianus Marcellinus in fine decimiquinti libri, Gallorum originem scribens, succinctè, à quibus etiam Galli domiti sint, explicat his uerbis: Hæ regiones, præcipuè quæ confines Italicis, leuius odere sub imperium uenire Romanum, primò tentatæ per Fuluium, prælijs paruis quassatæ per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitæ, cuius negocij plenus affectus, asperiore Allobrogum gente deuicta, hoc indidit cognomentum. Cæterùm si diligenter euoluamus ueterum historias, inueniemus ante aduentũ Hannibalis Gallos quinquies in Italiã traiecisse. Primùm, teste Liuio, dulcedine uini allecti Celtæ, duce Bellouaco excitis Biturigibus, Heduis, Ambianis, Carnutibus, Aulericis, regnante Prisco Tarquinio, mutandi melioris soli gratia, in agro Insubrium augurio pagi Heduorum sic cognominati, Mediolanum ædificauerunt. Cenomanni Celitonio duce uestigia priorum sequuti, eodem fauente Bellouaco, cum transcendissent alpes, ubi nunc Brixia & Verona, loca tenuere. Tertiò Boij Liguresq; transgresśi, cum intra Padum & alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Etruscos modò, sed Vmbros inde pellentes, intra Apenninum sese tenuere. Quartò, Senones omnium potentisśimi, ad mare Adriaticum Senam urbem incoluere, ac ab Vfente fluuio ad Athesim fines habuere. Hi sunt, qui Brenno duce Clusium obsedere: ac inde cum essent Legatorum temeritate lacesśiti, Romam properantes incenderunt, fuso apud Alliam exercitu. quos descendentes Camillus opprimens, signa & aurum ablatum retulit. Quintò, paucis interiectis annis, cum Romanorum legatos interfecissent, L. Cecilium prætorem contra eos misśum, cum toto exercitu trucidauerunt. Iidem in Græciam traijcientes, ac Delphos spoliare conati, imbre grandineq;, Phœbo quodammodo ultore (uti putabatur) extincti sunt. Et ut Strabo ait, qui reliqui fuere, in Asia considentes, Gallograeci, siue Galatæ dicti sunt. Sed particularius in COSS. inferius de Gallis loquemur. Videndus est autem etiam Polybius libro secundo, qui Gallorum excursionẽ latisśimè explicat, & pulchra serie omnium ipsorum bella describit. Velleius Paterculus: Gallias primũ Domitio Fabio, nepoti Pauli, qui Allobrogicus uocatus est, intratas cũ exercitu, magna mox clade nostra sæpe & affectauimus, & amisimus. Sed fulgentisśimum C. Cæsaris opus in ijs conspicitur: quippe eius ductu auspicijsq; infractæ, penè idem quod totus terrarum orbis ignauum conferunt stipendium. B

PROVINCIE GALLIAE *quot.*

SVnt Galliæ, cum Aquitannia & Britannis, decem & octo prouinciæ: Alpes maritimę, Prouincia (quæ & Masśiliensis dicitur) Ambianẽsis, Viennensis, Narbonensis, Nouempopulonia: Aquitaniæ duæ, Cottiæ alpes, maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ: in Britannia, maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda.

Aliter à priscis distinguebatur Gallia. Cæsar Iulius in tres partes Galliam omnem diduxit, Belgicam, Celticam, & Aquitanicam, quæ Aremorica antè dicta est: quarum populi, Belgæ, Celtæ, & Aquitani dicebantur. Augustus in quatuor partes distinxit, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam, & Narbonensem. Alij iterum in

A rum in tres partes: in Togatam, quæ est Cisalpina: in Comatam, quæ est Transalpina: & Brachatam, quæ est Narbonensis. Ptolemæus quatuor partes Galliæ, in tertia Europæ tabula depingit. Strabo lib. quarto: Plinius libro tertio, cap. quarto: & iterum libro quarto, capite decimoseptimo. Martianus item, & Solinus: sed omnium copiosissime Ammianus Marcellinus in fine libri decimiquinti, postquam originem Gallorum descripsit, & quomodo Galli sint domiti, subiungit: Regebantur autem Galliæ omnes inde, ubi crebritate bellorum urgenti cessere Iulio Dictatori, potestate in partes diuisa quatuor, quarum Narbonensis una, Viennensem intra se continebat, & Lugdunensem: altera Aquitanis præerat uniuersis: superiorem & inferiorem Germaniã, Belgasq́ duæ iurisdictiones ijsdem rexere temporibus. At nunc numerantur prouinciæ per omnem ambitum Galliarum: secunda Germania, prima ab occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita, ciuitatibus amplis & copiosis: dein prima Germania, ubi prȩter alia municipia Moguntiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus Barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima, Mediomatricos prætendit, & Treueros, domicilium principum clarum. Huic annexa est secunda Belgica, qua Ambiani sunt, urbs inter alias eminens: & Cathelauni extremi. apud Sequanos, Bizantios uidimus, & Rauracos, alijs potiores oppidis multis. Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ, & Nicenum, Augustudini magnitudo uetusta. Secundam enim Lugdunensem Rothomagi, & Tutini Mediolanũ ostendunt, & Tricaspini Cottias alpes, & Pœninas, exceptis obscurioribus incolunt: & reliqua, quæ diffuse admodum de Gallis prodit: e quibus quidem uerbis intelliges Ruffi nostri prouincias distinctas. Sed de alpibus id quoq́ obseruandum, quatuor ad has esse uias: una per Ligures, mari proxima est: altera per Taurinos, qua Hannibal & Hercules transmisere: quorum gratia Pœninæ & Graiæ sunt appellatæ. Eædem & Cottiæ. In quibus duodecim ciuitates B fuisse, Plinius autor est, regnũ quondam Cottij regis: qui perdomitis Gallis, eas construxit militibus uiatoribus accõmodas. Is, teste Ammiano Marcellino in 15. Augusti Cȩsaris amicissimus fuit. Alius fuit Cotus Thraciȩ rex, qui Pompeianas partes fouit, ut in Commentarijs Cæsar scribit, de quo multa apud Tacitum in lib. 2. Historiarum ab excessu Augusti. His alpibus hodie Cinesius nomen est, tenduntq́ in Prouinciam & Hispaniam citeriorem. Tertia uia per Salassios, quas Cæsar summas appellat, ac latronibus purgauit. hodie sancti Bernhardi, non illius abbatis celebrati, sed cuiusdam Augustensis archidiaconi, qui inter has alpes & syluas sancte degisse dicitur. hæ in Lugdunensem Galliam ducunt. Quarta uia per Rhœtos, quæ & Rhœtiæ dicuntur alpes, & agro Tridentino ac Veronensi adiacent. hodie S. Gothardi appellatæ, quæ ad circumrhenanos Danubianosq́ populos ducunt, quas Iulias esse nonnulli dicunt. Alij Iulias post Rhœtias esse tradunt, ubi mons incipit Adrius, qui Illyriam a Pannonijs discernit, quarũ etiam meminit Hieronymus. Nostra ætate uir eruditus Alciatus, in Tacitum annotationes scribens, alpes Pœnas esse arbitratur, per quas ex Druentia flumine recta in Italiam tenditur, Brigantionem uersus & Ferietam, quæ ita nostra tempestate frequens est. Sed Graias esse, quæ & maritimæ dicuntur, quod per eas Hercules iuerit: ubi etiam Monœci portus, illi sacer, ut autor est Ammianus libro 15. Cottias autem putat; qua a Segusio oppido per Centronas itur: licet recentiores, ut Paulus Diaconus & Georgius Merula, Cottias esse existiment, in quibus Bobium urbs est, quod antiquis autoribus non est probabile. Sed & Cottias appellatas, quandoq́ etiam Iulias, quidam tradunt, quod in eas per Tricaspinos eatur. Bellouesum autem per Tricaspinos in Iulias alpes uenisse, Liuius est autor. Sed (& non male) Tacitus Iulias appellat alpes, quæ uersus Carnos sunt. Vnde & Iulium Carnicum, & Forum Iulij, qua ex Venetia in Noricum itur. Cui sententiæ astipulatur Sabellicus in Aquileiensi historia. Sunt & Rhœticæ alpes, quibus in Rhœtos uadimus, qui hodie, die grawenbundter patria lingua uocantur, quos uulgo Chrisones uocant. Incipiunt ab Adya monte (Strabonis corrupte legitur nunc Adula, nunc Adurla) id est, inaccesso. Vernacula simplicitas

tas montem Braliũ nuncupat in Volturena: seu, ut imperiti, in ualle Telina: & in Venetiam protenduntur, donec Ocræ subeunt. Leopontiæ adhuc seruant nomẽ: sunt in Suitensibus, quà Claronã ex Pilitionis castro rectà tendimus. In alpibus, quas Cæsar in Cõmentarijs summas appellat, cum cæteris conuenit. Sunt inter Sedunos & Veragros, ubi & Octodorus est pagus, quem S. Mauricij uocãt. At Ptolemæus inter Adulam & Ocram Pœnas alpes collocat: quo in loco Rhœtica iuga esse prodidit Alciatus. Sed ex Plinio illius sententiã cõfutat, qui de Graijs & Pœninis in Salassos descendi tradit: ut fortasse alpes Pœninæ illic incipiant, & desinant in Maritimas, si Ammianum sequimur. Est & adhuc Suitensibus, qui uulgò eorũ sermone alpes Grey dicatur, mons, quà Friburgũ tendimus. Et hanc nomenclaturã apud ueteres fuisse nõ existimant. nam & Plinius in Lepuntijs dissidere uisus est, qui cum Coctiana iuga Centronibus uicina tradidisset, Graijs alpibus aut easdem, aut certè contiguas Lepuntias mauult. quod idem Alciatus non probat, cum Cæsar in hac re sit grauior autor: & Plinius aliorũ recitatione scripserit. Ego alpium nomina & itinera tam ex terræmotibus, quàm ex arbitrio principum & accolarum, crediderim sæpissimè uariata, & opinionibus scribentium nomenclaturã crebrò pro uniuscuiusq; constanti æstimatione inuersam, ut integrè de singulis nihil asserere possimus. Nam & urbium nomina plerunq; nobiscum & intereunt & renascuntur, nedum montium ac collium, quibus crebrò pastores rustica simplicitate nomina imponunt.

DE ILLYRICO, ET MARI *Adriatico, & Ionio.*

IN Illyricum, ab ora maritima paulatim regressi sumus. Leuinus COS. Adriaticum atq; Ionicum mare primus ingressus, maritimas obtinuit ciuitates. B

Illyricum describit Ptolemæus lib.3.cap.16.depingitq; eam tabula quinta Europæ. Strabo lib.7.Plin.cap. 20. Martianus, Solinus, & cæteri. Sed bellum Illyricum Florus describit libro secundo, Polybius lib.2. Sed & de Aemylio quoq; Consule, qui Illyricum cæpit, Polybius lib.3.scripsit. Præterea Appianus librum, cui est titulus Illyricus, qui est uidendus. De M. Valerio Leuino Cõsule multa Liuius lib.12. & 26. De Leuino præterea Iustinus abundè multa libro 29. Cæterũ Illyrico coniungitur Dalmatia, quæ alijs Delmatia quoq;, à Delminio oppido dicitur. Sed nunc terrarum nomina mutantur. Quicquid enim à campestribus Dalmatiæ locis in Istriam usq; protenditur, Croacia alba appellatur: ab ijsdem campis ad Dyrrhachium usq;, Croacia rubra. Pars uerò ad mare uergens, Dalmatia dicitur. Sed de Illyrico etiam latius paulo inferius.

DE CRETA INSULA.

CReta per Metellum Proconsulem, qui Creticus dictus est, prouincia facta est.

Creta hodie Candia, quæ olim Cureta, à Curetibus, qui primò insulam inhabitaure, & inde per syncopen Creta dicta fuit: quondã Aerea dicta est. Et Macaron aliqui à temperie cœli appellauere. Secundum Stephanum, à Crete Iouis & Ideæ nymphę filio: secundum Plinium, à Creta nympha Hesperidis filia nomen suscepit. Centum olim fuit urbibus habitata. Describitur à Ptolemæo in fine libri tertij, cap 17. & tabula 10. Europæ: à Strabone lib.10. Plinio lib.4. cap.12. à Mela lib.2. Sed & Martiano, Solino, Stephano, & Dionysio, Virgilio etiam in 3. Aeneid. De bello autem Cretico Florus libro tertio, Liuius ab urbe condita nonagesimo octauo, & sequenti, ubi multa de Q. Metello Proconsule leges. Et Plutarchus quoq; in Pompeio, Metelli meminit. Velleius Paterculus: Per idem tempus à Q. Metello Creta insula in pop. Rom. potestatem redacta est, quæ ducibus Panare & Lastane, 24. millibus iuuenum coactis,

A coactis, uelocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium exercitus fatigauerat. Et paulo pòst: Creta Metelli ductu, longissimæ libertatis fine mulctata.

DE GRAECIA ET ACHAIA, ac Atheniensibus.

GRæcis in nostram fidem confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses aduersus Philippum Macedonũ regem, auxilium nostrũ petierũt. Libera diu sub amicis nostris Achaia fuit. ad extremum legatis Romanorum apud Corinthum uiolatis, per L. Mummium Consulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est.

Achaiam, quæ & Hellas dicitur, Ptolemæus libro 3. cap. 15. describit, tabula Europæ decima: Strabo in fine septimi, Plinius libro 4. passim alij: Stephanus, Mela, Solinus. Cæterùm de Atheniensibus apud Florum lib. 2. de bello Macedonico primo. Et Liuius abundè lib. 31. De bello uerò Achaico Florus lib. secundo, & Liuij abbreuiator 52. Sed ibi corruptè legitur L. Manlius, cum scribendũ sit L. Mummius, cuius etiã Iustinus meminit lib. 34. Meminit & huius L. Mummij Frontinus lib. 4. Stratagematon, cap. 3. Achæi autem, licet Philippo bellum intulissent, accepti tamen in amicitiam, maleque defensi, usi sunt concessa libertate: legatos pop. Rom. uiolarunt, ac duce Critolao arma sumpserũt. Attriti ergo per Metellum Macedonicũ, postremò euersa per L. Mummiũ Corintho, libertatẽ amisere. Athenienses uerò auxiliũ contra Philippum petiere: defensique sunt, & sua illis libertas cõcessa est. Archelaus Mithridatis præfectus urbem occupauit, grauique seruitio pressit. L. Sylla circumsessam magno labore expugnauit, & antiquam illis libertatẽ restituit: neque ullam urbem maiore honore dignatus est pop. Rom. Postremò cum Galli exciderent rebus Constantinopolitanis, B Athenas diu tenuerunt. Sed postquam in regnum Neapolitanum ad manus Florentinorum translatum est, concessit ad Turcos.

DE EPIRO.

EPirotæ, qui aliquando cum rege Pyrrho etiã ad Italiam transire præsumpserant, uicti: atque Thessali, simul cum Achiuorum & Macedonũ † regionibus, nobis accesserunt. † Al. populis.

De Epiro Ptolemæus lib. 3. cap. 14. tabula decima: Strabo in septimo, Plinius lib. 4. cap. primo, Iustinus etiam nonnihil lib. 17. Item Stephanus & Mela. Romania à quibusdam recentioribus dicitur. Nam primùm Molossi Pyrrhidę, deinde Epirotę hanc terram possederunt. Demùm ad Romanos uenit. Postremò ad Constantinopolitanos Imperatores, & eorum concessione ad Despotos. Bellum aũt Epiroticum, quod Pyrrhus gessit cõtra Romanos, Florus lib. 1. Liuius lib. 12. & sequenti, Plutarchus copiose in Pyrrho, scripsere. Cæterùm Aetoli, gentes uicinæ Epirotis, à Glabrione uicti: & à M. Fuluio Nobiliore expugnata Ambracia, unà cũ Epiro subacti sunt: quòd ab amicitia pop. Rom. deficientes, societatem cum Antiocho rege iunxere, qui Græciæ bellum intulit, quique compluribus urbibus captis, ad extremum apud Thermopylas uictus, ac omni Græcia expulsus fuit. M. Valerius Leuinus secundo bello Punico cum Aetolis fœdus percussit, captasque de hostibus urbes illis cõdonauit. Benignè tamen pòst cum illis actum est, quòd plus apud iustissimum populum beneficiorum memoria, quàm recens defectio ualeret. Sunt autem Aetoli ab Aetolo Endymionis filio dicti, qui à Pisa profugus, in his locis consedit. Ferox hominum genus, teste Polybio, more ferarum degens.

De Ma-

DE MACEDONIA.

Macedonia ter rebellauit, sub Philippo, sub Perseo, sub Pseudophilippo. Philippum Flaminius, Perseum Paulus, Pseudophilippum Metellus oppresit. Quorum triumphis, Macedonia populo Romano adiuncta est. A

De Macedoniæ situ Ptolemæus lib. 3. cap. tredecimo, & tabula decima Europæ. Strabo lib. 8. copiose: Stephanus, Mela, Solinus, Plinius lib. 4. cap. 10. qui eam in duas partes secat. quarum alteram Prouinciam, Strabo autem superiorem & liberam appellat, eam uidelicet quæ per sinum Ionico littore protenditur, Illyrico ac Italiæ proxima. Altera uerò ultra Candauiæ montes, Macedonicis regibus seruiebat: quibus sublatis, uniuersa in potestatem pop. Rom. peruenit. Quater autem Macedones in bello uiginti annorum uicti fuerunt. Primò, post secundum bellum Punicũ Philippus, Demetrij filius, à T. Quintio Flaminio: qui post uictoriam, omnes ciuitates Græciæ, quæ sub illo erant, saluas & liberas esse iussit. Deinde Perseus, à P. Aemilio Paulo, qui septuaginta duas ciuitates (teste Plinio) uno die direptas, uendidit. Tertiò Pseudophilippus, à Q. Cecilio Metello. Postremò Pseudoperseus, à T. Aemilio. Sed hęc bella copiosissimè descripsit Liuius pluribus libris: 31. & 45, Macedoniam prouinciam factam scribit. Nonnihil etiam Appianus in Illyrico, & in Mithridatico, in principio, ubi de Perseo scribit: Plutarchus in uita Pauli Aemilij, & T. Flaminij: Iustinus libro 29. & sequentibus duobus. Florus pulcherrimè tria Macedonica bella lib. 2. exequitur. Vniuersa hodie Macedonia sub Turco est.

DE ILLYRICO ITERUM.

Illyricos, qui auxilium Macedonibus tulerant, ex eadem occasione per L. Manilium Prætorem uicimus, & eos cum rege Gentio in deditionem accepimus. B

De Illyrici situ superius scripsimus. Sed de hoc bello Illyrico, Liuius ab urbe cond. lib. 43. & sequenti: Florus lib. 2. tit. De bello Illyrico post Macedonicũ secundũ. Appianus in Illyrico, Polybius in secũdo. De rege Gentio prædicti omnes, & Orosius ac Eutropius, præsertim Plutarchus in Aemilio. Sed & hoc quoq; obseruandum, Gentium Illyricorum regem, gentianam herbam inuenisse, teste Plinio lib. 25. cap. 7. Sed ne mireris lector, cur iterum de Illyrico bello scribat Ruffus, qui superius Illyriorum commeminit. Scito quòd, cum regina Teuca, Agronis olim uxor, admonita à duobus Coruncanis legatis, quæ primo bello Punico oram maritimam populabatur, alterum Titum liberius loquutum, in itinere redeuntẽ interfecisset, à Cn. Fuluio Centimalo & L. Posthumio Albino COSS. postea superata, supplex reddita, ex cõditione Corcyræ, & Apolloniæ libertate, pacem obtinuit: quæ Demetrij uiri potentis, & Pharo Illyrico oriundi proditione, conspirantibus Histris, simul cum Isseis & Autitanis populis Illyricorum, fœdus cum Cõsulibus inierãt. Verùm paulo pòst eiusdem opera, Autitani occupatis in bello Gallico Romanis, rebellantes ad officiũ reducunt. Demetrius pulsus, cum reuertisset auxilio Philippi, captus atq; interfectus est, ac Pharos eius patria euersa, Illyricis pax reddita. Et hæc quidem post primum bellum Punicum. Secundum autem, cum Philippus Italiæ propinquãs, Oricum occuparet, Apolloniamq; obsideret, anno quinto belli Punici secũdi à M. Valerio Prætore superatus est, Illyricęq; oræ populi recepti. Valerius ob rem bene gestam absens Cõsul creatus, fœdus cum Aetolis inijt. Gentius deinde rex Illyrici, hosti Perseo precio coniunctus, cum legatos conquestum de hoc ad eum missos in uinculis tanquam canes cõmissarios habuisset, à Cn. Manlio triginta diebus terra mariq; uictus, ac unà cũ uxore ac liberis in triumpho ductus est. Eius urbes Paulus Aemilius tribus diruit horis.

De Dar-

DE DARDANIS ET MOESIIS.

A Dardanos & Mœsios, Curio Proconsul subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque peruenit. Sub Iulio & Octauiano Cæsaribus, per alpes Iulias iter factum est. Alpinis omnibus uictis, Noricorum prouinciæ accesserunt.

Dardanos populos uersus Macedoniæ montes, ueteres ponunt: quem tractum hodie Rascia ac Seruia tenet, ut aliqui putant. De Mœsia Strabo in septimo, Plinius in tertio, cap. 25. Ptolemæus lib. tertio utramque Mœsiam describit, cap. nono Mysiam superiorem, cap. duodecimo Mysiam inferiorem. Putant aliqui, quę in Europa sunt, Mœsias: quę in Asia, Mysias debere appellari, ex inscriptione marmoris uia Tiburtina: T. PLANCI PROPRAETORIS MOESIAE, qui in ea plura quàm centū milia ex numero transdanubiorum, ad præstanda tributa coniugibus ac liberis, & principibus aut regibus suis transduxit. Græci autem utrasque indiscriminatim Mysias dicunt. Nostri Mysiam superiorem Bosnam, inferiorē Bulgariam appellant. Inferiorem, teste Strabone, Getæ incoluere, in qua est etiam Valachiæ pars, quam Maldouiam uocitāt. Et hostia Danubij Istriopolis, Tamis & Bulgari, quos putant nonnulli Tribalos antiquitùs appellatos. Has Mœsias Augustus per L. Pisonem in potestatem redegit: sed aliquanto pòst rursum Dardani, qui post Macedoniam sunt, in quam quotidie irrūpebant, ausi templo Delphico manus inferre uiolētas, L. Scipio auri pactione corruptus, cum Dardanis fœdus percussit. L. Sylla partim eos uicit: M. Curio Proconsul penitus sub ditionem redegit. Scribonius Proconsul Cl. Appij, qui cōtra Rhodopeios pugnans, morbo absumptus erat, successor, declinato in Dardanos bello, intra trienniū ad Histrum penetrauit, ac Daciam tenus uenit, sed saltuū tenebras expauit. M. Lucullus, Lucij, qui Mithridatem uicit, frater, Mœsiorū regio-
B nem excurrit omnem, & usque ad fluuiū cursum tenuit, ut Appianus in Illyrico scribit. M. Crassus Augusti auspicijs feliciter in eos pugnauit, quos cum peteret, rogitareturque ab eorum duce qui nam essent, respōdissetque Romanos gentiū dominos: ille, Ita (inquit) si nos uiceritis: ut habet Florus in fine quarti. Nec parum timoris incussit Domitius centurio, foculo supra cassidem, tanquam ardente capite, collocato. Tiberius postremò Imperator, sub Rom. eos iura redegit, tributumque pendere coegit. Liuij abbreuiator lib. 95. Cn. Curio Procon. Dardanos in Thracia domuit. Huius etiam meminit L. Florus libro 3. de bello Thracico. Eutropius lib. 6. cap. 1. Gn. Scribonius Curio post Consulatū Dardanos uicit, & usque ad Danubium penetrauit, triumphumque meruit, & intra trienniū finem bello dedit. De hoc & Orosius lib. 5. cap. 22.

Bellum autem Augusti cum Alpinis gentibus, Florus describit lib. 4. cap. ultimo, & Liuius 135. hos Salassos uocat. Strabo in 4. & Suetonius in Augusto, Appianus in Illyrico. Adrius mons Straboni Mediam, ut Appenninus Italiam diducit, hinc Adriaticum, inde Pannonias respiciens. Mutat autem in itinere nomina: Occa, Caruus, Bebius, Albanus, Adules, Getius, Scardus, pro uarietate regionum appellatus. Hunc, præter Ruffum auctorē nostrum, diuus Hieronymus alpes Iulias uocat, quendam describens locum: Inter Constantinopolim, inquit, & alpes Iulias.

DE PANNONIA.

Bathone Pannoniorum rege subacto, in ditionem nostram Panno niæ uenerūt, Amantinis inter Sauum & Drauum prostratis. Regio Suauensis, ac secundorū loca Pannoniorum obtenta sunt. Machomanni & Squadi, de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Drauum, pulsi sunt: & limes inter Barbaros & Romanos ab Augusto, per Vindelicum, per Noricum, Pannoniam & Mœsiam est constitutus.

Aliter ego, quanquam in eodem sensu, reperi in alio exemplari, sic scilicet: Pannonumque regem in certamine superans idem Lucius, in prouinciā redegit utrasque Pan-

nonias. Amantinos autem, qui inter Sauum Drauumq; flumina insidēt, rege eorum interempto, ipsa uice Romanā fecit prouinciā. Marcomanni namq;, et Squadi, in illa Valeria, quę inter Drauum Danubiumq; interiacet, ab eodē tunc ductore oppressi: finesq; inter Romanos ac Barbaros Augustus uindicās per Noricum Mœsiamq; disposuit. Et hæc lectio nō est improbāda, nisi quòd Suauos obmittit. Cæterùm de singulis paulo altius quædā repetamus. Pannones, qui et Pannonij dicunt̃, ab Appiano talem dicunt̃ habere originē. Polyphemo cognomēto Cyclopi, ex Galathea tres fuere filij nati, Celtus, Illyrius, Gallas: qui cum ex Sicilia mouissent (nam temporib. belli Troiani in Sicilia regnauit Polyphemus, uir bellicosissimus, et arte iaculandi peritissimus) tribus ijs nationibus bello superatis imperitarūt, Celtis, Illyricis atq; Gallis: quibus etiam sua nomina indiderūt. Sed ex Illyrij posteritate nati autumant̃, Pannonius, siue Pannon, & Scordiscus, & Pæon, ac Triballus: qui etiam à suis ipsorū nominibus gentes, quas subiugarūt, appellauere. Vnde tam ex paterno sanguine, q̃ ex asidua exercitatione, nihil magis oderunt quàm otiū & pacē. Sed qui ea hodie loca posidēt, Hungari appellant̃: populi Scythici, nō ab Hunnis nominati, qui duce Attila Italiā intrauerūt, sed propriū hominū est genus. Hungaria uerò, hodie hinc Germaniā attingit, illinc in Iazygas Metanastas se extēdit, uersus Carpatinū montē: sub quo Zepusium à Polonia procurrens, in fines Hungariæ desinit. Reliqua uerò Iazygum Metanastarū, & adiacētia Tibisco amni, Hungari Transyluaniā uocant. Cui inter Danubiū & Carpathū adiuncta est montana Vualachia, quæ quondā Dacia uocabatur. Huic ueluti à tergo ad occidentem opposita est Bosnia, quam Rascia & Seruia contingūt: illis in locis cum ea sitę, quibus superior Mœsia & Dardania olim continebant̃. At Bulgaria, inferioris Mœsię partem, & utrunq; latus Hemi mōtis, iugaq; ipsa obtinet, usq; ad Triballos, in quos Bosnię oriētale latus desinit. Altera uerò Vualachia, cui Melilonia nomen est, à flumine hoc tempore, apud antiquos inferioris Mœsiæ pars fuit. Protendit̃ autem inter Danubiū & Tiram, ab Ierasso amne, montanæ Vualachię termino, usq; ad Euxinū. Hæc de Pannonijs. Amantini autem populi sunt inter Sauum & Drauum, quę Valeria dicit̃: id est, secunda Pannonia, quæ sic est à Valeria Diocletiani filia cognominata, teste Marcellino: quos & Ptolemæus inter Pannonios collocat. Sed ne dubites, ita scribit Ammianus lib. 19. ubi de Constantio agit: Imperator Valeriam peruenit, partem quondā Pannoniæ, sed ad honorē Valeriæ Diocletiani filiæ ita cognominatā, &c. Sauus autem ex alpibus Carnicis placidior, Drauus è Noricis uiolētior in Danubiū fluit, ut Plin. in 3. scribit. Qui autem tractus inter Drauum et Danubiū extendit̃, Valeria dicitur, quę nunc Croacia putatur. In hoc uerò spacio antiqua urbiū nomina, Segestica, Sciscia: à Sauo uerò Suauensis regio appellat̃. Sed Marcomanni Germaniæ populi dicunt̃ Straboni in septimo, iuxta Hercyniam syluam: & Ptolemæo lib. 2. qui etiam his Squados adiungit, quos aliqui putant illic degisse, ubi hodie Morauia atq; Slesia est, Boemis uicini, qui priscum Boemorū & locum & nomē retinent, à Morobaudo rege, paucis immutatis literis, sic appellati: siue à Mora fluuio, qui eam perlabit̃. Sed hoc non conuenit cum hoc nostro autore, qui inter Drauū & Danubiū hos collocat. Hoc adijciendū ex Marcellino, Quados mucrones pro numinibus colere, et per eos iurare. Cæterùm ut de bellis dicamus, in Pannonijs M. † Liuius ab Augusto missus, Segestam cæpit, deletis Pannoniorum copijs auxilium ferentibus, & armis & hostibus in profluentem iactis, quo uictoria cæteris repentè nunciaretur: quod Florus in fine quarti scripsit. Bathonem eorum regem deinde Tiberius maxima cæde superatum, donis ingentibus muneratum transtulit Rauennam: gratiam referens, quòd se quondam exercitui iniquitate loci inclusum passus sit euadere: quod & Suetonius in Tiberio annotauit, rubrica uigesima. licet illic legat̃ Batronē Pannonū ducem, pro Bathone: cuius Bathonis etiam est mentio apud Velleium, ubi de bello Pannonico agit. Deinde per alpes Iulias itinere facto, biennio domuit, cum nullus ad eum diem ausus fuisset ad Danubium arma transferre, quamuis sæpe insultantibus Barbaris. Bellum Pannonicum à Tiberio gestum, eleganter simul & copiose describit Velleius Paterculus, qui & huic bello

A

B

† *Vibius est apud Florum.*

A bello interfuit, & de Maroboduo plura scitu digna affert, quæ huic loco bene congruunt, quæq; omnino studioso cuiq; sunt relegenda.

DE DACIA.

TRaianus Dacos sub rege Decibalo uicit, & Daciam trans Danubiũ in solo Barbarico prouinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena millia passuum. Sed sub Galieno Imperatore amissa est, & per Aurelianum translatis exinde Romanis duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ & Dardaniæ factæ sunt.

Daci Getis cõtermini, ut Strabo in 7. docet, populi sunt montani. Daciam Pannonijs uicinã, hodie Vualachiam appellamus, quam Tibiscus mediã abluit. Alia est Dacia hodie in Cimbrica Chersoneso. Florus lib. 4. Daci, inquit, sub Cotisone rege in Pannonias & Mœsias irrumpebãt, concreto gelu Danubio. Contra quos Cor. Lentulus ab Aug. missus, tres eorũ duces cum magnis copijs deleuit: citeriorẽ ripã præsidijs muniuit, satis uictoriarũ putans, posse illos prohibere. Traianus inde Decibalũ uicit: eius legatis seruilem in modũ introductis, pax data. Iterum quoq; in rebellantẽ proficiscit: quo superato, Daciam prouinciã fecit. Thesauros regios subter uada fluminis inuenit, pontẽ lapideum ingentẽ fecit, rex sibi manus attulit, ut copiose Dion scribit in Traiano: similiter Orosius ac Eutropius. Scribit Plin. iunior lib. 9. Epistolarum, Caniniũ Ruffum hoc Dacicũ bellũ græcis uersibus descripsisse. Postq; sub Galieno perditißimo Imperatore Dacia amissa est, Aurelianus desperans retineri posse, omnem Daciam trans Danubiũ sublato exercitu prouincialib. reliquit, abductosq; ex ea populos in Mœsiam collocauit, appellauitq; suam Daciam, quæ duas Mœsias diuideret, ut Vopiscus in Aureliano scribit. Prima autem & secunda Dacia dicta, quòd à duobus Legatis regeretur: qua ratione Mœsia, Armenia, Germania, diuisæ erant, ut ex plerisq; constitutionibus constat. Vnde & Iornandes in suis Annalibus sic prodit: Aurelianus Imperator euocatis exinde legionibus in Mœsia collocauit, ibiq; aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamq; Ripensem cõstituit, &
B Dardaniam iunxit. Illyricus autem cuncta per partes quidem & membra deuicta, ad unum tamẽ corpus est redacta: quæ habet intra se prouincias decem & octo. & sunt, Norici duo, Pannoniæ duæ, Valeria, Suauia, Dalmatia, Mœsia superior, Dardania, Dacię duæ, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Preuales, Creta. Hæc mutuauit Iornandes ex Ruffo nostro, qui habet hæc uerba penè in forma, sic:

ILLYRICI PROVINCIAE.

HAbet Illyricus decem & septem prouincias: Noricorum duas, Pannoniorum duas, Valeriam, Suauiam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas: & in ditione Macedoniæ sunt septem, Macedonica, Thessalonica, Achaia, Epiri duæ, Preuales, & Creta.

Ammianus Marcel. in 16. meminit Pannoniæ secundæ, nominatq; Noricam ipensem, & Montanam. Secundum enim mutationem principũ, mutantur & uariantur termini prouinciarum, ut latè in omnibus regnis patet.

DE THRACIA.

IN Thracias Macedonici belli occasione transcursum est. Sæuißimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thracum regionibus Scordisci habitauerũt, pariter crudele & callidũ genus. De quorũ sæuitia multa fabulosè memorant, quòd hostiũ captiuos dijs suis litauerũt, atq; humanũ sanguinẽ in osibus capitũ potare soliti sunt. Sæpe per eos cæsus est Romanus exercitus. M. Didius uagantes Thraces repressit: M. Liuius Drusus intra fines proprios cõtinuit: M. Minutius Ruffus in Hebri fluminis

glacie uastauit. Per Appium Claudiũ Proconsulẽ, iȷ qui Rhodopen incolebant, uicti sunt. Europæ maritimas urbes antea Romana classis obtinuit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primus pugnauit, ipsamq́ꝫ caput gentium Thraciam uicit. Hemimontanos uicinos subegit: & Olympiadam, quę nunc Philippopolis dicit: & Muscadoniam, quæ modò Hadrianopolis dicitur, in ditionem nostram redegit. Caubilen cæpit, supra Pontum positas ciuitates occupauit: Apolloniam, Galatiam, Parthenopolim, Tomos, Istrum, ad Danubium usque perueniens, Romana Scythis arma monstrauit. In ditionem Reipublicæ sex Thraciarum prouinciæ sunt conquisitæ: Thracia, Hemimontium, Mysia inferior, Sythonia, Rhodopeia: & in qua nunc secundæ artes Romanæ urbis sunt constitutæ, Constantinopolis. A

Thraciam describit Ptolemæus lib. 3. tabula Europę nona: Plin. lib. 4. Strabo lib. 7. ubi fit copiosa mentio Thracum & Scordiscorum ac Bessorum, qui magna ex parte montem Hemum incolunt, & propter latrocinandi studiũ latrones uocant. Thracia aliàs Sython, Percẽq́ꝫ dicit, & aliȷs nominibus apud Stephanũ. Vide etiam Polybiũ.

Bessi Thraciæ populi, quorum multa nomina Plin. recenset. Et alibi Ouidius ait: Viuere quàm miserum est inter Bessasq́ꝫ, Getasq́ꝫ. De Scordiscis etiam Frontinus lib. 3. cap. 10. Hemimontanorũ meminit Trebellius Pollio in Claudio, item Ammianus Marcel. in 14. Cum Hadrianopolim intrasset, urbem Hemimontanã, Muscadoniam antè appellatam. Idem in 21. lib. Hemum & Rhodopen montes cum alpibus Iuliȷs describit, afferens hæc uerba: Consertæ celsorum montium summitates, Hemi & Rhodopes, quorum alter ex ipsis Histri marginibus, alter ab Axiȷ fluminis citeriori parte consurgit in angustias, tumulosis collibus desinũt per Illyricos, interscindũt & Thraces. Hinccine mediterraneis uicis & Derbices in Thracias despectantes, et Philippopolim, ciuitates amplas, & tanquam in ditionem Romanam redigendas. Sed in 22. uniuersam Thraciam cum ciuitatibus & fluuiȷs, usq́ꝫ ad paludem Mæotidem. Cæterùm quæ olim Thracia fuit, nunc Romania est: quæ inferior Mysia, nunc Sagaria: qui Hebrus, nunc Marisa: quæ Brusia, nunc Bursia: qui Triballi, nunc Bulgari: quæ olim Rhodope, nunc Valiza: quę Dacia, nunc Vualachia: quę superior Mysia, nunc Seruia: ut Martinus Segouius Nouomontanus in suo libello scripsit. Historia Tripartita lib. 10. cap. 4. Thracia in sex prouincias diuisa est, quę undecim administrationibus dispensat. De bello Thracum Florus lib. 3. ubi de crudelitate Thracum, & sæuitia Scordiscorũ, sic: Didius uagos & libera populatione diffusos, intra suam repulit Thraciam. Drusus ulterius egit, & uetuit transire Danubium. Minutius toto uastauit Hebro, multis quidem amissis, dum per perfidũ glacie flumen equitatur. Appius in Sarmatas usq́ꝫ peruenit. Lucullus ad terminum gentium Tanaim, lacumq́ꝫ Mæotim. De M. Minutio Ruffo Appianus in Mithridatico. De Claudio uerò, Orosius lib. 5. cap. 22. sic tradit: Interea Macedonicum bellum Claudius sortitus, uarias gentes, quę Rhodopeis montibus circunfusę sunt, at tum Macedoniam crudelissimè populabantur. Nam inter cætera dictu audituq́ꝫ horrenda quæ inter captiuos agebant populos, raptis, cum poculo opus esset, Romanorum capitum ossibus, cruentis capillatisq́ꝫ adhuc, ac per interiores cauernas malè effoso cerebro oblitis, auidè & sine horrore, tanquam ueris poculis utebantur: quorũ cruentissima atq́ꝫ immanissima corda sciuerant. Hos itaque (ut dixi) Claudius Macedoniæ pellere finibus bello attentauit, magnisq́ꝫ se malorũ molibus obiecit. Vnde cum animo æger esset, curis circumseptus, morbo insuper correptus, interiȷt. Huius successor Scribonius, attentatarũ superiore bello gentium uim declinans, in Dardaniam arma conuertit, eamq́ꝫ superauit. Item Liuius libro 91. de Appio Claudio Proconsule, qui Thraces deuicit, & libro 97. de L. Lucullo, qui Thraces subegit, perscripsit, Copiosius Appianus in Mithridatico: B

thridatico:

A thridatico: copiosissime Plutarchus in Lucullo. Eutropius libro sexto, cap. secundo: Mithridates pace rupta, Bithyniam & Asiam rursus uoluit inuadere. aduersus eum ambo COSS. missi, non unam habuere fortunam: postremo à Lucullo uictus est, &c. De M. autem Lucullo idem Eutropius lib. 6. cap. tertio: Lucullus Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti prælio in Hemo monte superauit, oppidum Vscudaniam (sic enim ibi scribitur) quod Bessi habitabant, eodem die quo aggressus est, uicit. Cabyram cæpit, & usque ad Danubium penetrauit. Expugnauit etiam gentes quæ Rhodopeis montibus circunfusæ sunt. Inde multas supra Pontum positas ciuitates aggressus est, illicque Apolloniam uertit: Galatiam, Parthenopolim, Tomos, Histrum, Bruziam omnẽ cæpit: belloque confecto Romã rediit, ac triumphauit. Hæc uerba Eutropij, nostri autoris sunt declaratiua: alter ab alio uidet̃ mutuasse.

DE ASIA QVOMODO uicta sit.

NVnc autem Eoas partes, totumque Orientem, ac positas sub uicino sole prouincias, qui auctores sceptris suis parauerint, explicabo: quo studiũ Clementiæ tuæ, quod in iisdem propagandis habeas, amplius incitetur. Asia societate Attali regis nota Romanis est, eamque Attali testamento relictam, hæreditario iure possidemus. Ne quid tamen Po. Ro. non uiribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho rege Syrorum maximo est uendicata: eademque occasione Lydia, sedes antiqua regnorũ.

Asiam tertiam mundi partem Ptolemæus libris tribus, quinto, sexto, & septimo, & tabulis duodecim effuse tractauit. Strabo item quinque libris, id est, undecimo, duodecimo, tredecimo, quartodecimo, quintodecimo, & sextodecimo. Inter eruditos nemo est qui nesciat, Melam, latus illud Asiæ quod mediterraneo alluitur, primo B libro, ac alterum latus in tertio scripsisse. Plinius lib. 5. cap. 27. Solinus in Polyhistore. Velleius: Asiam L. Scipio, Aphricani frater, eripuit Antiocho, sed beneficio Senatus populique Rom. mox † habita lis. possessam regibus M. Perpenna, capto Aristonico, fecit tributariam. Cæterùm de Attalo rege Pergamenorum, Florus in fine libri secundi, Liuius 58. & 9. Iustinus lib. 36. Si uerò Attali prosapiam legere copiose uolueris, adeundus est Strabo in 13. Geographiæ, qui te singula edocebit: nonnihil Appianus in Syrio. De Attalo Valer. Max. titulo de Gratis, lib. quinto. & titulo de Liberalitate, lib. 4. & Plinius senior 33. Naturalis historiæ, cap. 11. item Eutropius, ac Orosius. De Lydia, quæ & Mæonia dicitur, Plinius lib. 5. cap. 29. Strabo in 12. Non sunt obmittenda uerba Plinij, quæ 33. lib. cap. 11. traduntur: Asia (inquit) primùm deuicta, luxuriam misit in Italiam. Siquidem L. Scipio transtulit in triumpho argenti cælati pondo millia quadringenta quinquaginta, & uasorum aureorũ pondo centum millia, anno urbis conditæ quingentesimo sexagesimoquinto. Eadem Asia domita multo etiam grauius afflixit mores, inutiliorque uictoria illa hæreditas Attalo rege mortuo fuit. Tum enim hæc emendi Romæ in auctionibus regiis uerecundia exempta est, urbis anno sexcentesimo uicesimosexto, mediis quinquaginta sex annis, erudita ciuitate amare etiam, non solum admirari opulentiam externam, immenso & Achaiæ uictoriæ momento ad interpellendos mores: quæ & ipsa hoc interuallo, anno urbis sexcentesimo octauo, Parthica signa & tabulas pictas inuexit. In emendatioribus exemplis Plinij, pondo mille quinquaginta: præterea non Asia domita, sed donata. Constat enim, Attalum regem Asiæ, populum Romanũ hæredem instituisse. Deuictam igitur Asiam tempore Antiochi intelligit, postea donatam ab Attalo, ut hic etiam noster ostendit. Dubito etiam de Parthicis signis, cum melius legeretur Corinthiaca. aliqui legunt Parta. Strabo libro decimotertio: Attalus hæredes Romanos instituit, qui postea eam regionem prouinciam fecerunt, & Asiam uocauere, eodem nomine quo & continentem.

† habitabilis.

DE CARIA, HELLESPONTO, & Phrygia.

† de iure

CAria, Hellespontus ac Phrygia, in potestatem pop. Rom. iuncta ditione uenerunt. Rhodijs, & insularum populis, primùm infestissimis, pòst fidelissimis usi sumus. Ita Rhodus & insulæ primùm liberæ agebant: postea in consuetudinem parendi Romanis † clementer prouocantibus, peruenerunt. Et sub Vespasiano, principe insularum, prouincia facta est. A

De Caria Plinius lib. quinto, cap. 29. de Rhodo, eodem libro, cap. 31. quæ anno nostræ salutis MDXXII, in fine Decembris, à sæuissimo Turcorum Solomet tyranno per uim occupata est, pluribus illic factis stragibus, non sine turpissima S.P.Q. Ro. Hadriani Sexti Pont. M. & Caroli V. Imperatoris ignominia: qui non modò orbis Christiani domini, sed maris totius principes & haberi & appellari uolunt. De Hellespōto, Phrygia, Galatia, Cappadocia, Plinius lib. quinto, cap. 32. Sed lib. 6. cap. 3. Cappadociā repetit. Strabo autem lib. 12. & 13. Ptolemæus lib. 5. Solinus pulchrè in suo Polyhistore, de Phrygia, cap. 53. Cæterùm Suetonius in Vespasiano, tit. octauo, sic scribit: Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum libertate adempta: item Thraciam, Ciliciam, & Comagenem, ditionis regiæ usq; ad id tempus, in prouinciarum formam redegit.

DE PAMPHILIA, ICARIA, & Bithynia.

PAmphiliam, Phrygiam, Icariam, Seruilius Proconsul ad bellum piratarum missus obtinuit. Bithyniam, defuncti regis Nicomedis testamento sumus assequuti. B

De bello piratico Florus libro tertio, Liuius 94. Appianus in Mithridatico. De Pub. Seruilio Liuius 93. De bello item piratico Plutarchus in Pompeio. Dion pariter, ac M. Tullius pro Imperatore deligendo. Appianus in Mithridatico Nicomedis pulchrè meminit. Liuius etiam in 93. Nicomedē Bithyniæ regem scribit pop. Rom. hæredem instituisse, regnumq; eius in prouinciæ formam redactū. De eodem etiam Iustinus lib. 38. Hoc enim regnū ad Eumenem primò uenit, deinde ad Prusiam. Qui ubi Perseum sororium suum superatū à Romanis uidit, capite raso, pileoq; sumpto, Romam ultrò uenit, se libertum Senatus appellans, uenia & regno donatus. Successorem filium Nicomedem, à quo interfectus est, habuit. Hic item Nicomedem Philopatorem, qui Rom. pop. hæredem instituit. De Bithynia, præter suprà dictos, uide Solinum cap. 54. De Icaria insula abundè Strabo, lib. decimo quarto.

DE GALLOGRAECIA, QUANDO subacta sit.

Al. Cn. Manlius

GAllogræciam, id est Galatiam (sunt enim, ut nomen resonat, ex Gallis Galatæ) quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuisset, inuasimus. † Mummius Proconsul Galatas persequutus est, & cō fugientes partim in Olympum, partim in Megaram, quæ nunc Mediacus dicitur, de arduis eos in plana detrusit, & uictos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Deiotarus tetrarches, nobis permittētibus, tenuit. Ad extremum sub Octauiano Cæsare Augusto, Galatia in formam prouinciæ redacta est. Eam primus M. Lolius Proprætor administrauit.

De Gallogræcia Strabo in 12. Plinius lib. 5. cap. 32. populos Græciæ enumerat. De hac Solinus ita: Galatiam primis seculis priscę Gallorum gentes occupauerūt: Tolistobogi,

A stobogi, Noturi, Ambitani, quæ uocabula adhuc permanent. Quamuis Galatia unde dicta sit, ipso sonet nomine. Iustinus lib. 32. bellum Gallogræcum, & unde Gallogræci dicti: Florus lib. secūdo, tit. undecimo, explicat. Sed longè uberius Liuius 38. lib. ubi insigne uirtutis & pudicitiæ exemplum in femina narrat. Hic etiam de Antiocho. Sed quod in litera in omnibus quotquot uidi exemplaribus legitur, Mummius Proconsul: scribendum est, Cn. Manlius, ex Liuio, Floro, Appiano. Neq; Megaram, sed Ancyram legendum est, quæ urbs metropolis est Galatiæ, cuius Ptolemæus lib. quinto in situ Galatiæ, cap. quarto meminit. & Apollonius, qui ab anchoris nauibus ereptis, nomē sortitam scribit. Ancyrana Synodus celebratur in iure pontificio. Tractat hanc historiā uberrimè Liuius in 38. ubi populos Galliæ triplices describit, aliquosq; confugisse in montem Olympum, aliquos in montem Maganam: quod obseruandū quoq; est. De rege Deiotaro Appianus in Parthico, Liuius 94. Aulus etiam Hircius de bello Alexandrino lib. quarto. Extat oratio Tullij pro rege Deiotaro. Sed Mar. Lollius Paulinus, magna apud Augustum autoritate fuit, ad quem etiam Horatius epistolam scribit: à quo facta est Lolliana clades, ut scribit Suetonius. Vide etiam Eutropium lib. 7. cap. 2.

DE CAPPADOCIA.

CAppadoces primò societatem nostram sub Ariarathe rege per legatos petierunt, cuius deficiente stirpe, lectus Ariobarzanes rex Cappadocum, qui à Mithridate expulsus, Romanorum armis est restitutus: semperq; in auxilia nostra fuere Cappadoces, & ita maiestatē coluere Romanam, ut in honorem Augusti Cæsaris Mazacha ciuitas Cappadociæ maxima, Cæsarea nuncuparetur. Postremò iterum tertia deficiente prole, sub Imperatore Tiberio Claudio, Archelaus fauente Antonio, rex factus est: quem sub Augusto Tiberius oratione defendit. Imperio deinde succedens, eundem blandè Romam accersitum, non remisit: ibiq; diu detentus, cum occubuisset, testamento Romanis Cappadociam reliquit: & sic in prouinciæ speciem Cappadocia migrauit. Vel, ut aliàs legitur, in prouinciam per Germanicum redegit.

B De Cappadocia Strabo in duodecimo, qui totam regionē à Senatu scribit in decem diuisam præturas, additamq; postea undecimam. Item Plinius lib. sexto, cap. tertio, Plutarchus, Arianus. Solinus concinnè eam sic describit cap. 57. Cappadocia gentium uniuersarum quę pontum accolūt præcipua, introrsus recedit: læuo latere utrasque Armenias & Comagenem simul transit, dextro plurimis Asiæ populis circunfusa. Attollitur ad Tauri iuga, & solis ortus. Præterit Lycaoniam, Pisidiam, Ciliciam: uadit super tractum Syriæ, Antiochiæ, parte regionis alterius in Scythiam pertendens, ab Armenia maiore diuisa Eufrate amne: quæ Armenia, unde Panhydri montes sunt, auspicatur. Posthac & urbes describit, inter quas & Mazacam, quam matrem urbium uocat, & quam Eusebius quoq; pulso Archelao Cæsaream appellatam tradit. Vnde Gregorius Nazianzenus præsul, sancti Hieronymi præceptor, & Basilius eius frater, fuerunt. Cuius etiam meminit Ammianus Marcellinus lib. uigesimo. Cæterùm de Ariarathe, Ariobarzane, & Archelao, regibus Cappadocū, Strabo lib. duodecimo, Liuius lib. septuagesimo, à L. Cornelio Sylla in regnū Cappadociæ Ariobarzanem reductū scribit. Sed & idem lib. 74. item Iustinus lib. 38. Neq; est negligendus A. Hircius, de bello Alexandrino lib. quarto. Suetonius in Caligula: Germanicus Consul iterum creatus, ac prius quàm honorem iniret, ad componendum status orientis expulsus, quum Armeniæ regem deuicisset, Cappadociamq; in prouinciæ formam redegisset, annum ætatis agens quartum & trigesimum, diutino morbo Antiochiæ obijt, non sine ueneni suspicione. Vide etiam Eutropiū lib. septimo, cap. tertio, & Tripartitam historiam lib. sexto, cap. quarto. Sed nemo copiosius rem hanc

explicat, quàm Cornelius Tacitus, in secundo Historiarum ab excessu Augusti sic scribens: Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, inuisus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem, nullo officio coluisset. Nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Cæsare, missoq; ad res orientis, intuta Tiberij amicitia credebatur. Vt uersa Cæsarum sobole, Imperium adeptus est, elicit Archelaum matris literis: quæ non dissimulatis filij offensionibus, clementiam offerebat, si ad precandum ueniret. Ille ignarus doli, uel si intelligere crederetur, uim metuens, in urbem properat. Exceptusq; immiti à Principe, & mox accusatus in Senatu, non ob crimina quæ fingebantur, sed angore, simul fessus senio: & quia regibus æqua, nedum infima insolita sunt, finem uitę sponte an fato impleuit. Regnum in prouinciam redactum est: fructibusq; eius leuari posse centesimę uectigal professus Cæsar, ducentesimã in posterum statuit. Quid uerò in ultimis Imperij annis sub Tiberio gesserint Parthi, & reges Archelaus, Tiridates, & Tigranes, latissimè explicat Tacitus in quinto historiarum. Velleius Paterculus: Tiberius Cæsar, quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat, parem Illyricis Dalmatisq;. Rhœtiã autem, & Vindelicos, ac Noricos, Pannoniamq; & Cordiscos, nouas Imperio nostro subiunxit prouincias: ut has armis, ita auctoritate Cappadociam populo Romano fecit stipendiariam. A

DE PONTO, ET PAPHLAgonia.

PONtus per Pompeiũ, uicto Mithridate rege Ponti, formam prouincię accepit. Paphlagoniam Philomenes rex amicus Po. Ro. ui tenuit: sæpe à Mithridate pulsus ex regno, à nobis est restitutus: quo mortuo, prouincia eius Paphlagonibus imposita est. Al. stirpe deniq; regia deficiente, Neronis tempore prouincia facta est.

De regione Pontica Plin. lib. 6. cap. 1. item Strabo, Ptol. Mela, Solinus, & cæteri. Verùm de bello Mithridatico, Appianus in eo lib. qui Mithridaticus inscribitur, & Liuius lib. 102. Paphlagoniam autem idem lib. 6. cap. 2. qui eam Pylemoniam dicit uocari, à Pyle flumine, quod inter Mariandinos & Paphlagones fluens, fertur in Pontum. Eustathius & Stephanus à Paphlagone, filio Phinei. Solinus graphicè cap. 56. Paphlagoniam describit. Eutropius lib. 7. cap. 6. Duo tantum regna sub Nerone prouinciæ factæ sunt, Pontus Polemonianus concedente rege Polemone, & alpes Cottiæ rege defuncto. Suetonius in Nerone, rubrica 18. Ponti modò regnum concedente Polemone, item alpium defuncto Cottio, in prouincię formã redegit. Alpes Cottias aggeribus attolli ad solis ortus, testis est Marcellinus: aitq; eas extructas esse molibus magnis à Cottio rege, qui receptus fuit in amicitiam Octauij Cæsaris. In ijs alpibus Cottijs, quarum initium à Segusia est oppido, pręcelsum erigitur iugum, nulli ferè sine discrimine penetrabile. Iornandes in Annalibus: Paphlagoniæ Pylemones rex, amicus populi Romani, à multis dum inquietaretur, Romanum petijt auxilium: se quoque dum de inimicis ulcisceretur, defunctus, Romanos per testamentum hæredes reliquit. B

DE TAURO, ET EIUS REGIONIbus adiacentibus.

VLtra iuga Tauri montis, quemadmodum Romana perrexerit possessio, consequenti locorum magis quàm temporum seruata digestione monstrabitur.

Sic Iornandes in suis Annalibus, Florum & alios sequutus, eadem penè præfatione ijs uerbis utitur: Hactenus intra Taurum, nunc ulterius transgrediamur: quæ patriæ, aut quibus subiugantibus Pop. Rom. coniunctæ sint, memorabimus.

DE

DE SYRIA.

A Antiochus Syriæ rex potentissimus, bellum formidabile Po.Ro. intulit: trecenta millia armatorum habuit, falcatis etiam curribus & elephantis aciem instruxit: à Scipione Cos. fratre Scipionis Africani, apud Magnesiam uictus est: & accepta pace, intra Taurum montē regnare permissus est. Eius filij regnum Syriæ sub clientela Po.Ro. retinuerūt: quibus defunctis, Syriarum prouincijs potiti sumus.

De Syria, quæ & in Comagenam, & Phœniciam, & Palæstinam, Leucosyriam, Cœlosyriam, Seleuciden, & Babyloniam distinguitur, Ptol. lib. 5. cap. 15. & sexto, tabula Asię quarta. Strabo diffuse lib. 16. Plinius lib. 5. cap. 12. & sequētibus multis: Mela, Solinus, Dionysius. Sed de Antiocho rege uide Iustinum lib. 27. Quomodo Syriæ prouinciæ factæ sint, eundem Iustinum libro 40. De bello uerò Syriaco, eundem libro 31. Appianum in libro cui est titulus Syriacus. De hoc Liuius abundè scripsit libris trigesimo quinto, sexto, & septimo: Plutarchus in Scipione, Florus lib. 2. de bello Syriaco: qui etiam trecenta millia peditum, equitum, falcatorumq; curruū non minorem numerum, unà cum elephantis Indicis Antiochum habuisse scribit. quæ eadem repetit Iornandes in suis Annalibus.

DE CILICIA ET ISAURIA.

Cilices & Isauros, qui se piratis & prædonibus maritimis iunxerant, Seruilius Proconsul ad prædonū bellum missus subegit, & uiam per Taurum montem primus instituit. isq; de Cilicibus & Isauris triumphauit, atq; Isauricus est cognominatus.

B De Cilicia, quæ in Trachæam & Campestrem distinguitur cum Isauria, Strabo in decimoquarto: Ptolemæus lib. 5. cap. octauo, Plinius lib. 5. cap. 27. ubi etiam de Isauria. Cilix autem Agenoris filius, ad inquirendam Europam missus, ad piraticam se conuertit, & partis opibus in Cilicia consedit. Vnde Cilices piratæ dicti, flagitio primi autoris ad posteros manante. Hos Cneus Pompeius bello trimestri superatos, partim relegauit, partim supplicio affecit. Videndus est omnino Marcellinus lib. 14. ubi graphicè Ciliciam & Isauriam describit. Et ideo bene trutinandus est locus Suetonij, qui hactenus à tot interpretibus mansit inexplicatus. Nam in Vespasiano sic scribit: Thraciam, Ciliciam, & Comagenem, ditionis regiæ usq; ad id tempus, in prouinciarum formam redegit. Alciatus censuit, ut res est, iunctim Trachæam Ciliciam legendū, cum Thracia prius per ciues & Consules, ut suprà patuit, & pòst sub Claudio eiectis regibus, in prouinciæ formam sit redacta, ut Eusebius in Chronicis testatur. Vnde & Sex. Aurelius Victor in Vespasian. sic scribit: Syria, Palæstina, nec non Cilicia Trachæa, & Comagene, quam Augustofratēsem nominamus, prouincijs accessere, additiq; sunt Iudæi. Cæterùm de Publio Seruilio Isaurico, & de bello piratico, Appianus in Mithridatico, Florus lib. tertio, Liuius nonagesimoquarto, Plutarchus in Pompeio. Ammianus Marcellinus lib. decimoquarto, ubi Isauriam latè describit, sic inquit: Duæ prouinciæ bello quondam piratico cateruis mixtæ prædonū, à Seruilio Proconsule missę sub iugum, factę sunt uectigales. Seruilius autem ab Isaura Pamphiliæ ciuitate nomen habet. Ouidius:

Affrica uictorem de se uocat, alter Isaurum,
Aut Cretum domitas testificatur opes.

Frontinus quoque tertio Stratagematon, Seruilij meminit: & Orosius libro quinto, capite uigesimoseptimo: Eutropius libro sexto, capite primo. Iornandes quoque in suis Annalibus sic eius meminit: Hic Seruilius primus Romanorum Tauri iugum peruium fecit, triumphansq; de eorum spolijs, Isauricus Cilicusq; uocatus est.

Ciliciam in prouinciæ formam redactam rexit: quemadmodum M. Tullius & Plutarchus, & eius opera edocent. A

DE CYPRO INSULA.

Cyprus famosa diuitijs, paupertatem Po. Ro. ut occuparet, sollicitauit. Eam rex fœderatus Ptolemæus regebat. Sed tanta fuit penuria ærarij Romani, & tam ingens fama opum Cypriorum, ut lege lata per P. Clodium Trib. pleb. Cyprus confiscari iuberetur. Quo accepto nuncio, rex Cyprius uenenum sumpsit, quo uitam prius quàm diuitias amitteret. Cato Cyprias opes nauibus aduexit: ita ut ius eius insulæ auarius magis, quàm iustius, simus assequuti.

Et ita profectò est: omnem suam integritatem Romani hac auaritia defœdarunt. Sed ijsdem artibus alia pleraque regna & prouincias sunt assequuti. Sicut nostra ætate Veneti omnes uicinos Reges & principes spoliarũt, ut suas opes ac suam Remp. augerent, nulla habita ratione honestatis. Et ob id digno Dei iudicio, satis humiliati sunt per nostrum Cæsarem Maximilianum, continuis nouem annis, & Deo uolente acrius adhuc punientur. Cæterùm ut ad rem reuertamur, de Cypri insulę nominibus Stephanus & Eustathius, de eius situ & fertilitate Strabo in fine decimi quarti, ubi etiam hæc historia recensetur. Plinius lib. 5. cap. 31. Ptole. lib. 5. cap. 14. tabula Asiæ quarta. Mela in secundo. Hanc etiam pulchrè in 14. Ammianus Marcellinus describit, & paulo pòst ita subiungit: Nec piget dicere, auidè magis hanc insulam Po. Ro. inuasisse, quàm iustè. Ptolemæo enim fœderato nobis & socio, ob ærarij nostri angustias iusso sine culpa proscribi, atque ideo hausto ueneno uoluntaria morte deleto, & tributaria facta est, & uelut hostiles eius exuuiæ classi impositæ, in urbem adductæ sunt per Catonem. Qualis autem honor Catoni reuertenti sit habitus, uide Val. Max. lib. octauo, rubrica decima sexta. Tulit autem hanc legem P. Clodius Pulcher, qui captus olim à piratis, Ptolemæo scripsit, ut præmium ei ad liberationẽ mitteret: quod exiguũ missum, à piratis cõtemptum est. Inde P. Clodius hanc legem in odium Ptolemæi (quòd parũ gratus uideretur erga Remp.) tulit, qua sublatus est. Velleius: Cypro deuicta, nullis assignanda gloria est: quippe Senatusconsulto, ministerio Catonis, regis morte, quam ille cõscientia acciuerat, facta est prouincia. Sed pòst paulo ubi de Cicerone agit, subiungit: Idem P. Clodius in Senatu, sub honorificentissimo ministerij titulo, M. Catonem à Rep. relegauit: quippe legem tulit, ut is quæstor prætorio adiecto, etiam Quæstor emitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum, omnibus morum uitijs eam contumeliam meritum. Sed ille sub aduentum Catonis uitæ suæ uim intulit: unde pecuniam longè sperata maiorem, Cato Romam retulit. cuius integritatem laudari nefas est, insolentia penè argui potest: quod unà cum COSS. ac Senatu effusa ciuitate obuiam, cum per Tiberim subiret nauibus, non antè is egressus est, quàm ad eum locum peruenit, ubi erat exponenda pecunia. Florus lib. tertio, de expeditione in Cyprum: Liuius lib. centesimo quarto: sed copiose Plutarchus in Catone iuniore, ubi multa pulchra leges. Item in Pompeio. Appianus in secundo bellorum ciuilium. Iornandes: Cyprum alta classe nauigeram inuasit Po. Ro. negantibus Cyprijs se habere aliquid. Magnas illic opes reperit. proscriptionibusque mulctauit. Quod nõ ferens Gnosius rex eorum, ueneno hausto semet occidit: & sic Cyprus Romana prouincia facta est. B

DE CYRENAICA REGIONE.

Cyrenas cum cæteris ciuitatibus Libyæ Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Appionis regis arbitrio sumus assequuti. Aegyptus omnis sub amicis regibus fuerat. sed uicta cum Antonio Cleopatra, prouinciæ formam Octauiani Cæsa-

A ris Augusti temporibus accepit, & primùm apud Alexandrinos Corne-
lius Gallus administrauit.

De regione Cyrenaica, Strabo in decimoseptimo, Ptolem. libro 4. cap. 4. tabula Africæ tertia. Plin. lib. 5. cap. 5. qui has quinque ciuitates, Cyrenam, Apolloniam, Barcen, Arsinoen & Berenicen regioni nomen dedisse scribit: de qua & Stephanus, & Dionysius poeta. Libya uerò interior sub Cyrenaica est, unde & Libyphœnices, & Libyegypti dicuntur. De hac Ptolemeus libro quarto, cap. sexto: Plinius libro quinto, capite sexto. De Aegypti uerò multis nominibus, Stephanus. nam & Thebais, & Aeria, & Heptapolis dicta olim. Plinius libro quinto, capite nono: Ptolemæus libro quarto, capite quinto. De Aegypti regibus multa Diodorus, multa Herodotus. De Ptolemæis regibus Strabo libro 17. Iustinus præterea. Est autē Cyrene primaria Aphricæ urbs, patria Callimachi, prius Callisto, dein Thera, pòst Cyrene dicta, urbs nemini non celebrata. Cæterùm quomodo hæc in ditionem Romanam uenerit, Ammianus Marcellinus in fine uigesimisecundi libri penè eadem ad uerbum, ubi etiam tota Aegyptus copiose describitur: Aegyptus (inquit) fertur habuisse temporibus priscis Aegyptum ipsam, & Thebaidem, & Libyam: quibus duas adiecit posteritas, ab Aegypto Augustanicam & Pentapolim, à Lybia sicciore disseparatam. In Pentapoli Cyrene posita est, urbs antiqua, sed deserta: quam Spartanus condidit Battus. Et Ptolemais, & Arsinoe, eademque † Hechira dicta, & Darius, & Berenice, quas Hesperidas appellant. Liuius libro septuagesimo: Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomentū Appionis fuit, mortuus, hæredem populum Romanum reliquit, & eius regni ciuitates Senatus liberas esse iussit. Sed de bello Augusti cum Antonio & Cleopatra, Liuius libro trigesimotertio, Florus libro quarto, Appianus in quinto Ciuilium, Plutarchus in Antonio. Tranquillus in Augusto refert, Augustum Aegyptum in prouinciæ formam redactam, ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes militari opere detersisse. Videndus est & Orosius libro sexto, capite decimosexto: & Eutropius capite septimo libri secundi. Strabo in 16. scribit, Helium Gallum legatum ab Augusto missum in Arabiam & Aegyptū. Meminit huius Cornelij Galli Ammianus in decimoseptimo. Is est, si rectè existimo, Gallus poeta, quem flens quodammodo in postrema Bucolicorum parte Virgilius carmine decantat. Velleius: Diuus Augustus præter Hispanias, aliasque gen-teis, quarū titulis forum eius prænitet, penè idem, Aegypto stipendiaria facta, quantum pater eius Galli in ærarium redita contulit.

† *Eadem quæ Teuchira.*

B

DE ARMENIA.

PEr confinia Armeniarū primùm sub L. Lucullo Romana trans Taurum signa transmissa sunt. Phylarchi Saracenorum, in Osroene cessere, superati.

Sic enim legendum est, non ut habent deprauati codices scripti & impressi, Fisarci Sarracenorum, & Hierene superati cessere: nec ut deteriores habent, Sulilarchi, quæ uox est nihili. Admonuit autem me sic esse legendum, Iornandes in suis Annalibus, licet & illic quædam labecula sit, eius tamen uerba subijciam: Montes tum Armeniæ primùm per Lucullum Romana arma uiderunt, per quem & in Osroene Sarracenorum Filorci deuicti, Romanis se dediderunt. Vbi nimirum etiam non Filorci, sed phylarchi scribendum est. Vt autem scias quid sit phylarchus, paulo altius repetendum est. φύλαρχος communiter pro tribuno exponitur, quod φυλὴ tribus, καὶ φῦλον genus, gentem, & natione significet. Et ideo Hesychius Græcus autor, phylarchon φυλῆς ἄρχοντα, id est, tribus præfectum interpretatur. Suidas autem ait, φύλαρχος, ὁ ἐπὶ φυλῶν ἑκάστων τοῦ ἱππικοῦ ἄρχων, ὑπο τεταγμένος δὲ τῷ ἱππάρχῳ. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς. id est: Phylarchum esse tribus cuiusque equitatui præfectum, qui magistro equitum parêret. Demosthenemque ex Philippicis citat. Paria leguntur apud Iulium

Pollucem

Pollucem libro octauo, de equitum præfectis, & tribuum principibus, in hæc uerba: οἱ φύλαρχοι δέκα εἷς ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης τῶν ἱππέων προΐσανται. Sed & Suidas iterum A subiungit, Phylarcham nuncupari præsidem. adducitq; nescio cuius scriptoris uerba, quorum est sententia: Congressus est cum Traiano prope Acbarum, qui erat Osroenes regionis præses, cuius dignitatis homines illi Phylarchas appellant, quoniam & eorum regiones φυλαὶ nominantur. Manifestissimum igitur est, Phylarchum dignitatis cuiuspiam nomen apud Sarracenos extitisse, quemadmodũ apud Persas Surena. Ammianus Marcellinus libro uigesimoquarto, in uita Iuliani: Hac quoque exusta, biduo ad refectionem corporum dato, prope extremũ noctis, quæ secundum diem sequuta est, Surena post Regem apud Persas promeritæ dignitatis, & Malochus Pedasatis nomine, Phylarchus Sarracenorum, Assauitarumq;, famosi nominis latro, omni sæuitia per nostros limites diu grassatus, &c. Appellat quoq; idem Ammianus & in uigesimotertio libro, Sarracenorum regulos, quos suspicor fuisse Phylarchos illos. Procopius libro primo de bello Persico: Hanc Iustiniano donauit Abocharalus, Sarracenorum in ea parte præfectus, quem Imperator Phylarchum Sarracenorum in Palæstina constituit, qui tutam regionem ab incursu custodijt. Ibi pòst paulo plura scribit Procopius de Sarracenis, & diuersis eorum generibus: quorum quædam dicuntur etiam Auzonitæ, ab Auzonide regia ciuitate. Vnde corrigendus erit locus deprauatus Marcellini, suprà paulo citatus, ubi appellat Arabes Assanitas corruptè, qui Auzonitæ dicuntur. Cicero in decimoquinto Epistolarum familiariũ: Eodem die à Iamblicho phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire, amicumq; esse Reipublicæ nostræ, literæ de ijsdem rebus mihi redditæ sunt. Neque illud etiam ignorandum, quòd Phylæ oppidum haud longè à Nilo, ab eodem Procopio describitur. Et quanquam Ptolemæus Sarracenorum meminerit libro quinto, capite decimoseptimo, tabula Asiæ quarta: tamen nemo uberius de Sarracenis scribit, quàm Marcellinus libro decimoquarto, ubi & mores illius gentis, ac ritus uiuendi copiose explicat. Et in uigesimosecundo, B in descriptione Aegypti, Arabes Scenitas nominat, quos (inquit) nunc Sarracenos appellamus. Et in uigesimo tertio, Scenitas Arabes, quos Sarracenos posteritas appellauit. Strabo libro decimosexto, ubi describit Arabes Scenitas: Phylarchi (inquit) qui ex utraque parte flumen accolunt, cum regionem habeant non ualde feracem, ac nimis sterilem colant, suum quisque dominatum exercens, suum etiam uectigal exigunt. Et paulo infrà: Parthici Imperij fines, Euphrates, & ulterior regio: citeriora Romani tenent, & Arabum phylarchi, usque in Babyloniam. Iterum libro decimoseptimo, in fine, ubi de prouincijs populi Romani agit: Sunt & principes quidam sub eis, & phylarchi, & sacerdotes, atque hi quidem secundum quasdam patriæ leges uiuunt. Denique diuus Hieronymus in interpretationibus nominum Hebraicorum: Loomnimi (inquit) phylarchi multarum tribuum, uel principes multorum populorum. Vnde & Thalmudistæ, Lomnimi & phylarchos interpretantur: quemadmodum dicti erant tres fratres Geriones, à dictione Aramea lonia, id est, phylarchia. unde Ethrusci, Sagi, Aramei, ubi urbs principatum tenet, cum Chaldæis Loniam addunt: ut Babylonia, Vetulo nia, Populonia: id est, Babel phylarchia, Vetulonia phylarchia, & puppium phylarchia. Virgilius in decimo:

Sexcentum dederat illi Populonia mater.

Nam popim Ethrusci, puppim dixere Latini.

Sed & quid sit Osroene, inuestigandum est. & nusquam clarius quàm ex his paucis Procopij uerbis indagari potest, qui libro primo sic scribit de bello Persico: Regio quæ est Samosatis, extra Euphratem est, iamdudum Comagene, nunc autem ex fluuij nomine Euphrantia uocata est. Quæ autem intra utrunq; fluuium existit, Mesopotamia, ex argumento nominis dicitur: cuius pars non solum hac appellatione, sed alijs quibusdam dicitur nominibus, ut ea quæ ad Autidam pertinent ciuitatem Armenia nonnullis uocitatur. Edessa uerò, cum ipsius circa locis, Osroene. Est enim Osroos uiri nomen, qui hic regnauit, quando hi coloni Persis fœderati erant. Marcellinus

A cellinus tam in decimoquarto, quàm in uigesimotertio, crebrò meminit Os... in Mesopotamiæ tractu, præsertim post Ciliciæ descriptionẽ. Et Herodi... tio histor. Augari regis Osrhoenorum meminit, cũ gesta Seueri enarrat. ... das Osroen diuersam urbem ab Osrhoenia, quam conterminam Parthis dix... minet. Vnde Imperator C. de militari ueste donatis, Osdroenes mentionem ... de fundis patrimonialibus. Meminit & Lampridius in Alexandro, & in Maxim...no. Et Ammianus in lib. decimoquarto, Osdroeniam appellat: sed Herodotus Osrhe...am. Sed neq; Plinius, neq; Ptolemæus quicquã de hac scribunt, licet de Armenia minore Ptolem. libro 5. cap. 7. tabula prima Asiæ, de maiore idem libro 5. capite 13. tabula Asiæ tertia. De utraq; Strabo libro 11. Plinius lib. 6. capite 8. & nono. De Armeniæ regno pulcherrima Iustinus libro 42. Plutarchus uitam Luculli copiosissimè descripsit, quomodo scilicet Armeniæ sint subactæ, & quo pacto Opheni atq; Gordiani sponte sua cum liberis atq; uxoribus se fidei suæ concrediderint. Sed nusquam mentio fit Sarracenorum.

DE MESOPOTAMIA.

IN Mesopotamia, ab eodem Lucullo Nisibis urbs capta est. Postea per Pompeium eadem loca armis obtenta sunt. Syriæ ac Phœnices bello à Tigrane Armeniorũ rege receptæ sunt. Arabes & Iudæi in Palæstina uicti sunt. Ad extremum sub Traiano principe, regis maioris Armeniæ diadema sublatum est: & per Traianum Armenia, Mesopotamia, Syria, & Arabia prouinciæ factæ sunt: ac limes Orientalis, supra ripã fluminis Tygridis institutus est. Sed Hadrianus, qui successit Traiano, inuidens gloriæ Traiani, sponte sua Armeniam & Mesopotamiam cũ Syria reddidit, ac medium inter Persas & Romanos Euphratẽ esse uoluit. Et postea sub
B Antoninis duobus, Marco & Vero, ac Seuero Pertinace, cæterisq; principibus Romanis, qui aduersus Parthos euentu uario dimicarunt, quater amissa, quater accepta est Mesopotamia: ac Diocletiani tẽporibus, uictis prima congressione Romanis: secundo autem conflictu superato regẽ Narseo, & uxore eius ac filiabus captis, & cũ summa pudicitiæ custodia reseruatis, pace facta, Mesopotamia est restituta, et super ripam Tygridis limes est refirmatus, ita ut quinq; gentium trans Tygridem constitutarũ ditionem assequeremur. Quæ conditio fœderis in tempus diui Cõstantini conseruata durauit.

De Arabia, quæ triplex est: Petræa, quæ & Nabathæa dicitur, Ptolemæus libro quinto, capite decimoseptimo: Deserta, quæ & Scenitis, Ptolemæus libro quinto, capite decimo nono: & Fœlix, quæ Eudæmon, Ptol. libro sexto capite octauo. Plinius quoq; libro sexto, capite uigesimooctauo: Strabo libro decimosexto, ubi etiam Mesopotamia describitur, quam Ptolemæus describit libro quinto, capite decimooctauo: Plinius lib. 6. capite 26. Paulo suprà citauimus Procopium etiam, qui Mesopotamiam describit. est enim Mesopotamia, regio media inter Tygrim & Euphratem fluuios, unde & nomen sortita est. Hæc prouincia Semnar à Chaldæis, pars Babyloniæ dicitur, quam Hebræi aram fluuiorum uocant, in qua natus fertur Abraam ducentesimo nonagesimosecundo anno post diluuium, ut supputat Moses, Genes. undecimo capite, in ciuitate Vr Coa, siue Chaldæa, quæ perperam à sciolis quibusdam interpretatur pro igne, quasi in ignem proiectus sit Abraham: quod est ridiculum. Hic dicitur Saturnus turrim cum urbe designasse. Cæterùm de Nisibi urbe Plutarchus in Lucullo, Strabo in decimosexto, Appianus in Mithridatico. Sed ante omnes uidendus est Plutarchus in Pompeio, ubi hæc eadem omnia, & de Tigrane

rege. Vide & Liuium lib. centesimosecũdo, Iustinum quadragesimo secundo. Succincte & breuiter Florus eadem libro tertio, de bello Mithridatico. Sed de hoc Traiano hæc Dion Nicæus, siue eius abbreuiator Xiphilinus prodit: Traianus in Armenias profectus, Artemiserim regem obuium habuit cum muneribus, equum ducentem ita edoctum, ut Traianum adoraret. Cognita illius causa, ac pro meritis mulctatus, ob quæ Traianus est optimus appellatus, omni mole in Parthos uersa, legatum Armeniæ præposuit, eamq; prouinciam cum Syria & Mesopotamia fecit. De Hadriano idem Dion, ac etiã Aelius Spartianus. Sed & Eutropius libro octauo, & Orosius libro septimo, capite octauo. De Antoninis, Spartianus & Capitolinus copiosissimè, & Orosius libro septimo, capite nono: Eutropius libro octauo, capite quarto, & sequentibus. Antoninus enim Verus, per Statium & Priscum Artaxatis captis recepit Armeniam, delatumq; inde Antoninis Armeniacum cognomen. De Diocletiano Orosius libro septimo, capite decimosexto: Eutropius libro nono, capite uigesimo. Inferius tamen de singulis Imperatoribus in nostro catalogo uberius scribemus. Sed & in Cassiodoro nonnulla de his Cæsaribus leges. Sed hoc addendum est, quæ sint prouinciæ Transtygritanæ. Sunt autem quinq;, quæ ijs nominibus appellantur: Azarsauiena, Mozena, Zabdicena, Rhenumena, Carduena. Has quinq; prouincias postea ignobili fœdere Iouianus Persis reddidit, adiuncta Singarena, Nisibi, et parte Mesopotamiæ: quas uictor Gilerius Maximianus acceperat, ut scribit Ammianus Marcellinus libro uigesimoquinto. Iornãdes in suis Annalibus, quasi hæc omnia ibi uideatur mutuasse, breuiter sic tradit: Mesopotamiamq; idem ipse, Nisiben quoq; urbem inuasit. Post quem Pompeius eadem loca ingrediens, Romano confirmauit Imperio. Syriam cœlen iusto prælio Tigrane deuicto inuaserat. Arabes & Palæstini eodem Pompeio ductante deuicti sunt.

DE PARTHIA ET PERSIA, QUOT *Imperatoribus sit subacta, & quibus temporibus.*

SCio nunc inclyte Princeps, quò tua uergat intentio. Requiris profectò, quoties Babyloniæ & Romanorum arma collata sint, & quibus uiribus sagittis pila† contenderint. Breuiter euentus numerabo bellorum: fortè hostes in paucis inuenies esse lætatos, uera autem uirtute semper Romanos probabis extitisse uictores. B

Al. Confoederint.

Hæc est altera pars opusculi præsentis. Postquam enim treis orbis partes enumerauit, quomodo in Romanam ditionẽ cesserint, nunc in Asia ad Parthiam & Persiam uenit, pro qua tot duces ac Imperatores toties dimicarunt, ueluti pro altero orbe. Nam non modò Coss. & dum Imperium priuatis regebatur magistratibus, pro hac decertarunt: sed etiam postquam Cæsares monarchiam sunt assequuti, cum regibus Parthorum congressi sunt: quia Parthi Persiam omnem occuparãt, ac unum dehinc regnum effecerant. Ob id Ammianus Marcellinus libro uigesimotertio, plura tradit hoc regnum habuisse nomina. Sed eo tempore, quo apud Babylona raptus est Alexander, in uocabulũ Parthiæ concessisse, ab Arsace obscuri nominis & familiæ latrone. Lege illic latissimè Persiæ ac Parthiæ descriptionem, per flumina, urbes, & montes, usq; ad finem libri. Sed & Ptolemæus libro sexto, capite quinto, Parthiam describit. Persiam uerò eodem libro, sed capite quarto. Plinius item libro sexto, capite uigesimoquinto Parthiam: & eodem uigesimo sexto, Persiam describit. Strabo autem libro undecimo, sic de Parthia tradit: Parthia nõn multa est: quapropter Parthi cum Hircanis Persicè uiuebant, etiammulto pòsttem pore quàm Macedones imperarent. Ad paruitatem accedit, quòd nemorosa est, montana, atq; inops: quapropter eam reges cursu præteribant, cum regio hæc minimam quidem exercitus partem alere posset: nunc uerò exaucta est. Dehinc plura de urbibus & fluminibus narrat. Sed paulo pòst in eodem undecimo, post Mediæ regionis descriptionem, de Persis

ac

A ac Persica schola nonnulla tradit. Licet Parthiæ bona, & Persarũ etiã in decimo quinto latè scribat, & Persarum mores usque ad finem libri copiosissimè exequatur. Sed & in decimosexto, Parthici imperij fines graphicè depingit. Iustinus libro quadragesimoprimo: Parthi, penes quos uelut diuisione orbis facta, nũc Orientis imperium est, Scytharum exules fuerunt: hocque etiam ipsorum uocabulo manifestatur. Nam Scythico sermone Parthi exules dicuntur, hi & Assyriorum & Medorum temporibus, inter Orientales populos obscurissimi fuere. Postea quoque, cum imperium Orientis, à Medis ad Persas translatum est, ueluti uulgus sine nomine, præda uictorum fuere. Sed & de moribus Parthorum, & ipsorũ bello, latissimè hinc toto libro prosequitur. Ex his omnibus, si quis paulo accuratius historias obseruabit, facilè colliget, regnum Persarum cum Parthis fuisse confusum. Nam ex Persis ad Macedonas, à Macedonibus ad Parthos, rursus uerò ad Persas reuersum, tandem ad Sarracenos duce Machomete transijt. Dehinc successere Turci: qui in hodiernum latè per Asiam atque Europam, diuersis quidem familijs ac regnis dominantur.

DE L. SYLLA.

PRimùm à L. Sylla proconsule Arsaces rex Parthorum, missa legatione, amicitias Po. Ro. rogauit ac meruit.

Enumerat nunc Ruffus duces, usque ad finem opusculi, qui uario euentu in Parthos bellum gesserunt. Et primo loco ponit L. Syllam, cuius uitam elegantissimè & ornatissimè descripsit Plutarchus, qui uidendus est diligenter, ut ea intelligas quæ obiter hic narrat Ruffus. Non est negligendus Appianus, in libro cui titulus est Mithridaticus. Liuius hoc idem latissimè prosequutus est, libro septuagesimo: & Florus libro tertio. Fuit autem Arsaces, uir Scytha & ignobilis, qui uirtute bellica adeò
B claruit, ut collecta manu exulum Scytharum, quos ea lingua Parthos uocant, regnum Parthorum occuparit: à quo reges deinde Arsaces, & populi Arsacidæ nominati. Huius meminit & Marcellinus in uigesimotertio. Sed latissimè eius originẽ ac prosapiam describit Iustinus libro quadragesimo primo. Iornandes, qui quasi Ruffum (ut sic dicam) traduxit, hæc omnia sic colligit: Babylonij autem crebrò concertantes, sæpenumero uicti, nunquam tamen ad integrum domiti sunt, quos tamen primum L. Sylla proconsul sub Arsace eorum rege deuicit, ab eoque rogatus per legatos, pacem concessit.

DE L. LVCVLLO.

LVcullus Mithridatem regno Ponti exutum, ad Armeniam persequutus est. Tigranem Armeniorum regem cum septem millibus clypeatorum, & centum uiginti millibus sagittariorum, ipse cum decem & octo millibus Romanorum uicit. Tigranocertam, maximam Armeniæ ciuitatem, expugnauit: Madenam, opimam Armeniorum regionem obtinuit. Per Melethenam, ad Mesopotamiam descendit. Nisibim cum fratre Regis cæpit. Tendere enim in Persas paratus, successionem accepit.

Secundum ducem enumerat Ruffus, L. Lucullum, qui subacta iam Armenia, Parthos erat inuasurus. Et nimirum, si non successorem Pompeium habuisset, Parthorum omne regnum subegisset: pugnam uerò Luculli & Tigranis graphicè describit Plutarchus in Lucullo. Sed quam regionem hic noster Madenam, Plutarchus Mygdoniam uocat. Eius uerba hæc sunt: Superato per alios saltus Tauro, in eam regionem descendit, quam Mygdoniam uocant, feracissimam atque apricam. Vrbs erat in ea tum opibus, tum hominum multitudine opulenta, quam barbari Nisibim, græci Mygdoniam Antiochiam appellant. Huic nempe Guras Tigranis frater præerat. Et Pomponius Lætus in suis Cæsaribus, ideo hoc mutuatus scripsit

libro secundo: Nisibis urbs est Mygdoniæ. sic appellauere proxima Syriæ Macedones, à nostris dicta Antiochia, à Barbaris Nisibis. Plinius libro sexto Naturalis historiæ, capite decimotertio: Totam eam Macedones Mygdoniam cognominauerunt, à similitudine: oppida, Alexandria, item Antiochia, quam Nisibin uocant. Mygdones populi scribuntur à Strabone libro septimo. Vberius autem in duodecimo, ubi de L. Lucullo & Mithridate rege fit mentio. De Mygdonia Ptolemæus libro tertio, capite tertiodecimo, in descriptione Macedoniæ, & tabula Europæ decima. Cæterũ Melitena Ptol. libro quinto, capite septimo, in descriptione Armeniæ minoris, dicitur & regio & ciuitas, ut apparet in prima Asiæ tabula. Non ignoro, Meletenam per e etiam, esse regionem Susianæ, quæ ad Tigrim sita est, quam Ptolemæus libro sexto, tertio capite, & quinta Asiæ tabula describit. Potuit Lucullus per utranq; regionem in Mesopotamiam descendere, quam Euphrates & Tigris faciunt. Est etiam Melitena minoris Armeniæ oppidum, teste Marcellino in decimo nono & uigesimo libro. Meletes præterea Smyrnæorum fluuius est, ubi ortum quidam Homerum scribunt, à quo Melesigenes est nominatus. Sed uidendus est etiam Appianus in Mithridatico, Liuius libris nonagesimoquarto, & tribus sequentibus: Iustinus libro quadragesimo, Florus libro tertio: Iulius Frontinus libro secundo, capite primo & secundo: Eutropius libro sexto, capite tertio. Lucullus regnum Tigranis, qui Armenis imperabat, ingressus, & Tigranocertam ciuitatem Armeniæ nobilissimam accepit: ipsum regem cum sexcentis clibanarijs, & centum millibus sagittariorum & armatorum uenientem, decem octo millia militum habens, ita uicit, ut magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde Nisibim profectus, eam quoq; ciuitatem cum Regis fratre cæpit. Idem Orosius libro sexto, capite secundo. Iornandes: Secundò dum L. Lucullus à Pontico regno Tigranem Armeniæ, cum decem & octo millibus superatum expelleret, omni Armenia inuasa, ad Mesopotamiam uenit: ibi Nisibim cum fratre regis Parthorum cæpit, æqua sorte Persiden cupiens deuastare, nisi à Senatu Pompeius directus, ei aduenisset successor. Cæterùm Tigranocertam urbem Armeniæ Appianus in Mithridatico, & Plutarchus in Lucullo describunt, passimq; cæteri. Ad hæc quoq; id non prætereundum, quòd aliqui codices hoc loco non habent, clypeatorum, sed clibanarijs septem millibus, &c. quo uocabulo usus est Lampridius in Alexandro: Cataphractarios, quos illi clibanarios uocant, decem millia in bello interemimus, eorum armis nostros armauimus. Marcellinus libro decimosexto: Et incedebat hinc inde ordo geminus armatorum, clypeatus atq; cristatus, corusco lumine radians, nitidis loricis indutus: sparsimq; cataphracti equites, quos clibanarios dictitant. Nazarius in Panegyrico ad Constantinũ: Operimento ferri equi atq; homines pariter obsepti, clinabarijs in exercitu nomẽ est. Modestinus de Vocabulis rei militaris: Bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus insidentes clibanarij, sarisas, hoc est, longissimos contos in elephantum dirigebant. Clibanarij itaq; dicuntur, qui ferro & armis muniti, ad bellum proficiscuntur, quasi more testudinis, cui clibani forma est, arcuati, & armis muniti.

DE CN. POMPEIO MAGNO.

CNeus Pompeius expertæ felicitatis, ad Mithridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore nocte aggressus, prælio superat: cæsis duobus & quadraginta millibus hostium, castra eius inuasit. Mithridates enim cum duobus comitibus, & uxore, Bosphoron fugit. Ibi desperatione rerum suarum, uenenum hausit: & cum uis ueneni parum ageret, à milite suo, ut ferro percuteretur, imperauit. Pompeius auxiliatorem Mithridatis Tigranem Armeniorum regem persequutus est. ille se, oblato diademate, apud Artaxata dedidit. Receptæ sunt ab eo Mesopotamiæ, Syriæ, & aliquanta pars Phœnicis, atq; intra Armeniam minorem regnare

A regnare permissus est. Idem Pompeius †Bosphoronianis & Colchis Aristarchum regem imposuit. Cum Albanis conflixit, Orchodo Albanorum regi ter victo pacem dedit, Hiberiam cum Arsace rege in deditionem accepit, Sarracenos, & Arabes uicit. Iudæa capta, Hierosolymam obtinuit. cum Persis fœdus fecit: rediens apud Antiochiam, Daphnensem lucum, loci delectatus amœnitate, & aquarum abundantia, addito nemore consecrauit. *Bosphoranis.

Hæc omnia Iornandes in suos Annales transtulit, sententia seruata, uerbis paucis mutatis, quæ sic sonant: Pompeius illico ueniens, nocturno prælio in minore Armenia super Mithridatem irruens, quadraginta duo millia Armeniorum eius prosternens, castra succendit. Vnde Mithridates cum uxore & duobus satellitibus fugiens, Bosphoron uenit: nimiaque desperatione detentus, uenenum accepit. Sed dum nec sic mors ei accideret, alterum è duobus satellitum rogauit, ut se perimeret. Pompeius autem maioris Armeniæ regem dum persequeretur, quòd Tigrani contra Romanos auxilium commodasset: ille in Artaxata urbe regno deposito, ultrò diadema suum Pompeio obtulit. Sed Pompeius pietate ductus, ultra maiorem Armeniam ei concessit regnare, auferens ab eo Mesopotamiam & Syriã, partemque Phœniciæ cum Armenia. Nam Bosphoranis Colchisque Aristarchum regem Pompeius præposuit. Albanos insequens, Orodem regem eorum tertiò superauit: ad postremum rogatus, pacem concessit. Hiberiam similiter cum Arsace rege in deditionem accepit. Sarracenos Arabesque exuperans, Hierosolymam Iudææ captiuauit. Cum Persis fœdere percusso reuertens, Daphnensem agrum Antiochenis concessit, ob nimiam loci amœni-
B tatem, pro munere. hæc ille. Sed latissimè hæc omnia Appianus in Mithridatico, qui Bittitum appellat militem percussorem domini, cum Liuio Bithocus dicatur. Hæc enim omnia prolixè scribebat Liuius, libro centesimo primo & secundo, si extarent. Florus hoc idem bellum Mithridaticum libro tertio explicat. Sed & Frontinus libro primo Stratagematum, capite primo, meminit Mithridatis. Velleius Paterculus de Cn. Pompeio sic scribit: Penetratæ cũ uictoria, Media, Albania, Hiberia: ac deinde flexũ agmen ad eas nationes quæ dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos Heniochosque & Achæos. Et oppressus auspicijs Pompeij, in sidijs filij Pharnacis Mithridates, ultimus omnium iuris sui regum, præter Parthicos. Tum uictor omnium quos adierat gentium Pompeius, suoque & ciuiũ uoto maior, & per omnia fortunam hominis egressus, reuertit in Italiam, cuius reditum fauorabilem opinio fecerat. Quippe plerique non sine exercitu uenturum in urbem affirmabant, & libertati publicæ statuturum arbitrio suo modum. Quo magis hoc homines metuerant, eo gratior ciuilis tanti Imperatoris reditus fuit. Omni quippe Brundusij dimisso exercitu, nihil præter nomen Imperatoris retinens, cum priuato comitatu, quem semper uacare illi moris fuit, in urbem redijt: magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum, longeque maiorem omni ante se. illata pecunia in ærarium, præter quàm à Paulo ex manubijs intulit. Cæterùm in proprijs nominibus quandoque error fit. Appianus Orazen Albanorum, Totum Hiberorum reges uocat. Sed error est codicis, quia in fine libri Ortocen Hiberum, Orizen Albanum regẽ scribit. Plutarchus in Pompeio, Cosim Albanum ducem uocat. Florus uerò in tertio, Orodem regem Colchorum, Arthacem appellat regem Hiberorum: qui Hiberis imperitabat, & liberos obsides dare cogebat. Belli Mithridatici seriem si breuiter & succinctè legere uolueris, ac quid Lucullus, quid Pompeius cum illo egerint, adi Orosium libro sexto, & priora quinque capita libri euolue, quæ tibi hunc Sextum Ruffum clariorem reddent: ubi regum quoque nomina pulchrè inuenies, quæ corruptè passim leguntur. De Iudæa capta, & Hierosolyma à Pompeio subacta, licet copiosissimè de Bello Iudaico Iosephus octo libris scribat, tamen pulchro compendio Tacitus in uigesimoprimo libro, ut nunc sunt distincti libri, rem sic explicat: Romanorum pri-

mus Cn. Pompeius, Iudæos domuit, templumq; iure uictoriæ ingressus est. Inde A
†Al.nullas uulgatum† Illatas intus deûm effigies, uacuam sedem & inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox bello ciuili interno, postquam in ditionem, M. Antonij prouinciæ cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudæa potitus, interfectusq; à Pub. Ventidio, & Parthi trans Eufratem redacti. Iudæos C. Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum, uictor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil expectato Cæsare, Symon quidam regium nomen inuaserat. Is à Quintilio Varo, obtinente Syriam, punitus: & gentem cohercitam, liberi Herodis tripartitò rexere. Sub Tiberio quies. Deinde iussi à C. Cæsare effigiem eius in templo locare, arma potius sumpsere: quem motum, Cæsaris mors diremit. Claudius defunctis regibus, & ad modicum redactis, Iudæam prouinciam equitibus Romanis ac libertis permisit. E quibus Antoninus Fœlix per omnem sæuitiam ac libidinẽ ius regium seruili ingenio exercuit, &c. per hæc uerba, & sequentia Ruffi clarius intelliguntur. Cæterùm Artaxata regia Tigranis erat, in qua & liberi eius & infantes erãt, àb Artaxo, ductu Hannibalis condita, ut latè Plutarchus in Lucullo scribit: cuius frequenter Cornelius Tacitus meminit, & Marcellinus. Daphne autem urbs amœna prope Antiochiam, religione sacra, quam sic Strabo in decimosexto describit: Vlterius est Daphne ad stadia quadraginta, mediocris habitatio, & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus: in cuius medio est phanum, asylum, & Apollinis ac Dianæ delubrum, in quo Antiochenses finitimi festa celebrare consueuerunt. Luci ambitus est stadiorum octoginta. Prope urbem Orontes labitur. Sunt autem in eo spectatissimæ lauri, autore Ausonio, unde & nomen sumpsit. Addit Philostratus, alibi insolitas in eo nasci cupressos, in memoriam Cyparissi, quem Apollo dilexit, cui ille lucus est sacer. Sed & eius meminit Arrianus, Pausanius, Cæsar, Iulius Capitolinus in Antonino philosopho: & Claudianus poeta,

Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.

Item Procopius belli Persici libro secũdo, & Ruffinus in sacra historia libro decimo. B
Hinc est, quod imperator Theodosius sub graui pœna prohibet, ne arbor ex luco Daphnẽsi excidatur: ut est uidere C. libro undecimo, de cupressis ex luco Daphnensi, uel pascuis per Aegyptum non excidendis. Dionysius poeta sic hunc locum describit eleganter:

Hic nemorosa uirent Daphnes loca, celsa cupressus
Erigitur, ramos innectit laurus odora.
Crine Dioneo myrtus diffunditur, altæ
Consurgunt pinus, & cœlum sibila pulsant
Robora, mollicomis tellus insternitur herbis.

Marcellinus in decimonono scribit, temporibus Constantij, apud Daphnem amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbanum, uisu relatuq; horrendum esse natum monstrum: infantem scilicet ore gemino, dentibus cum binis, & barba, quatuorq; oculis, & breuissimis duabus auriculis, &c. Florus item libro tertio huius rei sic meminit: Necnon in meridiem uerso agmine, Libanum Syriæ, Damascumq; transgressus, per nemora illa odorata, per thuris & balsami syluas, Romana circuntulit signa.

DE M. CRASSO.

M. Crassus, Consul, aduersus rebellantes Parthos missus est. Is cum pacem, missa à Persis legatione, rogaretur, apud Ctesiphontem responsurum se ait: qui apud Zeugma traiecit Euphratem, à transfuga quodam Macoro inductus, ad ignotam camporum solitudinem descendit. ibi undiq; circumuolantibus sagittariorum agminibus, à Syllace &

Surena

A Surena præfectis regijs est cinctus exercitus, & uí telorum obrutus. Ipse Crassus cum ad colloquium sollicitatus, uiuus penè capi posset, repugnantibus Tribunis euaserat: & dum fugam petit, occisus est. caput eius cum dextera manu resectum, ad regem perlatum est: atque ita ludibrio habitum, ut faucibus eius aurum liquefactum infunderetur. scilicet ut qui ardens cupiditate prædandi, pacem regi rogatus abnuerat, etiam mortui eius reliquias auri flamma combureret.

Liuius id libro centesimosexto scribebat: Appianus in lib. cui titulus est Parthicus, Iustinus lib. quadragesimosecundo: Florus libro tertio, tit. de bello Parthico: Eutropius lib. sexto cap. sexto: Iosephus item lib. Antiquitatum decimoquarto, cap. decimoquarto. Sed omnium copiosissimè Plutarchus in Crasso. Iornandes etiam in suis Annalibus hoc repetiuit his uerbis: His & alijs rebus in Syria bene gestis, unius fœdauit auaritia. Nam Crassus C O S. dum Parthico inhiat auro, undecim legiones penè cum suo capite amisit: in cuius conspectu & filius hostilibus telis effossus, & ipse peremptus, caputq; eius præcisum cum dextra manu ad regem deportatum, ludibrio fuit, neque indigno. aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, ut cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum exangue corpus auro ureretur. Cæterùm Appianus transfugam illum Abarum Arabem uocat, Floro Mezeras Syrus dicitur. Plutarchus Arimanem appellat, Arabum principem, uirum ad fallendum aptissimum. Præterea Appianus & Florus, itemq; Plutarchus, non apud Ctesiphontem, sed apud Seleuciam, se responsurum, Crassum dixisse, scribunt. cui etiam unus ex legatis Agisses nomine respondisse fertur: Prius in hac palma manus setæ nascentur (inquit) quàm tibi Seleuciam conspiciendi sit potestas. Est autem Seleucia metropolis Assyriæ, à Nicatore ædificata, prima huius
B nominis, & magnitudine & potentia, Straboni: quam item Plinius suo tempore Babyloniam uocatam dicit. A' Traiano primùm, deinde à Parthis occupata, rursus à L. Antonio Imperatore recepta. Hic iuxtà Regum solet esse hybernatio. nam in Bactrianis æstiuare dicuntur Eustathio. Zeugma autem, ut in undecimo scribit Strabo, urbs est iuxta Euphratem, Satraparum regio appellata, quò tributa conferebantur: Plinio. Ctesiphon uerò regia ciuitas, à Parthis ædificata ad Euphratis ripam, terminus olim populi Romani, quò Traianus peruenit: fatoq; quodam datum uidebatur, eam transire non licere sine incommodo, quod etiam in Probo principe clarum est. Hanc Vardanes instituit, Pacorus ampliauit, teste Marcellino in uigesimotertio. Plutarchus item Scyllacis ac Surenæ, in Crasso meminit. Surenas autem apud Persas nomen dignitatis est, post regiam: quasi prætorem dixeris, aut alium quemuis magistratum, ut Zozimus tradit, & Marcellinus in uigesimoquarto: ut est apud Sarracenos Phylarchus, quod superius annotauimus. Sed hic Surenas, teste Plutarcho, non humili aut obscuro loco inter Parthos oriundus erat, sed qui diuitijs, genere, atque gloria secundus à rege numerabatur. Corporis autem robore ac fortitudine, ætatis suæ Parthorum omnium potentissimus, forma uerò ac magnitudine corporis supra cæteros omnes admirabilis: & cætera, quæ latè illic scribit Plutarchus.

DE C. CASSIO, ET P. VENtidio Basso.

C. Cassius quæstor, uir strenuus, Crassi reliquias fusi collegit exercitus, contra Persas in Syriam irrumpentes. Ter cum summa admiratione conflixit, eosq; trans Euphraten relictos uastauit. Parthi Labieno duce, qui Pompeianarum partium fuerat, & uictus ad Persas refugerat,

fugerat, in Syriam irruperunt, ac totam prouinciam occupauerunt. Sed P. Ventidius Bassus Parthos, qui duce Labieno Syriam inuaserant, occurrens in Caparo monte, cum paucis fugauit: Labienum occidit, persequutus est † Persas, & ad internecionem strauit. Qua congressione Pacorum regis filium, die qua Crassus uictus fuerat, occidit: ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Parthis triumphauit. A

† Al. Parthos

Iornandes quasi simia Ruffum imitatus, sic scribit in Annalibus: Reliqui uerò infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distracti, uix cladis tantæ nuncium retulerunt. Hac ergo clade, Parthi altius animos eleuantes, per Pacorum ducem Syriam inuadunt, ducemque Labienum, quem dudum cæperant, exercitui præponentes, contra socios, id est, Romanos, prælio dirigunt. Sed Ventidius Bassus Persas sub utroque duce Syriam depopulantes, superatos effugat, Labienumque interficit. Pacorum uerò, regium iuuenem, telis undique circumseptum extinxit: moxque capite eius dempto, & circumlato per urbes quæ desciuerant, Syriam sine bello recepit. Sic Crassianam cladem Ventidius Pacori capite, Labienique morte pensauit. Sed de hac re latè apud Appianum in Parthico. Historia uidenda est & apud Plutarchum in Antonio. Copiosissimè Liuius scribebat de C. Cassio, quæstore Crassi, libro centesimo octauo. Sed de P. Ventidio & Labieno, libro centesimo & uigesimoseptimo, & sequenti. In eius Abbreuiatore perperam C. Cæsius & L. Ventidius impressum est. Videndus est etiam Florus libro quarto, de bello Parthico, duce Ventidio: cuius & Tacitus meminit libro uigesimoprimo. Sed & Iulius Frontinus libro primo, item libro secundo, capite secundo, ingeniosum Ventidij stratagema commemorat. Hic solus (inquit Plutarchus) usque ad ætatem nostram triumphauit de Parthis: homo obscuro loco natus, sed celsi animi, & magnarum rerum cupidus. De eius etiam triumpho Appianus, qui unà cum Plutarcho, in Çyristo, non Caporo, siue in Cyristica regione, Labienum occisum scribit. Est autem Cyristica regio, teste Strabone in sextodecimo, usque in Antiochensem agrum extensa. A' septentrione est mons Amanus, non procul etiam Comagena, quibus Cyrista coniungitur, eò usque extenta. Hoc in loco est Tindarus ciuitas, Cyristicæ regionis arx, & aptum latronibus receptaculum: & aliud quoddam, nomine Heraclium. Circa hæc loca Pacorus, qui erat natu grandior ex Parthi filijs, ducto in Syriam exercitu, à Ventidio deletus est. Perperam impressum est in uulgatis codicibus, Venditio deletus est. Sed diligenter uidendus est Iustinus libro quadragesimosecundo, ubi hæc omnia clarè, & de Pacoro multa, & de Cassio similiter. Non autem hic L. Cassius, ut uulgati habent codices, sed C. Cassius appellabatur, qui in Philippicis postea contra Octauium & Antonium pugnans perijt. L. uerò Cassius prioris ex fratre nepos fuit, & alius L. Cassius superioris frater. Item alius fuit Cassius Parmensis. huius Cassij meminit Appianus in quarto Ciuilium, qui etiam in Rhodo insula eruditum Græcis literis atque enutritum dicit. Tanta autem formido Parthis per hunc Cassium iniecta est, ut intra Mediæ & Mesopotamiæ fines sese omnes reciperent, tribus continuis pugnis summa ui superati, ut Plutarchus in Antonio tradit. Hanc etiam historiam Eutropius libro septimo tangit, capite secundo. B

DE M. ANTONIO.

M. Antonius in Mediam ingressus, quæ nunc Medena appellatur, bellum Parthis intulit, & primùm eos uicit. Pòst duabus legionibus amissis, cum fame, pestilentia, tempestatibusque premeretur, uix per Armeniam Persis insequentibus, exercitum reuocauit: tanto per momenta tem

porum

A porum terrore percussus, ut à gladiatore suo percuti postularet, ne uiuus ueniret in hostium potestatem.

Iornandes in suis Annalibus: Nec sic contentus Po. Ro. Crasßianum interitum obliuisci, nisi adhuc sæuiat in Parthos. Nam M. Antonius in Madienam ingressus, contra eos arma commouit. Ibi primùm eos superans, dehinc cum duabus legionibus inedia hyemeque correptus, uix in Armeniam Parthis sequentibus fugit, ibi ereptus est. Sed historiam integram inuenies latisßimè apud Plutarchum in Antonio, Appianum in Parthico, Florum libro quarto de bello Parthico Antonij. Liuius hoc scribebat lib. ab Vr. con. centesimo trigesimo. In eius abbreuiatore perperàm ibi scribitur C. Antonius, pro M. Antonio. Iustinus libro quadragesimosecundo sic scribit: Huic Antonius propter auxilium aduersus se & Cæsarem latum, bellum cum sedecim ualidisßimis legionibus intulit. sed grauiter multis prælijs uexatus, à Parthia refugit: qua uictoria insolentior Phraates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium à populo suo pellitur.

DE OCTAVIANO AVGVSTO.

SVb Octauiano Augusto Cæsare, Armenia cum Parthis conspirauit. Caius Cæsar nepos Augusti, cum exercitu missus ad Orientem, cum per Maiestatem Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei Armenij, qui tunc temporis ualidiores erant, Parthos dedissent, iudicesque ex instituto Pompeij, dictis gentibus Caius Cæsar præficeret, Domnes quidam, quem Parthis Arsaces præposuerat, proditione simulata, libellum,
B in quo scripti thesauri continebantur, obtulit. Quem cum Romanus Imperator legeret intentius, cultro aggressus Caium uulnerauit. percussor quidem à militibus confossus est: Caius uulneratus, reuersus in Syriam obijt. Parthi ad satisfactionem tam audacis admissi, obsides tunc primùm Octauiano Cæsari dederunt, & erepta sub Crasso signa retulerunt. pacatis gentibus Orientis, Augustus Cæsar etiam Indorū legationem primus accepit.

Scribebat hoc latisßimè Liuius libro ab Vrbe cōdita centesimo trigesimonono: Iustinus pulchrè libro quadragesimosecundo. Suetonius in Augusto, rubrica uigesimaprima: Parthi quoque & Armeniam uendicanti facilè cesserūt, & signa militaria quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt. Obsides insuper obtulerunt. De ijs obsidibus Strabo libro decimosexto sic scribit: Parthi prius Romanorum amicitiam colebant. Postea Crassum, qui belli initiū fecit, ulti sunt: quanquam nec ipsi non paria inuenerunt, quum bellum accendissent, Pacoro in Asiam misso. Antonius uerò Harmenij consilio proditus, malè pugnauit. At Phraates qui illi successit, tantum circa Cæsaris Augusti amicitiam studuit, ut etiam illi trophæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant. Et uocato in colloquium Tito, qui per id tempus Syriæ præerat, quatuor ei filios legitimos obsides tradidit, Saraspadem, Cerospadem, Phraanem, & Boonem: & duas eorum uxores, & filios quatuor, seditionem metuens, & ne sibi insidiæ struerentur. Intelligebat enim, neminem aduersum se præualiturum, si nullum ex Arsacio genere assumpsisset: propterea quòd Parthi ualde Arsaciorum sunt amantes. Filios itaque eminus ablegauit, uolens eam spem maleficijs auferre. Quare eius filij quicunque supersunt, Romæ publicè ac regaliter curantur. sic Strabo. Itaque tota Parthia ex Crasßiano siue Antonij exercitu captiui recollecti sunt, signaque cum ijs militaria Augusto remissa. Sed & filij nepotesque Phraatis obsides Augusto dati: plusque Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quàm armis alius Imperator facere potuisset. Cæterùm de Cæsare historia sic se habet.

se habet. Augustus duos habuit nepotes, Caium & Lucium. Lucius Massyliæ inglorius moritur. Hunc Caium cum mitteret ad Orientem, rogauit deos, ut illum comitaretur beneuolentia Pompeij, audentia Alexandri, ipsius uerò fortuna. Sed uota irrita fuerunt: quia à percussore interfectus est. Vnde pædagogus atque Cai ministri, cum ex uulnere perijsset Caius, cœperūt superbè & auarè grassari atque prædari in prouincia. Itaque ab Augusto affecti sunt supplicio capitali, & in flumē præcipitati, quo olim supplicio usus est Alexander in seditiosos. Tacitus primo historiarū succinctè hanc rem. Sed Velleius hanc historiam non inconcinnè in posteriori uolumine signat, ijs uerbis: Breue ab hoc intercesserat spacium, post relegatam Iuliam in exiliū, quum C. Cæsar antè alijs prouincijs adsidendo obitis, in Syriam missus, conuento prius Tiberio Nerone, cui omnem honorem ut superiori habuit, tam uariè se ibi gessit, ut nec laudaturum magna, nec uituperaturum mediocria, materia deficiat. Cum rege Parthorum iuuene excelsissimæ insulæ, quam amnis Euphrates ambiebat, æquato utriusque partis numero coijt. Quod spectaculum stantis ex diuerso hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima imperiorum & hominum coirent capita, perquàm clarum & memorabile, sub initia stipendiorum meorum tribuno militum mihi uisere contigit. Prior Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est. Quo tempore M. Lollius, quem ueluti moderatorem iuuentæ filij sui Augustus esse uoluerat, perfida ac plena subdoli ac uersuti animi consila, per Parthum indicata Cæsaris ira euulgauit: cuius mors intra paucos dies fortuita an uoluntaria fuerit, ignoro. Sed quàm hunc decessisse lætati homines, tam paulo pòst obijsse Censorinum in ijsdem prouincijs, grauiter tulit ciuitas, uirum demerēdis hominibus genitum. Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus prosperè gessit: mox in colloquio (cui se temerè crediderat) circa Artageram grauiter à quodam nomine Adduo uulneratus, ex eo ut corpus minus habile, ita animum minus utilem Reip. habere cœpit. Nec defuit conuersatio hominum, uitia eius assentatione alentium. Etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio: per quæ eò ductus erat, ut in ultimo & remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quàm Romam regredi mallet. Deinde reluctatus, inuitusque reuertēs in Italiam, in urbe Lyciæ (Lymiram nominant) morbo obijt: quum ante annum fermè quintum, Cæsar frater eius Hispanias petens, Massylia decessisset. Hæc ille. Sed tu lector, pro Artageram meo periculo lege Artaxatam, quæ urbs est Armeniæ maioris, de qua uide Ptolemæum lib. Geograph. quinto, capite decimotertio, & tertiam Asiæ tabulam. Sed & Florus clarissimè rem hanc exequitur in quarto libro, ultimo titulo, in fine operis, cuius uerba subijcienda pro intellectu censeo: Ad orientem plus negocij cum Armenis. Huc alterum Cæsar ex nepotibus suis misit: ambo fato breues, sed alter inglorius. Massyliæ quippe Lucius morbo soluitur: in Lycia Caius ex uulnere, cum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit, Armenios uicto rege Tigrane in hoc unum seruitutis genus Pompeius assueuerat, ut rectores à nobis reciperent. Intermissum ergo ius, per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto cum certamine: quippe Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulata proditione adortus utrum intentum libello, quem ut thesaurorum rationem continentem ipse porrexerat, stricto ferro cruentat uulnere in tempus. Cæterùm Barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio & pyra, in quam se percussor immisit, superstiti etiam Cæsari satisfecit. Sic est enim legendum: deprauati sunt fermè omnes impressi codices. Domnes autem præfectus fuit Artaxatis, quæ regia Tigranis erat: ut non legatur rex Artaxates, sicut plerique. Huius etiam urbis Tacitus meminit libro decimotertio, quæ sub Nerone igne consumpta, & solo æquata est, de qua superius etiam scripsimus. Et Tacitus in secundo, ubi describit nauigationem Germanici in Armeniam, inquit: Igitur Germanicus in urbe Artaxata approbantibus nobilibus, circūfusa multitudine, insigne regium capiti eius imposuit. Cæteri uenerantes regem, Artaxiam consalutauere, quod illi uocabulū indiderant ex nomine urbis. De qua etiam superius, ubi de Gn. Pompeio egimus, scripsimus abundè.

DE

DE NERONE.

A NEro, quem turpissimum Imperatorem Romana respub. est passa, amisit Armenias duas. Tunc legiones duæ sub iugum à Parthis missæ, extremo dedecore Romani exercitus sacra fœdauerunt.

Tranquillus in Nerone, rubrica trigesimanona: Ignominia accessit ad Orientem, legionibus in Armenia sub iugum missis, ægreq; Syria retenta est. Eutropius lib. 7. cap. 6. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesq; Romanas sub iugum miserũt. Idem Orosius lib. septimo, capite quinto. Iornandes in Annalibus: Nero non solum non profuit Reipub. immò obfuit nimis. nam duas legiones in Armenia cum ipsa prouincia simul amisit, quæ Parthico iugo seruientes, grauem infamiam Romanis dederũt. Tacitus autem lib. decimotertio, de rebus à Nerone gestis, bellum Parthicum quomodo cœperit, eleganter scribit. sed & libro decimoquarto idem bellum explicat: in decimoquinto libro finem belli enarrat, & legiones sub iugũ missas recenset elegantissimè. Lege lector, & lætaberis

DE TRAIANO IMPERATORE.

TRaianus, qui post Augustum Romanæ reip. mouit lacertos, Armeniam recepit à Parthis, sublato diademate, regi Armeniæ maioris regnum ademit. Albanis regem dedit. Hiberos, Bosphoranos, Colchos in fidem Romanæ ditionis accepit. Osroenorum loca, & Arabum occupauit. Carduenos & Marcomedos obtinuit. Antemusium opimam Persidis regionẽ, Seleuciamq;, & Ctesiphontem ac Babyloniam accepit & tenuit. Vsq; ad Indiæ fines post Alexandrum accessit. In mari rubro classem instituit: prouincias fecit, Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam, quæ inter Tygridem atque Euphratem sita, irriguis amnibus instar Ae-
B gypti fœcundatur. Porrò inter Romanos & Persas, limitem Tygrim esse uoluit.

Mirari quispiam posset, cur hic Ruffus noster inter cæteras præclarè à Traiano res gestas, non meminerit, quomodo Daciam prouinciam fecerit, & Decibalum regem strauerit? Sed illud superius in prima opusculi parte signauit. Quod Dion latissimè in eius uita tradit: qui de Armenia subacta, & Armeniorũ rege Parthamasire, quem grauiter mulctauit, plura scribit: & quomodo Heniochorum regem prosequutus honore sit. Sunt autem Heniochi Scythæ, Bosphoranis uicini. Cardimon item montẽ transgressus, Adiabenorum gentem subegit. Arbelam, Gangamela, Assyriæ oppida cæpit. Babylonem subegit, & urbem Ctesiphontem inuasit. Tum mare rubrum ingressus, ut fines Indorum peragraret, more Alexandri Magni: quem sæpe felicem dictitabat, quòd hanc gentem adijsset, senectutem suam accusans. Pòst Arabiam petijt, & Agarenos rebellantes adortus est. Hæc Dion latissimè in eius uita prosequutus est. Carduena uerò, una ex quinq; regionibus Transtygritanis, ut Marcellinus testatur. obtemperabat enim potestati Persarum, ut in decimooctauo scribit. In decimo autem quarto, ubi Mesopotamiæ tractus enarrat circa Assyriam, Osdroenem sæpe nominat: & prope Ciliciæ descriptionem, ibi etiam paulo post Anthinusiam nominat. Frequens est mentio Osdroenæ, C. de fundis patrimonialibus, & passim alibi in Lampridio & Herodiano. Eutropius hæc loca & urbes cum populis explicat libro octauo, capite secundo, ubi de Traiano. Videndus est etiam Orosius libro septimo, capite octauo. Iornandes in Annalibus: Traianus de Dacia Scythisq; triumphauit, Hiberosq; & Sauromatas, Osdroenos, Arabes, Bosphoranos, Colchos edomuit, postquam ad feritatem prorupissent. Seleuciam & Ctesiphontem, Babyloniamq; peruasit & tenuit. Necnon & in mari Rubro classem, unde Indiæ fines uastaret, instituit, ibiq; suam statuam dedicauit.

DE HADRIANO.

HAdrianum gloriæ Traiani certum est inuidisse, qui ei successit in Imperio. Hic fortè propria ui deductis exercitibus, in Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam concessit, & inter Romanos & Persas Euphratem limitem esse uoluit. A

Iornandes in Annalibus sic scribit: Claret Hadrianũ inuidum factis Traiani fuisse, quia mox ut ei successit, ilico nulla necessitate exercitum ad se reuocans, Mesopotamiam, Assyriamq́ & Armeniam Persis reliquit, Euphraten flumen finem terminumq́ inter Parthos Romanosq́ constituens. Idem Eutropius libro octauo, capite tertio. Scripsit uitam illius eleganter, sed grecè, Dion: latissimè Spartianus latinè. Orosius item illius meminit lib. 7. cap. 8. Videndus est autem & Aurelius Sextus.

DE DUOBUS ANTONINIS.

ANtonini duo, Marcus & Verus, hic socer, ille gener, pariter Augusti imperatores, orbis æquata primùm potestate imperium tenuerunt. Sed ex ijs Antoninus iunior, ad expeditionem Parthicam profectus est. Multa ingentia aduersus Persas gesit feliciter. Seleuciam Assyriæ urbem cum quadringentis millibus hostium cæpit, ingenti gloria de Persis cum socero triumphauit.

Iulius Capitolinus Antoninorũ uitas diligenter perscripsit, quas diligens lector leget. Sextus item Aurelius cap. decimoseptimo, & sequenti. Eutropius lib. octauo, capite quarto. Sed & eodem capite sequenti ita scribit: Ii bellum contra Parthos gesserunt, qui post uictoriam Traiani tum primum rebellauerunt. Sed Antonius Seuerus ad id profectus est, qui Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces suos & ingentia patrauit. Seleuciam Assyriæ urbem nobilissimam cum quadringentis millibus hominum cæpit, Parthicumq́ triumphum reuexit: cum fratre eodemq́ socero triumphauit. Idem, & aliquanto clarius, Orosius libro septimo, capite nono. Sed & Iornandes in suis Annalibus. B

DE SEPTIMIO SEUERO.

SEptimius Seuerus Apher, acerrimus Imperator, Parthos strenuissimè uicit, Adiabenos deleuit, Arabes obtriuit, Arabiam prouinciam refecit. Huic cognomina ex uictorijs acquisita sunt. Nam Adiabenicus, Parthicus, & Arabicus cognominatus est.

Adiabena regio, quæ ad Babyloniam uergit, magna parte in plano sita est, teste Strabone in decimosexto: nonnunquam Armenię adhæret. Vocantur autem Adiabeni & Saccopades. Vitam Septimij Seueri latissimè Herodianus libro secundo & tertio descripsit. & item Aelius Spartianus. Sed & Orosius lib. septimo, capite undecimo: Eutropius libro nono, capite decimo: ac Sextus Aurelius, cæteriq́. Iornandes in Annalibus, eadem penè quæ Ruffus. Sed & qua fortuna Parthos præter spem deuicerit, nemo pulchrius quàm Herodianus in tertio explicat.

DE ANTONINO CARACALLA.

ANtoninus cognomento Caracalla, filius Seueri Imperatoris, expeditionem in Parthos parans, in Osdroena apud ciuitatem Edessam propria morte obijt, & ibidem sepultus est.

Edessa ciuitas Mesopotamię, cuius meminit Ptol. lib. quinto, cap. 18. tabula quarta Asiæ: quam sacram urbem Strabo in 16. appellat. Cuius etiam meminit Stephanus, quòd inter aquarum impetus sita, hoc nomen habeat. Hanc Hebræi Harac uocant,

A ad quam Tobias filium misit Gabelo, ut habent literæ sacræ. Hanc B. Thadeus Apostolus ad fidem Christi, prædicationis diuini uerbi ac miraculorum uirtute conuertit. Eadem Thomæ Apostoli ossibus decorata, in qua olim Abagarus rex fuit: qui datis ad dominũ IESVM epistolis, fide promeruit, scripta Dei manu responsa accipere, ut tradit Eusebius libro primo historiæ Ecclesiasticæ, cap. 15. Temporibus Balduini tertij regis Hierosolymitani, à barbaris est direpta. Sed quod scribit, eam esse in Osroena, superius scripsimus, eum tractũ esse haud longè à Mesopotamia. Nam & Herodianus in sexto libro Osroenorũ meminit, quos Alexander imperator secum contra Germanos duxit. Et in septimo, militum Osroenorum defectionem à Maximiano Cæsare scribit. Iureconsultus preterea, C. de fundis patrimonialibus, L. omnes fundi, Osroenæ meminit: licet illic Odrozena perperam scriptum sit. Et sequẽti libro de milit. ueste. L. prouinciæ. Cæterùm de Caracalla imperatore Herodianus lib. 4. abundè, item Spartianus, item Orosius lib. 7. cap. 11. Eutropius lib. 8. cap. 11. Sextus Aurelius quoq;, & cæteri. Sed quod Ruffus tradit, ipsum propria morte obijsse: Herodianus scribit, ipsum occisum à Martiali, dum requisita naturæ solus perageret prope Caras, siue (ut alij) inter Canras & Edessam. Adde quòd Romæ arcus nobilis sub radicibus Capitolij, cognomina huius imperatoris & patris sui habet: qui in memoriã patris ac filij Caracallæ (quia M. Aurelius Antoninus Pius & ipse dictus est) extruebatur olim. Sunt autem inscriptiones huiusmodi:

IMP. CAES. SEPTIMIO M. F. SEVERO PERTINACI: AVG. P. P. PARTHICO. ARABICO. ADIABENICO. PONT. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CAES. M. AVRELIO L. F. ANTONINO. AVG. P. F. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS OB REMPVB. RESTITVTAM, IMPERIVMQVE POP. ROM. PROPAGATVM, INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE S. P. Q. R.

B Iornãdes in Annalibus sic huius Imperatoris meminit: Antoninus cognomẽto Caracalla, filus Seueri, regnauit annis septẽ. Nam ideo hoc nomẽ nactus est, quòd eiusdem uestium genera Romæ de manibus erogans, sibi nomen Caracalla, & uesti Antoniana dederit. Hic enim Imperator, dum contra Persas mouit procinctum, Osdroenæ Edessa defunctus est.

DE ALEXANDRO IMPERATORE.

AVrelius Alexander quasi fato quodam in exitium Persicæ gentis natus, iuuenis admodum Romani gubernacula suscepit imperij. Ipse Persarum regem nobilissimum * Axtaxaten gloriose uicit. Hic Alexander Sacrorum scriniorum magistrum habuit Vlpianum iurisconsultum. De Persis spectabili pompa triumphauit. * al Darsem

Alexandri uitam scripsere diligentissimè duo insignes scriptores, qui extant integri (neq; enim nunc de Dione Græco loquendũ censeo) inter Græcos Herodianus, inter Latinos Aelius Lampridius. Sed Herodianus lib. 6. suorum temporum, tradit, Alexandrum exercitum amisisse fame morboq; cõfectum, uictumq; potius quàm uictorem extitisse. Illicq; rex Persarũ Artaxares dicitur, siue Artaxates. Lampridius autem scribit, Alexandrũ Imperatorẽ regem Persarũ Artaxerxen potentissimũ uicisse, speciosissimumq; triumphũ de eo egisse, quòd illic latissimè uidebis: quem sequitur & Orosius lib. 7. cap. 11. & Eutropius lib. 8. ca. 14. Et Iornãdes in Annalibus. Sed hi omnes regem Persarũ Xerxen appellãt. Cæterùm de Vlpiano sic Lampridius: Vlpianũ pro tutore habuit primùm repugnãte matre, deindè gratias agente, quę sæpe à militũ ira eum obiectu purpuræ summæ defendit. atq; ideo summus fuit Imperator, quòd eius consilijs præcipuè remp. rexit. Videnda est oratio Alexandri apud Lampridium, quam ad P. C. habuit, narrãs quomodo Persas uicerit. Vbi inter cætera inquit: CXX.

f M. equi-

M.equitum eorum fudimus, cataphractarios (quos illi Clibanarios uocant) X. M. in A bello interemimus, eorum armis nostros armauimus.

DE GORDIANO.

SVb Gordiano Augusto ex iuuentutis acri fiducia rebellantes Parthi, ingentibus prælijs contusi sunt: isq; de Perside rediens uictor, fraude Philippi, qui præfectus prætorio eius erat, occisus est. Milites eius tumulum in uigesimo miliario à Circeo castro, quod nunc extat, ædificauerunt, atq; exequias eius Romam cum magna reuerentia deduxerunt.

Tres fuerunt Gordiani: senior, qui Proconsulatum Aphricæ gessit, quem milites ui impulerunt, ut imperium assumeret, ut tradit Herodianus in septimo. Is postea filiũ Cæsarem fecit. Senior se laqueo suspendit. Carthagini Gordianus iunior in exercitu occisus est. Gordianus nepos cum annorũ esset fermè tredecim, princeps ab uniuersis declaratus, Romanum suscepit imperium: de quo hic noster Ruffus scribit. Scripsit pulcherrimum libellum de his tribus Gordianis Iulius Capitolinus, qui extat, in quo de hoc nostro Gordiano sic inquit: Profectus est cõtra Persas exercitu ingenti, & tanto auro, ut uel auxilijs uel militibus facile Persas uinceret, &c. quæ sequũtur. Circeum castrũ idem scribit in cõfinibus Persidis esse, ubi in eius tumulo titulus scriptus esset literis Latinis, Græcis, Persicis, Iudaicis, & Aegyptiacis. Quanquã Marcellinus lib. 23. locum illum ubi Gordiani tumulum se uidisse narrat, Zaitan appellat, id est, dea arbor. Videatur & Orosius libro 7. cap. 12. Eutropius libro 9. cap. tertio, Iornandes in Annalibus.

DE VALERIANO ET GALIENO.

VAleriani infausti principis fortunam tædet referre. Is cum Galieno su B scepit imperium. Sed hunc exercitus, Galienum Senatus imperatorẽ fecit. Ex quibus in Mesopotamia aduersus Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarũ rege superatus est: & captus, in dedecore seruitutis consenuit. Sub Galieno Mesopotamiam inuasam, & Assyriam etiam sibi uendicare Persæ cœperũt, nisi (quod turpe dictu) Odenatus decurio Palmyrenus, collecta Assyriorum agrestium manu, acriter restitisset: & fusis aliquoties Persis, non modò nostrum limitem defendisset, sed etiã ad Ctesiphontem Romani ultor imperij (quod mirum est dictu) penetrasset.

Trebellius Pollio, Valeriani & Galieni, patris & filij, uitas uenustißimè scripsit, in quo singula latißimè uidebis, quę spectant ad autorem nostrum, ubi de Odenato Palmyreno sic scribit: Odenatus Palmyrenus collecto exercitu rem Romanam propè in pristinum statum redegit. Cæpit Regis thesauros, cæpit etiam quas thesauris chariores habent Parthici reges, concubinas. Quare magis reformidans Romanos duces Sapor, timore Balistę & Odenati in regnum suum ocyus se recepit. Videndi sunt autem & Orosius lib. 7. cap. 14. & sequenti: & Eutropius lib. nono, cap. octauo, nono, & duodecimo: ac Sextus Aurelius in trigesimosecundo, & tertio. In litera autẽ est legendum, limitem, non militem, ut ferè omnes codices habent: ut est, limes Orientalis, limes Rhœticus, in autoribus antiquis.

DE AURELIANO.

AVreliani imperatoris gloriæ, Zenobia Odenati uxor accessit. Ea enim post mortẽ mariti, ditione feminea Orientis tenebat imperium: quam Aurelianus, multis †clypeatorum & sagittariorum millibus fretus, apud

† al. Clibanariorum.

A apud Emesam, haud procul ab Antiochia, uicit, & captam Romæ triumphans ante currum duxit.

Flauius Vopiscus Aureliani uitam in literas quàm diligentissimè misit, in cuius medio hæc uerba ponuntur, quæ ad nostrum Ruffum faciunt: Pugnatū est post hæc de summa rerum contra Zenobiam, & Zabam eius socium, apud Emessam magno certamine. Cumq́ Aureliani equites fatigati iam penè discederent, ac terga darent, subitò ui numinis, quod postea proditum, hortante quadam diuina forma, per pedites etiam equites restituti sunt. Fugata est Zenobia cum Zaba, & plenissimè parta uictoria. Recepto igitur Oriētis statu, Emessam uictor Aurelianus ingressus est, ac ad templum Heliogabali statim tetendit, quasi communi officio uota soluturus. De Zenobia uide Trebellium Pollionem, qui tyrannos simul complexus est. Vide & Eutropium lib. 9. cap. decimo quinto: Orosium lib. septimo, cap. 15. Cæterùm Emessa, à qua Emesseni dicuntur, urbs insignis Phœniciæ mediterranea, circa Libanū montem. Emessenorum meminit Plinius lib. 5. cap. 23. Strabo in decimosexto, Antoninus in Itinerario. Dicitur hæc & Emesa: quanquam & Græci dicunt Emison. Sunt & qui neutro genere Emisa plurali numero scribāt, ut Stephanus & Eustathius attestantur. Dionysius Apher in sua Periegesi, Ruffo Auieno Paraphraste, sic meminit:

Et qua phœbæa procul incunabula lucem
Prima fouent, Emisæ fastigia celsa renident.
Nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras
Turribus in cœlum nitentibus: incola claris
Cor studijs acuit, sed & amplius imbuit ordo.
Deniq́ flauicomo deuoti pectora soli
Vitam agitant: Libani frondosa cacumina turgent,
B Et tamen ijs celsi certant fastigia templi.

Corrupti libri hoc loco non Emesam, sed Hymas habent. Et ideo etiam deceptus Iornandes in Annalibus inquit, Aurelianus apud Hymas uicum Antiochiæ superauit.

DE CARO.

CAri Imperatoris uictoria de Persis, nimium potens superno numini uisa est. nam & inuidiam cœlestis indignationis pertimuisse credenda est. Is enim ingressus Persidem, & quasi ei nullo obstante uastauit. Soenem & Ctesiphontē urbes nobilissimas cæpit. Cum uictor totius gentis castra super Tigridem haberet, fulminis ictu interijt.

Eadem penè uerba Eutropius lib. nono, cap. decimonono habet. Iornandes corruptum exemplar nactus, sic scribit: Hic enim omni Perside uastata, nobilissimas eorum urbes occupauit, Cochem & Ctesiphontem. Cum scribendum sit, Soenem & Ctesiphontem. Flauius Vopiscus copiosius uitam Cari scribit, pluresq́ ueteres recenset, qui eius uitam in literas misere. Orosius lib. 7. cap. 16. idem tradit: sed eadem menda librum suum occupauit, quę Iornandē explicuit. Eutropius uerò inquit: Nunciato autem tumultu Persarum, ad orientem profectus, res contra Persas nobiles gessit, ipsos prælio fudit, Soenem ac Ctesiphontem urbes nobilissimas cępit.

DE DIOCLETIANO IMPERATORE, & Maximiano Cæsare.

SVb Diocletiano principe pompa uictorię de Persis nota est. Maximianus Cæsar prima cōgresione cum contra innumeram multitudinem cū paucis acriter dimicasset, pulsus recesit. Hic tanta indignatione à Dio-

cletiano susceptus est, ut ante carpentum eius per aliquot millia passuum cucurrerit purpuratus: & cum uix impetrasset, ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret. In Armenia maiore ipse imperator cum duobus equitibus explorauit hostes, & cum uiginti quinq; millibus militum superueniens castris hostium, subitò innumera Persarum agmina cõgressus, ad internecionem occidit. Rex Persarum Narseus effugit, & uxor eius ac filię captæ sunt, & in maxima pudicitiæ custodia reseruatæ: pro qua admiratione Persæ nõ modò armis, sed & moribus Romanos superiores esse confessi sunt. Mesopotamiam cum Transtigritanis quinq; regionibus reddiderunt. Pax facta est, & usq; ad nostram memoriam R.P. utilis perdurauit. A

Eutropius diligenter Diocletiani res gestas cõmemorat, lib. 9. ca. uigesimo, & Orosius lib. 7. cap. decimosexto, & sequenti. E quibus colliges, quomodo Narseum Persam Diocletianus subegerit, ipsiusq; uxores, liberos ac concubinas, cum Persica gaza abegerit, de eoq; speciosum triumphum Romæ egerit. Scripsit huius uitã eleganter, sed græcè, Ioannes Monachus, quem nunc meus Angelus Cospus Bononiensis, uir tum doctrina, tum moribus præter cæteros insignis, Romana facit lingua loqui: quem propediem studiosi summa cum animi hilaritate legent, & lætabuntur. Neq; profectò contemnendus est Pomponius Lætus, qui libro secundo historiarum diligentissimè complexus est res gestas Diocletiani, & simul Maximiani, utpote quem sibi Cæsarem Diocletianus deputauit: & ideo promiscua de utroq; scribit. Eutropius post multa capita, de eorum successoribus lib. decimo ponit: Nam hi duo post alios Cæsares adoptarũt sibi Constantium & Galerium, ut omnes historici prodiderunt: de quibus & nos in nostro Catalogo abundè scripsimus. Videndi tamen erunt Orosius & Sextus Aurelius, & cæteri. Id unum obmittendum non est, quòd autor noster militum meminit, qui Limitanei dicebantur antiquitùs. Atq; hi appellantur, qui in Imperij limitibus excubabant aduersus barbaros, contraq; incursum ac impetum hostium. Vnde de his scribit Aelius Lampridius in Alexandro: Sola quæ de hostibus capta sunt, Limitaneis ducibus & militibus donauit, ita ut eorum essent, si hæredes eorum militarent, nec unquam ad priuatos pertinerent: dicens attentius militaturos eos, si etiam sua rura defenderent. Ex quibus uerbis collige illud dictum de Limitaneis fundis, & agris Limitaneis, licet parum differant, ut Imperator docet in ultima constitutione, C. de fundis Limitrophis, lib. undecimo: qui sine dubio dicti sunt, quòd tenerentur eorum possessores, annonam inde prouenientem ad castra militum ducere, qui in limitibus Imperij excubabant. Erat autem & limes Orientalis, & limes Rhœticus, limes Rheni, & passim alij. Flauius Vopiscus in uita Probi imperatoris: Accepit sedecim milia tyronum, quos limitaneis militibus intersereret. Suidas hos præcipuè collocatos fuisse tradit in Oriẽtali limite, aduersus Sarracenos & Persas, cum quibus facta à Iustiniano pace, uenisse eos Constantinopolim: & ut rem gratam populo facerent, quicquid lucrati fuerant, clàm sub ulnis tulisse. Stationarij uerò milites sunt præsidiarij, quos Ordinarios appellamus: qui in locis hostium finitimis stationes agitare solent, ad repentinos hostium incursus intenti. Limenarchæ autem græco uocabulo, qui locis maritimis præsunt, unde traiectus est ad exteras nationes. Hos Aristoteles in fine sexti Politicῶn λιμενοφύλακας, id est, portuum custodes appellauit. λιμὴν enim græcè, portus latinè dicitur. De his iureconsl. L. Liminarchæ. ff. de Seruis fugitiuis. Transtygritanę quinq; regiones quia superius enumeratę sunt, superfluum est repetere. De Narse autem Persarum rege, paulo inferius plura. B

De Con-

DE CONSTANTINO MAGNO.

A CONstantinus rerum dominus, extremo uitæ suæ tempore expeditionem parauit in Persas. Toto enim orbe pacatis gentibus, & recēti de Gotthis uictoria gloriosior, multis in Persas descēdebat agminibus. Sub cuius aduentu Babyloniæ in tantum regna trepidarūt, ut supplex ad eum legatio occurreret Persarum, facturosq; se imperata promitterent. Nec tamen pro assiduis eruptionibus, quas sub Constantino Cæsare per Orientem tentauerunt, ueniam meruerunt.

Omnes historici prodiderunt, Constantinū in senio Persis bellum indixisse, quòd Mesopotamiam diriperent. Eutropius libro 10. cap. 3. Bellum aduersus Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, uno & trigesimo anno Imperij, &c. Orosius lib. 7. cap. 19. Cumq; bellum in Persas moliretur, in uilla publica iuxta Nicomediam, &c. Scripserunt multi uitam Constantini Magni: Eusebius Pamphili libros tres, quos citat in historia Ecclesiastica Ruffinus. & Tripartita historia priores tres libros de rebus Constantini gestis habet. Sextus præterea Aurelius, Ioannes Monachus græcus diligentissimè huius uitam complexus est. Vertit nuper è græco in latinum autoris incerti libellum, Ioannes Capnion Sueuiæ triumuir, & trium linguarum doctissimus, in quo uita Constantini latissimè habetur. Pomponius item Lætus in secundo libro historiarum, haud negligenter eius uitam in literas misit. Si extaret integrum Marcellini opus, proculdubio abundè res gestæ eius forent in aperto. Raphael item Volateranus, & Antonius Sabellicus, qui cōmentaria & Enneadas scriptitarunt, Constantinum Cæsarem scripserunt. Et nos in catalogo Cæsarum, ex omnibus quædam haud indigna scitu excerpsimus.
B

DE CONSTANTIO.

COnstantius in Persas uario, ac magis difficili pugnauit euentu. Præter enim leues excubantiū in limite cōgressiones, acriore acie nouies decertatum est, per duces suos septies: ipse præsens bis affuit ueris ac grauibus pugnis. Singarena, præsente Constantio: ac iterum Singarena Constantiensi quoq;, & cum Amida capta est. Graue sub eo principe Respub. uulnus accepit. Ter autem est à Persis obsessa Nisibis ciuitas: sed maiore suo detrimento, dum obsideret, hostis affectus est. Narsensi autem bello, ubi Narseus occiditur, superiores discessimus. Nocturna uerò in Eliensi agro prope Singaram pugna, ubi præsens Constantius affuit, omnium expeditionum compensatus fuisset euentus, si locis ex nocte aduersantibus, percitos ferocia milites ab intempestiuo pugnandi tempore Imperator ipse ad loquendum reuocare potuisset: qui tamē inuicti uiribus, improuisis aduersus sitim aquarum subsidijs, incumbente iam uespere, castra Persarum aggressi, ruptis munitionibus occuparunt: fugatoq; rege, cum à prælio respirantes prætentis luminibus repertæ inhiarent aquæ, nimbo sagittarū obruti sunt, cum stolidè ad dirigendos certius in se ictus lumina ipsi per noctem accensa præberent.

Hic ille Constantius, Constantini Magni filius, ad quem summa imperij, post occisos Constantē & Constantinū fratres, redijt: qui satis infeliciter res in Persia gessit. Et quanquā Ammianus Marcellinus à quartodecimo usq; ad uigesimumprimū librum, copiose res gestas Constantij exequatur, tamē fortè in prioribus aliquid cōtinebatur,

unde hæc litera poterat castigari. Sed iactura temporũ, ut multa alia præclara opera, A interierunt priores Marcellini libri. Bis enim apud Singarã pugnatũ, testatũ illud Marcellini in decimosexto: Post bellorũ assiduos casus, & maximè apud Hileiã & Singarã, ubi acerrima illa nocturna concertatione pugnatũ est, &c. Idem in decimo octauo lib. meminit cuiusdam oppidi, quod Constantiam uocat, in citeriore Euphratis ripa, centesimo lapide à Bebase uilla, unde proficiscitur ad Samosatam, ubi similiter cum Persis pugnatum est: & fortè hic noster Ruffus hanc Constantiensem pugnam appellat. Sic Narsense bellum, quod cum Narse gestum est. Sed nihil temerè assero, nisi hoc unum, literam hic ualde esse deprauatam: quanquam sic credam esse legendum, ex historijs quas mox subiungam: Ipse bis pręsens affuit ueris ac grauibus pugnis: Singarena, subintelligo scilicet, pugna ad Singaram gesta: ac iterum Singarena, scilicet pugna. Constantiensi uerò, subaudi bello, quod uidelicet ab eo gestum, & tanquam ab autore sic appellatum est, sicut inferius, Narsense Bizabda, & cum Amida capta est. Ac ita, donec inuenero emendatius exemplum, legendum & intelligendum censeo. Notum est enim, pugnam, prælium ipsum, & bellum, tempus denominare, sicut à Grammaticis usurpatur. Sed pugna quæ facta ad Amidam ciuitatem, describitur libro decimo nono copiose, adeò quòd etiam mediocriter doctus intelligat, non esse amicam, sed Amidam legendum, quæ capta est. Vnde inter cætera sic scribit de Sapore rege Persarum: Rex uerò, licet securitatem referens uultu, exultansq; specie tenus urbis excidio uidebatur: profundo tamen animo grauiter æstuabat, reputans, in obsidionalibus malis, sæpe luctuosas se pertulisse iacturas, multoq; ampliores seipsum populos perdidisse, quàm è nostris cæperat uiuos, uel certè per diuersas fuderat, pugnas, ut apud Nisibim aliquoties euenit, & Singarã: pariq; modo, cum septuagintatres dies Amidã multitudine circumsedisset, armatorum triginta millia perdidit bellatorum. Sed & libro uigesimo, iterum describit pugnam ad Singaram, & quomodo Bisabda sit capta. Dehinc B paulo pòst narrat, Amidam conflagratam incendio, & in cinerem redactam. Et ideo librum uigesimum claudens, inquit Ammianus: Venerat enim hoc, quasi fatali constellatione ita regente diuersos euentus, ut ipsum Constantium dimicantem cum Persis fortuna sequeretur afflictos, unde uincere saltem per duces optabat. Quæ omnia uidetur mutuasse Pomponius Lætus lib. secũdo Historiarum, cum ita scribit: Constantius in Oriente aduersa fortuna res gessit. Hostis enim semper superior fuit. Anno undecimo Imperij, Persica palma prærepta semel est temeritate militum ad Singaram (nam octies cum hoste congressus) & in hoc prælio cum uictoria pro eo staret, ad hostes transit, non sine graui uulnere. Amissa est Singara, & Bisabda, & Amida. Hieronymus in additionibus Eusebij: Bellum Persicum nocturnum apud Singaram, in quo haud dubiam uictoriam militum stoliditate perdidimus. Neque uerò ullum Constantio ex nouem grauissimis prælijs contra Persas grauius fuit. nam ut alia obmittam, Nisibis obsessa, Bizabda & Amida captæ sunt. Eutropius lib. decimo, capite quarto: Diuersa Constantij fortuna fuit. à Persis enim multa & grauia perpessus, sæpe captis oppidis, obsessis urbibus, cæsis exercitibus, nullumq; ei contra Saporem regem Persarum prosperum bellum fuit, nisi quòd apud Singaram haud dubiam uictoriam ferocia militum amisit: qui pugnam studiosè & stolidè contra rationem belli, die iam præcipiti popocerunt. Orosius lib. septimo, capite decimo nono: Constantius aduersus Persas & Saporem, qui Mesopotamiam uastauerat, nouem prælijs parum prosperè decertauit: Seditione nouissimè atque intemperantia militum nocte adoriri pugnam coactus, paratam penè uictoriam, insuper uictus amisit. Perperam in Orosio impressum est Constans, pro Constantio. Cassiodorus in historia Tripartita lib. quarto, cap. trigesimo quinto: Post mortem Constantini iunioris Persicum contra Romanos motum est bellum, In quo Constantius proficere non ualebat. Nam dum nocte prælium circa fines Romanorum & Persarum fuisset, ualidiores tunc Persæ ad breue tempus inuenti sunt. Cæterùm de Nisibi obsessa, præter Marcellinum, uide etiam Tripartitam historiã lib, quinto, cap. quadragesi-

A dragesimo quinto. De Narse, & familia regum Persarum, nemo uberius scribit quàm Agathius, lib. quarto de Bello Gothorum. Sed quantum satis proposito, Narses plures habuit de more Persico uxores. ex illustribus uerò suscepit Adarnassem, Ormisdam, & Narsen: ex humilis generis uxore, uerùm supra cæteras famosa, genuit Saporem. Adarnasses ei successurus erat: sed ob sæuitiam coronam non est assequutus, quæ cõmuni consensu cessit Sapori, qui illum occidit, & Narsen fratrem excæcauit, ac Ormisdam in uincula coniecit. sed inde liberatus, ad castra Romanorum fugit: & à Constantio susceptus, secum in urbem peruenit, ut inferius latè patebit in Cæsaribus nostris. Ex quibus omnibus res ipsa quidem liquet, sed uerba deprauata confundunt lectorem. Fateor ingenuè, uerba illa non posse me emendare, licet diligentissimè euoluerim Marcellini libros. Sed cum & illi sint corrupti, & plerisq; locis paginæ transpositæ, qui emendatiora inuenerint post me exemplaria, non grauẽtur meum laborem interpretari, & studiosis consulere.

DE IULIANO.

IVliano, in externos hostes expertæ felicitatis Principi, aduersus Persas modus defuit. Is cum ingenti apparatu, utpote totius orbis regnator, infesta in Persas signa commouit. Instructam cõmeatibus classem per Euphratem inuexit. Strenuus ingressus: multa Persarum oppida & castella aut suscepit dedita, aut manu cæpit. Cum contra Ctesiphontem in Tigridis & Euphratis ripa, iam mixtim castra haberet, ludosq; campestres, ut hosti sollicitudinem demeret, per diem agitasset, noctis in medio impositos nauibus milites, in ulteriorem ripam Parthis trãsuexit: qui per ardua B nitentes, quà difficilis etiam per diem & nullo prohibente fuisset ascensus, Persas subitò terrore miscuerunt: uersis agminibus totius gentis, apertis è Ctesiphonte portis uictor miles intrasset, nisi maior prædarum occasio fuisset, quàm cura uictoriæ. Tantam adeptus gloriam, cum à militibus de reditu admoneretur, intentioni suę magis credidit: & exustis nauibus, cum à transfuga, qui se ad fallendum obiecerat, inductus, ut in Madeniã uiæ compendia sectaretur, dextrum iter aduersa Tigridis ripa, nudato militum latere iter relegens, dum incautius per agmen errat, excito puluere ereptus è suorum conspectu, ab hostium obuio equite conto per ilia ictus, inguinum tenus uulneratus est. Inter effusionem nimij sanguinis, cum suorum ordinem, licet saucius instaurasset, cunctantem animam multo sermone suos alloquutus efflauit.

Hic est ille Iulianus imperator, apostata, seu præuaricator cognomento dictus, qui religione Christiana initiatus, postea defecit, à Libanio præceptore seductus. cuius uitam Ammianus Marcellinus, simul cum Constantij uita, à quo fuit Cæsar declaratus, in libris septem, uidelicet à decimoquinto usq; ad uigesimumprimum, promiscuè describit. Sed posterioribus quatuor usq; ad uigesimum quintum, latissimè de eius morte & clade disserit: è quibus libris pulcherrimè & miro quodam compendio, Pomponius Lætus uitã illius mutuauit. Copiosissimè item res eius gestæ cõtinentur in historia Tripartita lib. 6. ubi bellum Ctesiphontis à quadragesimoquarto cap. usq; ad quadragesimumoctauum continetur. Eutropius item, qui se huic expeditioni interfuisse cõmemorat, lib. 10. cap. 7. Iulianum describit. & Orosius lib. 7. cap. 9. Sextus præterea Aurelius, rubrica quinquagesima prima: Iornandes in Annalibus. Sed ante omnia non erit negligendus Ioannes Monachus Græcus, qui eius uitam diligentissimè est complexus. Illud non est obmittendum, in omnibus penè exemplaribus lite

bus literam esse ualde corruptam, sed nos ita multo labore correximus: & non Eminandonam, quæ uox nihili est: sed, ut in Madeniam, &c. fore legendum. A Superius autem scripsimus, Madeniam appellari Antiochiam, quæ Mygdonia quoq; antiquitùs dicebatur. Sed Iulianum fuisse doctissimum, præter Marcellinum, etiam attestatur eius scripta, quæ durant. Sed à fide Christiana multum abhorruit, pluresq; martyres sub eo coronam cœlestem commeruerunt.

DE IOVIANO.

IOuianus prælij superiorem, sed confusum subita morte Imperatoris amissi, suscepit exercitum. Cum commeatus deficerent, & uia in reditu prolixior immineret, & Persæ crebris excursibus, nūc à fronte, nunc à tergo, mediorum quoq; latera incursantes, inter agmina morarētur, consumptis aliquot diebus, tanta reuerentia Romani nominis fuit, ut à Persis de pace primus sermo haberetur, ac confectus inedia exercitus sineretur, conditionibus (quod nunquam antea accidit) dispendiosis Romanæ R.P. impositis, ut Nisibis & pars Mesopotamiæ traderentur: quibus cupidior regni quàm gloriæ Iouianus, imperio rudis adquieuit.

Iouiani uitam, etsi alij complures, Ioannes tamen Monachus eleganter & pulchrè, sed græcè cōscripsit. Breuiter Orosius lib. septimo, cap. decimo nono. Latius autem Ammianus Marcellinus libro uigesimo quinto, qui fœdus illud latissimè describit, quod ictum est à Iouiano cum rege Persarum Sapore, ad annos triginta: ut scilicet quinq; regiones Transtigritanæ à Sargamena, Mozena, Zabdictua, Riumena, & Carduenna, de quibus superius etiam scripsi, redderentur, cum castellis quindecim, Nisibi & Singara urbibus, & castra Maurorum munimentum perquāoptimum cum B parte Mesopotamiæ, &c. Imitatus est hunc Marcellinum Pomponius Lætus lib. secundo historiarum ingeniosissimè. Historia autem Tripartita lib. septimo eius uitam ac res gestas copiose exequitur. Et Ruffinus in Ecclesiasticæ historiæ supplemento, lib. undecimo, primo capite. Huius Iouiani meminit Iornandes in Annalibus: Iouianum Primicerium domesticorum post Iulianum defunctum in regnum ascitum tradit, ac necessitate rerum compulsum, Nisibim & magnam partem Mesopotamiæ tradidisse. Vt autem intelligas etiam quale hoc fuerit officium apud ueteres, scito Primicerium notarium principis dictum, & honore inter notarios primum: sicut & sequens dicitur secundicerius. à ceratis enim tabulis, in quibus antiqui scribebant, nomen sortiti sunt. Vegetius lib. secundo: Primicerius (inquit) in officio Præfectorum prætorio ad honestum quæstuosumq; militiæ peruenit finem. Sed non solum primus notariorū, sed etiā aliarū dignitatū primus, Primicerius appellatur: ut Marcellinus, Eusebius, & alij attestantur. Eius officij dignitatem ostendit Cassiodorus lib. sexto Epistolarum. Rubrica est in Codice, de Primicerio, quā peruerse exponit Accursius. Meminit etiam huius historiæ Agathius libro quarto, in hæc uerba: Nisibis ciuitas, quæ Romanorum fuit, in Persarum ditionem peruenit, Iouiano Imperatore hanc prodente. Is namque in ipsis mediterraneis Persarum locis eorundem ditionis & iuris, Iuliano repentè deperdito, per milites exercitusq; & cæteram multitudinem Imperator mox declaratur. Et quoniam nuper sibi delatum Imperium fuerat, perturbatis (uti par erat) iam rebus, & in hostili præcipuè, haudquaquam in præsentia poterat lentius, ut decuisset, res ipsas disponere: præsertim ut inde abscedere cupidus, ne in aliena moram diutius traheret, & ad sua quamprimum rediret: ignominiose & turpiter cum Persis paciscitur, cōuentionesq; facit, quibus uel ad id temporis iacturam non mediocrem Romana R.P. patitur. Et nouis quibusdam terminis Romanum retraxit imperiū: idq; cum porrectius esset, & ultrà fuisset antea propagatū, stolidè intercidit. Eutropius libro decimo, capite ultimo, Iouianum describens, sic huius fœderis meminit: Perturbatis iam rebus, exercituq; inopia laborāte, uno à Persis alteroq; prælio

A lio uictus: pacem cum Sapore, necessariam quidem, sed ignobilem fecit. Mutatis finibus, ac nonnulla imperij Romani parte tradita, quod ante eum annis trecentis & † duobusdeuiginti ferè (sic enim est legendum ex uetusto codice, non triginta) ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam accidit: quin etiam legiones nostræ ita, ut apud Caudium per Pontium Thelesinum, & in Hispania apud Numantiam, & in Numidia sub iugum missæ sunt, ut nihil tamen finium traderetur. Ea pacis conditio non reprehendenda foret penitus, si fœderis necessitatē tum, cum integrum fuit, mutare uoluisset. Sicut à Romanis, omnibus his bellis, quæ iam memoraui, factum est. Nam Samnitibus, & Numantinis, & Numidis, confestim bella illata sunt, neq; pax rata fuit. Sed dum æmulum imperij ueretur, intra Orientem residens, gloriæ parum consuluit. Pauloq; post opus suum Eutropius cōcludens, penè eadem uerba cum nostro autore tradit, utpote qui coætanei fuerunt. Quia autem ad inclytos principes, uenerandosq; peruentum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stylo maiore adijcienda sunt, quæ non tam prætermittimus, quàm ad maiorem scribendi diligentiam reseruamus. Noster autem Ruffus sic concludit.

† *al. uiginti duobus.*

PERORATIO.

QVàm magno deinceps ore possum, tua, Princeps inuicte, facta, inclyta cum sint, personabo: quibus me, licet imparem, dicendi nisu, & æuo grauior parabo. Maneat modò concessa Dei nutu, & amico, cui te credidisse creditus es, numine indulta felicitas, ut de hac gente, sicut de Gothis, etiam de Babylonijs, tibi palma pacis accedat, gloriosissime Princeps Valentiniane Auguste.

B Epilogus est autoris nostri, quo pollicetur, Valentiniani principis res gestas eminentiore stilo sese scripturum: quem eleganter Ioannes Monachus descripsit, & Marcellinus libro uigesimosexto, ubi de Gothorū irruptione multa. Videndi tamen sunt & alij Orosius: Diaconus, & Lætus. neq; negligēda est historia Tripartita, è quibus quod uolueris disces. Cæterùm quæ post hunc sequuta sunt, inferius in Cassiodoro, & Cæsarū catalogo disces. Nunc huic autori finem imponimus: satis enim sit hæc annotasse. Plura qui scire uolet, nullam conqueretur penuriam in præsenti felicitate temporum, ubi & Grçca & Latina exemplaria passim inueniuntur paruo ære, & minimo labore, si modò adsit discēdi cupiditas. Quæ uerò gesserint posteri principes cum Persis, qui sciret uolet, adeat Procopium, abundè scribentem de bello Persico.

SEXTI RUFFI, ET IN EUNDEM
Ioan. Cuspiniani Scholiorum
FINIS.

Vita

VITA CASSIODORI, PER Cuspinianum collecta.

S*OLENT interpretes omneis ab initijs librorum, uitam recensere autoris* A
illius quem susceperint interpretandum. Quem quidem morem cur nō
obseruarem ego quoq;, planè ignorabam. Idcirco quæ de Cassiodoro pas-
sim apud receptos autores comperi, breuiter subscribam, sine uerborum
contemnenda pompa. Cassiodorus itaq; Rauennas, temporibus Impe-
ratoris claruit Anastasij, usq; ad Iustinum seniorem, quod ex Coss. in-
ferius clarescet: Theoderici regis Gothorum & Italiæ archigrammateus, quem nostri Can-
cellarium dicunt: uir equidem, ut tum tempora ferebant, admodum eruditus, & ingenio
singulari. Unde ob eius doctrinam præceptor Theoderico primùm datus, à quo per omneis
dignitatis gradus subleuatus est. Senator factus, uir clarissimus & illustris, meruit tum sa-
cri Palatij esse Quæstor, tum Consul ordinarius, tum Magister officiorum, ac Patricius Ro-
manus, quæ suprema erat dignitas. Illud autem ei obtigit, quòd innumeris uirtutibus adeò
claruit, cùm primum Siciliam insulam probè administrasset, Lucaniamq; ac Brutios diu
rexisset: ob quæ benemerita Theodericus rex Patriciatus dignitatē ei contulit, cū iam totius
Italiæ præfecturam gessisset, Comesq; priuatarum ac sacrarum largitionum fuisset. In quibus
omnibus summam continentiam ac æquitatem seruauit, ut omnium suffragio summis laudi
bus extolleretur, ac passim deamaretur, priusquàm ad Palatium Theoderci cōscenderet. à
quo mox Præfectus prætorio est creatus: in quo quidem magistratu militibus erat ueren- B
dus, prouincialibus mitis, dandi auidus, accipiendi fastidiosus, detestator criminis, ama-
tor æquitatis: ut Theodericus rex Senatui Romano scribens, literis suis attestatur. Fue-
runt autem continua serie tres illustres uiri, Cassiodori auus, pater, & filius: qui & uale-
tudine membrorum, & corporum proceritate præstabant cæteris mortalibus. Pater no-
stri Cassiodori, sub Valentiniano Tribunus militum, ob egregias suas uirtutes factus est Prin
cipis Notarius: dehinc Patricius, & ob singularem prudentiam omnibus arduis adhibitus
consilijs. tandem missus legatus ad Attilam Hunnorum regem, pacem desperatam repor-
tauit: ob quæ merita Vir illustris creatus, & censibus auctus, ad Brutios concessit, ubi in-
summo otio ac tranquillitate consenuit ac quieuit. Auus autem Cassiodori, uir æquè illu-
stris, Brutios ac Siciliam insulam ab incursione Vandalorum defendit: qua re tantum
effecit, ut in ijs prouincijs primatum haberet, Iudicis officium ageret, & uniuersæ nobilita-
ti præesset, quorum animos ad sese trahebat. Erant autem Cassiodori omnes Impe-
ratoribus Orientis ob sua merita quàm gratissimi, ac perchari. Unde & consanguineus il-
lorum Heliodorus, Præfecturam urbis decem octo annis continuis gessit. Sic in utroque or-
be æquè meriti, æquè honorati Cassiodori, antiqua proles, & decora nobilitas. Quantum
autem amabatur à Theoderico, uel in tertio libro Variarum cuique patet. Cum itaque per
omnes dignitates nullo fastu transijsset, clarissimorumq; uirorum, Consulum & Sena-
torum fortunas conspexisset: Gothorum enim tum sæuiebat crudelitas in nonnullos
innocentes & candidos uiros, & fortuna imperio Romano dominabatur: quocirca al-
tius cogitationes suas in Deum optimum maximum collocans, abiectis dignitatibus secula-
ribus, Deo se deuouit: factusq; monachus, & Abbas cœnobij Rauennatis, diuinis se scriptu
ris

A ris totum & contemplationi dedidit, uitamq; felicem ad annos nonaginta amplius traduxit. In quibus multa scripsit, ut literas sacras illustraret: in primis in Psalmos, commentarios non contemnendos: De ratione animæ: De Charitate Dei & proximi, ac uera amicitia: in Cantica Canticorum: Complexiones in Apocalypsim: in Epistolas Canonicas: in Actus Apostolorum, Memoriale scripturarum: Librum introductorium in Diuinarum scripturarum seriem, quo iuniores adhortatur ad sacras literas capessendas: & librum alterum, in noticiam compendiosam secularium literarum introductorium. Uir equidem ingenio singulari ac rotundo, utpote qui multa sub Theoderico rege Gothorum expertus erat. Nam & alia pleraque scripsit, in Historijs scilicet & Grammaticis: Duodecim uidelicet libros de origine actibusq; Gothorum, ut ipse fatetur in proœmio libri Epistolarum, quos excerpsit Iornandes, qui eum per excellentiam Senatorem appellat: item historiam quam Sozomenus, Socrates & Theodericus græcè scripserunt, & Epiphanius latinitate donauit, in bonam redegit seriem: & publicauit eam quæ uulgo Tripartita nuncupatur. Fecit & plerosque alios libros transferri, quemadmodum in Introductorio libro fatetur: inter quos etiam numerantur uiginti libri Antiquitatum Iosephi, qui opera & studio Caßiodori, in latinum uersi sunt, præter hanc translationem Ruffini, quam hodie in manibus habemus.

Epistolarum quoque libros duodecim, quos Uariarum inscribit: in quibus ea quæ sub Theoderico & Atalarico regibus, & Amalasunta regina, in Republica gesta sunt, continentur. Ultimi autem duo libri, quos ipse Caßiodorus in Præfectura sua tanquam Præpositus ac Senator, ad Senatum, Episcopos, Cancellarios, Iudices, Comites scribit, suo-
B rum temporum res gestas æquè complectuntur: quibus apparet, quanta in eo fuerit integritas, iusticia, prudentia, & quanta diligentia Rempublicã curarit. Sed & multa alia, de quibus cæteri, sed sine autore, loquuntur, scripsit. Præsens quoque opusculum, quod quidam Chronica, quidam Catalogum Consulum inscribunt, ad Coß. Eutarichium & Iustinum conscripsit: in quo seriem Consulum recenset, & si quid insigne interim acciderit, annotat.

Uerùm nõ dubito multos affuturos, qui hæc exibilabũt: quasi Caßiodori opera barbaris, non autem doctis sint relegenda. Quibus ut paucis respondeam, uelim mihi dicant, quomodo utendum sit sermone? Nunquid respondebit Quintilianus? ueluti numismate, cui publica forma est. At hodie nullus est mercator, qui modò quæstui studeat, qui ullum aspernabitur nummum, siue aureus siue argenteus fuerit, siue etiam æreus: in suo certè ualore quemque accipiet, modò aliquid inde lucretur. Et cur nos tam diuersis utimur ciborum obsonijs? nonnunquam olera præferimus auiculis & delicatioribus cibis, quòd oporteat interdum stercorare agrum. Miror itaq;, quare quidam tam delicati sint stomachi, ut planè omneis literas librosq; detestentur, nisi sint summa elegantia conscripti: quasi non debeant legi ea quæ aut simplici edita sunt stilo, sine phaleris, sine uerborum lenocinio: aut solam ueritatem nudè ac simpliciter, sine pingui uerborum copia complectuntur. Apud nonnullas enim gentes ornatus is erat, qui barbaries plerisq; dicitur. Et ueluti apud Romanos, Ennij, Pacuuij, ac antiquißimorum latinorum loquendi modus displicuit posteris: sic apud Gothos, & eos qui breuitati studebant, ingens uerborum copia uidebatur fugienda, satis credentes rem simpliciter eloqui. Non sunt igitur etiam humiliores characteres contemnendi, cum sæpenumero in illis recondita multa lateant: & plerumq; qui tam solliciti sunt in exornanda oratione, ueritatem amittant. Ego itaq; (ut ille dixit) Nullum librum credo esse tam malum, quin boni aliquid nobis afferat. Arbitrorq;, cum nobis tempus superest,

quoscunq;

quoscunque legendos: cum omnium conatus fuerit, prodesse. Licet, ut in cibis, aliqui sunt degu A standi, aliqui edendi, aliqui uorandi. Iudico igitur malo ingenio imbutos, qui hunc detestantur, ut barbarum: hunc ut Aphricano charactere, ut Gothico utentem, hunc ut minus elegantem: cum etiam doctissimi quique, & simul eloquentissimi, suos mastigas habuerint. Sic nemo terrebitur à scribendi onere. & ideo haud inconcinnè dixit Flaccus:

Scribimus indocti doctique poemata passim.

Cæterùm ut dignitates nostri autoris innotescant, & simul titulus operis intelligatur: primùm fuit dictus uir Clarissimus & Illustris. Apud recentiores enim Iureconsultos quatuor inuenio dignitatum species, è quibus quidam sunt Illustres, ut Consules, Præfecti prætorio: alij Superillustres, ut Patricij et Senatores: quidam Spectabiles, ut Præfecti urbis, Prætores, Consules: quarti Clarissimi, ut Præsides prouinciarum. Ita recentiores tractant dignitatum ordines. Quod mihi certè uidetur alienum à ueritate: quum neque satis legitima dictio sit Superillustris, neque in dignitatum ordine Superillustres apud receptos autores reperiantur: præsertim cum Cassiodorus in libris Epistolarum, nullam unquam faciat Superillustrium mentionem, quamuis abundè de omnibus tractet magistratibus & dignitatum ordinibus. Tradit enim, dignissimos esse illustres, dehinc spectabiles. Spectabilitas enim, inquit in sexto lib. Uariarum, clara, & consistorio nostro dignissima, inter illustres ingreditur, inter proceres aduocatur. & alibi. Quum, inquit, hic uicinus est honor non illustribus, dum alter medius non habetur, delectet te illos imitari, quos proximitate contingis. Ob id etiam Ausonius in Mosella, Præfectos spectabiles, ab illustrium dignitate separat, cum inquit: B

Quique suas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, & innocuas illustrauere secures,
Præfecturarum titulo tenuere secundo.

Cæterùm si diligenter Iustiniani codicem inspexerimus, inueniemus neque illam seriem dignitatum, ut neoterici tradunt, usquequaque ueram. Cum enim ultimum dignitatis gradum ponant Clarissimos, Iustinianus lib. XII. post hos ponit Perfectissimos, de perfectissimatus dignitate, L. unica codicillis. Adhæc quamuis Leguleij singulos magistratus sub aliquo harum dignitatum gradu collocent, tamen si Cassiodori epistolas, & antiquas inspexerimus historias, apertissimè inueniemus, Imperatores, cum alicui magistratus contulissent, titulos addidisse dignitatum, quibus frui possent. Hinc Præfectus urbis aliquando illustris, quandoque spectabilis dictus. Et Præsides non semper clarissimi, sed nonnunquam perfectissimi dicti sunt: ut in cæteris honoribus semper uariati sunt tituli. Unde Marcellinus lib. XXI. de Constantio principe scribens: Nec sub eo (inquit) Dux quispiam cum clarissimatu prouectus est, qui aliàs perfectissimi dicebantur. Unde maximè liquet, has accessiones non fuisse officij, sed principis largitione, secundum merita, id est anteactos honores, hos dignitatum titulos collatos. Uerùm apud ueteres non omnes Præsides erant clarissimi, aut perfectissimi, sed tantum hi qui Prouincijs nobilioribus præerant: ut Præses Hispaniæ Tarraconensis, Præses Norici, Præses Galliæ, ut ex antiquis inscriptionibus studiosissimo cuique patet. In Hispania Tarracone hæc inscriptio in marmore legitur: PIISS. FORTISS. FOELICISS. CONSTANTINO: MAX. VICT. SEMPER AVG. BADIVS MACRINVS V. P. P. P. HIS. TAR. id est, Macrinus uir perfectissimus, Præses Prouinciæ Hispaniæ Tarraconensis. Similis legitur inscriptio: D. N. CONSTANTI-

A STANTINO CLEMENTISS. ATQVE VICT. AVG. MARTINIANVS V. P. P. P. NORICI. *Item Mediolani in diui Ambrosij cœnobio:* ATILIVS CRESCENS V. P. EX TABVLARIO PALATI. *Hæ notulæ Virum Perfectißimum significant. Hinc etiã Eumenius in Panegyrico quodã de reparandis scholis, coram Præside Galliæ habito, semper illum uirum Perfectißimum nominat: qui titulus ijs duabus notulis, V. P. id est, uir perfectißime, & illic, & in inscriptionibus denotatur: sicut V. C. notat uirum clarißimum, qualis hic noster fuit Caßiodorus. Unde Tarracone illud etiam eulogium legitur:* M. AVRELIVS VALENTINIANVS V. C. P. P. HISP. CITER LEG. AVGG. *Et Romæ in foro Traiani, sub statua Claudiani ita legitur:* CL. CLAVDIO V. C. TRIB. ET NOTARIO. *Unde & Apuleius in oratione quam habuit coram Claudio Maximo Proconsule, appellat eum uirum clarißimum: ut appareat, non semper Spectabiles fuisse Consules, sed aliquos quandoque Clarißimos. quemadmodum Iulius Maternus in prooemio sui operis, Mauortium Consulem Clarißimum uocat. quamuis Consules ac Præfectos prætorio, Illustres: Patricios ac Senatores, Superillustres: Præfectum urbis, Prætorem, Proconsulem, Spectabilem: Præsidem uerò Prouinciæ, Clarißimum appellant nostri hodie Iurisperiti. Sed plerunque falluntur. apud ueteres enim suos habebant titulos magistratus omnes. Et ideo noster Caßiodorus in libris Variarum, duos libros, sextum scilicet & septimum, de formulis omnium magistratuum scripsit: qui quidem duo libri, melius explanabunt omnes dignitatis gradus*
B *ac magistratus Iureconsulti, in duodecimo Codicis, quàm Accursius deliris glossematis. Vide igitur libro sexto formulam Illustratus, libro septimo formulam Clarißimatus: & omnino ij duo libri Caßiodori studiosißimo cuique Iureconsulto sunt relegendi. Licet Andreas Alciatus, uir magnæ eruditionis, haud protritè hac de re conscripserit. Et Pyrrhus Aurelianensis in tres posteriores Codicis libros, diligenter quædam docta repetiuit. Fuit autem Caßiodorus Patricius, quæ summa fuit dignitas. Patricij autem non eo modo sunt accipiendi, sicut apud ueteres. teste enim Liuio in primo, Patricij apud Romanos dicebantur Senatorij ordinis uiri, quique ab ijs progeniti erant. In decimo uerò libro, Patricios dictos scribit, qui patrem ciere, auumque possent: id est, nihil ultra quàm ingenuos. Nec enim omnes Senatores erant Patricij, quod & Tacitus Cornelius testatur. Apud posteros autem, & tempore Græcorum Imperatorum, omnino maior erat dignitas, quæ non ex succeßione uenerat, sed à principe concedebatur. Sidonius Apollinaris Ecditio: Honor Patriciatus accedit celerrimè, si cogites eius ætatem: si merita, tardißimè. Sic Carolus Magnus Patricius factus est antè, quàm Imperator Romanorum, ab Adriano: ut habetur* LXIII *distinctione, c. Adrianus, ubi Patricius exponitur, quasi pater Papæ in temporalibus: quia Patricij olim, ut patres filijs, Reip. prouidebant. Sic Henricus quartus dictus fuit Patricius. Sed reuera nomen excellentis tum dignitatis fuit. Licet plura de hoc scribat Nicolaus Cusa libro tricesimo, de Concordantia catholica, cap. tricesimo: & Lupoldus de Translatione Imperij. Sic & noster Caßiodorus fuit Patricius. Unde ipse libro sexagesimo Epistolarum, formulam Patriciatus ostendit, & qualis ea fuerit dignitas, & quomodo à principe Patricij honorabantur. sed & de ijs Imperator Iustinianus lib. duodecimo Codicis, de Consulibus, L. Sancimus uiros excelsos Patricios, &c. & item L. Nemini ad sublimem Patriciatus honorem, qui cæteris omnibus anteponitur, ascendere liceat, nisi prius aut Consulatus honore potiatur,*

tiatur, aut Præfectur æ Prætorio, uel Illyrici, uel urbis administratione, aut Magistri mili- A tum, aut magistratu, aut Officiorum in actu indulto positus, gessisse noscatur. Suidas Patricios esse traditcommunes Reipub,. patres, qui in suprema dignitate senatorij consilij esse censentur. Meminit huius & Procopius lib. tertio: Interea Patricios uiros cum septuaginta milibus, qui ad se paulo antè conuenerant, in Siciliam misit. De his Patricijs loquitur Iureconsultus, C. de Patricijs. Accursius in Institutis, quibus mod. iuspat. pot. soluitur, hanc dignitatem cum uetere confundit. Erat etiam Caßiodorus Quæstor. Sed neq; illa dignitas fuit hac tempestate, ut apud ueteres, quæ ab inquirenda publica pecunia dicta est olim: de qua inferius: quo tempore reperta latißimè scribemus, non tam ex historicorum quàm Iureconsulti autoritate. Postquam autem Imperium Romanum immutatum est, alia fuit dignitas Quæstura: quam Caßiodorus definit esse gloriam literarum, ciuilitatis templum, genitricem omnium dignitatum, continentiæ domicilium, uirtutum omnium sedem. Quippe Quæstor sacri Palatij nuncupabatur, qui suo ore cogitationes Principis enunciabat, qui à latere Principis nunquam discedebat: & qui ueluti thesaurus erat publicæ famæ, & legum armarium, ac Principis paratum semper subsidium. Huius Quæsturæ formulam ac officium latißimè describit Caßiod. lib. sexto Variarum. Et de tali Quæstore loquitur Imperator, C. de Quæstoribus & Magistris officiorum, lib. XII. Fuit præterea Magister officiorum, quæ excellens admodum erat dignitas. Siquidem Magister officiorum disciplinam Palatij administrauit, insolentium mores repreßit, confusa in ordinem redegit, Senatores ac Legatos Principis conspectui præsentauit: & illis modum alloquẽdi Principem dedit, ne metu deijcerentur: causarumq; auditor fuit. Veredorum quoque curam habuit, B ut si neceßitas ingrueret, celeritate poßet Orincipis mandata exequi. Ut autem intelligas quid sit ueredum, curriculi genus est, quibus præsunt ueredarij. hinc Paraueredorum munus, de quo Imperator lib. x. C. de excusatione munerum. Unde Caßiod. Historiarum lib. XIII. Inuenit Theodosius quendam uirum omni habitu corporis fortißimum, qui tanta uelocitate ueredos agebat, ut tribus diebus perueniret ad terminos Romanorum atque Persarum, & rursus totidem remearet ad Constantinopolim. Is enim Romani imperij terminos uelociter transibat, &c. Cæterùm formulam Magisteriæ dignitatis, & officij illius, pulchrè latißimeq; explicat Caßiod. li. VI. Variarum. De ijs Magistris officiorum loquitur Imperator, C. lib. XII. de Quæstoribus & officiorum Magistris. Gesit autem Caßiodorus & Præfecturam urbanam, quæ magna fuit dignitas, quæ de Senatoribus quoque iudicabat. Sed & Præpositus fuit cubiculi. Qui autem hac dignitate sunt præditi, plurimùm excelluerunt: ut Imperator docet XII. lib. C. De Præpositis sacri cubiculi, & eorum priuilegijs, ubi inquit: Sacri cubiculi præpositi ea dignitate funguntur, qua sunt præditi, qui eminentißimam Prætorianam uel urbanam meruerint Præfecturam: aut certè militarem, magisteriam'ue potestatem, ita ut sit inter eos post depositas administrationes, uel nulla discretio: siue nostræ Serenitatis adoraturi admittuntur imperium, siue pro suo arbitrio solennes festiuitates & cœtus, uel salutationes, uel quælibet alia officia frequentent: ut in sedibus & in conseßu eis ordo seruetur, quem ordo prouectionis ostenderit, cum habitu ipsius consueto. Hæ autem dignitates ita erant apud Imperatores Græcos frequentes, ut etiam Græcis literis latinè enunciarentur: sicut planè apparet apud Ioannem Monachum, qui Cæsarum uitas græcè scripsit: ubi sæpe legitur græcis literis, Præpositus, Quæstor silentiarius, id est, domesticus, & id genus alia. Similiter apud Procopium, qui historiam Gothorum

A Gothorum & Vandalorum græcè scripsit, etiam Latinis nominibus utitur. Quod & Agathius facit, qui Procopij historiam quinq; libris continuat. Nemo itaq; miretur, dignitates & officia sic fuisse immutata apud Romanos, ut cum eadem retinuerint nomina, tamen diuersas habuerint potestates: cum itidem hodie apud Imperatorem nostrum noua & officia & officiorum nomina sint excogitata, quæ neq; aui neq; ataui nostri cognouerint. Verùm ut ad rem redeamus, ex ijs dignitatibus ac officijs erant quædam dignitates perpetuæ, quædam temporales & annuæ: quibus expletis, immutabantur illorum nomina, ut dicerētur, Exconsules, Exquæstores, &c. Exconsul uerò dicitur, qui quondā uir Consularis appellabatur, & qui consulatus dignitate perfunctus erat. Sic enim apud Valerium, Liuium, Pliniū dicebantur uiri Consulares, Quæstorij, Prætorij: qui postera ætate, quando Romana eloquentia cum Imperio imminuebatur, Exconsules, Exquæstores, Expræfecti uocitabantur. Sic Iustinianus Augustus, in epistola ad Romanum Senatum, Ioannem Exquæstorem, & Leontium atq; Basilidem Expræfectos prætorio appellat: quòd absoluta iam dignitate siue munere Consulatus aut Quæsturæ, à magistratu uacarent. Et in Autenticis, de mandatis principum: Tribuniano Quæstori sacri nostri palatij Exconsuli. Præterea Zeno Imperator scribit ad Præfectum prætorium Archadium, placere suæ dignitati, ut qui Patricij uel Expatricij sunt, quiq; Magistri officiorum, aut sacri Palatij custodes, uel ordini Senatorio sociati fuerint, non possint nisi ab Imperatore ipso, à sacris cognitoribus in ius uocari, aut puniri. Simul addit, eos uiros qui dignitatibus maioribus functi sunt, minimè oportere omniū iudicio subigi, aut pœnis mulctari. Itaq; hi homines Expræfecti, Exquæstores, & Exsenatores, in Iustiniani cōstitutionibus nūcupantur. Licet aūt quidā Cōsulares eadē tem-
B pestate dicebantur, non tamen eodē significatu. nam Consularis prouinciæ Africæ appellabatur, aut alterius Prouinciæ, qui illic pecunias publicas exigebat: ut olim Quæstores. Hinc est, quòd apud Cassiodorū lib. sexto Variarū legitur, Formula consularitatis. Alciatus, uir eruditus, fatetur se hunc locum Cassiodori in Epistolis annotasse, et iterum sibi memoria excidisse: quo probare uolebat, Exconsules dici, qui consularem quidem dignitatem haberent, sed administratione carerent, & commodis. qualem patrem suum describit Ausonius:

Curia me duplex & uterq; Senatus habebat,
Muneris exortem, nomine participem.

Motus Constitutione Impp. Leonis & Anthemij, L. Petition. C. de Aduo. diuers. iudiciorum, qua fisci patrono post biennium conceditur Exconsularis moderatoris prouinciæ dignitas. Pòst mutato consilio, arbitratur consulem idem esse quod exconsulem: sed temporum uitio, quæ iam in barbariē lapsa fuerant, hanc legitimi sermonis inductam corruptelā. Putat id ostendi ex Iustiniani constitutione secunda, T. de ueteri iure enucleando, L. tanta. ubi in principio constitutionis, Tribonianum Exquæstorem appellat, quem inferius simpliciter Quæstorem dicit. ex autographo græco id accipiens: Omne (inquit) studium Triboniano Magistro officiorum, uiro excelso, & exquæstori sacri Palatij nostri, & Consuli credidimus. Ubi ταμίας græcè Quæstor dicitur, qui tamen illic Exquæstor appellatur. Sed hæc me non mouent, cum in historijs passim eius tempestatis Exconsules & Exquæstores nominentur, qui tamē nō fungebātur ijs magistratibus, sed functi erant: & Consularis alia tum erat dignitas, ut Cassiodorus ostendit, quàm horum qui Exconsules uocabantur. Præterea autor ipse Cassiodorus in fine operis: Me etiam Consule (inquit) in ueterū laude temporum coadunato, clero ac populo Romanæ Ecclesiæ redijt optata etiam libertas.

Non dixisset, me Consule, sed Exconsule, si idem esset: quēadmodum in titulo operis se Ex- A
cōsulem nominat. Ob id minimè assentior Alciato. Cæterùm ex ijs iam liquet titulus huius operis, qui est talis: Magni Aurelij Cassiodori, Senatoris, uiri clarissimi, & illustriss. Exquæstoris sacri Palatij, Excōsulis ordinarij (erant enim coss. duplices, ordinati & suffecti, ut inferius docebimus) Exmagistri officiorum, Præpositi atq; Patricij, in Chronica præfatio. Præpositus tum erat, ac Patricius, cum hoc opusculum scriberet: alijs uerò dignitatibus perfunctus erat, ideo Expræpositi scribit, sic scilicet:

IN CHRONICA MAGNI AVRELII CASSIODORI SENATORIS, VIRI C. ET ILLVSTRISS. EXQVAESTORIS SACRI PALATII, EXCOSS. ORD. EXMAG. OFF. PP. ATQVE PATRICII PRAEFATIO.

SApietia principali, qua semper magna reuoluistis, in ordinem me Consules digerere censuistis: ut qui annum ornaueritis glorioso homine, redderetis factis ueritatis pristinæ dignitatē. Parui lubens præceptis: & librariorū uarietate detersa, operi fidem historicæ autoritatis impressi: quatenus uester animus per illustres delectatus euentus, blando com- B
pendio longissimam mundi percurrat ætatem.

BEda presbyter, qui Chronica scripsit, mundo sex ætates attribuit: Florū puto imitatus, qui populi Romani quatuor ætates posuit, infantiā, pueritiam, adolescentiam, & senectutem. Beda, ut quidam homini, ita mundo sex dedit ætates. primamq; ab Adam ad Noe usq; locauit, quæ (ut ipse inquit) iuxta Hebraicam ueritatem continet mille sexcentos quinquagintasex annos: iuxta septuaginta interpretes, duo milia, ducētos, quadragintaduos: generationes, iuxta utramq; editionem, decem. quæ uniuersali deleta est diluuio: sicut prima cuiusq; hominis obliuio, demergere cōsueuit ætatem. Quotus enim quisq; est, qui suam recordetur infantiā? Secunda ætas, à Noe ad Abraham, annos continens iuxta Hebraicam ueritatē ducentos 92. iuxta Septuaginta interpretes, annos mille septuagintaduos, generationes 11. Hæc quasi pueritia fuit generis populi Dei. Et ideo lingua in ea inuenta est Hebræa. A' pueritia namq; homo incipit loqui: nosse post infantiā, quę hinc appellata est, quòd fari nō potest. Tertia, ab Abrahā usq; ad Dauid, cōtinens generationes iuxta utramq; autoritatē 14. annos uerò 942. hæc ueluti adolescentia fuit populi Dei: à qua ætate quia homo incipit generare, propterea Matthæus euangelista librū Generationis orditur ab Abraham, qui etiam pater gentiū est constitutus, quando mutatum nomē accepit. Quarta ætas, à Dauid usq; ad transmigrationem Babylonis, habēs annos, iuxta Hebraicam ueritatem, 473. iuxta Septuaginta interpretes, duodecim amplius, generationes 10 & 7. quas tamen Matthæus euangelista certi mysterij gratia quatuordecim ponit: à qua iuuenili uelut ætate in populo Dei, regū tempora cœperunt. Hæc namq; in hominibus ætas, apta gubernando solet existere regno. Quinta quasi senilis ætas, à transmigratione Babylonis usq; in aduentū nostri Saluatoris, generationibus & ipsa quatuordecim, porrò annis 500. octuagintanouē extenta. In qua ut graui senectute fessa, malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur. Sexta, quæ nunc agitur, nulla generatione uel serie temporum certa, sed ut ætas decrepita, ipsa totius seculi morte consumenda. Has ærumnosas plenasq; laboribus

A laboribus mundi ætates, sanctissimi quique felici morte uicerunt: septima iam sabbati perennis ætate, octauam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnabunt, expectantes. Hæc Beda, in præfatione sui operis. Tu uerò diligenter uide præfationem Eusebij in suis Chronicis, quem autor noster imitatus est.

Ab Adam primo homine, usque ad diluuiū, quod factum est sub Noe, colliguntur anni II CCXLII. id est, duo milia ducenti quadraginta duo. Diluuium autem factum est propter Gigantum nimiam feritatē, qui corporis magnitudine, pariq́ue animi sæuitia præualentes, ius omne confuderant. Et à diluuio usque ad Ninum, qui primus omnium apud Assyrios regnauit, anni sunt D. CCC. XCVIIII.

Eusebius in præfatione Chronicōn: A diluuio usque ad Adam, inuenies annorum duo millia ducētos quadragintaduos: in quibus nulla penitus, nec Græca nec barbara, uel (ut loquar in commune) gentilis reperitur historia. Hæc ille. Aliter autem Philo Iudæus in suo breuiario, doctissimus ille Hebræus, qui omnia tempora ad integram ueritatem reduxit. Is ita scribit: Ab Adam usque ad diluuium fluxerunt anni mille sexcenti quinquaginta sex. Hi anni colliguntur ex primogenitis successoribus, qui fuerunt in decem generationibus primis: Adam scilicet, Seth, Enos, Cayna, Malaleel, Iareth, Enoch, Mathusalem, Lamech, & Noe. Quorum non annos ætatis, sed ortus ipsorum collige, sic uidelicet: Adam anno ætatis centesimo & trigesimo genuit Seth, qui centesimo & quinto genuit Enos, à quo Cayna natus eius anno nonagesimo: Cayna uerò septuagesimo anno genuit Malaleel, qui sexagesimoquinto genuit Iareth, à quo natus est Enoch anno centesimo sexagesimosecundo. Enoch anno sexagesimoquinto produxit Mathusalem, Mathusalem anno centesimo octuagesimoseptimo genuit Lamech, à quo genitus est Noe anno centesimo octuagesimosecundo. Noe in quingentesimo anno genuit Sem, Cam, & Iaphet: sed sexcentesimo anno uitæ, uenit diluuium super terras. Hos annos si simul collegeris, reperies mille sexcentos quinquagintasex, & non plures: ut etiam Moses collegit, Geneseos quinto cap. Adeò ut errore non careant ea quæ Iosephus lib. primo Antiquitatum tradidit, cap. quinto, siue sit translatio corrupta, siue aliena supputatio. Anni enim partim conueniunt, partim contrariantur. Rursus idem Philo, à diluuio ad Abraham fluxisse annos CCXCII scribit, iterum per decem generationes. est enim Abraham decimus à Noe: qui anni pulchrè etiam à Mose ponuntur, Geneseos undecimo capite. Sed neque cum illis concordant, quos Iosephus lib. antiquitatum primo, cap. 14. ponit: siue sit error scribentis, siue sit alia supputatio. Noster autem Cassiodorus Eusebiū sequutus est. Cæterùm animus non est, omnia uelle in medium afferre, quæ super hac re scripta sunt. ubi enim finis inueniretur? sed insignium autorum afferre testimonia, & ueluti digito ostendere fontem unde bibas, ne in immensum opus excrescat.

B

De mundi igitur creatione in primis librum Geneseos requiras. Hunc conferas cum Iosephi antiquitatibus: & quod desideras, facile utrobique inuenies. De annis uerò uariè autores scribūt, propter anni diuersitatē: cum alij menstruos, alij solares computēt annos. Xenophon enim, cum diuersitatem ætatum describeret in Aequiuocis suis: Annus (inquit) diuersus est. etenim Aegyptij utuntur anno quādoque menstruo, sæpe bimestri, non rarò trimestri, sæpe quadrimestri, nonnunquam solari: quæ uarietas etiam ex nostris, qui ab eis literas habuerunt, sapientes coegit aberrare. Hiberis annus quadrimestris ut plurimum est, rarissimè solaris. Econtrà Chaldæi cum in antiquitate disciplinarū suarum utantur menstruo, in cæteris semper solarē se intelligere fatentur. Sed de anni diuersitate Plinius in septimo, Censorinus multa de Die natali.

Ab Adam igitur primo Chaldæorū & gentis humanæ ductore atque parēte, anni colligūtur usque ad Noe (sub quo diluuiū) qui decimus dux per successionem fuit, secundum Hebræorum supputationem, solares M D CLVI. quem numerum posuit Philo

Iudæus, in libro cui titulus est Breuiarium temporum, ut scripsimus. Licet secundum A Septuaginta interpretes inueniantur duo millia ducēti quadraginta duo anni: quem numerum sequuti sunt posteriores, Eusebius, Beda de sex mundi ætatibus, Iornandes, qui res Gothicas scripsit in Annalibus ad Vigilium, & hic noster Cassiodorus. Vnde & sequens numerus à diluuio uariatur. Sed tu lector hos lege scriptores hic citatos, & quod placuerit eligito. Ante omnes tamen uidendus est Hieronymus in libro Quęstionum Hebraicarum: Augustinus in Ciuitatis diuinę libro decimoquinto, capite decimo, & sequentibus pluribus, ubi etiam de Gigantibus inuenies. Sed & Iosephus lib. 1. cap. 5. recenset, quæ tibi proderunt hic pro Cassiodoro intelligendo. Sed de ijs quoq; uide Berosum in libro primo Deflorationis suæ: & insuper supputationem Pauli Orosij libro 1. cap. 1. Sed illud planè non est obmittendum, quod Iosephus libro primo Antiquitatum, capite octauo tradit: Nullus ergo ad uitam modernam, & annorum breuitatem, quibus nunc uiuimus, uitam comparans antiquorum, putet falsa quæ de illis sunt dicta, ut ex eo quòd nunc uita tanto non ducatur tempore, credat, neq; illos ad uitæ illius longitudinem peruenisse. Illi namq; cum essent religiosi, & ab ipso Deo facti, & cum eis pabula opportuniora ad maius tempus existerent præparata, tantorum annorum circulos uitæ tenebant. Deinde propter uirtutes & gloriosas utilitates, quas iugiter perscrutabantur, id est, Astrologiam & Geometriam, Deus eis amplius uiuendi solatia condonauit: quæ nunquam antè addiscere potuissent, nisi sexcentis uiuerent annis. Per tot enim annorum curricula magnus annus cōpletur. Testes autem mei dicti sunt omnes, qui antiquitatem apud Græcos & barbaros conscribere maluerunt. Nam & Manethon, qui descriptionem fecit Aegyptiorum, & Berosus, qui Chaldaica deflorauit, & Moschus, & Estius, ad hæc & Hieronymus Aegyptius, qui Phœniciam disposuerunt, concordant cum meis dictis. Hesiodus quoq;, & Hecathæus, & Hellanicus, & Acusilaus, & inter hos Ephorus, & Nicolaus, in historijs suis memoriam faciunt antiquorum annis mille uiuentum. B De his itaq;, sicut singulis gratum est, ita considerēt. Scripsit nostra ætate uir haud cōtemnendæ doctrinæ, Carolus Bouillus Samarobrinus, de septem mundi ætatibus: & ex sacris literis ita doctissima quæq; annotauit secundum Hebraicam ueritatem, ut nemo non doctus & studiosus debeat illud opusculum relegere: præsertim si res creationum mundi uoluerit probè callere. Noster autem Cassiodorus Eusebium est sequutus, quem ante omnes legat, quisquis temporum supputationes intelligere uelit. Vtinam tantū esset mendis depurgatus, quibus compluribus scriptorū incuria scatet.

REGES ASSYRIORVM.

Anteaquam Cassiodori seriem regum Assyriorum subscribam, paucula pro intellectu sequentium sunt præmittenda: id scilicet, quod Berosus patria Babylonicus, & dignitate Chaldæus sacerdos, in sua historia scribit, quam Chaldaicam deflorationem appellat, ab anno salutis humanæ ab aquis maiores omnes annos historiarum scripsisse: quemadmodum & ipse Græcorum errores auferens, ab ijs orditur, qui post inundationem illam generalem superfuerunt, & ante Ninum regnauerunt. quare illinc repetendum censeo, quod hic desideras, studiose lector, ubi sic orditur: Ante aquarum cladem famosam, qua uniuersus perijt orbis, multa prætereunt secula, quæ à nostris Chaldæis fideliter fuerunt obseruata: & reliqua quę sequuntur. Vbi inuenies, primum Babyloniæ regem Saturnum, secundum Belum Iouem, tertium Ninum dictos. Quis autem Assyrius fuerit, filius scilicet Beli Iouis, à quo regnum Assyriorum dictum, uide Xenophontem in libro de Aequiuocis diligenter. Vnde non immeritò indignatur Paulus Orosius, in præfatione suæ historiæ sic scribens: Et quoniam omnes propemodum, tam apud Græcos quàm apud Latinos, studiosi ad scribendum uiri, qui res gestas rerum populorumq; ob diuturnam memoriam uerbis propagauerunt, initium scribendi à Nino Beli filio, rege Assyriorum fecerunt: qui cum opinione cæca mundi originem, creaturamq; hominum, sine initio credi uolunt, cœpisse tamen ab hoc regna bellaq; definiunt: quasi uerò eatenus humanum genus ritu pecudum

A dum uixerit, & tunc primùm ueluti ad nouam prouidentiam cōcussum suscitatumq́
uigilauerit: ego initiū miseriæ hominū, ab initio peccātis hominis ducere institui, &c.

REGES ASSYRII.

I Ninus itaque regnauit apud Assyrios, annos quinquagintaduos. Huius imperij anno quadragesimotertio, natus est Abraham. Is enim condidit Niniuen.

Dum Casiodorus reges Assyriorum recenset, obmittit reges Sicyoniorum, He-
bræorum & Aegyptiorū, suo commodo seruans sibi proposita. Sed Eusebius omnes
simul recenset. At Berosus lib. quinto Chaldaicæ deflorationis, hunc Ninum tertium
Babyloniæ regem ponit. nam primus rex apud eum Saturnus Nimbrotus, qui Baby-
loniā condidit: secundus Iupiter Belus, qui fundamenta Babyloniæ erexit. nam Nim
brotus Saturnus confusione linguarum territus, paruam designauit Babyloniā tetra-
polim, quam postea Semiramis urbem maximam fecit, ut magis dici possit illam ædi
ficasse, quàm ampliasse. Ob id autores minimè dissentire uidentur, qui eam à Semira-
mide instauratam, non conditam conscribunt. Sed uide etiam Berosum in quarto. Ni
nus uerò dehinc ordine est tertius regum, quem Cass. primum ponit, Eusebium imi-
tatus: ut & iuniores, Iornandes, Beda, & sequaces omnes. Berosus autem sic inquit:
Tertius rex Babyloniæ à nostris scribitur Ninus, Iouis Beli filius: & regnauit annis
quinquaginta duobus. Hic omnibus uiribus suis sumptis armis patris sui Iouis Beli,
omnibus bellum intulit, nulli parcens: & Sabatium Sagam, quòd esset in omniū desi-
derio, omni studio ad interitum quæritabat: quare etiam toto huius tempore exul a-
pud suos delituit. Hic omnium primus ex nostris regibus Babylonicum regnum pro-
pagauit, & omnium primus templum Belo patri & matri Iunoni erexit, & Rheæ a-
B uiæ, & statuas in medio Babyloniæ erexit: & reliqua quę sequūtur. Eusebius: Primus
omnium Asiæ, exceptis Indis, Ninus Beli filius regnauit, quem Belum Assyrij deum
sibi nominauerūt. Huius Nini 403. anno imperij sui natus est Abrahā. Orosius lib. 1.
cap. 4. Ante annum urbis conditæ millesimū tricentesimum, Ninus rex Assyriorū pri
mus (ut ipsi uolunt) propagandæ dominationis libidine, arma foràs extulit, cruen-
tamq́ uitam per quinquaginta annos per totam Asiam bellis egit, à meridie rubroq́
mari surgēs, sub ultimo septentrione Euxinum pontum uastando perdomuit: Scythi
camq́ Barbariem, adhuc tunc imbellem & innocentem, torpentemq́ excitare, sæui-
tiæ uires suas nosse: & non lac iam pecudum, sed sanguinem hominum bibere, ad po-
stremum uincere, dum uincit, edocuit. nouissimè Zoroastrem Bactrianorum regem,
eundemq́ magicæ artis (ut ferunt) repertorem, pugna oppressum interfecit. Pòst ip-
se dum deficientem à se oppugnat urbem, sagittæ ictu interijt. Videndus tamen est
Iustinus lib. 1. Trogi: quem utinam non decurtasset, sed integrum ad nepotes transmi
sisset. Videndus & Diodorus in tertio. Obseruandum quoq; id quod Moses scribit
Geneseos capite 10. quòd Assur filius Beli, & nepos Nimbroti, egressus è Babylo-
nia, ædificauit tetrapolim Niniuen ciuitatem magnam: uocauit autem eam Niniuen,
id est, Iouinam, à suo cognomine. Teste enim Xenophonte libro de Aequiuocis, no-
men proprium uiro fuit Assyrius Beli filius, quem Assyrij sui cognominauerunt Ni-
num, id est, Iouem: quoniā Assyrius, qui fuit Babylonijs Hercules, idem fuit Assyrijs
Iupiter. Cæterùm non est negligendus etiam Diodorus Siculus in tertio Bibliothe-
ces, ubi plura de Nino, quæ operæprecium est scire, comperies lector studiose. Nini-
ue autem posteris Nisibis dicta est.

II Semiramis uxor Nini regnauit annos quadraginta duos: hæc Babyloniæ muros instaurasse memoratur, non quòd condiderit.

Quarto loco hæc regnasse, apud Berosum legit̄, de qua & Græci & Latini historici

plura prodiderunt. Trogus & Iustinus in primo: Orosius de ea, & Nino huius marito, A lib. primo cap. quarto, & rursus lib. secundo cap. primo. ubi etiam edocet, cur omnes uetustißimę historiæ à Nino ordiantur. Sed copiosißimè omnium de Semiramide & Nino Diodorus Siculus lib. tertio Bibliotheces: ubi cum Beroso sentiens, Semirami dem Ascalonitam dicit, eamq; ex dea genitam asserit, cui nomẽ à Græcis dictum est Derceto, muliebri facie, reliquum uerò corpus figura piscis. Vnde & à Barbaris Atar gatis hæc dea dicta est, quod Syrorum lingua ualet sine piscibus. eam enim coli pisci tij abstinẽtia, Cornutus affirmat. Meminit huius deæ & Strabo in decimosexto: Trãs Euphratem (inquit) est Bambyce, quam & Edessam & Hierapolim uocant, in qua Atergatim Syriam deam colunt. & in fine eius libri, cũ de mutatione nominũ barbarorum scribit: Atergatim (inquit) barbari, quæ sit Athara, uocant, quam Ctesias Derceto. Ouidius item in quarto de transformatione, huius deæ meminit his uersibus:

Cogitat, & dubia est, de te Babylonia narret
Derceti, quam uersa squamis uelantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.

Macrobius quoq; secundo Saturnalium, maximum Assyrijs deum Adad nomine, solem uideri tradit: Atargatin uerò, terram. Sacræ item literæ Ascalonitarum deam esse Dagon lingua Hebręa dictam tradunt, quam ijdem Hebræi piscem interpretantur: diuus Hieronymus piscem mœroris asserit. Nam cum ea dea illegitimo coitu Semiramidem progenuisset, ob pudorem ac mœrorem in stagnum se demersit, inq; piscem conuersa, & à Palæstinis prodigiosa pro numine culta est dea, ut latè Diod. scribit: quæ cum sacris conueniunt literis. Semiramis autem à columbis educata est, ob id sacras illi genti eas aues esse Tibullus notauit:

Alba Palæstino sancta columba Syro.

Vnde sacer uates Hieremias, cum Babylonios Hebræorum uastatores uenturos uaticinaretur, columbam illorum deam ac cõditorem expresit, dicens: Fugite (inquit) B à facie gladij columbæ. Nam & moriens Semiramis in columbam conuersa dicitur, postquam annos uixit duos & sexaginta, ac quadraginta duobus regnasset. Archilochus de Tẽporibus scribit, hanc Babyloniã magnitudine indicibili extruxisse. Quomodo autem constructa fuerit, copiose & graphicè describit Orosius libro lib. 2. cap. 6. Vide Iustinum, Eusebium, Orosium præcipuè, & Iornandem. Cæterùm haud abre est, inscriptionem columnæ Semiramidis huc apponere, quæ talis est: Mihi pater Iupiter Belus, auus Saturnus Babylonicus, proauus Cur Saturnus Aethiops, abauus Saturnus Aegyptius, atauus Cœlus Phœnix Ogyges. Ab Ogyge ad meũ auum, sol orbem suum circumlustrauit semel ac trigesies & centies: ab auo ad patrem, sexies & quinquagies: à patre ad me, bis atq; sexagies: columnã, templum, statuam, Ioui Belo socero, & eius matri Rheę, in hoc Olympo Semiramis dicaui. Verba autem Berosi in quinto hęc sunt: Quarto loco regnauit apud Babyloniã uxor Nini Ascolonita Semiramis, annis quadraginta duobus. Hæc antecesit militia, triumphis, diuitijs, uictorijs & imperio, omnes mortales. Ipsa hanc urbem maximã ex oppido fecit, ut magis dici posit illam ædificasse quàm ampliasse. Nemo unquam huic feminæ comparandus est uirorum: tanta in eius uita dicũtur & scribuntur, cùm ad uituperationem, tum maximè ad collaudationem magnifica. Quę dehinc annis regni illius gesta sunt, uberius ab eo conscribuntur in sequentibus. Vide illic.

NINYAS.

III Ninyas filius Nini & Semiramidis, regnauit annos trigintaocto.

Hic à Beroso quintus dicitur, & Zameeis Ninias cognominatur, in Babylonico regno parum resplenduit: templa tamen deorum ornauit, & Chaldæos ampliauit. Iustinus in primo: Contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit, & ueluti sexum cum matre commutasset, rarò à uiris uisus, in feminarum turba consenuit. Idem Diodorus in tertio libro: Post obitum Semiramidis, filius eius cum singulis pa-

A lis pacem egit, nequaquam matrem imitatus: sed omne uitæ tempus reclusus in regia, conspectum hominum uitans, inter pellices & eunuchos ocium & delicias sequutus traduxit. Sub huius tricesimo anno & tertio, facta fuisse Abrahamo promisio legitur, teste Eusebio.

ARIUS.

IIII Arius regnauit annos triginta.

Sextum hunc ponit Berosus, qui imperio Bactrianos adiecisse fertur: cuius itē 10. anno, centenariū Abraham genuisse filium Isaac, literæ sacræ attestantur, quod & Iornandes & posteriores repetūt. Sextus, inquit Berosus, Babyloniæ rex Arius regnauit annis triginta, qui adiecit imperio omnes Bactrianos. nam paulo ante mortem Ninyæ Camesemeus pulsus ab omni fermè orbe in Bactrianos se contulerat, & illos magico præstigio simul deuinxerat: adeò ut apud illos maximis uiribus imperaret. Coacto autem Camesemeus exercitu populorum maximo, inuasit Assyrios: cōtra quem Ninus dimicans, superior fuit, & Camesemeum obtruncauit. inde paulo pòst ipse obijt. Quare Arius collecto exercitu post patris Ninyę obitum, Bactrianos & omnes Caspios sibi subiecit.

ARALIUS.

V Aralius regnauit annis quadraginta.

Assyriorū hic septimus rex Beroso dicitur. Claruit is ingenio & studio militari, primusq; adauxit pompas, & gemmas, & muliebres delicias. Huius in ultimo regni anno, nascūtur Isaac gemini, Iacob & Esau, teste Augustino. Quare hunc quidā nominauerint Artum, compertum non habeo, nec hactenus apud probatos scriptores reperi. Arthus tamen quibusdam uocatur.

B

XERXES.

VI Xerxes, qui & Baleus, regnauit annos triginta.

De hoc sic Berosus: Octauus rex Babyloniæ fuit Baleus, cognomento Xerxes: & regnauit annis triginta. Hunc appellarunt Xerxen, id est, uictorem & triumphatorem, quòd imperauerit duplo plus gentibus quàm Aralius. Erat enim militia ferox, & fortunatus, & propagauit regnum usq; prope Indos. Huius tempore Iacob germanum fugiens Esau, descendit in Aegyptum solus, ditatusq; cum turba ascendit.

ARMAMETRES.

VII Armametres regnauit annos trigintaocto.

Armatritis hic Beroso dicitur, qui magis ad uoluptates & delicias conuersus, ea quæ ad libidinem spectant cùm inuenit, tum inuenta maximè ampliauit. Hoc tempore Iacob à seruitute soceri Laban recedens, ad patrem reuertitur.

BELOCHUS.

VIII Belochus regnauit annos trigintaquinque.

Decimus is est apud Berosum: qui idcirco à Belo sumpsisse cognomē dicitur, quòd cum imperio uoluerit exercere maximum pontificium Beli Iouis, & maximè circa auspicia & diuinationes occupatus fuerit. Hoc regnante, Iosephus adolescens somnia sua fratribus narrat, & patri. Belocus autem, Beli amator, apud Chaldæos interpretatur. A' quibusdam hic Molochus scribitur: sed, ut opinor, corrupte.

BALEUS.

IX Baleus regnauit annos quinquaginta duos.

Berosus duodecimum hunc ponit, qui post Semiramidem supra cæteros emicuit fama. Splenduit Imperio usque intra Indiam. Libros multos de eius gestis Assyrij conscripserunt. Huius anno tricesimo, Iacob ob famis penuriam descendit in Aegyptum, ibique filium suum reperit Præpositum totius Aegypti: Orosius lib. primo, cap. octauo. Fuit itaque hæc fames magna sub rege Aegyptiorū Diapolito, cui nomen erat Amasis, quo tempore Baleus Assyrios, Argiuos Apis regebat. Iustinus lib. trigesimo sexto, ubi de origine Iudæorum scribit, nonnihil de hac fame prodit: sed Orosius loco præfato diligentius hoc examinat. A

ALTADAS.

X Altadas regnauit annos trigintaduos. Huius temporibus fuit Prometheus, uir sapiens.

Duodecimus est is Assyriorum rex, Altadas Beroso: qui non inerudite quidem philosophabatur, imperite tamen uixit. interposuit enim tempus suum delicijs, existimans uanum esse & laboribus, & suæ uitæ miseria continua laborare: non quidem aliorum humanæque gentis utilitate ac beneficio, sed exitio ac seruitute. Iccirco institutum suum fuit, ut uita diuitijs & gloria aliena, stultitia præterea & miseria, à se & maioribus partis sibi frueretur quoad uiueret. Hoc est, abstinendum suasit ab omni labore bellico & lucroso, quia in bellico sudore sibi labor & gentibus cædes occurrit: & in lucro miser & infelix auarus efficitur magis custos diuitiarum, quàm dominus. Præterea fruendum esse docuit bonis & gloria, aliena miseria & sudore partis, ne incidas in miseriam & sudores, dum parta bona fugis. Imperite autem uixit inter pellices degens, & bonis partis abutens. Hoc regnante, defunctus est Iacob in Aegypto: B cuius cadauer Ioseph magno honore duxit in terram Chanaan. In annalibus pluribus corruptis & perperàm impressis, hic rex Amychus inepte cognominatur à recentioribus semidoctis. De Prometheo pleni sunt omnes poetarum libri: sed in primis uidendi Hesiodus & Fulgentius. Sed quomodo sint sub Deucalione homines reparati, Orosius uidendus est li. primo, cap. nono: Eusebius libro de Tēporibus. Secundum quorundam opinionem, ijs temporibus fuit Prometheus, à quo homines factos esse commemorant. & reuera. Cum enim sapiens esset, feritatem eorum & nimiam imperitiam ad humanitatem & scientiam transfigurabat.

MAMYNTUS.

XI. Mamyntus regnauit annos triginta.

Berosus hunc tertiumdecimum ponit, qui dicitur ab eo Mamitres. Is rursus milites exercuit, & assuefecit laboribus. Et interpositis delicijs, unguentis, & opobalsamis, militiam & pugnas exequebatur: cępitque formidini esse Syris & Aegyptijs. Sub istius regni tempore moritur Ioseph, & Hebręos depriment Aegyptij grauissima seruitute. Eusebius: Centesimo decimo anno moritur Ioseph, post cuius interitum Hebræi seruiunt annis centum quadraginta quatuor. Fiunt autem omnes anni, per quos Hebræi in Aegypto fuerunt, ducenti & quindecim: qui ab eo tempore computantur, quo Iacob cum filijs suis descendit in Aegyptum.

MAGEHALEUS.

XII. Magehaleus regnauit annos triginta. Huius temporibus Atlas frater Promethei præcipuus astrologus habetur.

Quartus decimus is est Beroso, & Mamaleus nominatur: quo regnante, seruitus Hebræorum durat apud Aegyptios. Cur hunc omiserit autor, qui magna chronica

Norinber-

A Norimbergę edidit, & alios Aegyptiorum reges, ipse uiderit: mihi satis sit indicare, iudicent eruditiores. Eusebius: Atlas frater Promethei præcipuus astrologus est, qui ob eruditionem istius disciplinæ etiam cœlum sustinere dicitur.

SPHAERUS.

XIII Sphæreus regnauit annis uiginti.

Dicitur Beroso quintusdecimus, & Sterus nominatur, si liber menda caret, cum ubiq; Sphærus legatur: nisi quòd in Eusebio errore impressorum Ipherus legitur corrupte. Virum fuisse, Berosus scribit, de cuius gestis & prudentia omne uulgus personet. Obseruandum est, Deucalionem Thessaliæ regem, natum esse primo anno huius Spheri regis Assyriorum: quod Solinus tradit, à primo diluuio sub Ogyge, usque ad Deucalionem, fluxisse annos septingentos & plus quàm nouem menses. Toti dem autem fluunt à Noe, id est Ogyge, â diluuio ad primum annum Sphæri, secundum Mosen & Eusebium. Præterea diluuium Deucalionis fuit, cum natus esset ipse annos octuaginta quatuor: qui si computentur ad diluuium ipsius, primo anno Sphæri ortus est Deucalion. Iornandes ex Eusebio repetit, huius temporibus ultimis, Amram ex tribu Leui genuisse Mosen.

MAMYLUS.

XIIII Mamylus regnauit annis triginta.

Sextus decimus est Beroso, Mamylas apud Eusebium dictus. licet Mamelus quibusdam dicatur. Quo regnante, adolescens Moses omnem philosophiam didicit Aegyptiorum.

SPARETUS.

B XV Sparetus regnauit annos quadraginta. Huius temporibus à Cecrope rege Athenæ conditæ sunt.

Nominat hunc Berosus decimumseptimum, sub eoq; scribit miranda in orbe cœpisse. Nam terræmotus Babylonios terruit. Athenienses regnum exorsi sunt anno eius quarto, finieruntq; Aegyptij reges. Hoc tempore Moses occiso Aegyptio, in terram fugit Madian. Eusebius: Tricesimoquinto anno Moysi, Cecrops regebat in Attica, à quo usq; ad captiuitatem Troiæ fiunt anni trecenti septuagintaquinq;. Paulo pòst subiungit: Cecrops in Eubœa Athenas condidit, quam & Diadas nominauit. Hanc urbem Euboici Orchomenon appellauerunt.

ASTACADES.

XVI Astacades regnauit annos quadraginta. Huius temporibus Moses in monte Syna diuinam suscepit legem.

Astacades Beroso dicitur decimus octauus, qui Babylonijs præfuit annis quadraginta unum, omnemq; Syriā ditionis suæ fecit: cuius anno decimo tertio, uitis inuenta apud Græcos narrat. Huius regni octauo, Moyses quadringētesimo trigesimo anno repromissionis (ut Eusebius scribit, & Iornandes repetit) populum Hebræum in signis & uirtutibus eduxit ex Aegypto, eisq; in heremo per annos quadraginta legem exponit. Finit autem Berosus librum suum quintum circa hunc regem, in hæc uerba scribens: Itaque qui reges & tempora traduntur à nostris de primoribus regnis orbis à Iani diluuio primo, usq; ad Dardaniæ regnū conditū (nam sub id tempus regnū Troianum cœpisse scribit) his nostris breuissimis annotationibus sint hactenus dicta. Manethon uerò Aegyptius, cuius & Iosephus & Eusebius testimonijs utuntur, ubi ipse reliquit, prosequutus est per reges Aegyptios, quemadmodum Berosus per Assyrios. Vtemur ergo & nos illius testimonijs, si opus erit.

Amyntes.

AMYNTES.

XVII Amyntes regnauit annis quadragintaquinq;. Huius temporibus IESVS successor Mosi, Palæstinorum terram Iudeæ genti distribuit.

Conuenit & Manethon, & Eusebius. Et Iornandes inquit: Huius nono anno moritur Moyses, & Iesus Naue populum ueluti dux custodit ac gubernat.

BELOCHUS.

XVIII Belochus regnauit annos uigintiquinq;.

Belochus hic iunior dicitur Mathoni, respectu ueteris, de quo suprà. Sub hoc primus iudex Hebræorum Gothoniel, sacerdotium continet Phinees.

BELOPARES.

XIX Belopares regnauit annos triginta.

Meminit huius & Eusebius, & Manethon. Sub hoc Aoth Hebræorum iudex, Allophylijs, omnino infesti Hebræis. Fuit autem, ut in libro Iudicum scribitur, Aoth ἀμφιδέξιος, hoc est, ambidexter: quod Plato probat, & secundum naturam esse sentit. Sicut & in pedibus nihil differre uidemur.

LAMPRIDES.

XX Lamprides regnauit annos triginta duos; aliàs, triginta tres.

Memoratur ab Eusebio & Manethone. Iornandes tantum triginta annis regnasse B scribit, si menda caret exemplar, quod uidi.

SOSARES.

XXI Sosares regnauit annis uiginti. Huius temporibus Pegasus equus uelocißimus inuenitur.

Pegasus equus uelocißimus, siue, ut Palephatus scribit, Bellerophontis nauis fuit.

LAMPATDES.

XXII Lampatdes regnauit annis triginta.

Hi duo reges à Manethone non scribuntur, sed Eusebius hos nominat: alijs Lampares dicitur.

PANNIAS.

XXIII Pannias regnauit annos decem & nouē. Huius temporibus Argonautarum nauigatio, & Orpheus Thrax musicus clarus habetur.

Huius meminit Manethon. Eusebius uerò & Iornandes scribunt, hunc annis quadraginta quinq; gubernasse. Vereor numerum hic corruptum Caßiodori: alioqui numerus inferior summarius non proueniret. Sub cuius tempore Iudæis præfuit Gedeon, qui & Hieroboal. De Argonautis Apollonius inter Græcos, Valerius Flaccus inter Latinos, copiosißimè scribunt.

SOSARMUS.

XXIIII Sosarmus regnauit annos decem & nouem.

Meminit huius Manethon & Eusebius, Sub hoc Abimelech, filius Gedeonis, & Thola, iudices fuerunt Hebræorum.

Mithreus

MITHREUS.

XXV Mithreus regnauit annis uigintiseptem, Huius temporibus Hercules athla exercuit, & Priamus apud Ilium regnat.

Obmittit hunc Manethon: sed post Sosarmũ, Tautanem regem ponit, cui successit Teuteus, post quẽ Themus, tum Dercylus, hinc Eupales: ita paulatim, inquit, Assyrios Thurehenos delicijs eneruatos decreuisse, Latinos uerò reges creuisse. At Eusebius, post Eupalem, Laosthenem subiungit: hinc Pyritiaden, tum Orphateum, dehinc Ophratonon, tum Acrapapen, pòst Tonoscon coleros, quẽ Sardanapalon græcè uocat, ultimumq́ regnasse scribit. qui in prælio uictus ab Arbace Medo, semet incendio concremauit, teste Eusebio. Et interregnũ Assyriorũ ad Medos translatũ est. Vnde Eusebius colligit, per illos trigintasex reges, annos mille ducẽtos quadraginta à primo anno Nini. Sed Orosius aliter in primo lib. licet fortè in genere scribat: cũ regnum Assyriorũ per mille centũ sexaginta annos usq; ad Sardanapalũ, per quinquaginta propemodũ reges actũ sit, & nunquã penè in id tẽpus quieuerit, &c. Sed Cassiodorus eos tantũ recensuit usq; ad principiũ regni Latinorũ, & ob id alios ab Eusebio descriptos prętermittit. sed non queo obmittere uerba Orosij, lib. 1. sic inquiẽtis: Annos ante urbem cõditam sexaginta quatuor, nouissimus apud Assyrios regnauit Sardanapalus, uir muliere corruptior: qui inter scortorũ greges femineo habitu, purpuram colo tractãs, à præfecto suo Arbacto, qui tunc Medis præerat, uisus, atq; execrationi habitus, mox etiã excitis Medorũ populis ad bellum prouocatus & uictus, ardenti pyrę se iniecit. Sed & Iustinus uidendus est libro primo Epitomę Trogi. Velleius Paterculus, qui historiã Rom. pulchro compendio latinè & eleganter scripsit, libro primo tradit, Sardanapalum regem mollicijs perfluentẽ, malo suo, tertio & trecentesimo loco à Nino & Semiramide natũ, ita ut semper successor regni paterni foret filius. Puto ibi esse erratũ, & scribendum, tertio & tricesimo loco, non trecentesimo. Eadem Metasthenes Persa de Iudicio temporũ repetit. De Hercule & Priamo pleni sunt omnes poetarum codices: in primis tamen uidendus est Homerus. Eusebius: Hercules consumit certamina, Anteum interficit, Ilium uastat. Cæterùm ἄθλον græcè neutro genere præmium, ut ἄθλος in masculino genere certamen. Quatuor aũt Græcia celebrabat certamina, in honorem Iouis, Phœbi, Palemonis, atq; Archemori. Quibus erãt ἆθλα, hoc est, præmia: pinus, oleaster, laurus, & apium. Extat pulchrum Architæ poetæ super hac re Tetrastichon græcũ, quod latinè sic redditur:

Sacra per Argiuas certamina quattuor urbes
Sunt, duo facta uiris, & duo cœlitibus:
Vt Iouis, & Phœbi, Melicertæq́, Archemoriq́.
Præmia sunt, pinus, poma, apiumq́, oleæ. Græcè sic:

τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί,
οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
ζηνός, λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο.
ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Vnde & quidam Græci inde deducunt, Pancratium pentathlum, quod constituitur ex pugillatu, cursu, saltu, disco, & lucta. De quibus extat Simonidis hoc distichon:

ἴσθμια καὶ πυθοῖ διοφῶν ὁ φίλωνος ἐνίκα,
ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Isthmia Philonis Diophon, & Pythia uicit,
Et cursu, & iaculo, saltibus, orbe, pale. Hos ludos Paulus iurecõsultus in L. II. de Aleę lusu, describit. Qui omnibus ijs ludis uicisset, Pancratiastes nũcupabatur. Quanquam Lucianus pro diuersa ludicri specie Pancratium ponit, dum palæstram esse tradit, quod in lutea aspergine fiebat: quod autẽ in puluere fit, recto stadio inuicẽ se percutientium, pancratium esse. Propertius:

Dum patitur duro uulnera pancratio,

Vnde & certamen quod in Herculis honorem fiebat, Heracleaniũ dictum est. Lampridius in Alexandro: Agoni præsedit, & maximè Herculeo, in honorem magni Alexandri. Velleius in Compendio Rom. hist. Clarißimum deinde omnium ludicrũ certamen, & ad excitandam corporis animiq; uirtutem efficacißimũ Olympiorum initium, habuit autorem Iphitum Eleum. Is eos ludos mercatumq; instituit, ante annos quàm tu M. Vinici consulatum inires, DCCCXXIII. Hoc sacrum eodem in loco instituisse fertur abhinc annos MCCL. Atreus, cum Pelopi patri funebres ludos faceret: quo quidem in ludicro, omnisq; generis certaminum Hercules uictor extitit. Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmæon: cœperuntq; in denos annos creari, quæ consuetudo in annos LXX mansit: ac deinde annuis commissa est magistratibus respub. Ex ijs qui denis annis præfuerunt, primus fuit Carops, ultimus Erix. Ex annuis, primus Erix. Cæterùm de agone Olympico, unde & à quo Originem sumpserit, Strabo libro octauo copiosè. Eusebius: Hercules agonem Olympicum constituit, à quo usque ad primam Olympiadem supputantur anni 430.

Per hos igitur reges Assyriorum, colliguntur anni octingenti quinquaginta duo.

Is numerus resultat annorum, ex ijs uigintiquinq; Regibus, quos Caßiodorus hic ponit: si Panniæ regi tribuantur quadragintaquinque, non decem nouem anni, ut annotaui superius. Eusebius uerò computat à primo Nini anno usq; ad Sardanapalum, ultimum regem Assyriorum, mille ducentos quadraginta annos, cum illis qui post Mythreum regnarunt. Dehinc ad Medos translatum est imperium, tum ad Persas: quos ideo obmittit Caßiodorus, quia Consules dicturus, necesse habet reges Latinos & Romanos enumerare: alios non est necesse. Adducit Velleius in suo compendio Aemilium Suram, de annis pop. Romani sic scribentem: Assyrij principes omnium gentium rerum potiti sunt. Deinde Medi, postea Persæ, deinde Macedones. exinde duobus regibus Philippo & Antiocho, qui à Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam, deuictis, summa Imperij ad pop. Rom. peruenit. Inter hoc tempus & initium regis Assyriorum Nini, qui princeps rerũ potitus est, intersunt anni M. DCCCCXCV. Huius temporis æqualis fuit Hesiodus, circa 120. annos distinctus ab Homeri ætate: uir perelegantis ingenij, & mollißima dulcedine carminum memorabilis, ocij quietisq; cupidißimus, ut tẽpore tanto uiro, ita operis autoritate proximus. qui uitauit, ne in id, in quod Homerus, incideret, patriamq; & parentes testatus. Sed patriam, quia mulctatus ab ea erat contumeliosißimè.

REGES LATINI.

Latinos reges exordium habuisse post captam Troiam, cum Aeneas in Italiam uenisset, post tertium captiuitatis Troiæ annum, tradunt aliqui: uel post octauum, ut alij asserunt, cum Tautanes apud Assyrios regnaret. Manethon scribit, & constans opinio est, cum prius in Italia, sub aurea illa ætate, quam Ninus primus Assyriorum rex uitiauit, regnasset Ianus, & Saturnus, ut Xenophon, Fabius Pictor, Cato in fragmentis, Trogus, Iustinus, Dionysius, ac cæteri scripserunt. Quos deinceps sequuti sunt Picus & Faunus: quibus regnantibus, feruntur centum quinquaginta anni euoluti, ut Eutropius Valenti Augusto perscripsit. Hos dimittit Caßiodorus, & à Latino rege orditur. Hos primos Italiæ Reges quidam nostræ ætatis insignis poeta sex uersibus & monastichis sic expreßit, quos subiunxi, ne perirent.

Monasticha primorum regum Italiæ.

Primus in Italia Ianus regnauit agresti,
  Aurea Saturnus iugera falce colit.
Tertius Ausonijs dominatur Picus in oris,

Faunus,

Faunus & in Latio regna paterna capit.
Filia Laurentum regi fuit una Latino,
Dos fuit Aeneæ terra Latina pio.

Tu uerò curiose lector Myrsilum Lesbium, quem Dionysius in Antiquitatibus Romanis sæpe citat, uide, de Origine Italiæ: ac Semproniũ, de Diuisione Italiæ, cum Q. Fabij Pictoris ac Catonis fragmentis, quæ extant.

LATINUS.

I Latinus regnauit annos trigintaduos, à quo Latini sunt appellati. Huius imperij anno uigesimoquinto, Troia capta est. ad quem Aeneas profugus uenit: factusq; gener eius, succesit ei in regno.

Nam, ut Dionys. primo Romanorũ Antiquit. scribit, in pugna aduersus Rutulos sine filijs mortuus, imperium Aeneæ, quem sibi generum fecit, detulit. Hic Latinus Iliaci belli temporibus regnauit, à quo Latini dici cœpti sunt. Asserit autem, hunc quinq; & triginta annos imperium obtinuisse. Erat autem Lauinia Latini filia Turno desponsata, quam Aeneas accepit, & de nomine eius urbem condidit: de qua re Virgilius latè.

AENEAS.

II Aeneas post octauum Troiæ annum, regnauit in Italia annis tribus.

Dionysius in primo aliter distinguit annos. Vide igitur, quo anno cõditum sit Lauinium, & quo pacto Aeneas tres annos regnauerit post Latini soceri sui obitũ, nam quarto anno in bello mortuus est.

ASCANIUS.

III Ascanius, filius eius, regnauit annis trigintaocto. Hic Albam Longam condidit.

Hic Ascanius Iulius dictus est, quem & Florus in præfatione Epitomes Iulum appellat, ex Creusa coniuge Troiæ genitum, ut Virgilius asserit, & Eutropius repetit. A` Dionysio libro primo Eurition uocatus, qui septimo fermè anno post captum Ilium Latinorũ imperium suscepisse dicitur, & mutato nomine dictus est Ascanius: trigesimoq; anno deinde post Lauinij institutionem condidit Albam Longam, quæ græcè λευκὴ μακρὰ dicta est, à Tullo Hostilio deinde euersa. Habuit Ascanius Iulium Syluium filium, à quo familia Iuliorum orta est. Sed propter ætatem nondum regendis ciuibus idoneus, Syluium Posthumum fratrem suum regni reliquit hæredem, ut tradit Eusebius. Et iterum inquit idem: Ascanius derelicto nouercæ suæ regno Lauinij, Albam Longam condidit, & Syluium Posthumium fratrem suum, Aeneæ ex Lauinia filium, summa pietate educauit.

SYLUIUS.

IIII Syluius Aeneæ filius ex Lauinia, regnauit annos uigintinouem. Huius temporibus poeta Homerus fuisse memoratur.

Filius hic Aeneæ, secundum Dionysium, post obitum patris, Posthumus fuit dictus: & quòd à pastoribus in syluis ac montibus educaretur, Syluius, à Græcis ὑλαῖος. Licet Liuius filium Ascanij putet, qui Iulum quidem reliquit, cui sacerdotij potestas est attributa, quo honore posteritas eius usa est deinceps. Fratrem autem Syluium Posthumum regni hæredem reliquit, à quo Albanorum deinde reges Syluij uocati sunt, & dominationis ius obtinuerunt. De Homero Plutarchus in sua uita plura, & Herodotus, græci scriptores. Eusebius præterea uariorum autorum sententias de Homeri ætate affert, Sed Velleius Paterculus de Homero hæc tradit: Clarissimum

deinde Homeri ingenium illuxit, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis & fulgore carminum solus appellari meruit poeta: in quo hoc maximum est, quod neq; ante illum quem ipse imitaretur, neq; post illum qui eum imitari posit, inuentus est: neq; quenquam alium, cuius operis primus author fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerũ & Archilochum reperiemus. Hic longius à temporibus belli quod cõposuit Troici, quàm quidam rentur, abfuit. Nam fermè ante annos DCCCCL floruit, intra mille natus est. Quo nomine non est mirandum, quod sæpe illud usurpat. hoc enim ut hominum, ita seculorum notatur differentia: quem si quis cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbus est.

V AENEAS SYLVIUS.

Aeneas Syluius regnauit annos triginta unum. Huius temporibus Hebræorum rex Dauid Hierosolymis regnat.

Eusebius: In alia historia reperimus, quartò Latinum Syluium regnasse, Lauiniæ & Melampodis filium, uterinum fratrem Posthumi: & quintò, qui nunc hic quartus ponitur, Syluium Aeneã, Posthumi filium. Sed animaduerte lector, quòd ab Aenea primo rege, non à Latino numerat.

VI LATINUS SYLVIUS.

Latinus Syluius regnauit annis quinquaginta. Huius temporibus Amazones Asiam uastauerunt: Carthago condita est à Carchedone Tyrio, ut quidam dicunt. Solomon filius Dauid regnat Hierosolymis, templumq; famosissimum condidit.

Hic Latinus iunior dictus à Dionysio, unum & quinquaginta annos gubernasse dicitur. Licet Eusebius, & alij penè omnes, quinquaginta tantum tribuunt. Ab hoc (inquit Liuius) coloniæ aliquot deductæ, prisci Latini appellati. Mansit postea Syluius omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. Amazones decantantur passim ab omnibus poetis & historicis. sed Palæphatus arbitratur fuisse non fœminas, sed uiros barbaros, qui effœminatis moribus & uestibus incedebant: colligatis mitra crinibus, barbam tonsi, ingenti tamen fortitudine: ut alijs militibus mulieres uulgò dicerentur. De Carthagine inquit Eusebius: Carthago cõdita est, ut quidam uolunt, à Carchedone Tyrio: ut uerò alij, à Didone filia eius, post Troianum bellum. Vide Strabonem, Dionysium, & Eustathium. Velleius Paterculus in compendio Rom. hist. de Carthagine sic scribit: Aetate Pharnacis Medi, qui Sardanapalum imperio uitaq; priuauit, &c. ante annos quinq; & sexaginta quàm urbs Romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur.

VII ALBA SYLVIUS.

Alba Syluius regnauit annos trigintanouem.

VIII AEGYPTIUS SYLVIUS.

Aegyptius Syluius regnauit annos uigintiquatuor.

Eusebius: Syluius Atys, siue Aegyptius, annis uiginti quatuor regnauit: Aegyptius autem, Albæ superioris regis filius fuit.

IX CAPIS SYLVIUS.

Capis Syluius regnauit annos uigintiocto.

Eusebius

Eusebius: Capys superioris regis filius, regnauit annis uiginti octo.

x *CALPETUS SYLUIUS.*

Calpetus Syluius regnauit annis tredecim.

Dionysius libro primo: Post Albam (inquit) Capetus sex & uiginti annos regnauit: post eum Capys duodetriginta: post Capym Calpetus, usque ad annum tertiumdecimum. Liuius uerò: Ex Alba dicitur Atys ortus, Aty Capys, Capy Capetus, Capeto Tiberinus. Ob id Eusebius & posteri, iunctis nominibus octauum regem Syluium Atym ac Aegyptium appellant. Decimum autem Capetũ Liuius uocat. Alij, nisi codices sint mendosi, Calpetum.

XI *TYBERINUS SYLUIUS.*

Tyberinus Syluius regnauit annis octo.

Hic in prælio mortuus (ut inquit Dionysius) quod secundum flumen fuit, raptusque à profluente, flumen sibi cognomine reliquit, Albulam prius uocatum, Tyberim. Ouidius secundo Fastorum:

Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in undis
Reddidit, hybernis fortè tumebat aquis.

Idem Liuius, & Virgilius:

AGRIPPA SYLUIUS.

XII Agrippa Syluius regnauit annos quadraginta.

Liuius: Agrippa inde, Tyberini filius. Dionysius uerò: Deinde successor Agrippa annos tres & triginta regnauit. Eusebius, & cæteri omnes, quadraginta huic annos attribuunt. subiungit ibi Eusebius: In Latina historia ad uerbum scripta reperimus, Agrippa apud Latinos regnante, Homerus in Græcia claruit, ut testatur Apollodorus grammaticus, & Eusebius historicus, ante urbem Romanam conditam ante centum uiginti quatuor annos: & ut ait Cornelius Nepos, ante Olympiadem primam, annis centum. Licet plures alias opiniones recitauerit de Homero idem Eusebius paulo suprà, ubi de Aenea Syluio scribit.

XIII *AREMULUS SYLUIUS.*

Aremulus Syluius regnauit annos decem nouem. Huius temporibus Lycurgus apud Lacedæmonas iura composuit.

Liuius: post Agrippam Romulus Syluius à patre accepto imperio, regnat: idque Auētino, fulmine ictus ipse, per manus tradidit. Aliter Dion. nisi codex sit mēdosus: Post Agrippam Alladius undeuiginti annos, res quædam tyrannica, & cum dijs inimicitias gerens. Nam ab eo despiciente numina, apparatæ sunt fulgurum imitationes, & fragores tonitruis similes, quibus terreri homines, tanquam esset Deus, postulabat. Cæterùm imbribus & fulminibus in eius domum cadentibus, atque lacu iuxta quem habitabat, insolitam inundationem capiente, inclusus, cum tota domo absorptus est: & nunc adhuc perlucente lacu, in parte quadam, cùm deficit latex, subseditque altitudo, apparent ruinæ, & alia ædificiorum uestigia. Eutropius & cæteri uocant hunc Remum Syluium: tanta est nominum diuersitas. Inoleuit leuis error ex ijs nominibus. Siquidem apud Orosium libro primo ita legitur, ubi de Phalaride tyranno agit: fuerat etiam paulo superiori tempore apud Latinos rex Romulus, qui per annos decem & octo, flagitijs impietatibusque crescens, ad postremum diuino iudicio fulmine interceptus, matura supplicia immatura ætate exoluit. Eusebius: Syluius Aremulus, siue Remulus, Agrippæ superioris regis filius, præsidium Albanorum inter

montes, ubi nunc Roma est, posuit: qui ob impietatem postea fulminatus interijt. Huius filius fuit Iulius, proauus Iulij Proculi, qui cum Romulo Romam cõmigrans, fundauit Iuliam gentem. De Lycurgo autem legumlatore, quisquis plura scire uoluerit, diligenter eius uitam apud Plutarchum perlegat. Eius præterea meminit Velleius Paterculus in compendio Rom. hist. in hæc uerba: Aetate Pharnacis Medi, qui Sardanapalum imperio uitaq; priuauit, clarissimus Graij nominis Lycurgus Lacedæmonius, uir generis regij fuit, seuerissimarum iustissimarumq; legum autor, & disciplinæ conuenientissimæ uir: cuius quàm diu Sparta diligens fuit, excellissimè floruit.

XIIII AVENTINVS SYLVIVS.

Auentinus Syluius regnauit annos trigintaseptem: à quo mons Romanus, quia ibi sepultus est, nomen accepit.

Eusebius: Auentinus Romuli superioris maior filius, in eo monte qui nunc pars urbis est, mortuus & sepultus, æternum loco uocabulum dedit.

XV PROCAS SYLVIVS.

Procas Syluius regnauit annis uiginti tribus.

Orosius libro secundo, capite primo: Nini & Babylonis regnum eo anno in Medos est deriuatum, quo anno apud Latinos Procas Amulij & Numitoris pater, auus autem Rheæ Syluiæ, quæ mater Romuli fuit, regnare cœpit. Vt autem omnia hæc ineffabilibus mysterijs & profundissimis Dei iudicijs disposita, non aũt humanis uiribus, aut incertis casibus accidisse perdoceam, omnes historiæ antiquæ à Nino incipiunt, omnes historiæ Romanæ à Proca exordiuntur. * Deinde à primo anno imperij Nini, usquequò Babylon à Semiramide instaurari cœpta est, interueniunt anni sexagintaquatuor: & à primo anno Procæ cum regnare cœpit, usq; ad conditionem urbis factam à Romulo, intersunt æquè anni sexagintaquatuor. Ita regnante Proca, futuræ Romæ sementis iacta est, etsi nondum germen apparet. Eodem anno ipsius Procæ regni, Babylonis regnum deficit, etsi adhuc Babylon ipsa consistit.

OLYMPIAS prima.

A captiuitate Troiæ usq; ad Olympiadem primam, sunt anni 406. ubi erat agon gymnicus, in quo Corœbus Eliensis uictor euasit. Elienses uerò quinquennale certamen agebãt, quatuor annis in medio expletis, in quibus principes annui constituuntur. quam Olympiadem Iphitus primus instituit. Ab hoc Græca historia uera creditur, & post Sardanapalum regem Assyriorum orditur.

XVI AMVLIVS SYLVIVS.

Amulius Syluius regnauit annos quadraginta quatuor, qui fratrem suum Numitorem regno expulit.

Procas duos habuit filios, Numitorem & Amulium, ut Liuius abundè docet. Ob id Dionys. Deinde Amulius (inquit) haud iure regnũ occupans, cum Numitori deberetur, fratri seniori, duos & quadraginta regnat annos. Amulio autem interfecto à Romulo & Remo ex sacra puella natis, post eius mortem imperiũ accipit, & quidem legitimum, Numitor auus maternus. Sequenti deinde anno regni Numitoris, colonos mittentes Albam Romulo & Remo ducibus, Romam condunt. Vnde miror, cur Florus primo lib. tit. primo, dicat: Alba tunc erat Latio caput, Iuli opus. nam Lauinium patris contempserat: ab his Amulius iam septima sobole regnabat. Cum certè nõ septima soboles aut gubernatio fuerit, sed decimaquarta potius, aut decimasexta. Dionys. Halicarnasseus in principio primi Antiquitatum Romanarum: Aetate autem sextadecima post Troianum bellum, Albani hæc loca utraq; inhabitabant. Eusebius: Numitor Procę superioris regis filius maior, à fratre Amulio regno pulsus, in agro suo uixit. Filia uerò eius, adimendæ spei partus gratia, uirgo Vestalis: quæ cũ septimo patrui sui anno geminos edidisset infantes, iuxta legem in terra uiua defossa est. Verùm paruulos prope ripam Tyberis expositos, Faustulus regij pastor armenti, ad Acciam Laurentiam uxorem suam detulit: quam propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæstuosi, Lupam uicini appellabant: unde ad nostram usque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Pueri cum adoleuissent, collecta pastorum & latronum multitudine, interfecto apud Albam Amulio, auum Numi-

AB VR. CON. OLYM.

Numitorem in regnum restituunt. Hæc copiose apud Dionysium & Liuium, & cæteros passim inuenies. Si igitur ritè anni supputentur ab excidio Troiæ, ad successorem Amulij Romulum, integra fide inueniuntur anni quadringenti triginta. Cæterùm de Amulio & eius genere, ac urbis Romæ conditione, diligentissimè perscripsit Strabo libro quinto. Vide lector studiose. De his regibus Albanis, etiam poeta nostri seculi monasticha elegantissima perscripsit, quæ subiungere pro studiosis, nullum est dispendium:

Condidit Ascanius Longam rex Iulius Albam,
 Et Syluì regnum Posthume frater habes.
Syluius Aeneas triginta uno imperat annis,
 Perq; decem sceptrum lustra Latinus habet.
Imperat Albanis successor Syluius Alba,
 Dictus ab Aegypti nomine regnat Atys.
Rex Capys accepto Capuam capys omine dixit,
 Carpentus tantum nomina regis habet.
Albula mutauit titulum tibi rex Tiberinus,
 Hic pater Agrippæ, rex & Agrippa fuit:
Montibus insuetis præsidia ponit Aremus,
 Iulia gens uester Iulius autor erat.
Præbet Auentinus Romano nomina monti,
 Regna uicissatim dat Proca pignoribus.
Germano regnum uiolentus Amulius aufert,
 Arripit hinc Numitor sceptra nepotis ope.

I I *ROMULUS.* VII

Romulus regnauit annos trigintaocto, à quo Roma condita est: & ex Latinis Romani sunt nuncupati. Hic primus centum cõstituit senatores. Huius temporibus Syracusæ & Catinia in Sicilia conditæ sunt.

Dionysij Halicarnassei sequimur Antiquitates, qui septima Olympiade urbem conditam scribit.

Adijt regnum, teste Dionysio in secundo, septima Olympiade, qua uicit Daides Messenius, imperante Athenis Charopo. Item Liuius in primo, trigintaseptem annos Romulo tribuit: in regno tantum, Dionysius in primo similiter trigintaseptem, quod & secundo libro repetit, cum inquit: Qui (inquit) Romam condidit, primusq; in ea rex creatus est Romulus, tali nece perijsse dicitur. Nullam ex se progeniem relinquens, annos septem & triginta dominatus, quintũ annum & quinquagesimum uitę agens. nam iuuenis admodũ potitus est regno. Decem enim & octo annos natũ fatentur omnes, qui de eo historias scripsere. At Plutarchus in Romulo ait: Fertur igitur Romulus quatuor & quinquaginta annos natus, trigesimooctauo sui regni anno è uita migrasse. licet in Numa sic scribat: Septimũ iam & trigesimum annum rege Romulo Roma incolebatur. Sed fortè annus ille, quo per Senatores, per singulos quinos gubernabatur, interregnũ dictum (de quo in Numa Plutarchus plura, item Dionysius, Liuius, & cæteri) illi attributus, Romulo trigesimumoctauũ constituit, unde & posteri decepti sunt. Sed uide Velleium Paterculum (quẽ nuper beatus Rhenanus, nitidę eloquẽtiæ uir, & haud cõtemnendæ doctrinę, è tenebris eruit) scribentem Epitomen historiæ Romanæ, ad M. Vinicium, qui sub Tiberio Consul fuit, qui hæc prodit: Sexta Olympiade, post duos & uiginti annos, quàm prima cõstituta fuerat, Romulus Martis filius ultus iniurias aui, Romam urbem Parilibus in Palatio condidit. à quo tempore ad uos COSS. anni sunt DCCCCLXXXI. Id actũ post Troiam captam annis CCCCXXXVII. Id gessit Romulus, adiutus legionibus Latini aui sui. Libenter enim his qui ita prodiderunt accesserim, cum aliter firmare urbem nouam, tam uicinis Veientibus, alijs Ethruscis ac Sabinis, cum imbelli ac pastorali manu uix potuerit: quanquam iam Asylo facto inter duos lucos auxit. Hic cen

OLYM. tum homines electos appellatosq; patres, instar habuit consilij publici: hanc originem nomen Patriciorum habet. De hoc & Eutropius libro primo, capite quarto, qui triginta nouem huic annos tribuit: sed corruptum est sine dubio exemplar. Cæterùm Orosius eleganter simul & breuiter in secundo libro, quarto capite, sic scribit: Romulus regnum parricidio imbuit, pariq; successu crudelitatis sine more raptas Sabinas improbis nuptijs confœderatas, maritorum & parentum cruore dotauit. Itaq; Romulus interfecto primùm auo Numitore, dehinc Remo fratre, arripuit imperium, urbemq; constituit. Regnum aui, muros fratris, templum soceri sanguine dedicauit, sceleratorum manum promiscua impunitate collegit. Primus illi campus ad bellũ, forum urbis fuit: mixta simul externa ciuiliaq; bella nunquã defutura significans. Sabinorũ, quos fœdere ludisq; pellexerat, feminas, tam inhonestè præsumpsit, quàm nephariè defendit. Ducem eorum Titum Tatium senem, honestis pietatis causis insistentem, diu armis propulsatum, mox ut in societatem regni assumpsit, occidit, &c. Sed de Romulo Florus libro primo, tit. primo: Iustinus libro quadragesimotertio: Strabo libro quinto, C. Sempronius, Q. Fabius Pictor libro secundo. Solinus breuiter eius res gestas sic commemorat: Romulus regnauit annos septem & triginta: de Ceninensibus egit primum triumphum, & Acroni regi eorum detraxit spolia, quæ Ioui Feretrio primus suspendit, & opima dixit. Rursum de Antennatibus triumphauit. De Veientibus postremò apud Capreæ paludem nonis Quintilibus apparere desijt. Cæterùm quisquis copiosius singulas res gestas Romuli scire uoluerit, uitam eius apud Plutarchum, Dionysium in secundo, Liuium in primo legat. De Syracusis uerò ciuitate Siciliæ, quando condita sit, uide Strabonem libro sexto copiosissimè scribentem: ubi & de † Catinia locupletissimè scribit. Meminit & horum Eusebius.

† Catana

ABV. CON.

XVII II

NVMA POMPILIVS.

39

Numa Pompilius regnauit annos quadraginta unum: qui duos menses anno addidit, Ianuarium & Februarium, cum ante hunc decem tantum menses apud Romanos fuissent. Capitolium quoque à fundamentis construxit. Cuius etiam temporibus Sibylla in Samo insignis habita est.

Hic Pompilius Pomponij illustris uiri filius, prudentissimæ ætatis fuit. Nam ab anno quadragesimo non multum aberat, cum regia esset ei dignitas collata. Vir fuit religiosus, & qui religione ferocem pop. Rom. compescuit. Rexit quadraginta tribus annis, ut Liuius & Dionysius scribunt. Obijt autem non longè octogenario maior, ut inquit Plutarchus. Dionysius uerò in fine secundi: Annos, ait, uiuens supra octoginta, quadraginta tres regnans, facilima morte obijt, senio dissolutus: prolem quidem relinquens, ut plures scribunt, filios quatuor, Pomponem, Pinum, Calpum, Mamercum, unde nobiles uenerunt familiæ: filiamq; solam Pompiliam. Vt autem tradidit Gn. Gellius, solam reliquit filiam, ex qua Martius peperit Ancum Martium regem, qui pòst regnauit. Vide Florum libro primo, tit. secundo: Eutropium lib. primo, cap. quinto. Solinus autem breuiter (quod diffusius Dionysius, Liuius, Plutarchus tradunt) sic de Numa scribit: Numa in colle primùm Quirinali, deinde propter ædem Vestę, in regia quę adhuc ita appellatur, habitauit: qui regnauit annis tribus & quadraginta, sepultus sub Ianiculo. Vnde Ouidius sexto Fastorum describens regiam, quam Numa habitauerit, sic inquit:

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ,
  Tunc erat intonsi regia magna Numæ.
Hic locus est Vestæ, qui Pallada seruat, & ignem:
  Hic fuit antiqui regia parua Numæ.

Sed uidendus quoq; Eusebius de Temporibus, & Ouidius de duobus mensibus additis in primo Fastorum, ubi à principio sic canit:

Tempora digereret cum conditor urbis, in anno

Constituit

AB VR. CON. Constituit menses quinque bis esse suo. Sed paulo pòst subiungit: OLYM.
At Numa nec Ianum, nec auitas præterit umbras,
Mensibus antiquis præposuitque duos.
De ambobus mensibus uidendi sunt priores duo Fastorum libri, cùm Macrobio quoque.

82 III

TVLLVS HOSTILIVS. XXVII

Tullus Hostilius regnauit annos triginta duos, qui primus apud Romanos purpura usus est. Cuius temporibus Chalcedon conditur, & Byzantium, quæ nunc Constantinopolis appellatur.

De illo sic Plutarchus in Numa: Hostilius uerò Tullus, qui Numæ successit in regnum, & plurima ex illius honestis facinoribus, in primisque ac potissimum pietatem in deos irrisionibus & contumelijs insectatus, uti rem inertem & muliebrem, ciues in bellum uertit. Neque ipse igitur audacibus hisce ac stultis facinoribus institit, sed graui ac uario morbo, mutata mente in deorum metum ac religionem conuersus est, quæ nulla tamen similitudine ad Numæ pietatem accederet: quinetiam eo magis alios huiusmodi morbo infecit, quòd fulmine ictus conflagrauit, ut fertur. Dionysius libro tertio: Annos duos & triginta cum regnasset, extinctus est, incensa domo cum uxore & filijs, atque alia familiari turba omni, igne comprehensa. Succensam domum eius alij dicunt per fulmen, ira Dei, ob quorundam sacrorum intermissionem: alij, insidijs Anci Martij, qui post eum regnauit. Vide Dionys. in tertio, qui illum imperium sumpsisse scribit anno secundo septimæ & uicesimæ Olympiadis, qua uicit certamine Eurybates, imperante Athenis Leostrato. Liuius in primo scribit, ipsum commentarios Numæ, cum ibi quædam occulta solennia sacrificia Ioui Erycio facta inuenisset operatum, ijs sacris se abdidisse, sed non ritè initum aut curatum esse id sacrum. Ideo ira Iouis sollicitati praua religione, fulmine ictum cum domo flagrasse. Vide Florum libro primo, titulo tertio, de hoc rege: Eutropium libro primo, capite sexto: item Eusebium. Orosius libro secundo, capite quarto, perstringit Tullum Hostilium militaris rei institutorem, fiducia bene exercitatæ iuuentutis, Albanis intulisse bellum, & diu altrinsecus spe incerta, certaque clade tandem pessimos exitus & dubios euentus, compendiosa Tergeminorum congressione fuisse. Rursus pace diruta, Metium Suffetium Fidenato bello, meditata etiam proditione, suspensum curribus in diuersa raptantibus, duplicis animi noxam pœna diuisi corporis expendisse. Solinus ita perstringit: Tullus Hostilius in Velia habitauit, ubi postea deûm Penatum ædes facta est: qui regnauit annos duos & triginta, obijt Olympiade quinta & trigesima. Vt autem scias quid sit Velia, ita pars montis Palatini, qua uidetur forum Romanum, appellatur Velia: quia ibi antiqui pastores ante tonsuram ouium uellabant lanam ex ouibus. Eadem pars habuit domum Catilinæ & Catuli. Cum autem hoc loco Cassiodorus Byzantium, quæ & Carthago, & Constantinopolis postea dicta est, conditum esse dicat: quærendum est, cur superius sub Latino Syluio, sexto Latinorum rege, longè ante urbem conditam scribat, quòd uidelicet incerta sit huius urbis origo, quam Lacedæmonij olim Pausania duce in angustissimo Europæ Asiæque Euripo posuere, Lygos antea dictum, pòst Byzantium: quod uariante deinde fortuna, dum incerti iuris possessio adhuc esset, Atheniensibus Spartanisque id sibi certatim uendicantibus, tandem libertatem sibi asseruit: & dum neuter populus tanquam propriam urbem auxilijs iuuat, liberæ conditionis esse cœpit: per quæ tempora res eorum admodum floruit, agro fœcundo feracique in primis, & mari admodum opportuno. Vnde uectigalia, uectigalibusque eorum augendis, piscium uis ingens ad eorum littora deferebatur, quoniam commodè posita esset. id quod oraculi Pythij ambages arguunt. Nam consulentibus Græcis ubi urbem conderent, data sors exciderat, sedem oppido cæcorum aduersam quærerent: Chalcedonios haud dubiè innuens, qui priores in ea loca profecti, Megaris peiora legerant. Pisces etenim ex Euxino in Propontidem illati, ubi ad Chal-

OLYM. ad Chalcedonense littus incurrere, territi candicāte saxo, quod à uado ad summa pel- ABV
luceat aduersum Byzantij promontorium: ex ea causa Chrysoceras appellatum, præ- CON
cipiti petunt agmine. Itaq; omnis captura Byzantij, Chalcedonensibus penuria fuit. Quo pacto uerò sit in uici formā post euersionem à Seuero imperatore redacta, & à Cōstantino, qui eius nomen immutauit reformata, à Cęsaribusq; Christianis, D C. amplius annos gubernata, & hodie à Turcis per septuaginta annos (proh pudor Christianorum principum) possessa, inferius latißime scribemus. Quisquis aūt & de Chalcedone & de Carthagine plura scire uoluerit, Strabonem, Plinium, Stephanum, & Eustathium super Dionysio adeat, è quibus multa discet quæ studioso proderunt.

XXXV IIII

ANCUS MARTIUS.

114

Ancus Martius regnauit annis uigintitribus, qui sextodecimo miliario ab urbe Hostiam condidit.

Hic qua morte perierit, nec Liuius in primo, nec Dionysius in tertio explicant: ubi tamen copiosissimè res eius gestæ enumerantur. In Plutarcho, ubi uitam Numæ concludit, sic inuenimus: Cum post Numam quinq; regnauerint, postremus ex imperio excidens, in exilio consenuit. E' reliquis uerò quatuor, nemo naturali morte defunctus est: sed tres insidijs circumuenti, necati sunt. Hostilius fulmine perijt. Dionysius uerò sic: His igitur ab hoc Rege in principatu suo gestis historia dignis, tradens ipse successoribus suis Romam, haud paruo potentiorem quàm accepisset, quatuor & uiginti annos regno potitus moritur, duos relinquens filios: alterum puerilis ætatis, alterum maiorem natu, iam tum pubescentem. Suscepit autem imperium anno secundo trigesimæquintæ Olympiadis, qua uicit Sphærus Lacedæmonius, quo tempore annuum magistratum obtinuit Athenis Damasia. At Liuius in primo sic: Regnauit Ancus quatuor & uiginti annos, cuilibet superiorum regum belli pacisq; & artibus & gloria par. Et filij prope puberem iam ætatem erant. Iuniores Eusebium imitantur, & tris tantum & uiginti annos Anco Martio tribuunt: ut hic Cassiodorus noster, & Eutropius libro primo, capite septimo. Vide etiam de rebus eius gestis Florum libro primo, tit. quarto. Orosius tradit, Latinos Anco Martio duce sæpe congressos, aliquando superatos. Solinus ait: Ancus Martius in summa sacra uia habitabat, ubi ædes Larium est: qui regnauit annis quatuor & uiginti, obijt Olympiade prima & quadragesima. Addendū illud quoq;, quod Festus tradit: Ancus appellatur, qui aduncum brachium habet, ut exporrigi non posit. De Hostia urbe, Strabo & Plinius uidendi sunt.

XLI V

TARQUINIUS PRISCUS.

138

Tarquinius Priscus regnauit annos triginta septem. Huius temporibus Masilia in Gallia condita est.

Hunc scribit Florus, titulo octauo libri primi, dignitatem regiam ornamentis & insignibus, quæ duodecim Ethruriæ urbes ab eo subiugatæ donauerant, clariorem ac insigniorem reddidisse, habitu uenerando ac nobili. Tandem cum regnasset annos octo & triginta, à duobus iuuenibus pastoralibus simul litigantibus, per insidias occisus est, ut pluribus narrat Dionysius in fine tertij: qui ipsum Imperium suscepisse scribit anno ferè secundo primæ & quadragesimæ Olympadis, qua uicit Cleomedes Thebanus, imperante Athenis Eniochida. Moriens autem duos reliquit filios paruulos, & duas filias, uiris in matrimonium datas. Idem Liuius in primo longè lateq;. De hoc uide Florum libro primo, tit. quinto: Eutropium libro primo, cap. octauo, qui tantum trigintaseptem annos regnasse cum scribit, si corruptus non est liber, sicut & Casiodorus. Eusebius triginta quinq;: Orosius autem lib. secundo, cap. quarto perstringit, Tarquinium Priscum omnes finitimos & potentes tunc duodecim Tusciæ populos innumeris concidisse conflictibus. Solinus autē: Tarqui nius

AB VR. CON. nius Priscus (inquit) ad Mugoniam portam, supra summam nouam uiam habitauit, OLYM.
qui regnauit annis octo & triginta. Hic Priscus Tarquinius antea Lucumo uocabatur, Demarathi Corinthij filius, ex Brachiadum familia oriundus. Qui cum diu mercaturam exercuisset, ingentes opes breui assequutus est. Cum autem Cypselus patriam Corinthum occupasset, ratus non tutum fore, multa præsertim possidentem hominem, sub tyrannide uitam agere, relicto solo patrio, sumptisq; secum quæ ferri poterant bonis, in Ethruriam quàm ocyssimè nauigat: ubi ducta illustri uxore, duos procreat filios, Aruntem scilicet & Lucumonem. Arunte fratre mortuo, Lucumo solus paternas opes adeptus, Romam proficiscitur: Ancíq; regis familiaritatē consequutus, tutor filiorum relinquitur, & tandem regno potitur præter æquum & fas, ut omnes historici tradunt. Cæterùm de urbe Massilia notabis, esse urbem Narbonensis Galliæ, à Phocensibus conditam, sicut Strabo & Gellius docent. Vnde Phocais iuuentus Lucano, pro Massiliensi dicta est. Olim Massiliæ studia ingenuarum doctrinarum adeò floruerunt, ut Romani pro Attica peregrinatione Massilioticum peterent gymnasium, ad disciplinas capescendas. Ob id Cornelius Tacitus tradit, Massiliam Agricolæ socero suo fuisse sedem ac magistram studiorum, græca comitate & prouinciali parsimonia mixtam, ac bene compositam. Ob id uidetur dixisse Plautus, Massilienses mores, in Casina, pro optimis ac probatissimis. Videndus est Strabo in quarto.

176 VI

SERVIVS TVLLIVS. L.

Seruius Tullius regnauit annos triginta quatuor: qui primus censum instituit ciuium Romanorū. Huius temporibus apud Persas Cyrus primùm regnare cœpit.

Seruius hic à fortuna propria, quòd eum seruiens peperisset Ocrisia captiua, pulcherrima prudentissimaq; Corniculana mulier: Tullius uerò à cognatione, nomine patris dictus est, ut Dionysius in quarto, res eius gestas plures enumerans, scribit. Tanaquillidis astu, socrus suæ, regnum adeptus est, quarto Olympiadis quinquagesimæ anno: quadragintaquatuor annos uerò gubernans (ut in primo libro scribit, in quarto enim est error impressionis) insidijs Tarquinij generi & Tulliæ filiæ impiæ occisus est, in uico à re ipsa Scelerato dicto. Idem Liuius libro primo. Vide Florum libro primo, titulo sexto. Cassiodorus noster, puto ex Eusebio, trigintaquatuor annos, numerorum notis inuersis, huic tribuit. Sic & Eutropius libro primo, capite nono. Sed annorum illa computatio ueritati non suffragatur. Iudica lector. Orosius perstringit, Veientes Seruio Tullio insistente uictos fuisse, nec domitos. Solinus tradit, Seruium Tullium Exquilijs supra cliuum Olbium habitasse, qui regnauit annos duos & quadraginta. Non præteribo (uerba sunt Plinij in trigesimosexto, quæ de hoc rege in hanc formam tradit) & unum foci exemplum, Romanis literis clarum. Tarquinio Prisco regnante, tradunt repentè in foco comparuisse è cinere genitale masculini sexus, eamq; quæ ibi sederat Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisiam captiuam, consurrexisse grauidam: ita Seruium Tullium natum, qui regno successit. Inde & in regia cubanti puero caput arsisse uisum, creditumq; Laris familiaris filiū. Ob id compitalia & ludos Laribus primùm instituisse. De Cyro Xenophon, Iustinus, & Eusebius, ac cæteri.

220 VII

TARQVINIVS SVPERBVS. LXI

Tarquinius Superbus regnauit annis trigintaquinq;. Huius temporibus Pythagoras physicus philosophus clarus habetur.

Numerorum notæ hic iterum errorem ingesserunt, quia & Dionys. in quarto, & Liuius in primo, & Solinus in Polyhistore suo, Tarquinio Superbo uigintiquinq;, non

OLYM. non triginta quinque annos attribuunt, cum illi decem anni Seruio sint attribuendi. Caßiodorus, Eusebius & Eutropius, iunioribus hinc errandi occasionem præbuere. Vide Florum libro primo, tit. septimo, cum alijs dictis autoribus: unde hic Tarquinius Superbus dictus sit, & cur in exilium missus, quo pacto castißima Lucretia à filio eius Sexto constuprata fuerit. Solinus: Tarquinius Superbus & ipse Exquilijs supra cliuum Pullum habitauit, ad lacum Fagutalem, qui regnauit annis quinque & uiginti. Eusebius tradit, uincula & carceres ipsum inuenisse. Orosius libro secundo, capite quarto: Tarquinij Superbi regnum, occiso socero, scelere assumptum, habita in ciues crudelitate detentum, flagitio adulteratæ Lucretiæ amissum, & intus domestica uitia, uirtutesque forinsecus emicantes, id est, oppida ualida in Latio, uel fraude propria, uel pœna filij, uel Romanis uiribus perpetrauit. Assequutus est autem præter omne ius regnum, anno quarto primæ & sexagesimæ Olympiadis: à quo turpius quàm acceperat, eiectus est, abdicato regiæ dominationis nomine. Sed cur non monastica cuiusdam nostratis poetæ, de septem regibus Romanis, subijciam, ut posteritati consulatur?

Romulus aggreditur regnum, qui condidit urbem:
Prima Remus quoniam mœnia transit, obit.
Numaque diuinis impleuit cultibus urbem,
Tullius inuentis fascibus arma ciet.
Ancus Auentinum montem superaddidit urbi,
Prisce triumphali primus honore tumes.
Tullius inuenit censum, Vulcania proles:
Tarquinius Sexti crimine pulsus abit.

Expulso autem urbe Tarquinio, bini Consules cœperunt pro uno Rege, annis singulis administrare rempublicam.

Reges nullis legibus obnoxij, domi populum, exercitum foris pro suo arbitratu regentes, nunc belli, nunc pacis artibus rem Romanam auxere: eoque nutriendo perduxere, ut bonam frugem libertatis maturis iam uiribus ferre posset. Tarquinio autem Superbo ob immodicam dominandi licentiam regno exacto, regia potestas penitùs in urbe cessauit. Et hæc est infantia pop. Rom. ut L. Florus docet, qui urbis Romæ & pop. Rom. quatuor ponit ætates. Quem pulchrè postea æmulatur Ammianus Marcellinus in quartodecimo libro, qui omnino uidendus est: utinam non tam lacer & scissus ac fenestratus ad nos uenisset. Vnde Liuius in fine primi libri: Regnatum Romæ ab cōdita urbe ad liberatam, annos ducentos quadragintaquatuor. Duo Consules inde comitijs Centuriatis, à præfecto urbis, ex commentarijs Seruij Tullij creati sunt: L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.

HINC CONSVLES.

Orosius libro secundo: Quanta mala Romani per ducentos quadraginta annos, continua illa Regum dominatione pertulerint, non solum unius Regis expulsio, uerumetiam abiuratio Regij nominis & potestatis, ostendit. Nam si unius tantum superbia fuisset in culpa, ipsum solum expelli oportuisset, seruata Regia dignitate. Melius igitur Regibus urbe propulsis, Romani consulendum sibi, quàm cuiquam suæ libertati dominandū rati, Consules creauerunt: quibus ueluti reipub. adulta crescentis ætas, robustioribus ausis exercebatur. Dionysius autem à principio libri quinti, sic ait: Regius dominatus durans post urbem conditam annos ducentos & quadraginta quatuor, sub rege ultimo in tyrannidem conuersus, his est causis per hos uiros dissolutus, Olympiade octaua & sexagesima, qua uicit in stadio Ißimachus Crotoniates, gerente Athenis magistratum annuum Isagro. Paucorum autem principatu inito, primi quidem regium dominatum suscipientes Consules, quatuor mensibus ad annum illum deficientibus, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus:

Ab urbe con. quos Romani lingua sua Consules appellant, alios assumentes multos aduenientiũ in urbem militũ ab exercitu, &c. Sic Liuius in fine primi libri ab Vr. con. Regnatum Romæ ab condita urbe ad liberatã, annos ducentos quadragintaquatuor. Duo Consules inde comitijs Centuriatis à Præfecto urbis ex commentarijs Seruij Tullij creati sunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus. *Olym. Post exa*

245 L. IVNIVS BRVTVS, ET L. TARQVINIVS COLLATINVS. LXVIII. I

Hi annum integrum minimè tenuerũt ad peragendum, ipsis alijs subrogatis: id est, P. Valerio, Sp. Lucretio, & Horatio Puluillo.

Horum duorum Consulum meminit Liuius in secundo ab urbe condita, & Dionys. in quinto Antiquitatum, Plutarchus in Publicola. Vt autem sigillatim de unoquoque loquamur, annotandum, primo anno post eiectos reges, quinque fuisse Consules, quos ordine recẽsebimus. L. Iunius Brutus, filius fuit M. Iunij, eorũ unius qui cum Aenea coloniam deduxerunt, inter clarissimos Romanorum ob uirtutem numeratus. Huic Marco Tarquinij regis prioris filia Tarquinia data uxor, hunc Lucium Iunium, & filium maiorem natu peperit: quos, patrem scilicet & filium maiorem, Tarquinius Superbus ob diuitiarum cupiditatem sustulit. Lucius uerò ulcisci impotens patris mortem, fatuitatem simulat, ut uitam tueatur, opes nihili faciens. Itaq; in templo Delphico cum filijs Tarquinij oraculo accepto, eum regnaturum, qui prior scilicet matrem exosculetur: casum fingens, terram communem omnium matrem deosculatur: & pòst in ensem coniurans, quo se Lucretia confecerat, uindex fuit libertatis, primusq; Consul: uir uehemens, & qui filiorum occisiones immota facie, quia contra legem de reducendis regibus coniurarant, uidere sustinuerit. L. uerò Collatinus Tarquinius, maritus fuit Lucretiæ interfectæ, autor etiam libertatis cum Bruto. Sed cum mitius cum Aquilijs sororis suæ filijs, qui in eadem coniuratione conuicti fuerant, agendum censeret, in dissensionem cum Bruto uenit: inuisus etiam populo factus, cui Tarquiniorum nomen exosum erat, se magistratu abdicare coactus est. In cuius locum tertius Consul substitutus, P. Valerius, non Lucius, ut Dionysius, Liuius, Plutarchus attestantur: Publicola, quòd remp. coleret, & populo obsequentissimus esset, appellatus. de quo, quia integram uitam illius prosequutus est Plutarchus, nihil amplius repetam: hoc solo adiecto, quòd Plinius libro 36. cap. 15. hunc etiam L. Valerium Publicolam appellat, si est codex emaculatus. Nam de nobilibus ædificijs ac domibus scribens, inquit: Subit uerò cogitatio, quota portio harum fuerint areæ illę, quas inuictis Imperatoribus decernebant publicè ad exædificandas domos: summusq; illarum honos erat, sicut in L. Valerio Publicola, qui primus Consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, & fratre eius, qui bis in eodem magistratu Sabinos deuicerat, adijci decreto, ut domus eorum fores extra aperirentur, & ianua in publicum reijceretur. Hoc erat clarissimum insigne inter triumphales quoque domos. Sed de ijs satis. Brutus uerò, cum Arunte Tarquinij filio, in prælio occisus cum esset: Spurius Lucretius Tricipitinus, Lucretiæ pater, in locum defuncti suffectus est, quartus illius anni Consul: qui non multos dies obtinens imperium, ob senectutem moritur. In Lucretijq; locum sufficitur M. Horatius Puluillus, qui quintus erat anni primi Consul. Sic omnes uetustiores scribunt autores. Liuius tamen hoc etiam adijcit: Apud quosdam ueteres autores nõ inuenio Lucretium Consulem, Bruto statim Horatium suggerunt: credo, quòd nulla gesta res insignem fecerit Consulatum, memoria intercidisse. De his COSS. uidendus est etiam Florus, titulo nono libri primi: & Eutropius cap. undecimo, & Plutarchus in Publicola. Dionysius autem hos COSS. principatum illum regiũ inijsse scribit Olympiade octaua & sexagesima, quatuor mensibus ad illum annum deficientibus. Neq; tamen illud

Olym. Post re. exa. obmittendum, quod Macrobius tradit in primo Saturnaliũ, aliquos putare, Iunium mensem ab hoc Iunio Bruto appellatũ, quòd hoc mense, Calendis Iunijs, pulso Tarquinio sacrum Carnæ deæ (quæ humanis uitalibus præesse creditur) in Celio monte uoti reus fecerit. Orosius lib. 2. cap. 5. Anno post urbem conditam ducentesimo quadragesimoquarto Brutus primus apud Romanos Consul, primum conditorem regemq; Romæ non solum exæquare parricidio, sed & uincere studuit. Quippe duos filios adolescentes, totidemq; uxoris suæ fratres Vitellios iuuenes, reuocandorum in urbem regum insimulatos, in concionem protraxit, uirgis cecîdit, securiq; percussit. Quæ hoc anno gesta sunt, clarissimè & latissimè Dionysius in quinto explicat, & Liuius in secundo. *Ab urbe con.*

2 2 P. VALERIVS PVBLICOLA II. ET T. LVCRETIVS. 246

Sub ijs Consulibus, Dionys. nihil gestum aliud mentione dignum scribit, quàm quòd censuræ factæ sunt, & constitutiones conferendorum tributorũ in bella, ut Seruius Tullius rex sanxerat, per tempus intermissa. Liuius uerò in secundo, ijs COSS. Tarquiniũ uenisse Clusium, ad Lartem Ethruscorum regem Porsennam, scribit (est autem Lartes Etrusco uocabulo, monarcha regum Lucumonum, qui duodecim erant, maximus: & sic Lartes dignitatis nomen, non proprium, ut Dionysius aberrat) sub quo M. Horatius Cocles, & C. Mutius Scæuola, egregia fortitudinis opera exhibuerunt: regemq; eò impulerũt, ut fœdera cum Romanis pacisceretur. Id quod Plutarchus etiam in Publicola tradit, ubi leges de Horatio Coclite & Mutio Scæuola pulchra: quæ & Liuius prolixè narrat, & Florus libro primo sub compendium redigit. licet Mutij Scæuolæ egregium facinus, Porsenæ regis fœdus cum Romanis ictum, ac obsidum uirginum uirtutem, sub P. Valerio tertio & M. Horatio Puluillo iterum COSS. factum, scribat in Publicola Plutarchus, & Dionysius libro quinto latissimè: quos tamen COSS. P. Valerium tertiò, & M. Horatium iterum, neq; Liuius nominat libro secundo, neq; Cassiodorus hic recenset, licet P. Valerium quartò Consulem fuisse significet. Nam quòd paulo infrà Valerius tertiò, & P. Posthumius scribitur, falsum est. is enim fuit M. Valerius Publicolæ frater, non ipse P. Quocirca non abre suspicandus est Liuius hoc in loco, quemadmodum in plerisq;, mancus & lacer. nam post obsidum uirginum narrationem, Aruntis filij Porsenæ regis mortem describit: quæ quarto anno post exactos reges facta narrantur à Dionysio, S.P. Largio & T. Herminio COSS. quos Liuius non ponit. Sed P. Lucretium, & P. Valerium Publicolam, quos alibi non leges, describit: quorum nomina sunt corrupta, & ideo sine dubio hic scribendi sunt.

3 3 P. VALERIVS III ET M. HORATIVS II. 247

Sicut illud quoq;, quod iunior Plinius de Viris illustribus (si non est Cornelij Nepotis opus, quod plerique certò asserunt) scribit, tit. decimoquinto, ubi hunc Valerium P. uocat Lucium Valerium, contra omnium aliorum rationem. Nisi fortè quis dicat, Liuium alios sequutũ annales, alios scripsisse COSS. quàm Dionysium Alicarnasseum: cum tamen ordo Dionysij sit admodum rationi consonus, & anni acres gestę uideantur sibi ita succedere, ut inferius uidere licet ex Censorino, ubi de ludis secularibus agit, sub Valerio Publicola quarto, & T. Lucretio iterum COSS. Facilis est enim lapsus prænominum, quæ simplici litera scribuntur. Siue fortè error hinc natus est, quòd Liuius scribit, se apud ueteres autores nõ inuenire Lucretium COS. & ideo suffectum M. Horatium Puluillum, qui Capitolium dedicauit: de cuius dedicatione multa erudita leges apud Plutarchum, quæ consultò obmitto. Reijcio tamen hæc omnia ad iudicium eruditorum, qui emunctæ sunt naris, & aures habent mordaci lotas aceto. Satis est tamen ingenuè aperire, quæ me nonnunquam in tanta rerum obscuritate morantur. Cæterùm gesta illius tertij anni, Consularis potestatis, bellum

Ab urbe con. scilicet Ethruscum cum rege Porsenna: Coclitis uirtutem qui pontem rescidit, & coxa læsus claudicabat: ac insigne Mutij facinus, qui scribam pro rege interfecit: cum egregia uirginum obsidum enatatione, complectitur Dionysius lib. 5. Antiquitatum. *Olym. Post exacto re.*

248 SP. LARGIVS, ET T. HERMINIVS 4. 4

Ita in Casiodori exemplo unico, quod habui, hi COSS. scribuntur: licet alter T. Heramnius perperam scriptus sit. Quos tamē Liuius inter COSS. non nominat, sed inter socios Horatij Coclitis, qui pontem sustulit ab incursu hostium, ambos claros genere, factisq; collaudat. Vbi etiam in uulgatis codicibus perperam impressum est, Sp. Laertius, pro Sp. Largio, quod paulo infrà ex eodem liquet. Par menda est apud Dionysium in quinto, ubi de ijs COSS. scribens, ita inquit: Anno autem quarto Consulatum ineuntes M. Largius, Titusq; Ermenius, sine bello magistratum gessere. Nisi alter Consulum dictus sit M. Spurius Largius: uel ut alibi reperi, Sp. Martius Largius. His itaq; COSS. Aruns Porsennæ regis Ethruscorum filius, Aricinam urbem annum iam secundum obsidens, moritur. Statim enim simulatq; icta sunt fœdera cum Romanis, à patre dimidium accipiens exercitus, Aricinis bellum intulit, sibi proprium paraturus imperium: & cum parum abfuisset quin urbem caperet, adueniente Aricinis auxilio ex Antio & Tusculo, Cumisq; Campaniæ, instructus ipse, uiribusq; minoribus aduersus maiores dimicans, alios quidem auertit, & ad usque urbem perpulit: à Cumanis uerò, quos ductabat Aristodemus, Mollis cognomine, uictus moritur. Illud Liuius sub P. Valerio iterum, & T. Lucretio, COSS. factum scribit in secundo. quod sine dubio esse non potuit: id quod animaduertet, quisquis rerum actarum rationem habebit. & quia tunc subiungit, P. Lucretius inde & P. Valerius Publicola COSS. facti: sub quibus scribit (qui tamen nusquam alibi leguntur) Porsennam iterum legatos de reducendo in regnum Tarquinio Romam misisse. Quod non conuenit, si prius cum Romanis fœdera inijt, & pacem assumpsit. Et ideo coniector hic Liuium esse deprauatum, qui hos COSS. omnino prætermittit. Adhæc, reperi quendam uetustissimum codicem, cuius autor ignoratur: qui sola nomina Consulū ponit, ab eiectis regibus ad Gothorum tempora: & à quibusdam censetur esse Pauli Orosij: quem sæpius hoc opere citabo, in quo semper quatuor annorum COSS. quasi sub una Olympiade scribuntur: & è regione nomina planetarum, cum quibusdam numeris, quos neq; intelligere potui, neque hactenus qui intellexisset reperi: dehinc alio colore rubro iterum alij, sub hac scilicet forma,

Bruto & Collatino. Lu. XXIX.
Publicola II. & Tricipitino. Mar. X.
Publicola III. & Puluillo. Mer. XXI.
Rubr. RVFFO ET AQVILINO. Io. II.
Valerio & Tuberto. Sat. XIII.
Publicola IIII. & Tricipitino. Sol. XXIIII.
Tuberto II. & Lanato. Ven. V.

Dehinc iterum cum rubrica eodem ordine COSS. & cæteri numeri in suis columnis. E' quibus nonnunquam COSS. didici, qui falso erant in hoc opere Casiodori, incuria librariorum transcripti. Didici ergo ex illo codice, à Bruto & Collatino usq; ad Consulatum Publicolæ quartum, & Lucretij, esse sex Consulatus: id quod etiam Dionysius apertè in sua historia ostendit. licet tot in Liuio minimè inuenias. Per Ruffum autem, & Aquilinum, intelligo Sp. Largium & T. Herminium. Sic enim cognominabantur illi, qui nobiles erant. Tria enim nomina habebant nobiles Romani. Vnde illud poetæ: Et tria nomina nobiliorum. Inferius enim T. Largium Ruffum Consulem habebimus, collegam Posthumij Comminij: & T. Herminium Aquilinum, inferius paulo in libro secundo. Liuius legatum scribit fuisse A. Posthumij Dictatoris, bello Latino: ac occidisse Octauium Manilium, generum Tarquinij, ictu transfixum per latera: sed cum spoliaret corpus, ueruto percussum, cum ui-

Olym. Post re. exa. ctor in castra esset relatus, inter primam curationem expirauisse. Et Dionysius in quinto, ubi sub sequentibus COSS. Valerio & Posthumio bellum Sabinum describit, seniorem Spurium, qui superiore anno Consul fuerat, equites ductasse narrat. Sic nanque hi duo COSS. non possunt obmitti, si rectè tempora supputentur: id quod à nemine hactenus animaduersum miror. Præterea inferius narrabitur de Dictatura, quæ nono anno ab exactis regibus fertur instituta: quòd non procederet, si ij COSS. obmitterentur. *Ab ur be con.*

Tubertus.

LXIX 5 VALERIVS III. ET POSTHVMIVS.

Corruptum est Casiodori exemplar. nam hic scribi debet M. Valerius, qui frater fuit P. Valerij Publicolæ: non Valerius P. qui quartò fuit Consul, ut inferius patebit, & Dionysius latè scribit. Sed huius collega erat P. Posthumius Tubertus, ut Plutarchus in Publicola testatur, qui etiam laudes huius M. pulchrè describit: & Liuius in secundo, sub quibus Sabinorum incursiones in agrum Romanum, punitæ sunt, captis tredecim milibus hostium: de quibus & M. triumphauit, autore Plutarcho. quod Sabinorum bellum Dionysius in quinto ingeniose describit, & Liuius leuiter attingit: sed anno quinto hoc factum narrat, quo hos COSS. M. scilicet & Tubertum ponit Posthumium, cum esset Olympias nona & sexagesima, qua uicit in stadio Ischomachus Crotoniates: Athenis uerò in magistratu iterum erat Acestorides. Hic autem est Posthumius Tubertus, cuius Cicero in Legibus meminit, qui sua uirtute promeruit, ut in urbe sepeliretur: cum aliàs apud Romanos cautum lege foret, ne quis in urbe sepeliri posset, præter eos tantum, qui egregia uirtute rebusque clarissimè gestis meriti hoc essent. Quod exemplo Atheniensium fortè factum, qui Solonis leges de sepulchris sequuti sunt. Sed & Plutarchus in quæstionibus uidendus est. 249

2 6 P. VALERIVS IIII. & T. LVCRETIVS TRICIPITINVS II.

Sub ijs COSS. alterum bellum Sabinorum aduersus Romanos excitum, duce Tarquinio Sexto: quo tempore Appius Claudius ex Sabinis cum quinque millibus arma ferre uolentibus, Romam commigrauit: qui in Senatum lectus, & tribus Claudia ab eo deinceps dicta est, ut Plutarchus in Publicola, Liuius in secundo paucis, copiosius in quinto Dionysius scribunt. Cum in hoc bello tredecim milia & quingenti hostium essent occisi, quatuor milia & ducenti capti, ambo Consules triumpharunt. Repetit Suetonius in Tiberio, Claudiam gentem cum magna clientum manu uel sub Tatio, uel post exactos reges, sexto ferè anno Romam ex Sabinis com migrasse: ac deinde procedente tempore duodetriginta Consulatus, dictaturas quinque, censuras septem, triumphos sex, ouationes duas, esse adeptam. Cæterùm cum sub id tempus, ut in Publicola Plutarchus scribit, horrenda pestis agros & urbes euastaret, mulieresque imperfectos pueros ante legitimum tempus parerent, Publicola consultis libris Sibyllinis orcum placauit: reuocatisque Pythijs quibusdã certaminibus, spes ciuitatis ad rem diuinã erexit, aramque sub terra tali inscriptione occuluit, 250

P. VALERIVS PVBLICOLA FRVMENTARIVM CAMPVM DITI ET PROSERPINAE CONSECRAVI: ET LVDOS DITI ET PROSERPINAE ROMANORVM SALVTIS ERGO FECI.

Et illi dicebantur ludi Terentini, à quodam Valesio inuenti, de quorũ origine Valerius Maximus libro secundo de Institutis. plura M. Varro libro de Scenicis originibus primo. Hos postea seculares dixerunt, quòd plerunque semel hominis ætate fierent: ut multa alia quæ rara sunt, post seculum euenire dicimus. Licet aliqui centesimo quoque anno prodiderint facta, aliqui centesimo & decimo. Vnde Censorinus de Distinctionibus ætatum hominis agens, capite tredecimo, de ludis secularibus

ribus pulcherrimè disputat, asserens ludos seculares Romæ factos nouies usque ad sua tempora. Primos (inquit) ludos seculares exactis regibus, cum post Romam conditam annis ducentis quinquaginta à Valerio Publicola institutos esse constet (circiter enim id tempus Publicola quartum gessit consulatum, quo ludi, teste Plutarcho, facti sunt: & cum is sextus sit annus ab exactis regibus, priusquam regnatum sit 244. annis, resultant 250. anni indubiè) sequentes dehinc uariati sunt ab autoribus, & à quindecimuiris usque ad quintos, qui sub Augusto fuerunt, Furnio & C. Iunio Syllano Coss. Et ideo semper duplices ponit Censorinus: sed totus corruptus est, adeò ut etiam doctissimum Angelum Politianum deterruerit, cum hos ludos enarraret, lapsum propriorum nominum & numerorum notas causatus. Pauca quædam tamen ex græco Zosymo adducit: utinam & Coss. recenseret, facile uulneribus Censorini mederi possemus. Sed quia hactenus Zosymum non uidi, faciam quod possum: & sub singulis Coss. à Censorino citatis, quoad ualeo, mendas tollam. Vide autem de Origine horum ludorum, eundem Censorinum cap. 6. ubi de seculo agit: & Politianum in suis Miscellaneis.

251 AGRIPPA MENENIVS, Lanatus, ET P. POSTHVMIVS II. Tubertus. 3 7

Sub ijs tertia fuit Sabinorum in Romanum agrum irruptio, qua Posthumius Consul magnam accepit ex indiligentia sua cladem: quam eius collega, nisi mox uindicasset, malè de repub. Romana actum esset. Hic tamen Agrippa instituta acie, cum Tuberto, iterum in Sabinos progrediens, eos cæcîdit ac fugauit, multisque spolijs milites locupletauit. Ambo summa pompa urbem ingredientes, Agrippa triumphum, Posthumius ouationem egit: quæ tum primùm fuit inuenta, ut Dionysius in quinto scribit. Liuius autem in secundo, sub illis Coss. duas colonias Latinas, Pometiam & Coram ad Aruncos defecisse scribit. Cum Aruncis quoque bellum initum tradit, quod Dionysius obmittit. Sed uterque tradit, sub his Coss. mortuum esse Publicolam: cui etiam ex publico funus est magnificentissimè decretum. Matronæ annum luxerunt, teste Plutarcho in eius uita, & Dionysio atque Liuio: necnon de Viris illustribus Plinio iuniore, capite decimoquinto, qui plura etiam de Menenio Agrippa capite decimooctauo perscribit. Cæterùm licet hic Publicola bis triumphauit, de Ethruscis atque de Sabinis, credo haud esse ab re, differere quid triumphus distet ab ouatione, quam primus COSS. hic Posthumius egit. Triumphus itaque (ut nonnihil de illo dicamus) primùm à Baccho, post Indicam uictoriam est ostensus: nomenque ab re inditum est. Milites enim folijs ficorum, quæ θρία dicuntur, uultus cooperuerunt, iambos & scommata canentes, quæ sunt licentiose dicta mixta salibus, in eum qui triumphat. pòst uerò milites usi fuere rhythmis. Scribunt alij, triumphum dictum ἐκ τῶν τριῶν, hoc est, tribus uelut ordinibus, Senatorio, populari & militari, à quibus celebris est triumphus. Cognomentum Baccho triumphanti M. Varro tradidit: unde clamabant omnes, Io triambe, Bacche Io. Nos conuertimus in triumphum: & Romani milites dicebant, Io triumphe. Tradunt & scenicos, priusquam ora fecibus tegerent, folijs ficorum usos fuisse. Triumphus uerò plus est quàm ouatio. Domitis multa cæde hostibus, habebatur triumphus, & boues cornibus auratis mactabātur: & bos ipse qui mactabatur in triumpho, Triambos etiam dictus est. Cum uerò hostes sine pugna & sanguine cum ducibus Romanis conuenissent, quoniam sine cæde esset, ouatio erat. Pedes ingrediebatur urbem, qui sic uicisset, sine ferculorum pompa, myrto coronatus unà cum militibus: quia ea arbor dedicata Veneri, quiescere ab armis ostendit. Tibicines ouantem præcedebant, quæ paciferæ choreæ instrumenta sunt. In sacris mactabantur oues, unde ouationis nomen. Modò de triumpho centuriæ decernebant, & comitia erant centuriata: modò Senatus. Primus qui quadrigis urbē est inuectus, fuisse Priscus Tarquinius memoratur. Sunt qui malint

Olym. Post re. exa. P. Valerium Publicolam. Prima ouatio hinc Posthumio Tuberto data est. In triumpho clangor tubarum, in ouatione concentus tibiarum: ille Martis, hic Veneris est. Plinius libro decimoquinto, capite uigesimonono, de myrto scribens sic inquit: Bellicis quoque se rebus inseruit: triumphansque de Sabinis Posthumius Tubertus, in consulatu, qui primus omnium ouans ingressus urbem est, quoniam rem leuiter sine cruore gesserat, myrto Veneris uictricis coronatus incessit, optabilemque arborem ex hostibus fecit. Hæc postea ouantium fuit corona: excepto M. Crasso, qui de fugitiuis & Spartaco laurea coronatus incessit. De triumpho & ouatione si plura uolueris scire, adeas Plutarchum in Marcello. Nonnihil etiam in quinto libro Dionysius scribit, aliam orationis originem afferens. *Ab urbe con.*

4 8 *Ostricatus,* *Viscellinus.*

OPITER VERGINIVS, ET SP. CASSIVS. 252

Sp. Cassius Sabinorum bellum dissoluit: cumque uno conflictu circiter decem milia & trecentos ex Sabinis occidisset, pluresque captiuos abegisset, de iis triumphauit, ut Dionysius in quinto scribit. Verginius uerò alter Consulum, Cameriam obsidens, ultima die cæpit, prædam militibus promisit: turbam aliam uendidit, urbemque euertit, autores defectionis interfecit. Liuius in secundo, hos COSS. ob iras magis grauiter ultas, quàm ob magnitudinem perfecti belli triumphasse scribit. Confer Liuium & Dionysium, & ritè bellum hoc cognosces. Opiter autem dicitur (ut illud quoque in transcursu explicemus) qui patre mortuo, auo uiuo gignebatur, ut hic. Quintilianus in libro primo præcipit, scrutandas esse à subtili præceptore origines, unde Agrippa, & Opiter, & Cordus, & Posthumus dicātur. Ibi incuriosè scriptum est Codrus: tu lege Cordus. & est is dictus, qui serotina fœtura natus est: ut cordum frumentum & fœnum, & cordi agni: ut Varro in secundo de re Rustica. Hinc quidam Cordus Cremutius dictus, cuius in Augusto meminit Suetonius. & alius Cordus scriptor historiarum, apud Iulium Capitolinum in Gordiano.

LXX 9 *Aruncus,* *Ruffus.*

POSTHVMIVS, ET T. LARGIVS. 253

Hic Latini à Romanorum amicitia desciuerunt, duce Octauio Manlio Tusculano, Tarquinij genero, cuius & Florus libro primo meminit, titulo undecimo, de bello Latino. M. autem Valerius, uir Consularis, legatus ad uicinas urbes, ne quid molirentur noui, repulsus est, ut Dionysius in quinto scribit: cum etiam seruorum tum coniuratio aduersus urbem deprehensa est, seruique flagellis cæsi, è scopulo sunt præcipitati. Liuius (nisi error sit codicis) Octauium Tarquinij generum Mamilium uocat: quem Dionysius, & Florus Manilium. Hos autem COSS. fuisse scribit factos Dionysius septuagesima Olympiade, qua uicit in stadio Niceas Locrensis, imperante Athenis Myro.

HIS COSS. DICTATOR PRIMVS T. LARGIVS, ET MAGISTER EQVITVM SP. CASSIVS ORDINANTVR.

Refert Liuius libro secundo, Octauio Manilio autore quadraginta populos in excidium urbis coniurasse: ob idque sollicita ciuitate, Dictatoris primum creandi mentionem ortam: sed nec quo anno, nec quibus COSS. id factum sit, traditur. T. Largium omnes primum Dictatorem scribunt, quia Consularis erat: licet aliqui M. Valerium Fuscum, Volesi nepotem, moderatorē & magistrum populi tradant, ut & Eutropius lib. 1. cap. 11. quos iuniores sequuntur, qui nono anno tradunt ab exactis Romæ regibus, nouam dignitatē, Dictaturam scilicet, creatam: quam pluribus annis postea primùm

Ab urbe con. | Olym. Post re. exa.

mûm inuentam, Dionysius scribit libro quinto, ut inferius notabimus. In cuius libri fine multa de origine Dictaturæ, quæ paucis Liuius in secundo perstringit, ab eodem eleganter perscribuntur: quæ uideas illic accuratè. Iureconsultus in primo Digestorum, de Officio præfecti prætorio, qualis ea etiam fuerit dignitas perscribit: ubi magistros equitum præfectis prætorio comparat. Sed quæ ibi deblaterat Accursius, meræ sunt nugæ, & non audiendæ. Videndus est Cicero in prima Philippica: ubi docetur, quòd Dictatura post mortem Cæsaris, Senatusconsulto est sublata: & hanc dignitatem quasi regnum quoddam appellat. Nemo autem crudelius hoc magistratu usus est, quàm Lucius Sylla: ut inferius patebit. Polybius quoque libro tertio, Dictatoris meminit. Inter iuniores Fenestella etiam, libello de Romanis magistratibus, titulo uigesimotertio, omnia ex ueteribus colligit, quæ de Dictatura traduntur, & magistro equitum, cuius summa potestas erat in equites & accensos: ut Dictatoris in populum, qui inde magister populi dicebatur, ut Varro & Seneca perscribunt, & memorat Cicero de Legibus libro tertio. Quomodo autem Dictator à Consule nocturno tempore dicebatur, uide Liuium in nono. & quemadmodum à Græcis hæc tyrãnis introducta sit, docet Dionysius in quinto eruditè: qui ante omnia est uidendus. Sed & Aristoteles tertio Politicorum huius meminit dignitatis. Lege etiam Plutarchum in Fabio & Marcello, & in Problematis. Meminit & Eutropius capite undecimo libri primi. Vide paulo inferius sequenti consulatu, de Dictatore.

Camarenus.

254 SERVILIVS SVLPITIVS, ET M. MANLIVS TVLLVS. 2 10

Sub iis nihil dignum memoria actum, Liuius in secundo scribit: Dionysius uerò in quinto, Fidenatium coniurationem factam esse, pluribus enarrat, per Tarquinios: & quo pacto indicium ad Sulpitium Consulem peruenerit, & Sulpitii prudentia detecta coniuratio atque punita sit. lege illic quæ desideras, ubi & horum COSS. nomina. Sed Manlius alter COS. dum in sacrificiis ex curru cecidisset, tertio post pompam die mortuus est: in reliquum tempus solus Sulpitius Consulatum gessit. Hæc omnia Liuius obmittit, sed Dionysius copiose narrat. At Ioannes Monachus, Zonaras aliàs appellatus, græcus autor, in suo magno historiarum opere horum quoque COSS. sic meminit, ad uerbum ita scribens, ubi res Romanas tractat: Seruio Sulpitio & M. Tullio COSS. moto rursus à Latinis contra Romanos bello, multi erant qui arma capere recusarent, debitorum remissionem flagitantes. Propterea nouus magistratus à potentioribus est factus: Dictatorem, qui eo fungeretur, appellarunt. Is per omnia regibus æqualis non erat. nomen enim regium ob Tarquiniorum memoriam exosum habebant. Cæterùm unius imperium, mirificè tum ad res bellicas, tum etiam ad ciuiles seditiones comprimendas salutare, adamabant: sub alio tamen quàm regis nomine. Erat igitur Dictatura potestate regiæ dignitati par, excepto hoc, quòd eques urbe egredi, Dictator nisi belli gerendi causa non poterat. Neque pecuniæ publicæ aliquid impendere, nisi ex Senatus decreto, ei licebat: mulctare uerò, & capite plectere domi bellique, nec tantum plebeios, sed & equites, Senatoresque non poterat autem contra eum quisquam aut dicere, aut agere aliquid: neque ipsis tribunis plebis fas erat. non etiam ab eius dicto licebat prouocare. Sex mensium tempus Dictaturæ erat præfinitum: ne in tanto imperio, si diuturnum esset, insolentior, ac præter modum arrogans aliquis redderetur, ac ita ad tyrannidem aspiraret. quod succedentibus annis à Iulio Cæsare factum est, postquã Dictator est declaratus. Ecce hic autor, Dictaturam in hunc annum transfert: & ideo non frustra Liuius dubitauit, quo anno primùm sit Dictatura inuenta. Iurisconsultus autem libro primo Digestorum, de Origine iuris & omnium magistratuum, huius sic meminit: Populo deinde aucto cum crebra orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur, interdum re exigente, placuit maioris potestatis magistrum constitui. Itaque Dictatores

 proditi,

Olym. Post re. exa. proditi sunt, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduersio data est. Hunc magistratũ, quoniam summã potestatem habebat, nõ erat fas ultra sextum mensem retineri. Et ijs Dictatoribus magistri equitum iungebãtur, sic, quomodo regibus tribuni Celerum: quod officium ferè tale erat, quale hodie præfectorum prætorio. magistratus tamen habebantur legitimi.

3 11 T. EBVTIVS, ET L. VETVSIVS. 255

Liuius in secundo C. Vetusium scribit: Dionysius in quinto, P. Veturium Geminium & P. Ebutium, qui & Elealas, COSS. XI. anni post exactos reges fuisse tradit. Tam diuersa nomina COSS. dant autores, quæ quis non facile emendabit. Sub ijs Fidenæ obsessæ, Crustumeria capta, Præneste à Latinis ad Romanos desciuit, teste Liuio. Dionysius autem in quinto, Fidenates post obsidionem à Veturio Consule scribit superatos, cæsos, fugatos, frustraq; Tarquinium Sextum Romanorum coloniam Signiam obsedisse: quam paulopòst cum consularis exercitus aduentasset, cum commeatu coactus est soluere, & abire. Sed hoc non obmittendum, quod Liuius his COSS. narrat, A. Posthumium Dictatorem & T. Ebutium magistrum equitum, bellumq; illud Latinum ad Regillum lacum factum, quo brachio traiectus M. Valerius Publicolæ frater interfectus, Manilius à T. Herminio legato occisus fuerat, & in quo Dictator uota Castori fecit: quæ omnia pòst sequentibus COSS. facta scribit Dionysius. Ob id & illud Flori libro primo, titulo undecimo, paulo diligentius examinandum est: qui hoc bellum describens, Posthumium Dictatorem scribit, ubi sine dubio Aulus intelligendus est. Cossus uerò magister equitum quis fuerit, quærendum, cum T. Ebutium omnes scribant: nisi & ille Cossus esset dictus, quod nusquam legi hactenus: cum Dionysio Elelaas dicatur, ut pauloantè annotauimus. Hæc sunt paulo diligentius examinanda. Meminit illius A. Posthumij & Plinius iunior de Viris illustribus, titulo decimosexto. Cæterùm à ueteribus Cossi homines rugosi corporis dicebantur, à similitudine cossorum, qui uermes sunt è ligno editi. Plinius libro decimoseptimo, capite uigesimoquarto: Luxuria cossos roborum delicatiores adhibere cœpit cibo. Hinc Hieronymus contra Iouinianum: In Ponto, inquit, & Phrygia, luxuria est comedisse xylophagion. Sic enim appellat cossos, uermes obesos, ex lignorum carie enascentes, qui apud illos à patrefamiliâs in magnis redditibus computabantur. Hinc fuerunt Romæ Cossi, Cossitij, Cossunij, & Cossutiani appellati.

Siculus, *Ruffus, uel Flauius.*

4 12 Q. CHLOELIVS, ET T. LARGIVS II. 256

His COSS. nihil factum, Liuius scribit. Dionysius uerò in quinto, Fidenatium deditionem enarrat: ac Latinorũ concilium factum in Serentino agro aduersus Romanos, ducibus Octauio Mamilio & Sexto Tarquinio. illicq; pluribus describit unà cũ nominibus urbium Latinorum, qui iurarunt in destructionem urbis: item quemadmodum populus decisionem æris alieni petebat, diuersæq; sententiæ à Valerio Appioq; Claudio super hac re dictæ sint. ac tum primùm nouum magistratum sex mensium à Senatu excogitatum, contra popularem autoritatem, quam illis Publicola in fauorem condonauit. Illicq; Dionysius plura de Dictatura enarrat copiosissimè: T. q; Largium primum Dictatorem, ac Sp. Cassium primum magistrum equitum scribit, eorum officia explicans. Vide igitur quàm diuersi sint autores, cum alij nono post eiectos reges, alij duodecimo scribant dictaturam repertam. Sed fortè in causa est, quòd ea T. Largio Consule inuenta sit. Vtrum autem primo, an altero consulatu, incertum est. T. enim Largius tam à Liuio, quàm à Dionysio, primus Dictator, Sp. Cassius magister equitũ primus nominabatur: licet tempus incertum fateatur Liuius. Fides penes autores sit.

A. Sem-

Olym LXXI

Ab urb. con. 257

Atratinus.

A. SEMPRONIVS, ET M. MINVTIVS AVGVRINVS.

Liuius ædem Saturno dedicatam ijs COSS. scribit, & Saturnalia festus dies institus fertur. Cæterùm Saturnaliorum origo latißimè à Macrobio enarratur, libro primo, capite sexto Saturnalium. Nec est prætereundus Lucianus de Saturnalibus, homini studioso, qui plura rectè intelligere uoluerit. Dionysius uerò libro sexto eadem. Sed & induciarum meminit belli Latini, & decreti cuiusdam inter Latinos & Romanos matrimonio iunctos: & originem festi Saturni, ac templi dedicationem. Scribit autem hos COSS. magistratum inijsse septuagesima prima Olympade, qua uicit in stadio Tisicrates Crotoniates, imperante Athenis Hipparcho.

Regillensis, Ostricatus.

258 A. POSTHVMIVS, ET T. VERGINIVS. 2 14

His COSS. elapsæ sunt cum Latinis induciæ, apparatusq; bellici ab utrisq; magni facti, ut Dionysius in sexto longè lateq; explicat: & hoc demum anno ad Regillum lacum pugnatum est, Aulo Posthumio Dictatore, cuius T. Ebutius fuit equitum magister: quod Liuius sub T. Ebutio & G. Vetusio, suprà scripserat. Ob id & ipse consultò subiungit: Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoq; anno factum sit in tanta uetustate non rerum modò, sed etiam autorum, digerere possis. Dionysius uerò hoc loco pugnam illam copiosius enarrat, quam paucis uerbis Florus libro primo contraxit, undecimo titulo. Ceciderunt in hac pugna, teste Dionysio, triginta tria penè milia Latinorum. Hic Aulus Posthumius Dictator, ei, cuius opera maximè expugnata castra Latinorum erant, coronam auream ex præda dedit: ut scribit Plinius libro tricesimotertio, capite secundo, docens quando primùm aurea corona data fuerit. Miraculum Castoris & Pollucis, & Sexti Tarquinij cædem, Latinorumq; cladem ac fugam, tandemq; eorundem cum Romanis conciliationẽ, post eiectos exules cum Tarquinio, qui annos quaturordecim solicitatis omnibus Latij populis, semper de reductione cum Romanis agebat, latè enarrat Dionysius. Sex. Iulius Frontinus libro Stratagematon primo, cap. undecimo, dicit hoc excogitatum de Castore & Polluce, ab A. Posthumio, ut suos milites animaret contra hostes. Sed Valerius Maximus quoq; uidendus, de Miraculis: & lib. secundo de Institutis, de Equitum transuectione, unde originem sumpserit.

Sabinus, Priscus.

259 APPIVS CLAVDIVS, ET P. SERVILIVS. 3 15

Sub ijs Consulibus, Liuius in secundo, mortem Tarquinij, Cumis apud Aristodemum cognomento Malacum, hoc est mollem, Romæ nunciatam scribit. De cuius Aristodemi origine, si multa uolueris scire lector, lege septimum librum Dionysij, à principio: tum bellum Volscorũ, quod Consulum ingenio sedatum est. Hinc longa serie narrat discordiam ortam inter patres & plebem, ob nexũ æris alieni: in qua Seruilius neutris, Appius patribus fuit gratus. Tum Sabinus describitur tumultus, Arũci acie deuicti: postremò dedicatio ædis Mercurij, à M. Lectorio centurione facta. Penè eadem Dionysius in sexto. Sed Consulum simultatem copiosius atque uberius explicat, mireq; alter cum altero conuenit. Florus autem libro primo, titulo uicesimosecundo his uerbis discordiam signat breuißimè: quia sub Appio Claudio uoluit uincere hostem, cum posset. Vide etiam Valerium Maximum libro nono, capite de Ira & odio, ubi & Consulum & M. Lectorij, quem ipse Pletorium uocat, fit mentio. Meminit horum Consulum Plinius libro tricesimoquinto, capite tertio. Suorum clypeos in sacro, uel publico, priuatim dicare, primus instituit (ut reperio)

Olym. Postre. exa. perio) Appius Claudius, qui Consul cum Seruilio fuit anno urbis ducentesimo quinquagesimonono. Posuit enim in æde Bellonæ maiores suos, placuitq; in excelso & titulos honorum legi. Decora res utiq;, si liberorum turbæ paruulis imaginibus ceu nidum aliquem sobolis pariter ostendant: quales clypeos, nemo non gaudens fauensq; aspicit.

4. 16 *Montanus.* *Geminius.*

A. VERGINIVS, ET T. VETVSIVS. 260

Hi COSS. suscipiunt Consulare imperium anno ab urbe condita ducentesimo & sexagesimo, imperante Athenis Themistocle: futura deinde septuagesima secunda Olympiade, qua uicit iterum Tisicrates, ut Dionysius in sexto scribit: quæ supputatio uera est. nam ducentis quadraginta annis, & quatuor, pop. Rom. sub regibus fuit: ab exactis autem regibus iste est decimussextus. Erunt itaq; sexaginta & ducenti anni. Sic Cicero in oratione pro Cornelio de maiestate, scribit (teste Asconio Pediano, nam oratio interijt:) Tanta in illis uirtus fuit, ut anno decimosexto post Reges exactos, propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsis sibi restituerent, duos trib. crearent, montem illum trans Anienem (qui hodie Mons sacer) in quo armati consederant, æternæ memoriæ causa consecrarent. Vide ibi plura apud Pedianum, qui & mentionem horum COSS. facit, & de trib. quædam scribit: COSS. q; uocat A. Verginium Tricostum & L. Veturium Cicurinum, aliàs Coturnium. Narrat autem Dionysius, ijs consulibus Sabinos iterum exercitum eduxisse, ac tum inter patricios ac plebem iterum ortam seditionem: M. Valerium Dictatorem, & Q. Seruilium Seruilij fratrem magistrum equitum creatos. Vbi mihi subit admiratio, quòd hic Dionysius M. Valerium scribit, P. Valerij primi Consulatum gerentis fratrem, electum pro Dictatore: cum prius anno decimoquarto ab exactis regibus, A. Posthumio T. Verginio COSS. M. Valerium hasta percussum, P. q; ac M. Valerij Publicolæ filios patruum strenuè protexisse: & spirantem adhuc, ne spoliaretur, scutis ad uallum delatum, ut eum ulciscerentur, in medios se proiecisse hostes, ac uiriliter pugnantes demum occubuisse. At Liuius M. hunc Valerium Volesi filium, Dictatorem creatum scribit, à quo tandem collectus est exercitus contra Sabinos & Volscos: quos Valerius deuicit, de hisq; triumphauit. Sed cum plebi Senatores patricij fidem non seruarent promissam, in sacrum montem secesserunt, maximaq; est orta plebis seditio: quam pluribus describit in sexto Dionysius. Liuius in secũdo penè eadem: nisi quòd addit, Menenium Agrippam oratorem missum his COSS. ad sacrum montem, pro concilianda plebe. quod Dionysius sequentibus COSS. factum scribit: quibus & tribuni plebis sunt creati. Ob id Eutropius libro primo, capite undecimo scribit: Sextodecimo anno post exactos reges, seditionem populus Romæ fecit, tanquam à Senatu atq; COSS. premeretur. Tum & ipse sibi tribunos quasi proprios iudices & defensores creauit, per quos contra Senatum & COSS. tutus esse posset. De hac prima urbis discordia libro primo, titulo uigesimotertio, Florus.

LXXII. 17 *Viscellinus.*

SP. CASSIVS II. ET POSTHVMIVS 261

Aruncus.

COMINIVS II.

Liuius in secundo sub ijs COSS. scribit ictũ fœdus cum Latinis populis: bellumq; Volscũ fuisse, quo & Volsci & Antiates fusi fugatiq; sunt: oppidum Corioli captum strenuitate Gn. Martij, qui Coriolanus pòst dictus fuit: cuius uitam Plutarchus perscripsit. Erant autem in fœderibus scripta talia:

Romanis atq; omnibus Latinis urbibus inter se pax esto, donec cœlum terraq; eundem habebunt statum.

Nec inter se bellum gerunto.

Neq;

Ab urbe con. *Olym. Post re. exa.*

Neq; bella aliunde indicunto.

Neq; bellum inferentibus ullis transitus tutos præbento, bellumq; gerentibus opem ipsi ferunto.

Totis uiribus, spoliorumq; & prædæ de hostibus communibus, utriq; æquam partem sortiuntor.

Priuatorumq; cõtractuum iudicia inter dies perficiantur decem, apud quoscunq; contractus fuerit.

His fœderibus nihil addi adimi'ue liceat, nisi quòd Romanis omnibus Latinisq; uideatur. Vnde & Eutropius inquit: Sequenti anno Volsci contra Rom. bellum parauerunt, & uicti acie etiam Coriolos ciuitatem, quam habebant optimam, perdiderunt. Subiungitq; Liuius: Sub ijs COSS. mortuum Menenium Agrippam, uirum probum, ac omni populo charum: cuius funus ære publico elatum est, teste Halicarnasseo. Sed idem hos COSS. Calendis Septembribus, antequam consuetudo permitteretur, imperium assumpsisse scribit. Septuagesima secunda Olympiade, qua uicit in stadio Tisicrates Crotoniates, imperante Athenis Diogneto, creati sunt COSS. cum nemo consulatum peteret, ut scilicet plebs patribus conciliaretur, quæ tum in sacrum montem secesserat. Illic pluribus enarrat Dionysius, quomodo plebs ductu Menenij Agrippæ, ac aliorum legatorum reuocata sit: & quo pacto in fauorem plebis Tribuni, qui sacrosancti habiti sunt, quinq; fuerint creati, quorum potestas illic latè describitur. Meminit & Ouidius tertio Fastorum: Gellius item libro tertiodecimo, capite duodecimo, passimq; cæteri, & Cicero tertio Legum copiosissimè. Sed de Tribunitia potestate lex erat:

Tribunum inuitum, tanquam unum è multis, nemo ullum agere cogito.

Neq; uerberato, neq; alteri ut uerberet imperato.

Neq; occidito, neq; occidi iubeto.

Si quis autem prohibitorum horum aliquid fecerit, impius, execrabilisq; esto.

Bonaq; eius publicanto ad sacra Cereris.

Et qui aliquem hæc agentium occiderit, cædis expiatus esto. Vide similes leges apud Ciceronem. Sed & Valerius libro secundo, & diuus Augustinus libro secundo, cap. decimooctauo, multa de tribunis scribunt, quæ sciens omitto. Postremò Dionysius sub ijs COSS. bellum Volscorum describit, & uirtutem Marci Coriolani, & hęc usq; in finem sexti libri, delibat tantũ Florus tit. 11. lib. 1. Cæterùm Plutarchus in Problematis testatur, tribunorum domus interdiu noctuq; patuisse cuiq; indigenti, quasi ara esset omnibus accessibilis. Iustinianus uerò primo Digestorum, tit. de Origine iuris & omnium magistratuum, sic originem tribunorum recenset: Iisdem, inquit, temporibus, cum plebs à patribus secessisset, anno ferè septimodecimo post reges exactos, tribunos sibi in monte sacro creauit, qui essent plebeij magistratus: dicti tribuni, quòd tunc in tres partes populus diuisus erat, & ex singulis singuli creabantur: uel quia tribuum suffragio creabantur. Verùm Fenestella tit. 25. de Tribuno plebis, duos creatos scribit, A. Verginio & T. Vetusio COSS. Dehinc tres additos, ut essent quinq;, anno uigesimonono post eiectos reges, Appio Claudio & T. Quintio Coss. tandem adiectos quinq;, ut essent decẽ, anno quinquasimotertio, Q. Minutio & M. Horatio COSS. ut inferius patebit. Erat autem tribunorũ propriè intercessio, quibus ius fuit intercedendi, hoc est, uetãdi & prohibendi. Nãq; ut scribit Gellius, tribuni pleb. antiquitùs creati uidentur, nõ iuri dicendo, sed intercessionibus faciendis. Præterea tribuno Senatum dissoluere licebat, ut autor est Appianus in secundo Ciuilium. Apud Liuium tribuni minantur Consulibus, se illos in uincula duci iussuros, nisi Senatui dicto obedientes sint. Sed uidendus ante omnia Dionys. in fine sexti, ubi copiose de Tribunis scribit: in septimo etiam lex de Tribunis pulchra scribitur.

Macerinus. *Augurinus.*

262 T. GEGANIVS, ET P. MINVTIVS. 2 18

Narrat Liuius in secundo, sub ijs COSS. caritatem fuisse annonæ maximã, ob incultos agros per secessionem plebis: & unde allatum sit frumentum, ne serui morerentur,

Olym. Post re. exa. tur. & quomodo Cumis ab Aristodemo naues detentæ sint, ob bona Tarquinij: Volscos uerò pestilentia inuaserit. Eadem Dionysius in septimo: qui L. Geganium, fratrem Consulis, & P. Valerij Publicolæ filium, in Siciliam pro frumentis abijsse scribit, & alios alibi. Velitras urbem, Romanam factam coloniã, & Norbã similiter. Nouam insuper plebis cum patricijs dissensionem ortam, duce Sp. Sicinio trib. pleb. quæ omnia ubertim Dionys. in septimo prosequitur, & Plutarchus in Coriolano: Orosius lib. 2. cap. 5. T. Gessonio P. Numitio COSS. duo uel maximè omnium malorum abominanda, fames & pestilentia, urbem corripuere. Vbi tu lege Geganio, non Gessonio: & Minutio, non Numitio.

Augurinus. *Atratinus.*

3. 19 M. MINVTIVS II. ET A. SEMPRONIVS. 263

Sub ijs COSS. M. Coriolanus, hostis tribunitiæ potestatis, inuehitur in plebem: & pòst absens damnatus, in exilium uadit ad Volscos. Fuerunt deinde ludi instauraticij, quorum præter Liuium ac Plutarchum, meminerunt & Augustinus & Lactantius, & Valerius Max. de Somnijs: à quibus ludis excludũtur Volsci, astu Accij Tullij, quem Plutarchus Tullium Amphidium uocat. Ob quod indignati Volsci, collecto exercitu, cum Gn. Martio Coriolano contra Romanos proficiscuntur: urbes capiunt, Circeios, Satricum, Longulam, Polustiam, Coriolos, Nouellum, Lauinium, Corbionem, Veteliam, Trebium, Labicos: ut Liuius in secundo docet. Dionysius uerò in septimo, latißimè hanc seditionem plebis in patricios describit, orationesq; artificiosas & Consulum patriciorumq; & tribunorum ponens: item quomodo in concione exilio damnatus sit Martius, & quomodo mira magnanimitate matrem ac uxorem salutans in exilium abierit, nemini aperiens ad quem locum esset demigraturus. Sed & Plinius iunior cap. decimonono, pulchra de Gn. Martio Coriolano. Latius Plutarchus in Coriolano scribit, sed omißis Consulibus. Eutropius, decimooctauo anno post eiectos reges, Coriolanum in exilium pulsum scribit. Ibi est error codi* cis, & scribendum est decimonono, non decimooctauo.

2. 22 SP. NAVCIVS ET SEX. FVRIVS. 264

Sub ijs COSS. Liuius in secundo scribit, missos legatos ad Cn. Martium, qui urbem obsidione cinxit, nihil profecisse. Dehinc sacerdotes, augures, & aruspices, pariter frustra ad castra Martij uenisse. Postremò Veturiam matrem Martij, & Volumniam uxorem, quam Plutarchus Vergiliam uocat, cum liberis & multitudine mulierum deuicisse Martium, ut obsidionem solueret: quibus ob meritum, templum Fortunæ, muliebri habitu, ædificatum, dedicatum est. quæ latè etiam Plutarchus in Coriolano enarrat, & Valerius meminit de Miraculis, & libro quinto de Gratis. At Dionysius libro octauo eadem omnia: sed quàm latißimè, quemadmodum M. Coriolanus Romanum irruperit agrum, Tolerinorum urbem, Bolanorum, † *Al. Cluilias* Lauicanorum, Pedanorum cæperit, ad † Ciuiliasq; fossas castra locarit: legatisq; Romanorum primis contemptis, à mulieribus postremò sit uictus, describit: cum elegantißimis orationibus, & persuasionibus luculentißimis: item honore, quo matronæ sunt Romanæ à Senatu honoratæ, templo Fortunæ muliebris. Tandem mors Coriolani, qua crudelißimè perijt, lapidibus obrutus, describitur. Hæc omnia sub ijs COSS. acta scribit Dionysius. Sed ante hos Sp. Naucium & Sex. Furium, nominat alios, post M. Minutium & A. Sempronium, quos Liuius intermisit, scilicet

4. 20 Q. Sulpitium Camerinum, & Ser. Flauium II. 265

Sub quibus scribit multas turbationes Romæ ex metu accidisse: pestemq; pecorum ac hominum, multaq; prodigia quibus homines paßim terrebantur, quòd optimum scilicet ciuem eiecissent. In primisq; accidit illud T. Latini, ob quod ludi plebeij sunt restaurati: de quibus Valerius Maximus de Somnijs, Lactãtius, Plutarchus in Coriolano: Dionys. autem copiosißimè in fine septimi scribit, qui ante omnia est uidendus. Nam nusquam alibi legi, quæ sacrificia, quæ certamina ijs ludis plebeijs solenniter facta sint. Dehinc subiungit alios Consules, in principio octaui libri.

C. Iulium

Ab ur. c. 265 Olym. Post re. exa.

C. Iulium, & P. Pinarium Ruffum. LXX

Sub quibus describit Dionys. quo pacto Coriolanus tum paulo antè quàm exilio mulctatus est, profectus sit ad Volscos: quàm benignè ab Accio Tullio susceptus, & quo pacto ludi instaurati, à quibus eiecti fuerunt Volsci: quod Liuius sub Coss. Minutio & Sempronio factum tradit. & quo pacto eius tandem consilio Romanis bellum sit illatum, missis legatis prius à Volscis ad Romanos. Et hæc omnia in principio octaui libri, quos scribit iniisse consulatum tertia & septuagesima Olympiade (sic est enim legendum: nam litera corrupta est) qua uicit in stadio Astylus Crotoniates, imperante Athenis Anchisa. Tandem ponit prædictos superiores Consules, uidelicet III 21 * 2 22

266 Spurium Nautium, & Sex. Furium.

Sub quibus finis fuit belli Volscorum: adeò quòd duo penè deessent in supputatione anni. licet omnia hæc sub prædictis consulibus acta Liuius scribat, obmissis his Coss. quatuor: quod ex oratione Veturiæ matris Coriolani apud Dionys. discere possumus, quæ matronis Romanis ad eam in necessitate confugientibus, inter cætera dixit: Et est quartus hic iam annus, ex quo patriam exulans, alienas nos omnes à se existimauit, &c. quod non procederet, nisi hi duo anni & consulatus forent omissi à Liuio. Verùm huius Sp. Nautij honorificè etiam meminit Dionys. lib. sexto, sub Coss. Posthumio Cominio & Sp. Cassio, cum dissensio plebis & patriciorum facta est, in hæc uerba scribens: Assurgit Sp. Nautius, familiæ successor illustrissimæ. nam dux generis eorum Nautius ex eis erat, qui cum Aenea coloniam deduxere, sacerdos Palladis, custodis urbium, & qui transferens simulacrum deæ attulit: quod etiam cæteri Nautiorum generis obseruant, subinde ipsi ab alijs accipientes. Videbatur autem hic etiam ob uirtutem propriam clarissimus esse iuuenum, neque multo pòst imperij potiturus consularis. Hoc enim fuit decimoseptimo anno post eiectos reges, ut superius liquet. Præterea in peruetusto exemplari, sine titulo autoris, ubi solum nomina Consulum ponūtur (quem ego superius citaui, & sæpe inferius citare erit necesse) sic se ordo habet Cōsulum, ubi nos habemus hic in Cassiodoro, M. Minutius II. & A. Sempronius II. alibi sic scriptum est,

Augurino II. & Aratino.	Suspicor esse Camerinum & Flauium.
Cornuto & Labo.	Suspicor Iulium & Pinarium.
Iulo & Mamertino.	Suspicor Nautium & Furium.
Rutilo & Viscellino.	Suspicor Sicinium & Aquilium.
Tusco & Sabino.	Suspicor Sp. Cassium III. & Proculū Verginium.
Rutilo & Viscellino III.	

Hæc ideo annotaui, ut eruditioribus cogitandi deliberatius afferam occasionem: non ut instar legis hæc sint. Penes autores fides sita sit. Licentia abuti nolo. Liberum cuique sit, quod uolet, opinari: & ueteres quandoque etiam dormitasse animaduertat, & homines fuisse, sicut & nos sumus: non usquequaque extra omnem aleam positos. Video certè in Liuio quædam non penitùs probanda, si uerum fateri licet: cum tantam tamē apud se habuerit scriptorum copiam. In libello prædicto, quod citaui, sola nomina. & unica ponuntur. Coniecturari ideo licet, & cum in fine nostri autoris annales Aufidij Basi citantur, qui perditi sunt iactura temporis, coniectare est, quòd si extarent, facilius & illi & maiores possent errores auferri. Sed cum careamus, coniectura opus est. Nunc cæteros subiungemus: sed lector memoria tenebis prædictos Coss. sub quibus duo anni effluxerunt, ne supputatio te fallat.

267 T. SICINIVS, & C. AQVILIVS. 3. 23

Sub ijs Coss. cum Volscis & Hernicis pugnatum esse, scribit Liuius in secundo breuissimè.

Olym. Post re. exa. breuissimè. Sicinius Volscos deuicit, Aquilius æquo Marte cum Hernicis pugnauit. *Ab*
ambo uiri bellorum periti, ut Dionys. in octauo testatur, qui eadem longius descri- *be co*
bit: atq; ob res bene gestas Sicinio triumphum, Aquilio autem ouationem decretam tradit. Cecidit in bello Volscorum Tullius Actius, qui autor fuit, ut Coriolanus lapidibus obrueretur, homo impius & iniquus.

4 24 SP. CASSIVS III. & PROCVLVS VERGINIVS. 268

Sub ijs Coss. Liuius in secundo scribit, cum Hernicis fœdus ictum. tum primum lex agraria promulgata est, & largitio à Sp. Cassio facta: qui & damnatus est à populo, & ædes eius dirutæ: & ut alij dicunt, à proprio patre cæsus est domi. Dionys. uerò in octauo scribit, quomodo Volscis data sit pax à Cassio & Hernicis: qui triumphum obtinuit uigesimum secundum, & tres Consulatus, quibus sibi inuidiam peperit: quam dehinc auxit, cum legem agrariam esset promulgaturus. De qua, quo pacto sit impedita per A. Sempronium Atratinum, ne tum agri diuiderentur, pulchrè Dionysius explicat, ubi de locatione agrorum in quinquennium consulitur: uariæque sententiæ Verginij, Appij, A. Sempronij & aliorum leguntur. Proculus autem unde dictus sit (ne id quoque ignoretur) sciendum est, quòd Plutarchus in Coriolano, de cognomentis agens, inquit: Nonnullos adhuc è nascendi sorte nuncupauit: ut Proculum, qui foris absente patre natus est: Posthumium, qui patre mortuo: Vopiscum, cum ex gemellis alteri superstiti esse contigerit. Vnde autem Sp. dicatur, & cur duabus literis Sp. scribatur apud Romanos, quia id eruditum est, docet Plutarchus in Problematibus, problemate centesimo primo: quod is orbus patre sit, quasi S. hoc est, sine: & P. patre. Lege illic pulchra. Iustinianus aliter: Spurius, inquit, dicitur à græca dictione Spadon. Sed litera est deprauata: tu lege Sporadin, id est, passim, uulgò & sparsim. Vnde & Sporades insulæ sunt dictæ.

LXXIIII 25 SERVILIVS CORNELIVS, & Q. FABIVS. 269

Liuius in secundo, sub ijs Coss. scribit iram populi in Cassium remissiorem factam, ob dulcedinem agrariæ legis. Sed Fabius Cos. cum eo anno Volsci Equiq; uicti essent, quicquid ab hostibus captum est, uendidit. Dionys. uerò in octauo, sub his scribit damnatum esse Sp. Cassium: & quomodo & à quo sit necatus, abundè. Inibiq; pulchra de lege apud Græcos, qua filij necantur. Meminit illius & Val. Max. li. sexto, de Seueritate: & li. quinto, de seueritate patrum. Sed plebs iterum ad seditionem aspirabat: quæ nisi à Cornelio in Veientes educta esset, quia Decemuiros petebat qui agros diuiderent, iterum tumultus fuisset exortus, ut Dionys. testatur. Volsci tamen sunt clausi, & fame perdomiti: præda uendita, & in urbem missa. Sunt autē hi Coss. creati quarta & septuagesima Olympiade, qua uicit in stadio Hastyllus Syracusanus, Athenisq; princeps erat Leostratus.

Mamerci filius, frater Q. Fabij.

2 26 L. AEMILIVS, & CAESO FABIVS. 270

Scribit Liuius in secundo, ijs Coss. Volscos rebelles iterum, duce Aemilio perdomitos, & seditionem plebeiam sedatam, Castorisq; ædem dedicatam, quæ à Posthumio uota fuit bello Latino, patrumq; ac plebis discordiam exortam. Dionysius uerò hos Coss. ponit in annum urbis conditæ ducentesimum ac septuagesimum: ut superiores etiam Coss. computentur, quos Liuius obmisit. A. enim Verginius & T. Veturius annum sexagesimū & ducentesimū sortiti sunt, ut suprà patuit. Ab ijs decem acti sunt anni. Volscorum itaque bellum eleganter describit Dionysius, qua fortuna usus sit Fabius, & qua Volsci. Fuit autem Ceson Fabius, Q. Fabij superioris Coss. frater, qui cum L. Valerio proximo anno Quæstoriam habebat dignitatem, ut Dionysius scribit.

Cesonis

Cesonis F. & frater iunior prioris Cos. Potitus, M. filius.

271 M. FABIVS, & L. VALERIVS. 3 27

Is Valerius Cassium ter Cos. accusans tyrannidis affectatæ, perdidit, ut Dionys. testatur in octauo. Hi iterum conscribebant exercitum in Volscos hostes, licet plebeij nomina non darent: qui etiam mulctati sunt & pecunijs & iumentis. nam Tribuni plebis extra urbem nihil afferre poterant, cum potestas eorum mœnibus urbis circumscriberetur. Quemadmodum igitur pugnatum sit in hostes (nam milites odio Coss. haud præclara gesta edebant) pulchrè enarrat Dionys. minasq; numinum ac Vestalem sacra polluisse, deperdita uirginitate, commemorat, quam ipse Popiniam, Liuius (qui eadem omnia) Oppiam appellat. Orosius autem libro secundo, cap. octauo, Popiliam nominat, & ob crimen stupri uiuam defossam ait, post conditam urbem anno ducentesimo septuagesimoquinto, Olympiade septuagesima quarta. Sed de diuersitate Olympiadum hic obseruandum, ut superius annotauimus. Et anni illic scripti, sunt corrupti.

Cesonis F. Tullius.

272 Q. FABIVS II. & G. IVLIVS. 4 28

Hos Dionys. in fine octaui, scribit per interregem Sp. Largium, qui ab A. Sempronio Atratino nominatus Interrex fuerat, creatos esse Coss. propter plebis & patriciorum discordiam, sese mutuò in comitijs impedientium. Nam hi, ne popularis consul: illi uerò, ne omnino osor plebeię cõmunitatis eligeretur, cauerunt. Ob id res ad interregnum redijt, ut defunctis regibus fieri consueuit. Sub ijsdem, Dionys. scribit, Equos in Latinorum irrupisse regionem, mancipia abegisse, Veientes Romanorum agrum deuastasse. Contra quos scriptus exercitus, qui eorum regionem depopulatus est, cum hostes non exirent. Iterumq; sortitio agrorum suspensa est.

273 CESO FABIVS II. & SP. FVRIVS. LXXV 29

Scribit in nono Dionysius, ortam inter patricios & plebeios tantam dissensionem, dum Consules eligerentur, ut ea aliter sopiri nequiuerit: donec alter ex optimatibus, alter à plebeijs eligeretur. Creati autem sunt Olympiade quinta & septuagesima, principe Athenis Calliade, quo tempore exercitum in Græciam Xerxes duxit. Sub ijs igitur Coss. pugnatum est contra Equos, duce Sp. Furio, cui omnia ad uotum successerant. Et contra Ethruscos, duce Cesone feliciter, quod is Cassium in iudicium uocans morti tradidisset. Ob id exercitus ei contumax & rebellis, non uoluit ut de hostibus triumpharet Consul, sed fuga elapsus ad urbem festinauit. Sp. item Licinius Trib. pleb. ob agrorum diuisionem libenter, ne exercitus scriberetur, impedimento fuisset: sed cum ei quatuor restitissent collegæ, frustra negocium attentauit. Liuius in secundo penè eadem: licet paucis inter se discrepent. nam de urbe Arctona sub prioribus Coss. scribit Dionys. factam expugnationem, ut uidere licet.

al. Manlius, aut Manilius Cincinatus.

274 M. FABIVS II. & GN. MALLIVS. 2 30

Sub ijs Coss. ut Liuius in secundo, Dion. in nono scribunt, iterum plebeij sortitionẽ agrorum impetu desiderantes, T. Pontificio tribuno duce, ire in exercitum recusarant: peruicerunt tamen patres. nam Veiens bellum crudele imminebat. Cum ergo ascriptus exercitus cum Coss. exijsset, Gn. Manlij Cos. castra & tabernaculum ipsius fulmen dissipauit. quod cum iniquè Ethrusci interpretarentur ex diuinandi arte sua, acris pugna cum Ethruscis orta est. in qua primùm Q. Fabius Marci frater bis cõsul, & tunc legatus, lancea per pectus ictus cecidit. Sic & Manilius consul in cõflictu traiectus lancea perijt, uallum Romanorũ captum est: ut ex Ethruria interpretati erant

Olym. Post re. exa. augures. Sed M. Fabius Cos. ope M. Flauolei primipili, & cõsilio T. Sicinij legati recuperatis castris, hostes fugauit, trucidauitq́. Ob quæ Senatus cum ei triumphum decreuisset, renuit, cum fratrẽ & collegã amisisset. Abdicauitq́ se magistratu, cum duo adhuc superessent menses, & inualidus ipse ex uulnere laboraret, ferreturq́ lectulo. Abundè autem uterq́, & Liuius & Dionys. hoc bellum explicant. Meminit horum etiam Coss. Orosius lib. secundo, cap. quinto, & breuiter hanc historiam describit in hæc uerba: Veientes & Ethrusci graues hostes, adiunctis sibi finitimorum populis in bella surgentes, obuijs M. Fabio & Gn. Manlio Coss. excipiuntur: ubi post sacramẽtum iurationis, quo Romani deuouerant, non nisi uictores ad castra redituros: adeò atrox certamen fuit, ut uictis, uictoribusq́ par fortuna esset: & amisso plurimo exercitu, occisisq́ in pugna Manlio Consule & Fabio Consulari, M. Fabius consul oblatum sibi à senatu triumphum suscipere recusaret: quia tantis Reipub. detrimentis luctus potius debebatur.

3 31 CESO FABIVS III. & T. VERGINIVS. 275

Liuius in secundo scribit, Fabium pro uirili elaborasse, ut ager promissus, & populi sanguine partus, diuiderẽt plebi: quod tamẽ patres recusarũt. Nam Equi Latinorũ agros irrumpebant: contra quos cum missus esset Fabius, ad Equorum agrum depopulandum, in oppida sese hostes receperunt. At Verginius in Veientes profectus, accepit cladem. & ni Ceso cum exercitu in tempore subsidio uenisset, actum erat de exercitu. Cum uerò Veientes in forma latrocinij sæpius agros Romanorum popularentur, essetq́ Veiens hostis assiduus magis quàm grauis, & contumelijs sæpius quàm periculo animos agitaret Romanorum, Fabia gens Senatum rogat, ut hoc bellum suæ genti detur. quod cum Senatus concessisset, non sine magnis laudibus uno die sex & trecenti milites, omnes unius gentis Fabiæ, comitantibus quatuor clientum & cognatorum millibus, per portam Carmentalem profecti, ad Cremeram fluuium perueniunt, ibiq́ castra locant. Eadem Dionys. lib. nono. Corrige deprauatum codicem Eutropij, in quo sic cap. undecimo primi lib. scribitur: Caio Flauio & L. Virginio Coss. trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum soli susceperunt, promittentes Senatui & populo, per se omne certamen implendum. Itaq́ profecti omnes nobiles, & qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent, in prelio conciderunt. unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter ætatem puerilem duci non poterat ad pugnam. Sed hæc Fabiorum strages sequentibus Coss. nõ ijs facta est. Præterea Ceso Fabius, non C. Flauius: & T. Virginius, non L. scribendum esse, ex omnibus autoribus liquet. Describit hanc historiam, sed paucis, ut assolet, Florus lib. primo, tit. duodecimo: iunior Plinius, siue (ut alij uolunt) Cornelius Nepos de Viris illustribus, ti. decimoquarto. Sed & Ouidius lib. Fastorum secundo sic de Fabijs scribit:

Vna domus uires & onus susceperat urbis,
Sumunt gentiles arma professa manus. & pòst subdit:
Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos abstulit una dies.

Sillius Italicus lib. secundo & septimo, huius historiæ sic meminit:

Primoresq́ patrum Fabius, Tirynthia proles,
Tercentum memorabat auos, quos turbine Martis
Abstulit una dies, cum sors non æqua labori
Patricio Cremeræ maculauit sanguine ripas.

Orosius li. secundo, ca. quinto: Gloriosissima illa numero & uiribus Fabiorum familia, Veientanum sortita certamen, quantam reipub. orbitatem occasu suo intulerit, infamibus usq́ nunc uocabulis testes sunt, fluuius qui perdidit, & porta quæ emisit. Nam cum sex & trecẽti Fabij, uerè clarissima Romani status lumina, speciale sibi aduersum Veientes decerni bellum expetissent, spem temerè sumptæ expeditionis primis successibus firmauerunt. Dehinc ducti in insidias, circumuentiq́ ab hostibus, omnes ibidem trucidati sunt, uno tantum ad enumerandam cladem reseruato, ut miserius

Ab urbe con. — Olym. — Post re. exa.

serius audiret patria perditos, quàm perdidisset.

Mamercus. C. Sergius, Dionys. 4 32

276 L. AEMILIUS II. & G. SERVILIUS.

Sub ijs Coss. Liuius scribit, Fabios trecentos & sex omnes ad unum occisos. reijcit tamen in fine, in sequentem consulatum, successum Fabiorum describens. At Dionys. in nono, narrat quo pacto Volsci & Equi communes exercitus in Romanos duxerint, Aemilius aduersus Ethruscos iuerit: Ceso Fabius, superioris anni Cōsul, ad Cremeram, ad cognatos, quos M. Fabius frater eduxerat, profectus sit: Aemiliumq; castris hostilibus potitum, & pacem Ethruscis dedisse: & magna sibi inuidia concitata, plebem in patricios irritasse.

Puluillus, Lanatus, Agrippæ F. LXXVI 33

277 G. HORATIUS, & T. MENENIUS.

Liuius in secundo, sub ijs scribit Menenium aduersus Ethruscos missum, Ianiculum ab hostibus obsessum, Horatium (qui cum Volscis erat) euocatum: aliàs malè de re Romana actum foret. Dionysius in nono, scribit hos nihil publicè egisse, donec ager irritatæ plebi diuideretur. Postea Horatium in Volscos, Menenium in Ethruscos exercitum duxisse. Dehinc pluribus describit Fabiorum cædem, duplici opinione: coarguitq; tanquam rem fictam, quòd unus solus Fabius superfuerit domi. Sed ex tribus putat fratribus, qui ea clade perierunt, Cesone, Marco, & Quinto, qui septem continuos gesserant consulatus, relictum Marco esse filium, qui unicus dictus sit, clarus & illustris. Tum quo pacto Menenius imperitus locandi castra, cæsus fugatusq; sit ab Ethruscis, id uberius quàm Liuius recenset: traditq; illos consulatum inijsse sexta & septuagesima Olympiade, qua uicit in stadio Scamander Mitylenæus, imperante Athenis Phędone. Meminit horum consulum & A. Gellius libro decimo septimo, capite ultimo: Menenio Agrippa, M. Horatio Puluillo Coss. bello Veiente apud fluuium Cremeram, ab ijs sex & trecenti patricij Fabij cum familijs suis uniuersi ab hostibus circumuenti periere. Eleganter item Fabiorum cladem Orosius libro secundo, cap. quinto depingit, ut superius annotauimus. Plutarchus in Camillo delibat, ubi agit de diebus atris.

Rutilius, Ser. Seruilius, Dion. si non est error codicis. 2 34

278 A. VERGINIUS, & SP. SERVILIUS.

His Coss. Liuius in secundo scribit, Veientes crebris incursionibus agro Romano infestato, excitasse, ut Coss. cum exercitu tandem obuiam hostibus prodirent. Seruilium quidem infeliciter pugnauisse: Verginium uerò ignominiam collegæ abstersisse, dum Ethruscos abire Veios coegerit, eorumq; castra diripuerit. Sequuta uerò pax, & uberiorem retulit annonam, & frumentorum copiam ex Campania allatam. Dehinc à Tribunis T. Menenio dies dicta, qua & mulctatus est duobus milibus æris. Hæc eadem uberius Dionys. libro nono. Addit, patricios esse commotos iterum in plebem, diuisionemq; agrorum suspendisse, quòd Menenium damnasent, cuius pater reconciliandæ plebis cum patricijs autor fuisset, & qui post ignominiam hanc, mortis esse calamitatem indicans, inedia finierat uitam. Tradit autem Dionysius, hos Coss. magistratum suscepisse circiter conuersiones æstiuas Sextilis mensis, uiros ambos bellorum peritos.

Rutilius, Publicola. 3 35

279 C. NAUTIUS, & P. VALERIUS.

Liuius in secundo narrat, quo pacto sub ijs Coss. Sp. Seruilius à Tribunis sit accusatus: sed & ingenio suo feroci, & collegæ Verginij auxilio liberatus. Dehinc Veientes ac Sabini, qui arma coniunxerant, à Valerio consule cæsi fugatiq; sunt. C. autem Nautius Equos Volscosq;, qui agrum Latinorum uastauerant, perdomuit. Eadem Dionysius libro nono. Sed illic uide prudentissimam orationem Sp. Seruilij, se pur-

Olym. Post re- gantis de obiecto crimine: ac triumphum Valerij, ob rem bene gestam in Veientes A
exa. atq; Sabinos, cum eisdem iam dictis. bec

Dion. A. Mallius, si integer est codex.

4 36 L. FVRIVS, & G. MANILIVS. 280

Sub ijs Coss. ut Liuius in secundo, & Dionys. in nono docent, Veientes duce Manilio consule cincti, & fame coacti sunt petere pacem: quibus datæ sunt induciæ per annos quadraginta: & consuli concessus minor triumphus, qui ouatio dicitur.

Mamercus, *Volsco.*

LXXVII. 37 L. AEMILIVS III. & OPITER VERGINIVS. 281

Inquit Liuius: Vopiscum Iulium pro Verginio in alijs annalibus inuenio. Sic Dionysius in nono: L. Aemilius Mamercus tertiò, Tulliusq; Vopiscus Olympiade septima & septuagesima, turbulentum gessere magistratum, pacem agitantes ab externis bellis. Iis uerò Coss. quemadmodum uterque scribit, Gn. Genutius Tribunus plebis, de agri distributione plebem sollicitans, cum alia uia non posset, prioris anni Consules Furium & Manilium coram populo duxit accusandos. Sed dicta die, mortuus est in lecto repertus Genutius. cum igitur Coss. P. Voleronem, ut exercitus conscriberetur, in ordinem militum locassent, indignatus Volero, cum à lictoribus spoliaretur, plebem concitauit: quæ uiolatis lictoribus, fractisq; fascibus, compulit Consules è foro in curiam fugere. Hincq; maxima inter plebeios & Coss. discordia orta est, quam Florus li. primo, ti. uigesimo secundo, de Seditionibus, his uerbis insinuat: Quod duce Valerio Nerone, detrectantibus plerisque militiam, fracti Consulis fasces. Vbi correximus, Volerone, ex Liuio & Dionysio, sicut legendum est: non Nerone, sicut perperam omnes deprauati codices habent.

2 38 L. PINARIVS, & P. FVRIVS. 282

Sub ijs Coss. Liuius scribit P. Voleronem Trib. pleb. legem statuisse, seu rogationem ad populum, ut plebeij magistratus Tribunitijs Comitijs fierent. quæ qualia fuerint, Dionysius explicat in nono: ut per hoc patricijs omnis potestas, per clientium suffragia creandi quos uellent tribunos, tolleretur, pro qua integro anno inter patres ac plebeios certatum est. Subiungit Dionysius, quemadmodum initium huius anni molestissimum fuerit, ex prodigijs signisq; multis ob iram deorum apparentibus: singularisque morbus quidam feminas inuaserit, qui maximè grauidas corripuerit: donec ex iudicio serui Vrbinia Vestalis, quæ pudicitiam amiserat, uiua est defossa. morbo autem muliebri finito, finis anni grauissimam habuit pestilentiam, qualem antea urbs nunquam passa est. De tribus autem comitiorum generibus, uide Gellium lib. decimo quinto, cap. septimo.

Sabinus, *Capitolinus.*

3 39 APPIVS CLAVDIVS, & T. QVINTIVS. 283

Scribunt Liuius in secundo, & Dionysius in nono, hunc Appium Claudium, Appij filium, eius qui plebi aduersatus ad reditum erat, à patricijs ad Consulatum productum, quòd homo acerbus & osor plebis esset: cum tanta molirentur Tribuni in patres, eumq; multum contradicentem, & qui in campum propter conuicia ire noluerit, absentem factum Consulem, fuisse omnino diuersæ naturæ à Quintio, qui mitis erat ingenij. Sub ijs igitur maximæ ortæ sunt seditiones inter plebem & patres, cum P. Volero & C. Lectorius trib. legem de Tribunitijs comitijs ferre conarentur. Quibus maximè restitit Appius Claudius, ut ad arma tandem ueniretur. Sed Quintius rem sedauit, factoque senatusconsulto lex tandem perlata est, Tribunitijsq; comitijs creati sunt tribuni numero quinque: quia tres additi,

cum

Ab ur. con. — Olym. Post re. exa.

cum prius duo tantum essent. Diodorus quatuor creatos asserit; nominatq; alterum consulem T. Curtium, sed deprauatè. Postremò cum Equi ac Volsci incursiones in Romanum agrum facerent, contra Equos Quintius profectus, feliciter pugnauit: contra Volscos Appius, cui rebelles milites ob inuidiam erant. Tandem ab eo, quòd signa deseruissent, puniti sunt ac decimati, nouo genere supplicij. Narrat Liuius in tertio libro, Coss. P. Volumnio & Seruio Sulpitio, (de quibus inferius) hunc T. Quintium Capitolinum ter consulem fuisse, ac Cesoni, cui dies erat dicta, astitisse: qui inferius describetur, ubi eius tertius Consulatus.

Potitus, *Mamercus.*

284 L. VALERIVS II. & T. AEMILIVS. 4 40

Dionysius in nono hos Coss. aliter nominat, scilicet P. Valerium & Tiberium Aemilium: cum tamen L. Valerius tunc fuerit Consul, qui ut sanaret iram plebis, quam in se contraxerat ob Sp. Cassij mortem, quæ Quæstor accusauit, consensit in diuisionem agrorum. Et item Aemilius consul, siue Titus, siue Tiberius dictus fuit, filius L. Aemilij, cui Senatus triumphum negauit, pariter in fauorem plebis sortitionem agrorum concessit. quibus tum usque adeò restitit Appius Claudius, uir acer & uehemens, ut cum ei Tribuni diem dicerent, nihil ingenerosum aut habitu aut affectu ostenderet: sed mortem præeligeret, quam sibi ipsi consciuit. Cuius corpus in concionem delatum, filius laudauit, & plebs exequias duxit. Coss. deinde in hostes sunt profecti, Valerius aduersus Equos, Aemilius in Sabinos, quos æquo Marte fudit. cum Valerius Equorum obsidionem soluens, frustra agros eorum depopulatus esset, & intra uallum continuisset. uide Liuium & Dionysium.

Nomentanus.

285 T. NVMICIVS, & A. VERGINEVS II. LXXVIII 41

His Coss. scribit Dionys. in nono, Volscos suburbanum quoddam incendisse, cuius fumus Consules excitauit, ut expeditionem in hostes decernerent. Numicio itaque ad Antium exercitum educente, regio populata, & quoddam maritimum oppidum captum, quo ad latrocinia utebantur: præda inter milites diuisa, Antiatum uiginti naues captæ, domus euersæ, muri solo æquati. Verginius autem Equorum agros populatus, cladem accepit ab ijsdem in insidijs latitantibus: ut Liuius & Dionysius explicant. Inierunt autem Consulatum hi Consules septuagesima octaua Olympiade, qua uicit in stadio Parmenides Possidoniates, imperante Athenis Theognide.

Capitolinus, *Priscus.*

286 P. QVINTIVS, & QVINTIVS SERVILIVS. 2 42

Sub his Coss. ut Dionysius in nono scribit, Sabini cum irrupissent in agrum Romanum, Seruilius consul ita repressit eorum impetum, ut intra urbes refugerent, regionem'que uastandam Coss. relinqueret. Quintius contra Equos & Volscos cum exercitu progressus, pulchro stratagemate eos deuicit, Antiumq; urbem expugnauit: & imponens urbi præsidium, Romam exercitum abduxit. cui Senatus obuiam processit, ac ultro triumphum obtulit. Hæc eadem Liuius in fine secundi libri. Nam hic eius liber ab urbe condita secundus finitur.

Mamercus, *Vibolanus.*

287 T. AEMILIVS II. & QVINTIVS FABIVS. 3 43

Liuius in tertio narrat, ijs Coss. Tribunos agrariæ legis petijsse distributionē, cum scirent Aemilium fautorem plebis. Sed cum patres obstarent, Fabij consilio res est sedata hoc pacto, ut agri Antiatiū superiori anno capti distribuerētur, Antiūq; colo

Olym. Post re. exa. nia deduceretur Romanorum: etsi ea quidem distributio pauperibus ingrata esset, qui se patria abduci indignè ferebant. Creati sunt Triumuiri pro agris diuidendis, T. Quintius, A. Verginius, P. Furius, uel ut ait Dionys. L. Furius, qui eadē in nono scribit. Dehinc Aemilius in Sabinorum regionem, quam deuastauit, quia aufugerant, cum exercitu progressus est. Fabius uerò in Equorum regionem secessit: quos in eam necessitatem compulit, ut pacem peterent, pecunias & frumenta militibus darent. Fuit autem is Fabius, filius unius ducum, qui apud Cremeram extincti sunt. *Ab... becem*

Priscus, *Lauinius.*

4 44 Q. SERVILIVS II. & SP. POSTHVMIVS. 288

His Coss. Equi Antiatium suscipientes exules, excursiones in Latinorum agros faciunt, ac fœdera facta corrumpūt. Missus ob id legatus Q. Fabius, prioris anni Cos. & qui eos deuicerat, inuenit animos illorum ad bella paratos. Ob id indictum est eis bellum. Spurius autem alter Cos. templum Fidei in colle Capitolino dedicauit, ut in nono Dionys. scribit. de his Liuius in tertio paucula prælibat.

Iulianus. Dionys. corruptè, sed Vibulanus legendum. *Capitolinus.*

LXXIX. 33 Q. FABIVS II. & T. QVINTIVS III. 289

In hunc usq; tertium annum protractum bellum Equorum, ut Liuius in tertio docet. Ad quod missus Fabius, qui prius pacem cum ijs fecerat, strenuè pugnauit. & cū nihili facerent uiolatam à se fidem, fusi fugatiq; sunt, præda longè maxima abducta: cum Quintius interim ad custodiam regionis finitimæ hostibus resideret. à quo postea census est actus, & conditum lustrum, ut latè Liuius scribit. Eadem Dionys. in nono, ubi & iustitij à patribus indicti meminit: hosq; Coss. magistratum inijsse tradit nona & septuagesima Olympiade, qua uicit Xenophon Corinthius, imperāte Athenis Archidemide.

Albus Regillensis. *Medullinus Fuscus, Dion. si non est erratum.*

2 46 A. POSTHVMIVS, & SP. FVRIVS FVSIVS. 290

Sub ijs Coss. ut Liuius in tertio & Dionys. in nono attestantur, Equi iterum, cum ad se Volscos attraxissent, & fides Antiatiū labaret ac lubrica esset, cum ingenti exercitu in Romanorum agros populabundi progressi sunt. Ad quos missus Sp. Furius, cum infeliciter pugnasset, seq; in castra recepisset, ab hostibus obsessus est. & ni T. Quintius proconsul cum subitarijs & uoluntarijs affuisset militibus, malè de Consule actum esset. Sed cum intellexisset hoc Sp. facto impetu in hostium egressus est castra. Eius frater P. Furius legatus, longius à uallo progrediens, ab hostibus, prius strenuè pugnans, occiditur: tum consul per femur uulneratur. Sed & alter consul cum exercitu insperato accurrens, hostes repulit, fudit ac fugauit: & cum uictoria in urbem exercitum reduxit. Subiungit Liuius, cœlum tum arsisse, & portenta quædam apparuisse. Ob quæ supplicationes factæ sunt, & feriæ indictæ in triduum.

Helua *Priscus.*

3 47 L. EBVTIVS, & P. SERVILIVS. 291

Sub ijs Coss. ut Liuius in tertio, & Dionysius in nono scribunt, nullum bellicū aut ciuile opus à Romanis gestum est. Licet Equi & Volsci Hernicorum & Latinorum popularentur agros, ab ipsis pòst Latinis repulsi, ob maximam & crudelissimam pestem, quæ tunc in urbe sæuijt & grassata est, ut plaustris primùm acerui cadauerum efferrentur: qua ambo Coss. perierunt, ac Tribuni complures, augures item, & multi uiri clari, integro anno durans. licet frustra tum Equi Volsciq; urbem

Ab urbe con. bem obsiderent. Liuius hos Coss. magistratum inijsse Calẽdis Sextilibus, ut tunc principium anni agebatur, tradit. Hanc pestilentiam describit Orosius lib. secundo, cap. undecimo: sed numerorum notæ sunt mendosæ. Subscribã eius uerba, ut quis emendare facile possit: Romæ post conditam urbem anno ducentesimo ac sexagesimo, suspenso ad modicum bello grauis pestilentia, quæ semper ibi ratas inducias aut factas intercepit, aut ut fierent coegit, per uniuersam ciuitatem uiolenter incanduit, ut meritò præcedente prodigio cœlum ardere uisum sit, quando caput gentium tanto morborum igne flagrauit. Nam eo anno Ebutium & Seruilium ambos Coss. pestilentia absumpsit, militares copias plurima ex parte confecit, multos nobiles, præcipueq́ plebem fœda tabe deleuit: quamuis iam superiori etiam quarto anno oborta lues, eundem populum depopulata sit. *Olym. Post re. exa.*

Tricipitinus. *Gemutius. Vetusius, aliàs.*

292 L. LVCRETIVS, & T. VETVRIVS. 4 48

In hoc Consulatu, ubi pestis sedata est, in hostes exercitus educti sunt: Veturius in Volscos, Lucretius ad Hernicos secessit, ut incursiones hostiles arceret. Sed dum feruntur crudeli impetu Volsci in agros Latinorum, Lucretius tantam hostibus mox intulit stragem, ut propè Volscorum nomen deletum esset. Nam decem millia & quadringenti ac septuaginta dicuntur in acie & fuga occisa, mille ducenti & quinquaginta uiui capti, 14. militaria signa relata. Interea dum uterq; ab urbe abesset Consul, Trib. pleb. iterum seditionem in plebe mouere moliti, nouam ferre legem uoluerant: quam Fabius urbis præfectus impediuit, donec Coss. redirent, & Lucretio meritus triumphus, Veturio uerò ouatio daretur. Hæc abundè Liuius in tertio, qui scribit hos Coss. magistratum inijsse tertio Idus Sextilis: & Dionysius in fine noni, qui hoc loco librum nonum concludit.

Camerinus.

293 P. VOLVMNIVS, & SER. SVLPITIVS. LXXX 4[illegible]

Sub ijs Coss. ut Liuius in tertio, & Dionys. in decimo scribunt, lex Terentilla tentata quidem est maximo conatu, de decemuiris creandis, ut nouæ leges conscriberentur: maximæq́ subortæ sunt inter patricios & plebeios dissensiones. Ceso autem Quintius ferox iuuenis, L. Quintij Cincinnati filius, cum tribunos foro abegisset: A. Verginio Tribuno procurante, Cesoni capitis dies dicta. Licet T. Quintius Capitolinus, Sp. Furius, & P. Lucretius (si non est litera Liuij deprauata, cum L. Lucretium prioris anni Consulem fuisse legamus) frustra laudes iuuenis strenuè dixissent: tamẽ M. Volscius Cesonem cum crimine homicidij urgeret, ne carceri daretur, decem uades posuit, ipse in exilium ante diem iudicij abijt. Sed pater coactus crudeliter pecuniam pro uadibus dare, diuenditis omnibus bonis, trans Tiberim ueluti relegatus, modicum tugurium cum agello possedit. Pulchrè Val Maximus lib. quarto, de Paupertate, hoc recenset. Sic ciuitas ab externis bellis otium habuit, cum ab intestina seditione premeretur, quanquam per totum annum lex eluderetur. Narrat etiam Liuius, sub ijs Coss. multa prodigia facta: cœlum arsisse, terram commotam, bouem loquutam, carnem pluisse. quæ Val. Max. etiam repetit lib. primo, cap. sexto, de Prodigijs: ubi certè pro P. Volumnio, ut Liuius & Dionys. habent, scriptum est perperam C. Volumnio, id quod sæpe fit in prænominibus, quæ solis literis signantur. Horum Coss. mentionem faciens Plinius, li. secundo, cap. quinquagesimooctauo, sic scribit: Et sæpe aliàs relatum est in monumenta, carnem pluisse, L. Volumnio Ser. Sulpitio Coss. ex eaq́ non perputruisse quod non diripuissent aues. Inierunt ij Coss. magistratum Olympiade octogesima, qua uicit in stadio Torymbas Thessalus, principe Athenis Phasicleo imperante. Ibi de portentis, & de carne, eadem Dionys. scribit, quæ Plinius.

C. Clau-

Olym. Post ex.

Sabinus, Appij filius. Publicola.

2 re.50 C. CLAVDIVS, & P. VALERIVS II.

His Coss. maximæ simultates atq; iræ inter patricios plebeiosq; excitatæ sunt: cum Tribuni legem ferre omnino anniterentur, Coss. ac Senatores uerò obstarent. His interea Appius Herdonius Sabinus, uel ut sibi tyrannidem pararet, uel ut patriã suam locupletaret potentia, collectis quatuor milium seruis, ac clientibus, Romam ueniens, Capitolium occupat. Perculsa urbs metu ac timore, congregato exercitu, hostes arce deturbat: auxilio etiam Tusculanorum, quos L. Mamilius ductabat. Sed inter expugnandum Capitolium, dum strenuè pugnat, P. Valerius occumbit, Herdonius telis obruitur: capta arce, de singulis supremum est sumptum supplicium. Instabant iterum Tribuni, ut Claudius sineret legem ferri: quod cum negasset se posse solum, in demortui cõsulis locum electus est L. Quintius Cincinnatus, Cesonis pater, & ab agello reuocatus ad consulatum. Cuius prudentia patrum ac plebis contentio, quæ tum gliscebat, sedata est hoc anno. Hæc latè Liuius in tertio, Dionys. in decimo scribunt. Augustinus tertio suæ Ciuitatis, cap. decimoseptimo, obiter illius historiæ de P. Valerio meminit. & Oros. cap. duodecimo, lib. secundi eadem sic: Proximo dehinc anno ciues exules, seruiq; fugitiui, duce Herdonio, uiro Sabino, inuaserunt, inscenderuntq; Capitoliũ: ubi quidem fortissimè Valerio consuli & imperatori obstitere iuniores. Sed adeò atrox & graue discrimen prælij fuit, ut ipse quoq; consul Valerius ibi fuerit occisus, & indignam de seruis uictoriam, insuper etiam sua morte fœdauerit.

Vibolanus. Maluginensis.

3 15 Q. FABIVS III, & L. CORNELIVS.

Sub ijs Coss. actum est decimum lustrum ab origine urbis, ut Liuius in tertio scribit. Magnaq; iterum patrum ac plebis contentio fuit. Sed dum Volscorum exercitus nunciatur Antium penè occupasse, moliriq; Equos bellum: Fabio negotium datum, ut legiones Antium duceret, Cornelius præsidio urbis domi maneret. Fabius itaque Volscos adortus, castris exuit: fugientesq; persequutus, maxima cæde cecîdit. Interim Equi Tusculum noctu ui capiũt. Fabius itaq; omissa præda, mox Tusculanis subuenit, hostes dehinc fame domiti, à Tusculanis sub iugum sunt missi. Ignominiosa dehinc fuga Consul consequutus, in Algido (Algedonem urbem Dionys. appellat) ad unum omnes occidit. Consul item alter pacatam urbem uidens, pariter hostes aggressus est. Sic & Volsci & Equi fusi, fugatiq; sunt: quod latè Liuius in tertio narrat. Breuius Dionys. in decimo, qui ordinem rerum gestarum parum inuertit. Meminit Algidi Strabo in quinto, & Florus, sed uerbo tantum. Sed quid iuuat has quisquilias omnes consectari? ut ostentatores quidam faciunt, pro aura populari captanda, qui singula uerba, ut multiscij appareant, citra omnem utilitatem afferunt. Obseruandum præterea, quòd Eutropius post occisos trecentos Fabios, Cesone Fabio, T. Verginio Coss. scribit: Post hoc census in urbe habitus est, & inuenta sunt ciuium capita centum & triginta duo millia, quadringenti, & decem & nouem. Sic enim legendum est. Sed is census factus est uiginti annos postea, ijs Coss. iam positis. Nam sequitur: Sequenti anno cum in Algido monte, &c. cum Quintius Cincinnatus fuit Dictator. Hoc sequentibus Coss. actum est. Addendum hoc quoque, Quæstores Volscium illum, qui iniquum in Cesonem tulerat testimonium, in ius uocasse: quod latissimè Liuius in tertio prosequitur. 295

Genutius. Rutilius, secundum Liuium. Dion. autem, C. Nautius II. Vide superius anno tricesimoquinto.

4 52 L. MINVTIVS, & L. NAVTIVS.

Magis accedo Dionysio, qui in decimo scribit, C. Nautium iterum consulatũ gessisse, cũ L. Minutio: nõ L. Nautiũ. uitiumq; esse puto librariorũ. Cæterùm sub ijs Coss. Equi, quibus superiori anno pax data, fracto fœdere, duce Graccho Chlœlio, uel ut Dionys. 296

Ab urbe con. — Olym. Post reexa.

Dionys. ait, Celio, Latinum agrum ac Tusculanum populati, in Algido castra locarunt. Ad hos missus L. Minutius (nam C. Nautius contra Sabinos exercitum duxit, ac prosperè cum ijs dimicauit) infeliciter in castris obsessus est. In conuallibus Q. Fabius relictus, urbis præfectus, consilio alterius consulis Nautij, Dictatorem L. Quintium Cincinnatum ex agro suo Transtyberino, qui pòst Prata Quintia uocatus est, euocauit. quem ex agro euocatum dixisse ferunt: Ergo huius quoque anni fructus ob occupationes meas amittitur, esuriemusque omnes malè. qui tamen mox cum L. Tarquinio, magistro Equitum, uiro strenuo, sed paupere, exercitum uersus Equos duxit hostes, omnesque compulit sub iugum ire, amissis armis, & liberato Consule ac Romano exercitu: uinctis autem hostium ducibus, quos in triumphum Romam abduxit splendidissimum. Ipse uerò Quintius licet ex præda ditari posset, nihil penitus accepit, magis se efferens paupertate, quàm alij diuitijs: eamque inter milites suos diuisit, hac semestri tantum usus dignitate. sed sexto decimo die se Dictatura abdicauit, ut Liuius in tertio, & Dionysius in decimo abundè scribunt. Adeò ut errorem esse suspicer in Floro, ti. undecimo, qui intra quindecim dies cœptum peractumque bellum scribit: licet Dionys. in undecimo, in quadã oratione Valerij, intra quatuordecim dies rem omnem confecisse Cincinnatum prodat. Sed leuia hæc sunt. Verùm & illud eodem loco animaduertendum est in Floro, quod hunc Lucium Quintium, Titum uocat: & consulem obsessum, M. Minutium: cum alij omnes, utrique L. prenomen attribuant. id quod etiam Val. Max. lib. secundo, cap. de Disciplina militari, abundè scribit, ubi præsentem historiam annotat. Est autem is Quintius Cincinnatus, à familia Cincinnatorum appellatus: quibus insigne erat crinis, quem cincinnum appellant, hoc est, capillus intortus & crispulus: ut M. Varro interpretatur. Decantatus etenim is est etiam à nostræ religionis antistitẽ diuo Augustino, quinto lib. Ciuitatis diuinæ, capite decimo octauo. De quo passim quoque alij: Plinius senior lib. decimooctauo, tertio capite: iunior, uel potius Cornelius Nepos, de Viris illustribus, ti. septimodecimo: Val. Max. li. quarto, caput de Paupertate: necnon Persius poeta, prima Satyra, Sulcoque terens dentalia Quinti, Cum trepida ante boues Dictatorem induit uxor. Cæterùm huius historiæ sub ijs Coss. gestæ, meminerunt & posteriores: Orosius li. secundo, capite duodecimo: & Eutropius libro primo, capite undecimo in fine. In Minutij autem Cos. locum suffectus Q. Fabius, qui Algidum missus est, ut scribit Liuius. Cætera quæ cum Tribunis hoc anno de ferenda lege gesta sunt, illic uide: de damnato scilicet Volscio, & in exilium misso.

Augurinus — Puluillus, Dionysius autem C.

297 Q. MINVTIVS, & M. HORATIVS. LXXXI 53

His Coss. Sabini iterum in agros Romanos ruebant. Equi nuper uicti, præsidium Corbioni relictum interficiunt: iram quam in Romanos non poterant, in socios exercebant. conscribi exercitus non poterat, Tribunis (qui tum in quintum usque annum eundem magistratum gerebant) reclamantibus: qui legem ferendam sanciebant, ac postulabant. Nec aliter uinci poterant, nisi Senatus assentiret, pro quinque tribunis, deinde decem, binos ex singulis classibus, eligendos: quod hoc trigesimosexto anno à primis Tribunis factũ est: ut facile liquet, si supputationem feceris à Coss. Sp. Cassio II. & Posthumio Cominio II. sub quibus Tribuni primi fuerũt. Tum scriptus exercitus. Minutius contra Sabinos profectus, hostes non inuenit. Horatius contra Equos feliciter pugnat, Corbione oppido expugnato, murisque solo æquatis: ut Liuius in tertio, Dionysius in decimo latè describunt. qui tradit, hos Coss. magistratum inijsse prima & octogesima Olympiade, qua uicit in stadio Polymnastus Cyrenæus, principe Athenis Callia. De Tribunis superius abundè multa. Pomponius Lætus libello suo de Magistratibus, pulchrè de Tribunis plebis: sed in fine commiscet Tribunos cum consulari potestate, imprudenter. De nouis autem legibus tribunorum, & eorum iureiurando, siue iuramento, uide Dionys. in decimo, in sequenti consulatu.

M. Vale-

Olym. Post re.

Maximus. *Celimotanus.*

2 ex. 54 M. VALERIVS, & SP. VERGINIVS.

His Coss. ut Liuius in tertio docet, domi forisq; otium fuit, & annona carior, propter aquarum intemperiem. Dehinc lata est lex de Auentino monte exædificando, quia incultus erat, & syluis plenus. quod pluribus prosequitur Dionysius in decimo, scribens etiam quo pacto ciuiles offensæ Tribunorum cum Coss. nouæ exarserint: quia tentatum à Tribunis fuit, ut Senatum sibi in curiam uocare liceret: cum Coss. ad eam diem potestas fuisset patres conuocare, & è curia quoq; demittere. Dicebat enim alter Coss. Abite si placet, non amplius moramur uos P. C. quemadmodum Tribuni etiã concionem populi tenere & soluere, quoad libuisset, poterãt: id quod à quodam tribuno Icilio tentatũ fuit, ut latè Dionys. in decimo perscribit. Sub ijs Coss. ludi seculares secundi facti sunt, ut scribit Censorinus, post conditam urbem anno ducentesimo nonagesimo nono (nonagesimo octauo, rectius est legendum) M. Valerio & Sp. Verginio Coss. licet reliqui anno quadringentesimo decimo, M. Valerio Coruino & C. Petilio Coss. factos scribant: ut etiam infrà annotabimus. Vnde miror, Angelũ Politianum in sua centuria scribere, ex Zosymo græco autore, secundos seculares factos secundo & quinquagesimo post Romam conditam anno, quo nondum erant Coss. sed Reges. & hic quædam ualde incõuenientia subiungit, quæ certè non conueniunt rationi, ut patebit. Potius credo in Zosymo scriptum fuisse, anno ducentesimo octauo & nonagesimo: qui numerus legitimè prouenit. Sunt enim, quemadmodum nos correximus, in Censorino numeri ferè omnes deprauati. Miror autem, neq; Liuium, neq; Dionysium, horum ludorum facere mẽtionem: quamuis Dionys. de Auentini sacris scribat, qui eo anno exædificatus est.

Geminius. *Vaticanus.*

3. 55 G. VETVRIVS, & T. ROMVLIVS.

Liuius in tertio scribit, prioris anni tribunos refectos, miram iterum excitauisse in plebe seditionem contra patricios. Sed dum hæc agerentur, iterum Equi impetum in agrum Tusculanum fecerant. & licet Tribuni resisterent, exercitus tamen scriptus, cum utroq; Consule aduersus hostes progressus est. In Algido superati, quatuor milia hostium sunt desiderata. ingens præda accepta ac uendita est, propter ærarij inopiam: unde sibi maximam Coss. inuidiam peperere. Dionys. uerò in decimo, latissimè describit, quemadmodum urbs tempore belli semper concors fuit, ac diuitijs aucta: in pace uerò, seditionibus flagrauit, ac depauperata sit: & quanta, qualisq; fuerit altercatio Coss. cum tribunis, qui acerbissimè patricios persequuti sunt: maximè cum plebs à quodã plebeio L. Sicinio Dentato fuisset persuasa. cuius meminit & Plinius li. septimo Naturalis historiæ, cap. uigesimo octauo: & Val. Max. li. tertio, ca. de Fortitudine. Vide igitur apud Dionysium, quo pacto Sicinius fuerit, cum ex bello Equorum redijsset, à plebe pater, seruator & deus appellatus. Obseruandũ & hoc est, quod quidam hunc Consulem T. Romulum uocant, ut Plin. li. septimo, cap. quo suprà. & hunc Sicinium Dionysius Siccium uocat, & item Liuius in tertio, cum agit de secundo Decemuiratu. 299

Capitolinus *Dion. Termenius, si non est error libri.*

4. 56 SP. TARPEIVS, & A. ATERINVS.

Plinius lib. septimo, cap. uigesimo octauo, A. Thermum uocat: si non literæ coniunctæ uel dissolutæ errorem pepererunt. Lege illic quæ de Dentato Trib. pleb. scribit. Vidi etiam, qui hunc A. Aetermium scriberet Consulem. Sub ijs Coss. dies dicta Romulio, prioris anni Consuli, qui damnatus est decem milib. æris: & item Veturio collegæ, qui duodecim milibus æris damnatus est. Ob id præsentes Coss. seniores fuerunt, ad resistendum Tribunis: qui reiecta ueteri lege, ut finis certaminum fieret, cum patribus egerunt, ut legati mitterentur Athenas, qui leges Solonis conscriberent. Nam de legibus conuenerant & patres & plebeij: de latore discrepabant. Romulius tam egregiè patrib. cõsuluit, ut Sicinius ei mulctã remitteret, quam 300

seruare

Ab urbe con. seruare tamen noluit. Id Liuius in tertio copiosissime, Dionysius in decimo describunt. hos duos patricios & consulares uiros, post electos decemuiros Trib. pleb. cooptauere in suum collegiū, ut Liuius in tertio scribit, COSS. Sp. Herminio & T. Verginio. De legatis tamen missis, subiungit etiam noster Cassiodorus. Olym. Post rex exa.

His COSS. Legati Athenas missi, ad leges describendas.

Liuius missos scribit Sp. Posthumium Album, P. Sulpitium Camerinum, A. Manlium. Eosdem Dionysius nominat, sed pro P. Sulpitio Seruilium Sulpitium scribit: ut inclytas Solonis leges, iura etiam & mores ciuitatum noscerēt. Hos etiam nominat Fenestella, tit. uicesimonono, de Romanorum magistratibus.

Tergeminus. *Verus.*

301 P. CVRIATIVS, ET SEX. QVINTILIVS. LXX XII 57

Dionysius in decimo, primum Consulem uocat P. Horatium, non Curiatium, qui cum Quintilio Consulatum gessit, annis ab urbe condita trecentis expletis, secunda & octogesima Olympiade, qua uicit stadium Lycus Thessalus Larisseus, imperante Athenis Cherephane. Fuit enim hic annus quinquagesimus septimus ab exactis Regibus: qui, si adijcientur ducentis quadraginta quatuor, quibus reges imperitarunt, erunt trecenti anni expleti, & unus. Sub quibus tanta fuit pestilentia, ut omnes famuli penè amissi sint, & ciuium ferè pars dimidia, non sufficientibus neque medicis, neque propinquis, necessaria administrantibus: adeò ut multę domus desertę essent. cum enim corpora neque cremari, neq; humi possent omnia mandari, proiecta in fluuios, aquas corrumpebant. Inde & homines & pecora inficiebantur: & alter COSS. Quintius (sic enim alijs dicitur) moriebatur, cui fuit suffectus Sp. Furius. ex tribunis quatuor, ex senatoribus multi mortui. Quinimo & Equi hostes talem nacti opportunitatem, cum exercitum uersus Romanos educerent, aliasq; finitimas gentes sollicitarent, eodem morbo correpti, Volscos Sabinosq; omnes infecerunt, ut redire domum cogerentur. Huic malo coniungebatur fames, quæ ex incultis agris nascebatur. Itaque nihil gestum esse à Romanis, neque ciuile, neque bellicum, Dionys. scribit. Liuius in tertio, Flaminem Quirinalem, augurem, tres tribunos cum Consule mortuos scribit. Orosius libro secundo, capite duodecimo sic scribit: Anno qui ab urbe cōdita proximus trecētesimo fuit, dum legati ad Athenienses, propter Solonis leges deferēdas, missi expectant̄, arma Romana, fames pestilentiaq; cōpescuit. Diuus item Augustinus lib. tertio, cap. decimoseptimo, illius famis pestilentiæq; meminit.

Lanatus. *Vaticanus.*

302 T. MENENIVS, ET P. SEXTIVS. 2 58

Dionys. in decimo scribit, L. Menenius & P. Siccinius, uel Siccius. Sed puto esse erratum. nam paulo pòst eundem Sestium nominat. Siue quòd Græci latina nomina minimè rectè Gręcis literis scribere sciant, siue suo more Latina ac Romana nomina sic enunciāt. Obseruaui hoc sæpius in Dionysio Alicarnasseo, Diodoro Siculo, Polybio, & Ioanne Monacho, aliàs Zonara dicto, qui nomina Coss. græcè aliter scribūt, quàm Liuius & Latini. Liuius penitus hos non nominat: quod excusari non potest. Cum uerò legati in Græciam missi, tertio anno reuersi, occasioni fuerint decemuiros creandi: quomodo ille cōsulatus & is annus possit obmitti, nō uideo. Ideo puto hoc loco mancum esse Liuium. Scribit enim idem Liuius in tertio: Anno trecentesimo altero quàm condita Roma fuerat, iterum mutat̄ forma ciuitatis ab COSS. ad Decemuiros, quemadmodū ab Regibus antè ad COSS. uenerat. Id etiam ex recentioribus placet obseruare. Vide Fenestellā, qui de Magistratibus scripsit, aut quisquis ille fuerit. Pomponius item Lætus in libello suo de Magistratibus, de Decemuiris scribit. Sed ab initio est error librariorū, cum ita scribit: Anno ab urbe cōdita trecētesimonono, Decēuiri pro Coss. creati sunt, et tertio anno depositi libidine Appij Claudij. Scribendū est enim, trecentesimo secūdo. sed facilis fuit lapsus. Consentit Cicero lib. 2. de Finibus: qui sexagesimo anno ab exactis Regibus, Verginiam à patre occisam tradit,

Olym. Poſt rexa. dit, ut infrà patebit. Euſebius: Trecenteſimo ſecundo anno ab urbe cõdita, Decemuiri creati. Sed noſter Caſsiodorus ſic de ijs ſcribit: Ab urbe con.

Hoc tempore à COSS. ad Decemuiros translatũ imperiũ eſt, per quos duobus annis adminiſtrata Reſpub. eſt. atq; iterũ COSS. creati ſunt.

In exemplari Caſs. quod unicũ habui, ſcribebat, quadraginta annis: ſed erratũ eſt. notæ enim numerorũ fuerunt à librario inuerſæ, cum ſic ſcriptũ ibi eſſet, II. ex incuria ſcripſit, XL. id quod frequenter accidit hominibus qui ſunt ſocordes & negligentes. Narrat Dionyſ. quo pacto ſub ijs Coſſ. uis morbi ſuperioris anni in totum extincta ſit, frumentumq; allatũ, ut penuria diſſolueret. Interea uenisse Athenis & ab alijs Græciæ urbibus legatos, ferentes leges: Tribunosq; mox poſtulaſſe, ut ſecundũ Senatuſconſultũ legumlatores crearent. Coſſ. autem cum optimatiũ potentiam ægrè diſſoluere paterentur, reiecerunt in ſequentes Coſſ. deſignatos, Appium Claudiũ & T. Genucium. Præterea Menenius Conſul diutina laborans ægritudine, alterum collegam tutum fecit ab inſolentia Tribunorum: qui deſignatũ adeuntes Conſulem Appium, pollicitationibus multis eum tam repentè immutarũt, ut ex atroci inſectatore plebis, mite ingenium indueret, & plebicola euaderet. Sicq; rem confecerũt, ut Sextius ſolus Senatum cõuocaret: ſententiamq; obtinerent, ut uiri decem eligerent, illuſtriſsimi Senatorũ, qui ipſo electionis die imperarẽt, poteſtatem ſuper omnes qui in urbe eſſent habentes, eam quã Coſſ. habuerant, & quam prius quoq; reges, cæteriq; magiſtratus omnes. Interim nõ eſſent in urbe. Proximisq; dehinc comitijs centuriatis creati ſunt decemuiri. Hæc Dionyſ. Liuius uerò nullã faciens Coſſ. mentionẽ (ut etiam error illic, uel defectus quiſpiã appareat, ſi quis eius annos cõnumeret, ut antea dixi) ſic ait: Iam redierãt legati cum Atticis legibus: eo intentius inſtabãt tribuni, ut tandem ſcribendarũ legum initiũ fieret. Placet creare triumuiros ſine prouocatione: & ne quis eo anno alius magiſtratus eſſet, ne admiſcerentur plebeij, controuerſia aliquandiu fuit. Poſtremò cõceſſum patribus; modò ne lex Icilia de Auentino, aliæq; ſacratæ leges abrogarent. Vnde ſubiungit uerba ſequentia, quæ non uidentur cum ſuperioribus cohærere: Anno trecenteſimo altero, quàm condita Roma erat, iterum mutatur forma ciuitatis, ab Coſſ. ad Decemuiros, quemadmodũ à Regibus ante ad Conſules uenerat, translato imperio minus inſignis: quia non diuturna mutatio fuit. læta enim principia magiſtratus eius nimis luxuriauere. Eo citius lapſa res eſt: repetitumq;, duobus uti mandaret Conſulum nomen, imperiumq;. Idem Euſebius in lib. Temporum, idem Eutropius lib. primo, cap. duodecimo: & Solinus in Polyhiſtore, ſcribit, Decemuiros creatos anno urbis trecenteſimo ſecundo. Vereor eſſe inemendatum codicẽ Oroſij, qui lib. ſecundo, cap. duodecimo, ſcribit: Ipſo aũt trecenteſimo anno, hoc eſt, Olympiade nonageſima quinta, poteſtas Coſſ. Decemuiris tradita, conſtituendarũ legum Atticarũ gratia, magnã Reip. perniciẽ inuexit. cum Dionyſ. dicatur tertia & octogeſima Olympias, & paulo antè. Meminit & Gellius lib. decimo ſeptimo, cap. ultimo, ſed obiter, illius Decemuiratus.

DECEMVIRI.

3 59 Appius Claudius, T. Genutius, P. Sextius, L. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Poſthumius. 303

Ita eos nominat Liuius in tertio. Dionyſ. pro P. Curiatio Horatium ponit: pro P. Sulpitio, Seruilium Sulpitium: pro Sp. Poſthumio, P. Poſthumiũ. Ex ijs erant Conſulatum accepturi eo anno,

Appius Claudius Sabinus, & T. Genutius Augurinus.

Et ideo deſignati à Liuio dicuntur COSS. & quòd is honor pro honore illis ſit redditus, & Sextio alteri Conſulũ prioris anni, quòd eam rem collega inuito ad patres retulerat. Ex quibus quidem uerbis ſanè apertiſſimè intelligĩ, Liuius hoc loco corruptus. Si enim Sextius prioris anni fuit conſul, ut fuit, cur ſuo loco non adſcribitur: ſed

T. Ro-

Ab urbe con. — Olym. Post rex exa.

T. Romulius, qui populi iudicio damnatus quidem erat, sed popularis dehinc effe-
ctus est princeps: Posthumius, Sulpitius & Manlius, legati fuerãt in Græciam. Eos
item repetit Fenestella de Magistratibus, tit. uigesimonono: & inter neotericos Læ-
tus Pomponius, inter ueteres Pomponius iureconsultus Digestorum primo, de ori-
gine iuris. ubi Accursius, ille splendidus legum interpres, pulchras nugas aniles de
quodam Græco, qui in urbem uenerat, recenset: cuiusmodi pueris narrare solent nu-
trices. Quo pacto uerò leges in tabulas redactę sint, illic ex Iureconsulto disce: et cum
ijs conferas, quæ Liuius in tertio, Dionysius in decimo in fine scribũt: quo pacto pri
mùm decem conscriptæ fuerint tabulæ, dehinc ijs duæ aliæ adiectæ, ut lex duodecim
tabularum dicatur. de qua item A. Gellius lib. uigesimo, cap. primo scribit. Fuerunt
autem ab Hermodoro Ephesio scriptæ, qui tum in Italia exulabat, ut Pomponius Iu-
recõsultus refert. Cui postea locata fuit statua in Comitio, ut Plinius trigesimoquar-
to lib. scribit, cap. quinto. Nihil aũt eo anno gestũ, scribit Dionys. quàm annũ fuis-
se tranquillum domi, & leges eas in æneas bases esse cõscriptas: omnesq; alios magi-
stratus patrios sublatos, Tribunos, ædiles, & quæstores: omne uerò imperium De-
cemuiros sibi usurpasse, qui omnia decreta confirmarunt, & iudicia exequebantur.
Huius Appij Claudij nominatim meminit Iureconsultus, de Origine iuris, cum om-
nes antiquos Iuris professores recenset. Sed & Suetonius in Tiberio: Claudius Ap-
pius Regillanus Decemuir legibus scribendis, uirginem ingenuã per uim, libidinis
gratia in seruitutem asserere conatus, causa fuit plebi secedendi rursum à patribus.
Sed & sequenti anno per factionẽ creati sunt Decemuiri, quòd imperfecta uidebatũ
legũ latio, & quòd quædã forent addenda. Creati sunt igitur sequẽtes Decemuiri:

304 Appius Claudius iterum: Q. Fabius Vibolanus, qui ter consul fuerat: 4. 60
M. Cornelius Maluginensis: M. Sergius: (Seruilius à Dionys. dictus) L.
Minutius: T. Antonius Merẽda: M. Rubelius: (uel, ut Dionys. Manlius,
etiam Manilius) & hi omnes patricij erant. Ex plebeijs autem erant, Q.
Petilius, Ceso Duillus, & Sp. Oppius Cornicen.

Sic enim se habent nomina Decemuirorum, quæ deprauata leguntur apud Dio-
nysium, Fenestellamq;. Sub ijs Decemuiratus in apertam exiuit tyrannidem. nam &
die quo inibant magistratum, hoc est idibus Maij, quæ solennes tum ineundis ma-
gistratibus fuere, quia ducebant menses secundum lunam, inciditq; in idus ipsas ple-
nilunium: singuli cum duodecim fascibus uirgarum, quibus alligatæ erant secures,
prodibant in publicum, cum Valerius Publicola secures submisisset, & cæteri dein-
ceps COSS. omnes, nisi uersus hostes exercitus ducerent, coniurationem quandã oc-
cultam inierunt, ut possessum perpetuò obtinerent imperium. Cœpitq; Appius ple-
beijs esse inuisus, qui prius, quòd auræ popularis captator esset, Plebicola dictus erat.
Duas tum prioribus adiecere tabulas, ut essent duodecim tabulæ, unde Ius duode-
cim tabularum dictum postea est, ut Liuius in tertio abundè, & in fine decimi Diony
sius, qui hanc quoq; legem in ijs scriptam tradit: Non licere patricijs coniungi cum
plebeijs connubio. quæ lex postea multorum malorum causa fuit.

305 Sequenti anno ijdem Decemuiri eundem magistratum iniussu popu- LXX 61
li seruant. XIII.

Dionys. in undecimo: Post hunc annum Olympias erat octogesima tertia, quã ui-
cit Crison Himereus, imperante Athenis Philisco: consularemq; potestatem obtine-
bat Romę Appius Claudius tertium iam annum continuum, princeps Decemuira-
tus, & qui cum eo superiore anno imperantes, iterumq; in eadem permanentes pote
state. Tum apertè seditiones in urbe excitę sunt, aduersantibus et patricijs & plebeijs
huic magistratui, ut latissimè Dionys. enarrat. Nam & Sabini agrum Romanũ, Equi
Tusculanum populabantur, & in Algido castra locabant. Dum Decemuiri pro con
scribendo exercitu senatum cõuocant, maximus oritur inter patres tumultus. Vide
artificiosissimas senatorum orationes apud Dionysium, in undecimo. Qui igitur ex

OLYM. POST EX.RE. AB VR. CON.

Decemuiris uersus hostes cum exercitu prodierunt, infeliciter pugnarunt: & L. Sicium, quem superius Sicinium nominauimus, quòd inscitiam eorum in arte militari coarguisset, per inuidiam ac insidias trucidarunt. Appius autem Claudius quum in urbe cum Sp. Oppio maneret pro custodia, crudele aggressus facinus, L. Virginij plebeij filiam Virginiam speciosissimam, cum ob libidinem, qua flagrabat, asserere in seruitutem, & adiudicare M. Claudio clienti suo niteretur, quo eius deinceps potiretur amore: pater Virginius, cultro lanij seruitutem filiæ ultus est: exercitumque commouit, ut in Auentinum plebes castra locarent, quoad dissolueretur Decemuiratus: fierentque comitia pro nouis COSS. ac tribunis plebis. Historiam autem de Verginio, quia pulcherrima est, quære apud Liuium lib. tertio: apud Dionys. lib. undecimo: Iurisconsultum libro primo ff. de Origine iuris. Sed & Val. Max. lib. sexto exemplorum, cap. primo meminit: & iunior Plinius, siue Cornelius Nepos, cap. uigesimo primo, de Viris illustribus. Cicero lib. secundo de Finibus: L. Verginius sexagesimo anno post libertatem receptam, uirginem filiam sua manu occidit, potius quàm ea P. Claudij libidini, qui tum erat summo imperio, dederetur.

Hæc adieci Casiodoro, ut clarior esset: quia Decemuiros non nominat, contentus COSS. tantum recensere nomina, quorum nunc iterum nomina subiungam ex Casiodoro ipso.

Potitus *Barbatus.*

2 62 L. VALERIVS, ET M. HORATIVS. 306

Hic consulatus popularis fuit, ut Liuius in tertio indicat, & in undecimo Dionysius: quoniam leges quas tulerant Consulares, pro libertate plebis erant omnes, ut latè Liuius docet. Iis itaque COSS. dies Appio Claudio à Verginio dicta est: & cum ad populum prouocaret, missus in carcerem, se laqueo suspendit. Sp. Oppius & ipse in carcerem missus, sibi ipsi mortem consciuit. Reliqui Decemuiri exilio seipsos mulctarunt: bonaque eorum in publicum redacta per Quæstores. M. Claudius exilio pulsus, cum Appium professus esset omnia suo iussu se fecisse. Cumque interim hostes iterum Romanum popularentur agrum, Valerius contra Equos & Volscos copias eduxit, Horatius contra Sabinos. Et cum uterque ob res feliciter gestas rediens triumphum peteret, Senatus negauit, populus Romanus præmium dedit. Tribunis sollicitantibus, sineque patrum autoritate, COSS. triumphant. Iis item COSS. Latini & Hernici, ob concordiam patrum & plebis, quòd Decemuiros eiecissent, Ioui Capitolino auream coronam obtulerant, prout res eorum erant opulentę: legesque duodecim tabularum in æs sunt incisæ, & in publicum propositæ. Fuit autem Valerius Consul uir nobilis ex progenitoribus. nam pater eius is fuerat, qui Herdonium Sabinum obsederat, Capitolium obtinentem: locumque recuperauerat, ipse in pugna moriens. & paternus auus Publicola, is qui reges eiecerat, constitueratque optimatum potentiam. M. uerò Horatius Barbatus, pronepos fuit Horatij eius, qui cum Valerio Publicola Consul fuit, post eiectionē Regum: uir in bellicis rebus grauis, nec ad dicendum inualidus, & iampridem Valerio amicus. Vide quæ leges ijs COSS. latæ sint pro plebe, & quomodo tribuni sint sacrosancti dicti, & quædam alia, apud Liuium in tertio.

Celimontanus.

3 63 SP. HERMINIVS, ET T. VERGINIVS. 307

His COSS. otium domi forisque fuit: nihilque præclarè gestum, nisi quòd L. Trebonius Asper tribunus plebis, infensus patribus, rogationē tulit, de patricijs & consularibus à tribunis non cooptandis: ut Liuius in tertio narrat. Dionysius in undecimo, hoc loco & in sequentibus mancus est, & alterius nomen Consulis penitus depravatum: alioqui hoc anno quippiam de Quæstoribus nobis traderet Dionysius. Sed inferius hæc sunt uidenda.

M. GEGA-

AB VR. CON. | | OLYM. | POST EX. RE.

Macrinus. *Al. Iunius, si non est error codicis.*

M. GEGANIVS, ET C. IVLIVS. 4 64

308 His Coss. ut Liuius in tertio scribit, sedatę sunt Tribunorum conciones aduersus nobilium iuuentutem ortę. plebem, decreto ad bellum Volscorum & Equorum delectu sustinendo, rem à seditionibus continuere: urbanoq́ꝫ otio foris omnia tranquilla esse affirmantes, per discordias ciuiles externos tollere animos. Quiescenti plebi, ab iunioribus patrum iniuriæ fieri cœperant: tanquam aut facere iniuriam, aut pati semper necesse esset. Tribuni & ipsi in ea altercatione penè uiolati: citra tamen maiorem offensam, omnis contentio ad tempus stetit. Sed ij quoque Coss. ut superiores, desunt in Dionysio: ita est liber hoc loco mancus & imperfectus.

Capitolinus. *Agrippa.*

T. QVINTIVS IIII. ET A. FVRIVS. LXXX IIII. 65

309 Cum diutius nobiliū & plebeiorū discordiæ reprimi non possent, ut Liuius in tertio narrat, in aperta prodierunt certamina. Interim Equi & Volsci congregatis uiribus, abnuente iam plebe imperium, Latinum agrum populant̄: & prædabundi usq́ꝫ ad portam urbis Esquilinam, in contumeliam irrumpunt, prædam abigentes. Tum T. Quintius uocato ad concionem populo, acerbissima oratione ita flexit, ut omnis iuuentus postero die in campo Martio armata adesset. Vterque Consul itaque hostes in acie aggressus, ita fudit, ut omnem prædam recuperarent Romani abactam. Itaque ad internecionem penè hostibus deletis, decreuit eis non petentibus Senatus triumphum: quem præ timore petere minimè audebant. Fœdum dehinc facinus populus Romanus commisit. Cum enim Aricini & Ardeates de agris quibusdam contendentes, populum Romanum selegissent iudicem, ductu cuiusdā plebeij senis P. Scapsij (cuius mentionem facit Dionysius in fine undecimi, licet Captius ibi sit scriptum) populus Romanus imprudenter contra uoluntatem Consulum ac Patriciorum, non sine magna uerecundia, fecit se dominū illius agri, cuius erat iudex electus. Quod iudiciū fœdius turpiusq́ꝫ patribus, quàm Aricinis & Ardeatibus, uisum est.

Minutius.

M. GENVTIVS, ET P. CVRIATIVS. 2 66

310 Dionysius in undecimo, pro P. Curiatio, C. Quintium ponit. alij Augurinum & Philonem ponūt. Pomponius Lætus refert, in Diodori historijs, post Appij Claudij & T. Curtij Consulatū annos uigintiquinq́ꝫ, M. Minutio Genutio Agrippa & Curtio Chilone Coss. tres tribunos consulari potestate creatos, quod nimirū ijs Coss. factum, & Liuius ab initio quarti attestatur: quos Dionysius præfectos nominat, si translatio est sincera. Nam hic annus domi forisq́ꝫ æstuabat. C. enim Canuleius trib. pleb. de connubio plebis & patrum promulgauit, ut populo potestas esset seu de plebe, seu de patribus, quos uellet Consules faciendi. Maxima patrum ac Tribunorum altercatio fuit, donec T. Genutij fratris alterius Consulis cōsilio, plebi persuasum est, ut nouus magistratus tam ex plebe, quàm ex Patricijs fieret, qui hostibus nō sineret ridiculam fieri urbem. Nam & Ardeates, quibus abiudicati agri fuerant: & Veientes & Equi, cum Volscis, Romanum agrum populabantur. Tum creati sunt ex Patricijs (quia plebs sola mentione contenta fuit, & de connubio patres iam consenserant) nulla facta mutatione de creandis Coss. tres Tribuni militares, cum consulari pote- 3 67

311 state: A. SEMPRONIVS ATRATINVS, L. ATTILIVS LONGVS, ET T. CECILIVS SICELVS, aliàs Quintius. Quos arbitrat̄ Liuius in quarto, electos propter Equorum, Volscorum, & Ardeatium bellum: quòd duo Coss. tot simul obire bella nequiuerint. Anno enim trecentesimo decimo, quàm urbs Romana cōdita erat, primùm Tribuni militares pro Coss. magistratum ineunt: & tertio mense postquam inierunt, augurū decreto, proinde ac uitio creati, honore abiere. Sub ijs etiam Tribunis, legati Ardeatium iniuriam suam querebantur, & miti respōsione remissi sunt. Pomponius iurecōsultus ff. primo, de Origine iuris, etiam meminit, quo pacto, & quare Tribuni militum creati sint, & quot. Dionysius libro undecimo, scri-

Olym. Post re. exa. bit hos tres proconsulare accepisse imperium, anno tertio octogesimę quartæ Olympiadis, imperante Athenis Diphilo: obtinentesq́ isti illud septuaginta tres dies tantum, ultro ipsi deposuere, secundũ patrias cõsuetudines, ob missa quædam à Deo signa, prohibentia eos publica administrare. Abdicantibus uerò se ijs magistratu, conueniens Senatus creat Interreges, qui comitia prædicẽtes, tradentesq́ populo cognitionem, utrum Præfectos creare uellent, an Consules: indicanti ipsimet manendũ esse in ueteri cõsuetudine, permiserunt patritijs, ut qui eorum uellent peterent Consulatum. Id si uerum est, citati sunt Tribuni anno trecentesimo undecimo, non decimo. Sed Eusebius lib. temporũ, octogesima tertia Olympiade Trib. pleb. & Aediles Romæ factos Coss. eiectis commemorat. Sed cum manifesto errore librariorum illic Trib. pleb. scripti sint, pro tribunis militũ: iudica lector, quatenus sit credendũ, presertim cum Olympias etiam non cõueniat: cum ibi tamẽ dicat, COSS. eiectis: & infrà in Olympiade nonagesima octaua scribat, Tribuni militares procõsules esse cœperũt: quod similiter deprauatũ est. Florus lib. primo, tit. uicesimoquinto: Tertiam, inquit, seditionẽ excitauit matrimoniorũ indignitas, ut plebeij cum patricijs iungerentꝰ, qui tumultus in monte Ianiculo duce Canuleio tribuno plebis exarsit. Sed neque Liuius in quarto, neq; Dionys. in undecimo, meminerũt secessus plebis in Ianiculũ. Abbreuiator Liuij lib. undecimo, illum describit, quo Quintus Hortẽsius Dictator fuit. Et item diuus Augustinus lib. tertio Diuinæ ciuitatis, decimoseptimo cap. & pasim alij. Fenestella tit. trigesimoprimo, ijs COSS. Consulatu abeuntibus, hos tribunos militares cõsulari potestate usos scribit. Fuerunt autẽ numero sex ab initio, postea octo creati: ut Liuius in 5. scribit. Et ideo tollenda est menda in lib. primo ff. de Origine iuris, ubi de Tribunis agens, inquit: Hi quoq; cõstituti sunt uario numero. interdũ uiginti fuerunt, interdum plures, nõnunquàm pauciores. Legendum est: Interdum seni, interdũ plures: non uiginti, uitio librariorũ, ut emendauit Budęus. Illud etiam ex Plutarcho in Camillo obseruauimus, qui de Tribunis sic scribit: Ciuilis perturbatio causa fuit, ut tribuni militares designarentur, populo aduersus Senatum discrepante: qui etsi omnia autoritate consulari administrarẽt, tamen minus molestè magistratus propter multitudinem ferebatur. Nam & sex uiros, & non duos præfecisse rebus, leuabat molestiam illorum qui principatum paucorum graui animo tolerabant. Erat autem Tribunorum militum officiũ, ut eleganter Marcellus de Re militari scribit, in castris milites cõtinere, & ad exercitationem producere, uigilias circuire, rei frumentariæ præesse, querelas commilitonum audire, ualetudinarios inspicere. Quoniam is qui tali officio præest, & dare & obseruare castrensia omnia debet. Hi autem à Grecis dicuntur Chiliarchi. Cæterùm duo fuerunt genera Tribunorum militarium, ut Asconius Pedianus super secunda Verrina attestatur: qui scilicet in exercitu creabantur, & Rufuli dicti sunt: ac qui Comitiati, in comitijs designabantur, ut illi. Liquet ergo, hos nomine ipso Consularem habuisse & honorem & administrationem, solis nominibus mutatis. Nunc iterum COSS. Caßiodori prosequemur, qui ea adiecimus pro faciliori intellectu.

Ab urbe con.

Mugilanus. *Atratinus.*

3. 67 L. PAPIRIVS, ET L. SEMPRONIVS. 311

Dionysius in undecimo, primũ Consulem (si non est error codicis) appellat Minutium Patriciũ Mugilanũ. In unico quod habeo exemplari, siue Orosij, siue alterius incerti autoris sit, ubi sola COSS. nomina ponuntꝰ, hoc loco Siculus & Luscinius ponuntꝰ: fortè illorũ agnomina. Fuit autem L. Sempronius frater A. Sempronij, qui Tribunus militũ erat. ob id attestatꝰ Dionys. quòd in priscis Annalibus nunc inueniantꝰ nomina COSS. tantum, nunc Tribunorũ siue præfectorũ tantum: in quibusdã utrunque magistratũ eodem anno simul extitisse. Liuius item, quòd neq; in Annalibus priscis, neq; in libris magistratuũ inueniantꝰ hi COSS. subdubitat: Credo, inquit, quòd tribuni militum initio anni fuerũt, perinde ac per totum annũ in imperio fuerint, suffectis his COSS. prætermissa sunt nomina COSS. horum, teste Licinio Macro. Sed hoc argumen-

Ab urbe con. argumentum esse dicit, hos fuisse Coss. quod horum imperio cum Ardeatibus fœdus renouatum est. Subiungit igitur Liuius, Macrum autorem esse, & in fœdere Ardeatino, & linteis libris ad Monetæ inuentis, hunc annum seu Tribunos modò, seu tribunis suffectos Consules habuisse: & ideo pro uno anno superiores Trib. & hos Coss. locauimus. Dionys. uerò subiungit, nihil sub horum magistratu, neq; bellicum neq; ciuile opus historia dignum esse gestum. Olym. Post rexa.

312 M. GEGANIVS II. (Macerinus.) & T. QVINTIVS V. (Capitolinus.) 4. 68

His Coss. ut Liuius in quarto scribit, legati ab Ardea ueniunt, auxilium propè urbi euersæ implorantes: propter factionem ciuiũ, quæ omnibus malis est deterior. Nam cum plebeiam uirginem, & nobilis & plebeius sponsam peteret: certamen exortum, plebẽ urbe eiecit: quæ auxilio Volscorum, agros populata nobilium, urbem obsedit. Missus ijs in auxilium Geganius consul, dicto citius Volscorum exercitum fugit, Ciuilium eorum ducem & arma in triumphum Romam detulit: missisq; Volscis sub iugum, principes factionis Ardeæ securi percussit: req; bellica tantam sibi gloriam peperit, quantam animi moderatione, & uita perquàm honesta, quinq; suis consulatibus T. Quintius collega. Sub ijs enim Coss. censoria potestas primam originem habuit, cum Coss. hi edocerent, ob continuas consulum militias, aliasq; res, cẽsum legitimum annis decem & septem intermissum esse, pluribusq; ob id fieri supremam iniuriam. Cæterùm à parua origine res tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæq; Romanæ ratio censorum esset, penes regimen senatus, Equitumq; ac centuriarũ omne decoris & ignominiæ discrimen: itemq; publica priuataq; loca recognoscere, uectigalia po. Ro. suo arbitrio locare possent. Primiq; creati sunt Censores, prioris anni Coss. de quorum, ut dixi, consulatu dubitatur. Meminit autem & horum Coss. Dionysius in undecimo, & sunt ultimi Coss. in hoc opere: quia reliqua desiderantur. Censores sub illis creatos quoq; tradit, & hi sunt, L. Papirius & L. Sempronius: fueruntq; hi primi censores creati anno ab urbe condita trecentesimo duodecimo: quia à consulatu Q. Fabij & L. Cornelij, sub quibus proximus census actus fuit, usq; ad hos Coss. decemseptẽ intercesserant anni. Proximus autem annus, quo tres Tribuni militares creabantur, trecẽtesimus undecimus erat: duodecimusq; is annus est, quia priores Consules cum Trib. militaribus uno anno fuerũt, quum tamen septuaginta dies essent in magistratu. Refert Asconius Pedianus super prima Verrina, quæ Diuinatio inscribitur, quòd censores quinto quoq; anno creari à Romanis solebant. Hi prorsus ciues sic notabant, ut qui senator esset, ejceretur senatu: qui eques Romanus, equum publicum perderet: qui plebeius, ne in tabulas referretur, & ærarius fieret, & per hoc non esset in albo centuriæ suæ: sed ad hoc non esset ciuis tantum, tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra præberet. Iidem completo quinquennio, urbem lustrabant: & soli taurilia sacrificia de sue, oue, tauro, faciebant. Illud autem tempus, ut inferius patebit, fuit immutatũ ob id. De Censorijs notis plura Gellius in Noctibus Atticis lib. quarto, cap. uigesimo: & libro septimo, capite ultimo notauit: & Val. Max. li. secundo, cap. quarto, de Censoria nota quædã: Fenestella item, titulo trigesimo secundo, plurima de censoribus scribit, quæ huc mutuare facile poteris. Censorum præterea meminit Pomponius iureconsultus ff. primo, de Origine iuris. Nec iuniores certè aspernandi sunt, qui multa eruditè collegerunt: Pomponius Lætus libello de Magistratibus Romanis, & Blondus Foroliuiensis li. tertio in Roma triumphante. Si quis uerò & censoriam modestiam uoluerit scire, Plutarchum in Aemilio Paulo legat: Leges uerò censorias, in tertio Legum apud Ciceronem. Non est negligendus Liuius in quarto, ubi de origine huius magistratus scribit. Liceat hoc loco mihi iacturam reipublicæ literariæ deplorare, quam in amissione operum Dionysij de historia Romana passa est. Nam cum Dionysius prouinciam suscepisset scribendi res Romanas ab urbe condita, usq; ad bellum Punicum primum, cuius initium fuit anno tertio centesimæ & uigesimæ octauæ Olympiadis: hoc in loco eius libri deficiunt,

OLYM. POST EX. RE. unt. Nec deinceps, heu dolor, Dionysij possumus uti opera. Rogo tamen literatos omneis, si fortuna aliqua propitia adhuc inuenirentur cæteri eius libri, ne hos bibliotaphi celent: sed officinæ literariorum concredant, ut in publicum prodire possint. Sumus enim, ut aliàs defleuimus, in historijs pauperrimi, & admodum egeni: ita res omnis iactura temporis euertente. AB VR. CON.

Vibolanus. *Cornicen.*

LXXXV. 69 M. FABIVS, & POSTHVMIVS EBVTIVS. 313

Pax isto anno domi forisq; fuit, ut Liuius in quarto docet. Cæterùm ut Coss. annũ insignem redderent, agrum (ut superius annotauimus) infami plebis iudicio ablatum Ardeatibus, Senatusconsulto restituerunt, ne rescindendi iudicij consilium intelligerent Tribuni. Nam ciuitas Ardeatum intestino tumultu ad paucos redacta, colonis indigere præsidij causa uisa est. S.C. ad populum latum est, ut Rutilis & Romanis is ager diuideretur. sic ager ad Ardeates reuersus est. Creati autem sunt deducendæ coloniæ Triumuiri, magistratus nouus: quorum erat officium, ut agros nouis colonis diuiderent, urbes designarent, ædificare uolentibus areas partirentur, commodis regionibus ciuitatem distinguerent, legibus magistratus sisterent, & ad speciem optimi tabernaculi remp. effingerent. Fuerunt autem illi tum creati, AGRIPPA MENENIVS, T. DVILLVS SVCVLVS, M. EBVTIVS HELVA. Horum meminit Liuius in quarto: & Fenestella ab eo mutuauit, titulo trigesimotertio. Sed nomina illic sunt deprauata. Quæ autem fuerit deducendarum coloniarum causa & utilitas, Cicero in oratione in Legem agrariam Rulli prima sic ostendit: Est operæprecium diligentiam maiorum recordari, qui colonias sic in locis idoneis, contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiæ, sed propugnacula imperij uiderentur. Asconius Pedianus super oratione Ciceronis in L. Pisonem, duo ponit coloniarum genera. nam & Latinæ & Romanæ fuerant coloniæ. Sed quid à colonia differat municipium, A. Gellius tradit lib. decimosexto, cap. tertiodecimo, & cæteri.

Pacilius.

2 70 G. FVRIVS, & PAPIRIVS CRASSVS. 314

Et hic annus pacatus fuit, nisi Petilius tribunus causam seditionis frustra quæsiuisset: nulla tamen sequuta discordia, & Ludi à decemuiris uoti persoluti sunt. Liuius in quarto.

Macerinus. *Lanatus.*

3 71 PROCVLVS GEGANIVS, & L. MENENIVS. 315

His Coss. turbulentissimus fuit annus, multiplicíq; clade ac periculo insignis. Nã fame seditionibusq; ita fuit turbatus po. Ro. ut propè liberate amissa, Regium dominatum subijsset. Fames enim ex sterilitate tanta fuit, ut multi ex plebe spe amissa, obuoluto capite sese in Tyberim præcipitarent, priusquam fame cruciarentur. Miserrimum enim mortis genus est, fame mori: ut Plato dixit. et ob id Homerus in Odyssea,

Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis:
At perijsse fame, res una miserrima longè est.

Tum eques Ro. Sp. Melius pulchram occasionem nactus, quia prædiues, undiq; ex Ethruria ab hospitibus clientibusq; frumentum priuata pecunia coemit, gratisq; populo distribuit: largitionibusq; plebem sibi adeò deuinxit, ut quacunq; incederet, ingenti stipatus multitudine hominum apertè consulatum inuitis patribus affectare uideretur. Sed ut est animus hominis insatiabilis, ac nullo honore explebilis, immaturis consilijs uisus est regnum quoq; affectare. Creauit tum plebs Romana, haud aduersante Senatu, Præfectum annonæ L. Minutium: qui certè magistratus non nisi ex indigentia frumenti creari solitus erat. Et ut Pomponius Iureconsultus ff. primo, de Origine iuris, disseruit: extra ordinem utilitatis causa fiebat, sicut Præfectus uigilum. licet aliqui quintodecimo anno post exactos reges, Appio Claudio & P. Seruilio Coss. præfecturã annonæ originem habuisse contendant. Alij uerò, decimooctauo anno,

AB VR. CON. anno, T. Geganio & P. Minutio coss. Hic tamen L. Minutius primus legitur, qui hoc magistratus honore, hac necessitate creatus dicitur. Vide Fenestellam, tit. trigesimo, qui ex quarto Liuij hoc mutuauit. OLYM. POST. RE. EX.

Capitolinus. *Lanatus.*

316 T. QVINTIVS VI. & AGRIPPA MENENIVS. 4 72

Scribit Liuius in quarto, L. Minutium & hoc quoque anno Præfectum annonæ fuisse: qui cum intellexisset, quotidie in domo Sp. Melij occulta tractari consilia, multaque in eius domum tela conferri, plures etiam ibi quotidie haberi conciones, ex ijs temeritatem affectati regni in Sp. Melio cognouit. Vt ergo Cōsulibus rem proposuit, quia ab ijs prouocatio erat ad populum, uisum est ijs, pro tanto malo opprimendo, Dictatore esse opus. L. igitur Quintius Cincinnatus in summa senectute Dictator creatur, qui Sp. Halam magistrum Equitum dixit. à quo cum in ius uocaretur Sp. Melius, ad crimen diluendum: ipse uerò recusaret uenire, apparitoremque magistrū Equitum repelleret, Quiritiū fidem implorans, ab Hala obtruncatur. Vocato tum in concionem populo, Quintius Dictator feroci oratione populo persuasit, iure cæsum Sp. Melium. dehinc domum eius dirui iussit, ut monumentum esset oppressæ nephariæ spei. Est hæc area tum Equimelium appellata. L. Minutius autem boue aurato est donatus, ut Liuius: uel statua extra portam Trigeminam, ut Plinius docuit. Hanc historiam copiosius à Liuio descriptam, Florus in fine libri primi, ti. uigesimo sexto, pulcherrimè, cum ea quæ superius de Sp. Cassio narrata est, anno uigesimoquarto post exactos reges, his paucis uerbis sic complectitur: Inter omnia hæc nullius acrior custos, quàm libertatis fuit Po. Ro. nullaque in precium eius potuit largitione corrumpi, cum, ut in magno, & indies maiore populo, interim perniciosi ciues existerent: Spurium Cassium agraria lege, Melium largitione suspectum, præsenti morte mulctauit. ac de Spurio quidem Cassio supplicium pater ipsius sumpsit: hunc Quintij Dictatoris imperio, in medio foro magister Equitum Seruilius Hala confodit. Sic enim est legendus Florus, alioqui corruptus. Delibat & hanc historiam diuus August. lib. tertio, ca. decimoseptimo, cum ait: Vbi erant dij, quando rursus po. Ro. cum fame laboraret, præfectum annonæ primum creauit: atque illa fame inualescente, Sp. Melius (ita enim legendum est, nō Aemilius, ut passim corrupti habent codices) qui esurienti multitudini frumenta largitus est, regni affectati crimen incurrit, & eiusdem præfecti instantia per Dictatorem L. Quintium ætate decrepitum, à Seruilio Hala magistro Equitum, cum maximo & periculosissimo tumultu occisus est. Tribuni plebis questi Melij mortem sunt, apud plebem Seruilium & Minutium accusantes: quorum hic indemnatum obtruncasset, ille falsum homini intendisset crimen. Ad leniendam igitur plebem, passi sunt patres sequenti anno tribunos militum creari, hos scilicet,

L. Quintium Cincinnati filium, M. Aemilium, & L. Iulium. LXXX VI. 73

317 Sub quibus & Fidenæ, Romanorum colonia, ad Lartem Tolumnium Veientum regem defecere: & legati ab urbe missi, contra ius gentium sunt interfecti. Atrox igitur bellum cum Fidenatibus & Veientibus à fœda causa ortum, concordiam fecit, ut consules pro tribunis crearentur. Addidi hos quoque tribunos militares, licet in Cassiodoro scripti non sint, ut annos & seriem historiæ contexam strenuè.

Macerinus. *Fidenas, à bello quod gessit cognominatus.*

318 M. GEGANIVS III. & L. SERGIVS. 2 74

His COSS. Sergius cum Larte Tolumnio cis Anienem prosperè pugnauit, obtigitque uictoriam Romanis haud incruentam. Maior fuit dolor ciuitatis ex ciuibus ea pugna amissis, quàm ex fusis hostibus lætitia. Hinc ergo creatus Dictator Mamercus Aemilius. Quintius uerò Cincinnati filius magister Equitū, nouo delectu facto contra Veientes, quibus se & Phalisci coniunxerant: & contra Fidenates copiæ Romanæ processerant, ut tandem hostes ita crudeliter cæsi profligatique sint, ut non modò Dictator cum triumpho urbem ingressus sit, sed et A. Cornelius Cossus, qui Lartem

Olym. Post re. exa. tem Tolumnium interfecit, eiq; arma detraxit, Ioui Feretrio opima spolia, secundus post Romulum detulerit, dedicaueritq;. Ordinem illius pugnæ longè lateq; disserit Liuius in quarto, ubi etiam multa de A. Cornelio Cosso, an tribunus militum, an consul fuerit. Val. Max. lib. tertio, de Fortitudine, huius Cossi quoq; egregiè meminit, eumq; magistrum Equitum uocat. Sed & Consul & magister equitum is postea fuit, ut infrà patebit. Cornelius item Nepos, siue iunior Plinius, de uiris illustribus, cap. uigesimoquinto, huius Cossi insignem mentionem facit. Florus lib. primo, ti. duodecimo, uerbo tantum hanc notat historiam: Spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Sic enim est legendũ, non Laerte. hoc nomen enim Lartes non proprium est, sed commune dignitatis uocabulum Etruscum: sicut Augustus, et Pharao. In triumphalibus Ethruscis inuenitur per aspirationem scriptum Larth, & Larthi. Erant enim in dynastia, siue potentatu Ethruriæ duodecim Lucumones, in Vetulonia residentes: id est, duodecim reges, quibus unus præerat, ut Seruius autor est super octauum Aeneidos. Hic supremus Larth, uocabulo Ethrusco, id est, regum maximus dicebatur, non solum quia cæteris præerat, uerumetiam quia anniuersariè cæteris duodecim reuocatis, ipse per uitam totam perseuerabat. Vnde & Manethon scribit, post Menophim cœptã esse dynastiam Larthum, ut in Italia: quæ durauit annis solaribus centum nonaginta quatuor in Aegypto. Fuit autem (ut ad propositum redeam) hic Tolumnius Veiens secundus Larthes post Porsennam Clusium, qui regnauit apud Ethruscos uiginti duos annos, ut habet Chronographia Ethrusca. Meminit eius item historiæ Eutropius lib. primo, cap. decimo tertio. Sed tu ibi pro M. Aemilio, lege Mamerco, quod Dictatoris nomen fuit. Anno id trecentesimo decimo quinto ab urbe condita factum esse dicit: sed non conuenit. Vide etiam numerum hic appositum. Ab u... be con.

Crassus. *Maluginensis.*

3. 75 L. PAPIRIVS, & M. CORNELIVS. 319

Sub ijs Coss. exercitus in agrum Veientem & Faliscum ducti, præda hominum & pecorum abacta, hostis nunquam inuentus est. Vrbes tamen ob pestilentiam non oppugnatæ, quia morbus inualuit, & crebri terræmotus ex ruinis tectorũ homines terruerunt. Quæ causa etiam fuit, ut & Sp. Melius tribunus plebis, ac perempti necessarius, frustra Minutio diem dixerit, ad populumq; de Seruilij bonis publicandis rogationem tulerit, & Duumuiris obsecrationes à populo demandatæ sint. Erant enim Duumuiri sacrorum à Tarquinio Superbo instituti: qui sacris libris legendis, carminibusq; Sibyllæ, ac fatis pop. Romani interpretandis præerant, antistitesq; ceremoniarum uocabantur. Hi quoties prodigia emerserant, magnos aliquos rerum euentus portendentia, lectisternijs ad deorum puluinaria factis, iras deorum auertebant, sacrisq; placabant. Numerus illorũ fuit uariatus. nunc enim decem, nunc quindecim creabantur. Meminit horũ & Fenestella, tit. Decimotertio. Tu uide Dionysium Halicarnasseum lib. quarto, de origine horum, quando cœperint, eleganter scribentem: & Gellium libro primo, decimonono cap. de Sibyllinis libris.

4. 76 C. IVLIVS II. & L. VERGINIVS. 320

Scribit Liuius in quarto, tantam esse factam & in urbe & in agris ex peste uastitatem, ut Venientes & Fidenates (Falisci enim adesse noluerunt) transito Aniene, ad portam Collinam signa adducerent. In tanta trepidatione Seruilius Priscus, uel Structus, Dictator, & Posthumius Ebutius Helua magister Equitum, conscripto exercitu, hostes repulerant: Fidenasq; tandem per cuniculos expugnant, atq; capiunt. Hoc anno C. Furius Pacilius & M. Geganius cẽsores, censum populi in uilla publica campi Martij egerunt. Non est igitur legendũ P. Acilius, ut corrupti habent codices.

87. 77 C. IVLIVS III. & L. VERGINIVS II. 321

Liuius in quarto refert, in hunc quoq; annum refectos hos Coss. autoritate Licinij Macri,

Ab urbe con. *Olym. Post re. exa.*

Macri. quanquam Valerius Antias & Q. Tubero alios scripserunt huius anni Coss. scilicet M. Manilium & Q. Sulpitium. Cassiodorus noster Liuium imitatus, Iulium & Verginium Coss. ponit. quicunque tamen fuerint, hoc anno Romæ tumultuatum est, quod ad phanum Voltumnæ omnes Ethruriæ populi, Veientibus & Faliscis acersentibus, coiuisse dicerentur, de bello communi nomine Romanis inferendo disputaturi. Dictator igitur creatus M. Aemilius iterum, A. Posthumius Tubero magister equitum. sed cum urbs trepidaret interim, mercatores renunciant, negata esse auxilia ab uniuersa Ethruria Veientibus & Faliscis. Belli ergo cura amota, ne Dictator nihil suo magistratu ageret, Censuræ magistratum, qui quinquennalis erat, ut suprà annotauimus, in annuum & semestre spacium lege ad populum lata contraxit, Dictaturaque se abdicauit. A' censoribus igitur in ordinem redactus, & tribu amotus, ærarius factus est octuplicato censu. Corrigenda sunt nomina apud Fenestellam, ubi de Censoribus agit: quæ sunt penitus corrupta. Tribuni igitur plebis indignati assiduis concionibus, prohibendo consularia comitia, euicere ut Tribuni consulari potestate crearentur sequenti anno:

322 M. Fabius Vibulanus, M. Folius, & L. Sergius Fidenas. 2 78

Omnes hi patricij, & nullus plebeius: propter quos tamen certamen fuit pestis fuit hoc anno ingens, cladesque in urbe & agris promiscuè hominum ac pecorum. Vota Apollini ædes, pro ualetudine hominum. Multa Duumuiri placãdæ deûm iræ, auertendæque à populo pestis causa fecerunt. Famesque suspecta fuit: ob id in Campaniam & in Siciliam missi frumẽtatores. Consularium comitiorum nulla mentio habita est. Creati Tribuni iterum consulari potestate, omnes patricij:

323 L. Pinarius Mamercus, L. Furius Medullinus, & Sp. Posthumius Albus. 3 79

Vis morbi eo anno leuata est, quia prouisum erat. nulla etiam ex frumentis penuria fuit. Consilia item agitata de mouendo bello in Volscos, Equosque: sed res in sequentem annum dilatæ. Dum igitur foris otium esset, Tribuni plebis, non sine patrũ certamine, legem tulerunt, ne cui liceret petitionis causa album uestimentum induere. Apparebat autem nobilium ambitione fieri, ut quum ad tribunitiam dignitatem consulari potestate promiscuè nobilibus & plebi pateret aditus, nemo tamen plebecus adhuc esset magistratum adeptus. Patres igitur haud ignari quorsum tenderet illa rogatio, totis uiribus adnixi peruicere, ut sequenti anno consularia comitia haberentur, quibus creati sunt Coss.

Cincinnatus Pœnus. *Mento.*

324 T. QVINTIVS VII. & GN. IVLIVS. 4 80

His Coss. ut Liuius in quarto tradit, cum Latini Hernicique nunciassent, Equorum Volscorumque concilium, qui in Algido conuenerant, lege sacrata eò bina castra ualidis munitionibus locasse: territa urbs, ac Senatus ob accuratiorem hostium apparatum stupefactus, consuetum in eiusmodi terroribus remedium, Dictatorem, inuitis Coss. assistentibus uerò Tribunis plebis, creat, A. Posthumium Tubertum, qui L. Iulium magistrum equitum dixit: conscriptisque copijs, relicto pro urbis præsidio altero consule Cn. Iulio, uersus hostes itum est. Quo stratagemate usus sit Dictator, & qua arte dimicatum contra hostes, ubertim Liuius edocet in quarto. Castris enim captis, præter senatores ac nobiles, omnis multitudo sub corona uendita est: præda Latinis Hernicisque reddita, pars uendita. Relicto Quintio pro castris, Dictator triumphauit, deuictis fusisque hostibus. Contendunt aliqui, A. hunc Posthumium in castris filium suum securi percussisse, quòd iniussu patris præsidio decessisset. Sed Liuius pernegat, Manlio hoc adscribens, qui ex ea re Imperiosus cognomento est dictus. Hoc item tempore Carthaginenses, propter seditiones

Olym. Post Re. exa. nes Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam duxerunt exercitum, ac mare traiecerunt. Hoc præterea tempore celebre illud in Gręcia bellum exortum est, quod Peloponnesiacum dicitur, de quo sic scribit A. Gellius lib. decimoseptimo, cap. ultimo: Bellum deinde in terra Græcia maximum, Peloponnesiacum (quod Thucydides memoriæ mandauit) cœptum est, circa annum ferè post conditam urbem Romã trecentesimum uigesimumquartum (sic enim legendum, non uigesimonono, ut corrupti habent codices) qua tempestate A. Posthumius Torquatus Dictator Romæ fuit, qui filium suum, quòd contra suum edictum in hostem pugnauerat, securi necauit. Hostes tum pop. Rom. fuerant Fidenates. Vereor autem errorem irrepsisse. Hic enim Dictator Liuio Tubertus dictus est, non Torquatus, uir seuerissimi imperij, & socer Quintij consulis. Sed Val. Max lib. secundo, ca. de Militari disciplina, utrumq; ponit, & Posthumium & Manlium.

LXXX VIII 81 L. PAPYRIVS CRASSVS, & L. IVLIVS. 325

Licet tribuni plebis, ut Liuius in quarto docet, multum agitarent pro tribunis militaribus creandis: Consules tamen hi creati sunt. Venerunt tum legati Equorum, à senatu fœdus petentes: quibus deditio ostentabatur. inducias tamen octo annorum impetrauerunt. Volscorum res super acceptam cladem in certamine stetit. Lex de mulctarum æstimatione ad populum, admodum grata, per Coss. lata est, ne tribuni præuenirent.

Fidenas. *Tricipitinus.*

2 82 L. SERGIVS II. & HOSTIVS LVCRETIVS. 326

Sub ijs Coss. nihil dignum dictu actum esse, Liuius in quarto scribit. Nulla igitur re annus illorum, domi foris'ue gesta, insignis fuit.

Pœnus. *Cincinnatus.*

3 83 A. CORNELIVS COSSVS, & T. QVINTIVS II. 327

His Coss. Veientes in Romanum agrum excursiones fecerunt, quibus Fidenatiũ quidã immixti, & per hoc quibus super ea re cognitio concessa est, Hostiam relegati, additiq; sunt noui coloni ueteribus. Fuit is annus ita siccus, ut non modò cœlestes aquæ deessent, sed & terra ingenito humore uix ad perennes fluuios sufficeret. Exaruerunt torridi fontes, pecorumq; siti morientiũ passim strages edita, pleraq; scabie absumpta, uulgatiq; attactu in homines morbi primò in agrestes & seruitia, mox & ciuitatem corrupit tetra lues. Orta est ex ea clade multiplex superstitio, peregrinaq; saxa in sacellis passim fiebant. Quod patres ægrè ferentes, negotium Aedilibus dedere, ut diligenter aduerterent, ne alio in urbe ritu quàm patrio sacra fierent, ut Liuius in quarto docet. Sed & huius cladis ac morbi meminit Thucydides, quam lib. secundo graphicè & eleganter perscribit. Vide ibi, de pestilentia Atheniensium.

Hala. *Mugillanus.*

4 84 C. SERVILIVS, & L. PAPYRIVS. 328

Scribit Liuius in quarto, his Coss. bellum Veientibus esse indictum, quòd priusquam induciæ exijssent, quas ad Nomentum & Fidenas uicti, suppliciter petierant, rebellassent. Missi igitur fœciales, ad res repetendas. Sed cum iterum ob quandam religionem tribuni populum concitassent, ut impediretur delectus, in proximum annum & sequentem Tribuni consulares creati sunt quatuor patricij.

LXXX IX 85 T. Quintius Pœnus, C. Furius, Martius Posthuminus, & A. Cornelius Cossus. 329

Tres habito delectu profecti sunt Veios (nam Cossus urbi præfuit) infeliciterq; pugnãtes docuerunt, cum diuersum singuli tenerent, Imperatorum multitudinẽ esse malã & noxiã. Nã legiones Romanę fusę fugatęq; sunt, & castris exutę ab Ethruscis.

Mamercus

Ab urbe con. Mamercus igitur Aemilius, ut fit in magna urbis trepidatione, Dictator dictus, A. *Olym. Post re. exa.*
Cornelius Cossus magister equitum. Veientes igitur uictoria elati, omnem Ethru-
riam sollicitarunt ad defectionem. Fidenates, qui proximo biennio colonos accepe-
rant, ut bellum à scelere ordirentur, omnes trucidarũt, & ad Veientes defecerunt. Fi-
denas, locum ad rem gerendam, belli sedem hostes legũt. eò itaq; Veientes, traiecto
Tyberi, omnem bellicum apparatum contulere: Romæ trepidatum, post aduersę pu
gnæ nuncium. Nouus delectus habitus, & ante portam Collinam castra locata: arma
ti in muris dispositi: iustitiũ in foro, tabernæq; clausæ Dictatoris edicto. Sed proh dij
immortales. Dictator ingenio suo atq; sui magistri equitum Cosßi, locatis castris pro
pe Fidenas, hostes ita cecîdit, ut fugientes in urbem, mixti simul ingrederent̃ Roma-
ni, urbemq; ac arcem caperent, murosq; diriperẽt, suoq; igne se Fidenates cõcrema-
rent, hostes necarẽt, et sub corona uenderent. Exercitus præda spolijsq; onustus, cum
dictatore triumphante in urbem regreditur: qui sextodecimo die, quàm hunc seme-
strem acceperat, magistratu se abdicauit. Paucis equidem uerbis Florus, ut assolet, Fi
denatium interitũ sic scribit, titulo duodecimo libri primi: Cremati suo igne Fidena-
tes, rapti funditùs, deletiq;. Paulo pôst: Fidenę, quia pares nõ erant ferro ad terrorem
mouendum, facibus armatæ, & discoloribus serpentum in modũ uittis furiali more
processerãt. Sed habitus ille feralis euersionis omẽ fuit. Vbi obseruandũ illud, quod
minimè aduerterunt scioli, Florum siue librariorum uitio deprauatum, siue memo-
ria deceptum, ut fit interdum maximis etiam uiris. Vbi enim in lib. primo, tit. undeci
mo, de bello Latino scribit: Apud Regillum, inquit, lacum dimicatur diu marte ua-
rio, donec Posthumius ipse Dictator signum in hostes iaculatus est. Nouum & insi-
gne commentum, uti peterent cursu, Cossus magister equitum exuere frenos impe-
rauit: & hoc nouum, quo acrius incurrerẽt. Annotauimus superius, anno undecimo
ab exactis regibus, T. Ebutio & L. Vetusio co[ss]. locum hunc Flori diligentius ex-
aminandum. Nam ut Liuius in secundo, & Dionysius in quinto referunt, tunc A.
Posthumius Dictator T. Ebutium magistrum equitum habuit. Neq; tamen equis
freni sunt adempti, nouo commẽto. sed in hoc bello Veientum & Fidenatium, cum
Dictator pulchro stratagemate (ut Liuius docet in quarto) aciem locasset: Magister
equitum, inquit, & ipse nouat pugnam equestrem, frenos ut detrahant equis impe-
rat: & ipse princeps calcaribus subditis euectus, effreno equo in medios ignes infer-
tur: & alij concitati equi, libero cursu ferunt equitem in hostem. In eo libello qui
de Viris illustribus, quibusdam Plinio, quibusdã Cornelio attribuit̃, tit. decimosex-
to, ad Regillum lacũ, A. Posthumio dictatore factũ dicitur: sed magister equitũ non
nominatur. Si error in Floro, librariorum uitium non est, peccatum est memoriæ,
nõ eruditionis in Floro: quod magnis sępe uiris accidit. nam & Tullius, ut testat̃ Gel
lius lib. decimoquinto, cap. sexto, cum uersus Homeri ex octauo interpretaret̃, me-
moria lapsus est. & in Bruto atq; Attico sæpe Eupolim pro Aristophane, & Agame
mnonem pro Vlysse nominat. Seneca quoq;, ut Fabius ait, nonnunquã, deceptus ab
ijs quibus aliqua inquirenda mandauerat. & Plinius lib. trigesimoquinto, Alexan-
drum Macedonem scribit, in Apellis pictoris officinam uenire solitum: cum Plutar-
chus & Aelianus hoc de Megabyzo scribant: & in tricesimoquarto Plinius nomi-
net pro Cn. Popilio. Sic potuit Florus memoria labi, & alium pro alio magistro e-
quitũ ponere, & rem quæ alibi gesta est illuc traducere. Nam & in bello Samnitium,
L. Furio & Iunio Bruto Coss. ut in octauo Liuius scribit, & inferius repetetur, L. Co-
minius tribunus, qui aliquoties in agro impetu capto, perrumpere non poterat ho-
stium agmen, detraxit frenos equis, atq; ita concitatos equos calcaribus permisit, ut
sustinere eos nulla uis posset. Licet in historico ueritas undequaque exigatur. Se-
quens annus (ut redeamus eò unde digreßi sumus) Tribunos iterum militum con-
sulari potestate habuit tres, scilicet

330 A. Sempronium Atratinum, L. Quintium Cincinnatum, L. Horatium 2 85
Barbatum.

Olym. Post re. exa. Sub quibus, Veientibus annorũ uiginti induciæ datæ sunt: & Equis trienniĳ, cum plurium annorum petĳssent. & à seditionis urbanis otium fuit. Sequenti anno fuerũt iterum creati Tribuni Con. Pot. Ab ur. con.

5 87 C. Crassus, Sp. Neuius Rutilius, T. Sergius Fidenas, & Sex. Iulius Tullus. 331

Hunc annum, Liuius in quarto inquit, neq; bello foris, neq; domi seditione, insignem fuisse: sed ludis bello uotis celebrem, & tribunorum militum apparatu, & finitimorum concursu. Sed tandem Tribuni plebis assiduis cõcionibus ad multitudinem questi sunt, quod nemo adhuc plebeius Tribunus con. po. creatus esset: cum tamen lex non obstaret. Nemo etiam Consul fuisset ex plebe, è qua tamen multi domi militiæq; spectati fuissent uiri, quibus querelis accensa multitudo, sperabat proximis comitĳs è corpore suo Tribunos futuros. Sed cum Volsci nunciarentur prædatum exĳsse in Hernicorum agros, Tribuniq; ad eam rem inspiciendam proficiscerent, relicto Appio Claudio Decemuiri filio, præfecto urbis, comitia consularia facta sunt, in quibus creati sunt Coss.

Atratinus. *Vibulanus.*

4 88 A. SEMPRONIVS, ET Q. FABIVS. 332

His Coss. ut tradit Liuius in quarto, Vulturnus urbs Ethruscorum, quæ Capua est postea dicta, à Samnitibus capta est. fuerant hi in societatem agrorum ab ueteribus colonis, quos bello fugauerãt, accepti. Erant illi Ethrusci sanguinis. eos itaq; festi diei epulis & uino graues, Samnites cæde adorti, urbe potiti sunt. Hoc etiã anno Latini & Hernici post creatos Coss. trepidè nunciarũt, Volscos in armis esse, adeoq; in apparando bello occupatos: ut experiri uellẽt planè, utrũ hi essent, qui uirtute, patientia, disciplina militari, cum populo Romano possent ex æquo contendere: an perpetuò potius illis imperio cedendũ esset. A. Sempronius consul ad illud bellũ est missus. Is fortuna ciuitatis fretus, temerè prælium ingressus: non bene ordinibus firmata acie, ut propè uictoria hostibus cessisset. Sed Sex. Tempaniĳ decurionis equitũ uirtus ac fortuna, labantem aciem restituit. Dum in pedes equitum ordo ex equis resiliret, pugna autem in noctẽ usq; cedente, ac fuga in utrisq; castris & Romanorũ & hostium facta, cum malè pugnatũ Romam nunciaretur, urbsq; trepidaret superuenientibus equitibus, & paulo pòst aduentante Consule cum legionibus, urbs metu est soluta. Sed ita Semproniĳ cõsulatus iterum in tribunos militum Con. po. uersus est. Vide apud Liuium, qui patricĳs Tribuni plebis diem dixerint, quid Tempanius in concione pro consule Sempronio, & alia quoq; multa quę Liuius recenset. Obiter examinandus est locus Val. Max. lib. tertio, cap. de Fortitudine, ubi de iuuẽtute Romana sub Sempronio agitur: Reddendus, inquit, est nunc Romanæ iuuentuti debitus gloriæ titulus. Q. Catulo Sempronio Atratino Coss. cum Volscis apud Verruginẽ parum prosperè dimicante, ne acies nostra iam inclinata propelleretur, equis delapsa seipsam centuriauit, atq; hostium exercitum irrupit: quo dimoto, proximum tumulum occupauit, effecitq; ut omnis Volscorum in se conuersus impetus, legionibus nostris ad confirmandos animos salutare laxamentum daret, &c. Id profectò Q. Fabio Vibulano (non Q. Catulo) et A. Sempronio Atratino (non, ut omnes habẽt incastigati codices, Atratinio) Coss. factum esse, & Liuius & omnes cæteri fatentur. quare diligenter id examinandum censeo. Sed iam ad historiam nostram redeamus. Tribuni sequenti anno fuerunt:

xc 89 L. Manlius Capitolinus, Q. Antonius Merenda, L. Papyrius Mugilanus. 333

Huius anni principio L. Hortensius trib. plebis, A. Sempronio prioris anni Consuli diem dixit, quòd po. Ro. legiones seduxisset. quem cum quatuor cæteri è collegio tribunorum orarent, ne Imperatorem uexaret suum, in quo nihil præter aduersam belli fortunam reprehendi posset, ad eos Hortensius cõuersus: Sic rem perago, inquit:

Ab ur. con. inquit: num erepturi ius suum po. Ro. estis? quum illi iudicium populi neq; tollere se uelle, neq; posse, respōdissent, sed si preces suæ reo, quem patris loco haberet, nihil profuturæ essent, mutaturos se cum eo uestem. tum Hortensius: Non uidebit plebs Romana, Sempronij causa, tribunos suos sordidatos. nihil reum moror, quando hoc est imperio consequutus, ut tam charus sit suis militibus. Fuit placabile Hortensij ingenium plebi, & patribus non minus gratum, quàm tribunorum quatuor in Sempronium pietas. Nec Volsci diu quieuere, ambiguam uictoriã pro sua amplexi. hæc Liuius in quarto. *Olym. Post re. exa.*

Vibulanus. *Capitolini filius.*

334 CN. FABIVS, & T. QVINTIVS CAPITOLINVS. 2. 90

His Coss. Equi bellum reparare ausi, ambiguam uictoriam pro sua complexi, Fabij ductu, cui ea prouincia euenerat, leui prælio fusi sunt. Nec aliud memoria dignũ eo anno foris gestũ est: Consul urbem ouans ingressus est. Sed inter tribunos plebis & patres nonnihil certatum est: Tribunis petentibus, ut quando de Quæstorum numero augendo, mentio iniecta esset, fuissentq; ad id tempus duo tantum ex patricio ordine creari soliti, iam inde ex plebe crearentur. Res per altercationes eò deducta est, ut patres de augendo numero actionem omiserint. Exceperunt omissam Tribuni: nec eam solum, sed turbulentiores aliæ agrariæ diuisiones: Tribunisq; per hæc inquietam alioqui ciuitatem exagitantibus, pars anni interregno exacta est. Creati inde Tribuni con. pot. quum patres Consules maluissent: & de Quæstoribus creandis ad arbitrium populi, ex alterutro ordine, ut de tribunis militum plebi cõcessum. Etsi apparebat, haud dubiè ambitione patrum, plebeium neminem creatum iri, ut in tribunicijs ad id tempus comitijs euenerat. Tribuni igitur pro Consulibus creati.

335 L. Quintius Cincinnatus III. Sex. Furius Medulinus iterum, Martius Manlius, & A. Sempronius. 3. 91

Sed Quæstores etsi ex illustrioribus plebeijs quidam petijssent, atque ijdem tribunorum eius anni pernecessarij: patricij tamen omnes creati sunt. Tribuni plebis eam repulsam ægrè ferentes, omnem iram in Sempronium detorsere: quem ob Volscum bellum malè administratum, populo damnandum obiecere. Duo reo obfuere: & A. Sempronius eius patruelis, qui in Quæstorijs comitijs habendis, fraude usus dicebatur, quo minus plebeij crearentur: & quòd Sempronius ipse agrarijs tribunorum actionibus fortiter obstiterat. Quindecim igitur milibus æris est ob pristinam belli noxam damnatus. Vnde autem Quæstores dicantur, & quomodo primi creati sint, Pomponius iureconsultus ff. primo, de Origine iuris, explicat. Vlpianus copiosissimè ff. primo, de Officio quæstoris, ex Iunio Gratiano: quem iuniores postea sunt sequuti. Fenestella titulo decimooctauo: Pedianus Asconius, nonnihil: & Gellius libro decimotertio, capite duodecimo, & sequenti: Pomponius item Lætus suo libello de Magistratibus. Sed quanquam hi omnes abundè scribant de Quæstoribus, libuit tamen mihi uerba Cornelij Taciti subscribere. Cornelius itaque Tacitus in undecimo historiæ Augusti scribit, ut nunc sunt libri partiti: Quæstores regibus etiam imperantibus institutos fuisse, quòd lex Curiatia ostendit, à L. Bruto repetita. Mansitq; potestas deligendi, donec eum quoq; honorem populus mandaret. Creatiq; primùm Val. Posthumius, Aemilius Mamercus, sexagesimotertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum uectigalibus. Pòst lege Syllæ uiginti creati, supplendo Senatui, cui iudicia tradiderat. Et quanquam Equites iudicia recuperauissent, Quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium, gratuitò concedebatur: donec sententia P. Dolobellæ uelut uenundaretur, temporibus Claudij Imperatoris. Vide Tacitum. Apud posteros autem hoc officium Quæstoris fuit immutatum, ut pleraque alia: quod pulchrè docet Cassiodorus libro sexto Variarum: & Imperator Iustinianus in Autenticis, de Questore, l. cum Dei auxilio; quod latissimè in præfatione Cassiodori scripsimus. Cæ-

Olym. Post re. exa. terùm ut domum repetamus, eodem anno Posthumia Vestalis, quòd elegantiorem cultum quàm Vestalem deceret, gessisset, de incestu causam dixit. Eam ampliatam pontifices pro collegio absoluerunt, ut deinceps à iocis abstineret, & sanctè potius quàm scitè se coleret. Quid autem apud ueteres fuerit ampliatio, & quid à comperendinatione distaret, Pedianus docet in tertiam Verrinam. Eodem item anno à Campanis Cumæ, quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur. Insequens annus iterum Tribb. mil. con. pot. habuit, Ab ur. con.

4. 92 Agrippam Menenium Lanatum, P. Lucretium Tricipitinum, & Sp. Nautium. 336

Hoc anno, ut Liuius testatur in quarto, his Remp. domi administrantibus (nam foris pacatæ res erant) seruitia urbem incendere destinarũt: ciuitateq; præsenti clade occupata, Capitolium & arcem inuadere. Coniuratione ad Tribunos indicio delata, sumptum est de sontibus supplicium: libertas, & dena milia æris grauis, quæ tum diuitiæ habebantur, indicibus data. Nuncium deinde Romam allatum est, bellum ab Equis reparari cœptum, & nouos hostes Lauicanos consilia cum Veientibus iungere. Lauicos legati missi, cum dubia retulissent responsa, Tusculanis negotium datum, ut animaduerterent ne quid noui tumultus Lauicis oriretur. Sequenti anno hi fuerunt Tribuni con. pot.

XCI 93 L. Sergius Fidenas, M. Papyrius Mugillanus, & G. Seruilius. *Q. Seruilij Prisci filius.* 337

Cum nunciatum esset, Labicanos arma cæpisse, & cum Equorum exercitu depopulatos agrum Tusculanum, castra in Algido posuisse: indicto Labicanis bello, factum est Senatusconsultum, ut duo tribuni ad bellum exirent, tertius urbi præesset. Orto inter eos certamine, quia bellicam prouinciam ambitiose singuli affectabant, Q. Seruilius Priscus, qui prius Fidenas diruit, filium suum iussit urbi præesse: sciens certamen tribunorum (id quod tum in bello accidit) indies magis magisq; augeri, præcepitq; filio ut nouum militem scriberet, patiẽtissimumq; ad futuros casus haberet, uir magna prudentia, & futurorũ bonus uates. Cum itaq; discordia tribunorum res militares malè administrarent, Romanæ legiones cæsæ fugatæq; sunt, multi fuga oppressi, obtruncatiq;. Duces legatiq; cum signiferis Tusculum se receperũt. Q. Seruilius Priscus Dictator creatus, filium suum (uel ut alij dicunt, Seruilium Halam) magistrum Equitum dixit: hostesq; uictoria elatos ita perculit, ut castra amitterent. Inde legiones Labicos admouit, quo magna pars Equorum confugerat, ac raptim diripuit. Exercitum Romam reduxit. Coloni mille & quingenti Labicos missi sunt. Octauo die quàm magistratum inierat, potestate abijt. Colonis bina iugera distributa sunt, ut seditiones agrariæ tollerent. Fuerunt anno sequenti iterũ Trib. mil. con. pot.

2. 94 Agrippa Menenius Lanatus II. P. Lucretius Tricipitinus II. & Sp. Rutilius Crassus. 338

Hoc anno foris pax. nihil enim memoratu dignũ gestum esse, Liuius narrat. Sequens annus iterum Tribunos militares habuit con. pot.

3. 95 A. Sempronium Atratinum III. M. Papyrium Mugillanum II. & Sp. Nautium Rutilium. 339

Et hoc anno quoq; tranquillæ res externæ fuerant, discordia domi ex agrarijs legibus fuit. Sp. Mecilius, & Metelius Tri. ple. autores, recens patribus certamen iniecere rogatione promulgata, ut quicquid agrorum ubiq; esset quæsitum, id populo diuideretur. quam legem si plebs sciuisset, omnes nobilium fortunæ in publicum redigebantur. Cæterùm sex tribunorum intercessione, quos Senatus Appij Claudij senatorum natu minimi monitu subornatos, tribunitijs actionibus obiecit (erat ille legum latoris Appij nepos) qui domestico consilio in curiam delato, autor fuit ut cæteri tribuni blandè à principibus patrũ appellati, rem sua intercessione discusserint.

Iactati

Ab ur. con. Iactati sunt proinde Tribuni in concione populi, ab autoribus legis, plebisque prodi- tores appellati, & nobilium satellites: trucique oratione inuecti, actionem deposuere. *Olym. Post re. exa.*

Fuerunt sequenti quoque anno Tribb. mil. con. pot. quinque,

340 P. Cornelius Cossus, G. Val. Potitus, Q. Cincinnatus, Gneus Martius, & M. Fabius Vibulanus. 4 96

Habuisset hic annus, teste Liuio in quarto, ardua bella, nisi Tyberis inūdatio (qui super ripas effusus, cum multa uillarum clade per agros est euagatus) Senatui decernendi eo anno super ripas belli religionem iniecisset. Ab Equis excursiones in Labicanum agrum factæ, & oppidum nouis colonis ademptum. Frustra fuit deinde tentatum à L. Decio Trib. pleb. de colonia Volarum fienda, quum eam amisissent una leuique pugna. Tum iterum designati tribuni con. pot. quatuor,

341 Gn. Cornelius Cossus, L. Val. Potitus, Q. Fabius Vibulanus iterum, & M. Posthumius Regillensis. XCII 97

Ex his tribunis Posthumius exercitum contra Equos duxit: qui cum ui Volas urbem irrupisset, primo conatu prædam multitudini permisit. Capto oppido, mentem mutauit: ac ne quid à uictore exercitu tangeretur, certamine in suos uerso, pertinaciter obstitit. Inde animi militum ab eo alienati duce, cum in urbem accersitus ad tribunitias discordias de lege agraria cohercendas, in concione tanquam uecors malum militibus suis minaretur, orto & in castris maiore certamine, cum in tumultu lictor missus uiolaretur, & Quæstor uiolaretur: Posthumius accurrens, ad supplicium milites rapturus: sed militaris indignatio eò processit, ut ducem suum Posthumium lapidibus obruerent. Florus hanc seditionem libro primo, tit. uigesimosecundo paucis designat: Et inde est, quòd exercitus Posthumium imperatorem, inficiantem quas promiserat prædas, facta in castris seditione lapidauit. Decernētibus autem tribunis quæstionem de morte collegæ, & aduersantibus Tribb. pleb. nouum inter ordines de comitijs ortum est certamen: quo factum, ut res ad interregnum redierit, obtinuerunt tamen patres, ut Coss. eo anno fierent, creatique sunt,

Cossus. *Medulinus.*

342 A. CORNELIVS, & L. FVRIVS. 2 98

His Coss. ut Liuius in quarto testatur, Posthumianę cædis quæstio uolente plebe Coss. permissa: estque paucorum supplicio, qui sibi mortem cōsciuere, res transacta. Licet ægerrimè plebs ferret, quòd sanctiones commoda plebis spectantes, tam diu irritæ essent: sed quæ sanguinem & supplicium concernerent, magnam uim haberent. Furius hoc anno etiam legiones in Hernicos duxit: hosteque non reperto, Ferentinum, ubi Volsci esse dicebantur, progressus, oppidum priore nocte destitutum, sine certamine occupat. Ager Hernicis datus est.

Petilius.

343 Q. FABIVS AMBVSTVS, & G. FVRIVS. 3 99

Scribit Liuius in quarto, annum hunc modestia tribunorum quietum, excepisse L. Icilium: qui Tribunus plebis, gentile negocium aggressus, agrarijs actionibus cœperat urbanum ocium uexare, quum pestilentia magis minax quàm perniciosa ciuitatem inuasit. Tum uerò animis ciuium eo metu à foro ad se & suos curandos auersis, tribunicia uis sua sponte paulatim remisit: minusque pestē damnosam fuisse, quàm seditio futura fuerit, credunt. Defuncta ciuitate plurimorū morbis, perpaucis funeribus, pestilentē annum inopia frugū, neglecto cultu (ut plerunque fit) agrorū accepit.

344 P. ATRATINVS, & C. NAVTIVS RVTILIVS. 4 100

Hos Coss. Liuius sic nominat: sed pro P. Atratino Cassiodorus ponit M. Papyrium, si codex est sincerus. & in Coss. Pauli Orosij, siue cuiuscunque fuerit illud opusculum,

m 3

Olym. Post re. exa. culum, inuenio hoc loco Mugilanum (quod Papyrij cognomen erat) & Rutilium. *Ab ur. con.*
Est igitur uidendũ, si Liuianus codex sit emaculatus. Cæterùm ijs Coss. fames quàm pestilentia tristior erat. Missi circa omnes populos legati, qui publicè frumentũ coemerent. Nullibi frumentatio infestior Romanis fuit, quàm apud Samnites, qui tum Capuam & Cumas tenebant. Ab ijs Romani prohibiti commercio, Siculamq; frumentationem sequuti, consuetam urbi annonam restituerunt. Nihil igitur eo biennio intestini externi'ue incommodi fuit. At ubi hæ solicitudines discessere, omnia quibus turbari solita est ciuitas, domi discordia, foris bellum exortum est: ut mox sequentibus Coss. & trib. mi. patebit.

XCIII 101 M. AEMILIVS, & P. VAL. POTITVS. 345

Martium Aemylium uocat Liuius alterũ Consulem: Casiodorus Marcum, & alterum C. Valerium. In altero Consulum codice scribit, Mamertino & Volusio Coss. ut nihil prætercam, quod usui fore credam. Sed his Coss. ut in quarto Liuius scribit, Equi in armis esse nunciabantur, multis Volsci nominis priuatim suppetias ferentibus. Etiam in Hernicum Latinumq; agrum descenderant, quum Valerium Consulem, delectum habentem, Martius Menenius Trib. pleb. agrariæ legis lator, impedire est adortus. Ex iunioribus nemo citatus respõdebat, tribunitio auxilio fretus: quũ repentè afferret, Caruentanam arcem ab hoste occupatam. ea res Menenio inuidiæ fuit. Et tribuni, qui in gratiam patrum sua sponte erant intercessuri, audaciores facti, Menenio obuiam iuere. Cum igitur paucis appellantibus tribunũ, collum torsisset Consul, cæteri sacramento dixere. Ductus itaque est exercitus continuò ad hostem, qui sub primum Consulis accessum loco decessit: quicquid ibi prædæ est quæsitum, Valerius rebus uenditis, Quæstores iussit ærario inferre, prædicans participem prædæ fore exercitum, cum militiam non abnuisset. Quo facto iratum militem, iratiorẽ reddidit. Cum ergo ouans urbem intraret, iocularibus carminibus, non ducem, sed Menenium tribunum passim celebrauere. Ea re instructi patres, ueriti ne si tribuni con. pot. in sequentem annum crearent, Menenius locum obtineret, pro magno negotio habuerunt Consularia comitia decernere: quibus creati sunt Consules,

2 102 *Cossus.* *Medullinus.*
CN. CORNELIVS, & L. FVRIVS II. 346

His Coss. teste Liuio in quarto, plebs tanta ira exarsit in patres, ut cum quatuor creandi forent quæstores, tres crearet plebeios: Quintium Syluium, P. Elium, & P. Pipium: patricium unum, Claudium Fabium Ambustum. Eo successu Tribb. plebis erecti, magnum Coss. & Senatui intendebant negotium, summa ope annixi, ut in sequentem annum Tribunitia comitia haberentur. Nemini dubium erat, plebem præsenti certamine irritatam, maiorem tribunorum partem sui corporis relaturam. eratq; plebis causa tribunorũ uiolentia superior. Cum subitò nuncij affuere, Volscos & Equos prædatum extra fines exijsse in agrum Latinum, Hernicumq;, ac Caruentanam arcem cæso præsidio iterum occupasse. Tribuni ferocius coorti, omnem spem habendi delectus Coss. adimũt, nisi prius Senatusconsultũ fieret, uti tribuni con. pot. in sequentẽ annum crearent: quod ipsum ea est conditione concessum, ut nemini eorum qui tum Tribb. pleb. essent (Icilios nimirum denotante Senatu) proximis comitijs liceret petere. Senatusconsulto in eam sententiam facto, Coss. delectu habito, ad bellum ambo sunt profecti. An alter Romæ ad habenda comitia substiterit, incertum est autoribus. Certum uerò, post multos conatus, hostem ex Carmentana arce deijci nequiuisse, atq; re infecta inde exercitum abductum: receptam tamen Verruginem, populationesq; in Equis & Volscis factas, multumq; prædæ ex hoste Romam abactum. Romę interim contra omnium expectationem, patricij omnes creati sunt Tribuni mi. con. pot. tres,

3 103 Cn. Iulius Tullus, Cn. Cornelius Cossus, G. Seruilius Hala. 347

CVSPINIA-

CVSPINIANVS LECTORI.

Præfari mihi hoc loco pernecesse est, ut inuidis, priusquam dentes acuant in me, tranquillè respondeam. Si qui enim post meum Stabium, & me, inuenerint Cassiodori Coss. cum illic non inuenient, quos & antea & nunc deinceps subiungam tribunos mil. con. pot. Ecce, clamabunt, attulit hic Tribunos, & Coss. commiscuit, quos consultò fortè Cassiodorus præteriuit, ut alienum laborem ostētaret frustra, & auctorem confunderet: satis erat, ut inferius Cassiodorus annotat, significasse quot annis Romani habuissent Tribunos, & Consules tantum Cassiodori enarrasse. Fateor ingenuè, diu me subdubitasse, & anxietate quadam animi quoque fuisse perturbatum, an tot intermitterem Tribunos, & pergerem Coss. recensere: an ut cœperam, ordine singula explicarem. Peruicit tandem, & hæc animo meo insedit sententia, ut licet Tribunos Cassiodorus obmisisset, ego tamen seruata singulorum serie annotarem: tum ut anni Romanæ urbis colligerentur uerè, tum etiam, quia hi Consularem habuere potestatem, perinde ac si sub Coss. res gestæ forent, singula erant conscribenda. Accessit demum ea ratio, quòd in uetustissimo illo opusculo incerti autoris (licet aliqui Orosio illud tribuant, quod habeo in manibus, in quo Coss. nomina ponuntur) ea parte annorum, ubi fuerunt tribuni, semper duo ex ijs nominati sunt loco Consulum: adeò ut lectorem fallat, nisi oculatus fuerit, si Coss. omnes in eo extitisse putabit. Ob has igitur causas, nunc huius etiam uestigijs innixus, tribb. nomina ex Liuio consignabo: & quicquid sub ijs gestum est, paucis conscribam. Dabis itaque ueniam Lector, si extra consilium tuum id fecerim: ac benignè laborem meum interpretaberis, Vale.

Sed redeo ad historiam. Cum præter spem, ut dixi, omnes patricij electi essent, fremebant tribuni, ac fraude id patrum prædicabant factum, ne plebeij locum tenuissent ullum: utpote qui operam dedissent, ut sordidissimi dignioribus admixti peterent: quorum tædio, fraudis ignara, in patricios sua inclinasset suffragia. Tum nunciabantur Volsci & Equi in armis esse, longeque maiore apparatu, quàm superioribus annis, bellū moliri: siue Verrugine priore anno in Volscis amissa irritati, siue successu Caruentanę arcis retentæ. Placuit tum Senatui, in tanta rerum formidine Dictatorem dici. Quod cum recusassent Iulius & Cornelius, post longas altercationes, quas apud Liuium in quarto leges, Seruilius P. Cornelium tandem Dictatorem dixit: à quo & ipse magister Equitum est creatus, ac simul ad bellum profecti sunt. Vnoque, atque eo facili prælio hostibus ad Antium cæsis, quò omnes duarum gentium coiuerant: minori quidem certamine quàm ab initio fuerat persuasum, uictoriam sunt adepti. Volscus inde ager ferro & igni uastatus, expugnatumque oppidum ad lacum Fucinum, in eoque tria milia hominum capta. Dictator Volscis intra mœnia compulsis, felicitate maiore quàm gloria in urbem reuersus, se magistratu abdicauit. Tribb. mil. mentione nulla comitiorum consularium habita, ob iram creati Dictatoris, tribunorum militum comitia edixerunt: creatique omnes sunt patricij, iam honore functi, quatuor:

348 L. Furius Medulinus, Cn. Valerius Potitus, Gn. Fabius Vibulanus, G. Seruilius Hala. 4 104

Fuerunt hoc anno plebeij eadem arte, qua prius, exclusi: Seruilius autem continuato honore refectus, tum ob alias uirtutes, tum ob recentem fauorem unica moderatione partum. Verùm hoc anno quia induciæ cum Veientibus exierant, ad res de more repetendas fœciales ex urbe Veios missi sunt. rogantibusque Veientanis, ne res repetitas uellent, tantisperque omne ius belli à se abstinerent, donec res Veientium, quæ intestina seditione parum quietæ essent, componerentur: passi sunt patres id à se impetrari. Tantum absuit, ut ex alieno incommodo tunc ab Romanis occasio ulla peteretur. Estque per id temporis præsidium Verrugineum à Volscis cæsum. Cuius id culpa sit factum, Liuius in quarto explicat. Sequens uerò annus habuit hos tribunos mil. consulari pot. quatuor:

94. ex. 105 P. & Gn. Cornelium Cossum, Fabium Ambustum, & L. Valerium Potitum. Abur. con.

349 His tribunis, missi sunt legati ab urbe Veios, res de more repetitum. Sed à Veientibus facessere, finibusq; statim excedere iussi sunt: nisi eorum exemplo, qui sub Tolumnio fuissent rege cæsi, uelint & ipsi pœnas dare. Tulere superbum Veientum responsum patres perinde ægrè, ut debuerunt: confestimq; decernunt, ut Tribuni militum ad populum referant de bello Veientibus inferendo. Grauabatur iuuentus, multiplici bello uno tempore implicari: cum nondum cum Equis & Volscis debellatum esset. Indignationem multitudinis Tribb. multipliciter auxere, ut Liuius docet. Trib. igitur militum in Volscum agrum exercitum ducere annixi sunt. Gn. Cornelius Romæ relictus. Tripertito igitur exercitu Tribb. profecti, ad deuastãdos hostium fines: Valerius Antiatem agrum populatus, Ecetrã Cornelius, Fabius Anxur (Tarracinæ est id oppidum inde nominatum, urbs Latij prona in paludes) cœpit oppugnare: & capta urbe, duo milia & quingenti uiui capti sunt. Superuenientibus deinde duobus alijs exercitibus, oppidum ueteri fortuna opulentum, tres exercitus diripuere. Quæ res plebem cum patribus conciliauit: ibiq; auditum, quod maximè fuit militari ætati acceptum, fore deinceps ut stipendium miles ex publico acciperet, quum de suo quisq; ad id tempus militari functus esset munere. Nihil unquam tanto gaudio est à multitudine exceptum. Hoc cum ægerrimè trib. pl. ferrent, ut plebem auerterẽt, multa in patres iactabant opprobria: ex alieno id patres militibus largituros, ex tributo populi scilicet. Cæterùm pendendi tributi initio à patribus facto, pro se quisq; enixi, æs graue ex censu in medium contulerunt, plaustris ad ærarium conuehentes. adhuc enim argenti signati usus nullus erat apud Romanos. Quod ubi multitudo cõspexit, omnis tribb. pl. irritus erat conatus. et lege perlata de indicendo Veientibus bello, exercitum magna ex parte uoluntarium noui tribuni Veios duxere.

2 106 T. Quintius Capitolinus, Q. Quintius Cincinnatus, Gn. Tullius Iulius 350
II. A. Manlius, L. Furius Medulinus III, M. Aemilius Mamercus.

Sub ijs Tribunis Veij obsideri cœpti. Sub cuius initium obsidionis, cum Ethruscorum consilium ad fanum Volumniæ habitum esset, parum constitit, belló ne publico gentis uniuersæ tuendi Veientes essent. Ea oppugnatio sequenti anno segnior fuit, exercitu ad Volscum bellum inde auerso. Tribunos Cõsulares is annus habuit sex:

3 107 C. Valerium Potitum III. M. Sergium Fidenatem, P. Cornelium Ma- 351
luginensem, Gn. Cornelium Cossum, C. Fabium Ambustum, Sp. Nautium Rutilium iterum.

Scribit Liuius in fine quarti, horum ductu & auspicio inter Ecetrã & Ferentinum prosperè in Volscos Romanum exercitum dimicasse. Inde Artenam Volscorum urbem oppugnari cœptam. unde hostes eruptione facta, prælio uicti, quum in urbem compellerentur, secum Romanos mixto agmine intra muros traxere. Fuit militibus captum oppidum prædæ. Arx, quò se plurimi receperant, aliquot dies circumsessa, serui cuiusdam proditione capta est. proditori præter libertatem, duarum familiarum bona in præmium data: ipse Seruius Romanus uocitatus. Duces oppido & arce dirutis, omnium armorum impetum in Veios uerterunt. Octo dein creati tribb. mil. con. pot.

4 108 M. Aemilius Mamercus II, L. Valerius Potitus III. Ap. Claudius 352
Crassus, M. Quintilius Varus, M. Iulius Rullus, M. Posthumius, M. Furius Camillus, M. Posthumius Albinus.

Tanta

Ab ur. con. — Olym. Post re exa.

Tanta ira odioq; Romani, pace alibi parta, Veios perpeti obsidione adorti sunt, quum antea semel atq; iterum esset intermissa. ut igitur omnia domi forisq; commodius fierent, octo hos Tribunos (quod nunquam aliàs factum) creauerũt. Sed penes Furium Camillum, omnis Veientanæ urbis captæ, laus postea fuit. Verùm, ut Liuius copiose scribit lib. quinto, cum forent Veientes obsessi, sublato ex urbe sua ueteri magistratu, regem sibi creauerunt. Qua re cæteros Ethruriæ populos adeò offenderunt, ut undiq; eis auxilia ob id solummodo fuerint negata. Interim Romani res suas auxerunt, hybernaculaq; tum primùm sibi milites struxere, sub pellibusq; hyemis spacio durare statuerunt. De qua re cum grauissimæ essent tri. pl. querelæ, Appius Claudius, qui in urbe relictus à collegis fuerat, oratione luculentissima atq; artificiosissima, ita trib. querelas confudit, ac seditiones compescuit, ut uniuersa multitudo non modò pertinacius ad obsidionem inflammaretur, sed etiam Equestris ordo curiam ingressus, se suis equis stipendia facturum professus sit. Quod studium plebs sequuta, pedestrem operam & ipsa ad bellum gratuitam pollicetur: affirmantes, si Veios ducti sint, fore ut non prius inde abscederent, quàm urbs ipsa caperetur. Tanta ad hoc recens Equitum & plebis studium senatui & patribus orta est lætitia, ut non per aliquem unum agendas esse multitudini gratias consueuerint: sed pro se quisq; uoce manibusq; significabant, felicem urbem, inuictamq;, & æternam præsenti concordia futuram. Laudatis igitur ordinibus ex senatus decreto, placebat peditibus stipendia procedere, & Equitibus certam pecuniam asignari. Quo contigit, ut tum primùm Equites publicum merere cœperint stipendium. Voluntarius deinde exercitus conscriptus, Veiosq; perductus est: qui non solummodo opera, quæ interrupta erant, reparauit, sed recentia etiam alia incredibili celeritate constituit. Habuit sequens annus tribunos militares hos,

353 C. Seruilium Halam III, Q. Seruilium, P. Verginium, Q. Sulpitium, A. Manlium II, & M. Sergium II. XCV 109

His Tribunis, ut in quinto Liuius recenset, cum tota ciuitas Veientano bello incumberet, præsidium quod Anxuri erat, quum negligentius urbem asseruaret, à Volscis est oppressum: urbsq; Romanis pulsis, ab hoste recepta, proditis portarum custodibus. Nec Veijs interim melius res gesta, Romanis ducibus in administranda republica discordibus. Nouum à Capenatibus & Phaliscis superuenit bellum. hi duo enim Ethruriæ populi, cum post Veios essent periculo proximi, uictis copijs in eam partem qua M. Sergius curabat, ex improuiso impetũ fecere: intulit inopinatus illorum accessus terrorem Romanis ingentem, totam Ethruriam adesse ratis. eademq; opinio Veientes ex urbe exciuit, unde ancipiti prælio castra Ro. oppugnabantur. Nec Verginius quo in discrimine res essent ignorabat, in cuius castra trepidissimè illatum erat, aliquot iam castella ab hostibus oppugnata, Sergiũq; teneri duplici prælio: hinc Veientes, hinc Capenates atq; Phaliscos sibi arma moueri. Laborabant priuato odio duces. nam Verginius se missurum ad collegam copias affirmauit, si auxilio indigeret, rogareturq;. Sergius uinci ab hoste maluit, quàm inuisum ciuem uincere. Dum igitur neq; hic auxilio ire curat, neq; ille ut eatur postulat, magna pars militũ in medio cæsa est: alij in maiora castra fuga delati: Sergius cum altera manu Romam contẽdit. Ibi in senatu (nam & Verginius Romam accersitus est) inter se duces altercati, culpam acceptæ cladis uterq; in alterum reijciebant, incessebantq; se mutuò: docnec patrum autoritate ipsi & collegæ se magistratu ante tempus solitum abdicarunt. Nam Kalendis octobribus noui creati tribuni magistratum inibant, cum Idus Decembres solennes ad hoc essent.

354 L. Valerius Potitus IIII, M. Furius Camillus II, M. Aemilius Mamercus III, M. Cornelius Cossus II, Cl. Fabius Ambustus, L. Iulius Tullus. 2 110

Fuit

Olym. Post re. exa. Fuit hic annus, ut Liuius in quinto testatur, insignis & multiplici bello, & intestina propè seditione ac tumultu. Nam ad Capenam & Falerios debellatum: & ut Anxur reciperetur, in Volscos itum, quũ nihilo segnius interim Veij obsiderentur. Certatum insuper domi inter ordines: contraq; Treboniam legem, patrum studijs, qui labefactari legem cupiebant. Claudius Lacerius & M. Acutius à cæteris tribunis cooptati sunt: quum suffragio populi tribunorum numerum ex præscripto legis augeri oportuisset. P. Curiatius, M. Metilius, & M. Minutius, qui eos in gratiam patrum inuita plebe cooptauerant, quum multo odio apud multitudinem flagrarent, ut odium à se in patriciorum aliquem auerterent, Sergium & Verginium, quorum culpa priore anno erat infeliciter ad Veios pugnatum, in iudiciũ arreptos, iratæ plebi obiecerunt. Dein milibus æris ambo damnati sunt. Promulgant ad hæc Tri. pl. agrariam legem, tributumq; conferre prohibent. Gliscebat per hæc domestica discordia: ubi tribuni militum inter se prouincias partiti, alius aliò profecti sunt. M. Aemilius & Q. Fabius Veios sortiti, castellaq; superiore anno missa recipiunt, recepta pręsidijs firmant: M. Furius Camillus in Phaliscos duxit: Cornelius in Capenatem agrum, ubi cum hostes nusquam occurissent, uastati sunt agri, uillæ incensæ, prædaq; opulenta utrinq; abacta. Valerius, cui Volsci prouincia euenerant, quum Anxur primo impetu capere non potuisset, fossa & uallo cinxit. Turbare interim omnia Tri. ple. tributũ dari uetando: & miles foris stipendium poscebat, nec res procul à seditione aberat. Præterea tri. ple. hortabantur multitudinem, ut honores non Sergijs & Verginijs, ignauissimis hominibus, demandarẽt, sed uiris potius sui corporis. Quàm multos crederent è plebe esse, qui utilius reipublicæ admoueri possent, quàm quiuis patriciorum, qui nihil secum præter superbiam in prouinciam ferrent? Quibus suasionibus adeò commota plebs est, ut proximis comitijs unum è plebe tribunum, cæteros patricios creauerit. Latè Liuius utriusq; ordinis discordias, & duorum tribunorum damnationem, in quinto prosequitur. Ab ur. con.

3 111 P. Licinius Caluus, P. Manlius, P. Titinius, P. Melius, L. Furius Medulinus, L. Popilius Volsco. 355

P. Licinius plebeius erat, nullis antè honoribus usus, ætate tamen grauis. sed undecunq; gratiam meruerit, plebs mirabatur se tantam rem obtinuisse: in causaq; fuit, ut de tributo, quod antè conferri uetuerant trib. pl. remiserint: collatum obedienter, missumq; ad exercitum est. Anxur interim receptum est: fuitq; annus ille insignis gelida & niuosa hyeme: adeò ut uiæ clausæ, & Tyberis innauigabilis factus sit. Licinius ita moderatè tribunatum gessit, strenueq; Remp. administrauit, ut sequẽti anno pręter patricium Veturium, cæteri plebeij Tribuni creati sint:

4 112 M. Veturius, L. Titinius, P. Menenius, G. Genutius, L. Racilius. 356

Sed in alio exemplari inuenio sic nominatos, error enim subest:

M. Veturius, M. Pomponius, Gn. Duillus, P. Volero, Gn. Genutius, & L. Attilius.

In opusculo incerti autoris de Consulibus, scribũtur hoc anno Augurinus & Longus. Hyemem tristẽ ex intemperie cœli, æstas subsequuta est hoc anno (ut Liuius in quinto narrat) ex mutatione temporum grauis ac pestilens. Atq; adeò ad uim morbi auertendam Sibyllini libri à Duumuiris sunt aditi: quorum iussu lectisternia tum primùm Romæ facta tribus lectis, quàm opulentissimo potuerunt apparatu, stratis: Apollini & Latonæ uno, altero Dianæ & Herculi, tertio Mercurio & Neptuno. hos enim tum dæmones cæca uetustas pro dijs stultissimè uenerabatur. Interea uerò ad Veios, aduersus Phaliscos & Capenates & Veientes, qui ut antea in castra erumpere sunt ausi, magna hostium cæde est feliciter dimicatum. Terrifico illi accessu castra oppugnare aggressi, adduxissent haud dubiè rem Romanam, ea parte qua impetum fecerant, in aliquod discrimen: nisi Sergij & Verginij damnatio, documento

tribunis

Abur. tribunis fuisset, suis maturè subueniendi. Adductis itaq; ad hostem legionibus, qua plurimum periculi erat, cum multa strage & cæde à Romano uallo reiecerunt. Perierunt Capenatium multi circa castrorum munitiones: sed multo plures, qui in Romanos populatores inciderunt. Veientes & ipsi pro portis, cum in urbem compellerentur, nihilo minore sunt strage affecti. Hæc foris eo anno sunt acta. Romæ interim iniquo ferebat animo nobilitas, summum imperium non modò cum plebe uulgatum, sed proximo biennio propemodum ademptum: itaq; cum honoratissimo quoq; sui ordinis egere, ut proximis comitijs peterent. quo contigit, ut tantorum nominum prætereundi uerecundia, patricios omnes plebs crearit. Olym. Post re. cxa.

357 L. Valerius Potitus, Q. Valerius Max. M. Furius Camillus III. L. Furius Medulinus III. Q. Seruilius Fidenas II. & Q. Sulpitius Camerinus II. XCVI 113

His tribunis, ut Liuius in quinto scribit, ad Veios nihil admodum memorabile actum est. tota uis in populationibus fuit: maximè prædæ abactæ ex Capenate agro, & Phalisco. Sed multa interim prodigia facta dicebantur. omnium uerò præcipuè fuit religioni, miraculoq; ciuitati, quòd lacus in Albano nemore, nullis cœlestibus aquis auctus, repētè in altitudinem increuit insolitam. Missi confestim Delphos, Cossus Licinius, Valerius Potitus, & Fabius Ambustus, sciscitatum ab oraculo, quid ea res portenderet. Dum in Græciam nauigant, propriorum est fatorum interpres oblatus Romanis, senex quidam, Veiens, qui inter stationarios milites, dum (ut fit) cauillarentur, & mutuo se conuicio incesserent: Tum inquit fore ut Romani Veijs potirentur, cum Albani lacus aqua corriuaretur. Id uelut temerè iactatum, milites primò spernebant: mox ubi res inter plures celebrata est, cupido animos incessit sciscitandi, ecquis senex ille esset, qui eas de Albano lacu effunderet ambages? Cognitus esse augur, à milite quodam, dum secretius colloquium petit, raptus, & in castra perlatus, dehinc Romam: futurum prædixit, ut Romani de Veientibus uictoria potirentur, si ritè aquam de lacu Albano emitterent. Læti patres id audiuere: quæ tamen deriuatio adhibenda esset, ut ritè facta uideretur, oratorum ex Delphis reditum expectabāt: qui anno circumacto redierunt. Meminit huius Val. Max. li. primo, de Prodigijs.

358 L. Iulius Tullus, P. Furius Medulinus IIII. L. Sergius Fidenas, Aurelius Posthumius Regillensis, P. Cornelius Maluginensis, A. Manilius. 2 114

Hi sex Trib. militares con. pot. creati sunt, ut Liuius in quinto attestatur, priusquam à Delphis oratores redirent, Albani'ue prodigij piacula inuenirentur. Quo anno Tarquinienses noui hostes repentè facti sunt, occasionem unam sequuti, quòd Romanos multiplici bello occupatos cernerent, Romanum agrum prædabundi irrumpunt. Nec illis res impunè cessit. quin L. Iulius & Aurelius Posthumius, eos præda onustos, cum uoluntariorum manu (delectus enim trib. pl. impedientibus haberi non potuit) per Ceretanum agrum obliquis tramitibus abeuntes adorti, præda exuerūt, subitoq; terrore dissipatos passim obtruncarunt. Sub id tempus sunt legati ex Græcia reuersi, oraculum Delphicum de emittendo lacu Albano per agros irrigando ferentes: quod Pythium carmen apud Liuium lege. Id cum concordasset cum ijs quæ Veiens aruspex prius dixisset, maior religio accessit. Cornelius & Posthumius tribuni Albanum prodigium curare sunt iussi. Mox ut auspicia de integro repeterentur, & quia sacrificia in Albano monte parū ritè facta à magistratibus constabat, Tribunis eius anni sese abdicare iussis, interregnum est initum. Postremò P. Licinius Caluus prærogatiua trib. con. pot. creatur. is ætatem senilem causatus, quòd corporis uires iam effœtæ essent, à populo petijt, ut id beneficium in filium, à se militari disciplina institutum, conferretur. Quod ubi datum est, refecti omnes ex eo collegio,

P. Menenius

Olym. Post re. exa. P. Menenius, Gn. Genutius, L. Racilius, L. Titinius, P. Lucinius iunior. Ab ur. con.

3 115 Horum Titinius & Genutius in Phaliscos & Capenates missi, in hostium insidias praecipitarũt. Genutius honesta morte ante signa occubuit. Titinius collectis in editũ collem ex praesenti trepidatione militibus, aciem restituit: sed confligere cum hoste non est ausus. Nuncius acceptae cladis Veios in castra perlatus, tantum terrorem intulit (rumor enim erat, Romanis ducibus cum exercitu caesis, Phaliscos & Capenates ad oppugnanda castra contendere) ut uix miles in castris ducum sit imperio retentus. Sed maior omnino metus ciuitatem inuasit, cum super acceptam cladem castra oppugnari dicerentur. Iam ludi Latinaeq; feriae iuxta oraculum erant instauratae, & aqua ex Albano lacu ritè emissa. Instabat iam fatale Veijs excidium. Vrbs igitur ad consuetum malorum remedium uersa, M. Furium Camillum Dictatorẽ creauit: is P. Cornelium Scipionem magistrum equitum dixit. Nouo hoc duce urbs nouam speciem mutati animi ac fortunae attulit: nam habito delectu, cui etiam Hernici latiniq; accesserant, uotaq; Matutae matri aede, si res prosperè eueniant, ad bellum Dictator profectus, cum Phaliscis & Capenatibus in Nepesino agro signa contulit, & hostes acie uictos castris exuit. Post eam uictoriam exercitum Veios admouit, munitionibusq; firmatis, ac excursionibus inhibitis, cuniculos in hostium arcem effodit. Dehinc Apollinem precatus, Iunoni aedem uouit, decimamq; praedae Apollini promisit. Dehinc urbem adortus, oppidanis muro deiectis, & per cuniculos emisso armato milite, ciuitatem iniecto igne ad terrorem caepit. Tetra ciuium est edita caedes: fuissetq; maior, nisi Camillus parci inermibus iussisset. Praeda militibus concessa secundum Senatusconsultum, quod Licinius sua sententia impetrauit: ut qui Veientanae praedę uellent participes fieri, in castra ad Dictatorem irent. Sic Ethruriae urbs nobilissima Veij, in hunc modũ capti sunt, decennio pòst quàm à Romanis oppugnari coeperant. Quatriduò Romae circa sacras aedes supplicatũ est prae gaudio. Camillus quatuor equis albis, quod imperatorũ nulli antè contigerat, uectus, urbem triumphans ingressus est. Florus hanc historiam more suo paucissimis uerbis complectitur lib. primo, titulo duodecimo. Sed de Camillo, quoniam Plutarchus abundè in sua uita singula digessit, superuacuum est omnia quae & Liuius scribit lib. quinto, huc afferre. Vide Plinium iuniorem de Viris illustribus, titulo uigesimotertio. De decima Pythio missa, Valerius Max. lib. quinto, de Pietate erga parentes. Orosius in fine libri uicesimiprimi (sed error numeros occupauit) Anno, inquit, trecentesimo quinquagesimoquinto, obsidio Veiorum decem cõtinuis annis obsessores magis quàm obsessos detriuit. Nam Romani repentinis saepe hostium eruptionibus comminuti, praeterea in hybernis bella sortiti, hyemare sub pellibus, postremùm famem ac frigus in conspectu hostium perpeti coacti sunt: urbem nouissimè sine ullo digno Romanae uirtutis testimonio, cuniculis & clandestina obreptione caeperunt. 359

4 116 P. Cornelius Cossus, P. Cornelius Scipio, M. Valerius Maximus II. Ceso Fabius Ambustus II. L. Furius Medullinus V. Q. Seruilius III. 360

Veijs captis, pax est Volscis & Equis petentibus data, magis ut ciuitas longo defessa bello aliquando quiesceret, quàm quòd perpetui Romani nominis hostes ita meriti essent. Camillusq; iam fauorem multitudinis amiserat, quòd decimam Veientanae praedae, quam pro uictoria Apollini uouerat, exigendi autor fuit, cum hi Trib. iam essent con. pot. creati: qui sortiti inter se prouincias, Capenates Valerius & Seruilius sunt adepti, duo Cornelij Phaliscos. Nulli horum in oppugnandis urbibus conatus extiterunt, sed utriusq; populi est ager populatus. Neq; felix fuit arbor uspiam, quae non uiolata fuerit à Romanis. Quae clades adeò Capenates fregit, ut pro amplissimo sint munere pacẽ complexi, quae petentibus data est. Reliqui erant hostes Phalisci. Interim Romae multiplex seditio. Coeptum enim agitari, ut colonia ex patribus & plebe Veios mitteretur. T. Sicinius tri. pl. eius rogationis ad populum ferendae autor fuit. Patres uerò summa ui resistebant, asserentes, uix unam ciuitatem à perpetua dis-

Ab ur. con. — Olym. Post re. exa.

cordia uindicari posse: quid si duo uelut populi, duæq; urbes locis & mœnibus inter se distantes fierent? Sæuiebat & propter hæc, & propter decimas exoluendas, multitudo: ad quam inuidiam eximendam Pontifices, Camillo iussu patrum adhibito, omnem Veientanam prædam cum muris & agro æstimarunt, quanti scilicet incolumes adhuc Veij æstimari potuissent. Tantumque est pecuniarum ex publico depromptum, ut decimam rerum omnium partem exæquaret. Accessit noua cura, unde tantum auri ex ea pecunia pararetur, ut satis esset, ad domum Apollini conflandam. Matronæ sua sponte, quicquid auri in ornatum habuere, ad sacri muneris usum in medium contulere: pro qua opportuna munificentia est eis datum, ut plaustro ad sacra ludosq; ueherentur. Festis uerò diebus ac profestis, carpento alioqui uti possent, pecuniæ nihilo secius pro auro singulis datæ. Plutarchus in Camillo, non carpenti usum, sed ut in funere mulieres laudarentur, datum scribit, quum ad id tempus honor ille uiris tantum esset solitus dari. Aureus crater conflatus est, qui Delphos portaretur. Sequenti anno hi Tribuni mil. con. pot. fuerunt,

361 M. Furius Camillus IIII. L. Furius Medullinus VI. C. Aemilius, Valerius Publicola, Sp. Posthumius, P. Cornelius II. XCVII 117

Principio anni, teste Liuio in quinto, tribuni plebis nihil mouerunt, donec Camillus in Phaliscos proficisceretur, quem aduersarium metuerant: sed differendo deinde res elanguit. Ad cuius aduentum Phalisci, locorum asperitate freti, mil[l]e passus ab urbe castra locant. Camillus castris multa nocte motis, duce regionum peritissimo usus, prima luce loco aliquanto superiore sese hostibus ostendit. Quæ res inopinata pauorem tantum iniecit hostibus, ut cum magna iactura in urbem redierint. Romanus hostium castris potitus, prædam omnem in publicum redegit. Phalisci inde obsessi sunt. Sed quum ludimagister, Phaliscorum liberos, ueteri Græcorum instituto ante urbem de more suo educere solitus, longius eos abduxisset, inq; castra Romana Camillo obtulisset: Camillus denudatum, manibusq; à tergo reuinctis, pueris in urbem reducendum tradidit: additæ & uirgæ, quibus proditorem uerberantes domum agerent. Quo spectaculo subitò Phalisci ad deditionem animos inclinant. Legati primò ad Camillum, dehinc ad urbem missi, qui se suaq; dedant. Camillus imperata pecunia in stipendiũ eius anni deditis, triumphans Romam reuersus est, maiore uirtutis admiratione, quàm cum de Veijs triumphauit. Signat hanc historiam Florus libro primo, titulo duodecimo: Copiosè Plutarchus in Camillo: Valerius Max. libro sexto, capite de Iustitia: iunior Plinius titulo uigesimotertio. Mutuauit id quoque Claudianus in Gildonem: —Ductosq; Camillus
Trans murum pueros obsessæ reddidit urbi. & cæteri passim.
Eodem anno & legati Romanorum, qui aureum craterem Delphos tulerant, à Liparensibus capti, donum amisissent, ni Thimasiteus, qui summum tum magistratum in ea insula gerebat, non modò oblatum reddidisset, sed & naues pro præsidio adiecisset. Qua re effecta est deinceps societas Liparensibus cum Romanis. Meminit & Valerius Maximus libro primo huius rei, capite de Neglecta religione. Eodem item anno Sp. Posthumius & Aemylius tribunus militum dubio euentu cum Equis pugnarunt, mox altero prælio cæsis ac fusius hostibus: qua uirtute id factum sit, Liuius in quinto latè explicat. Cum igitur sequenti anno plebs autores agrariæ rogationis tribunos refecisset, patres & ipsi in plebis inuidiã, ut Coss. magistratus ipsi ordini infensus ac inuisus crearetur, enixè curauerunt. Atque ita quinto decimo postquam Coss. creari desierant, anno creati sunt. quos item & noster Cassiodorus nunc repetit, qui Tribunos omnes, ut paulo antè notaui, licet cõsularem habuerint potestatem, obmisit. Vnde & sæpius Consules ab autoribus dicuntur. Valerius Maximus libro sexto, capite de Iustitia: Camillo consule, inquit, Phaliscos circumsidente, magister ludi, &c. Quanquam, ut Plutarchus inquit, Camillus consulatum non attigerit, sexies Tribunus militum, & quinquies Dictator, quater triumpho potitus.

Olym. Post re. cxa. — Flauius. — Ab ur. con.

L. LVCRETIVS, & SERGIVS SVLPITIVS CAMERINVS.

2 118 His Coss. ut Liuius in quinto scribit, Lucretius in Equos profectus, qui Viteliam coloniam Romanam in suo agro expugnauerant, hostes prælio congressos egregiè superauit. Romæ A. Verginius & Q. Pomponius, qui biennio antè fuerant trib. mil. iratæ multitudini sunt à Tribb. pleb. obiecti: quia patribus gratificantes, tribunitiæ rogationi acrius restitissent. Senatu & Coss. frustra opem ferentibus, denis milibus æris ambo damnati sunt. Huiusmodi uictoria Tribuni plebis elati, diem indicunt ferendæ legi, coloniæ Veios mittendæ. Tum Camillo autore, Senatus cum uniuersa nobilitate suis tribulibus mixti, cum lachrymis orare, ne ueterẽ patriam augurio conditam, omnium circà populorũ uictricem, in qua tot templa, tot deorum aræ essent, in qua cineres & umbrę maiorum sepulti, relinqui paterentur: urbem nuper captam, dirutam, deorumq; & hominum consensu damnatam sequuti: melius fuisse non capi Veios. Religione & precibus mota plebs, legem antiquauit. Fuit res adeò patribus grata, ut postero die factum sit S. C. ut Veientani agri septena iugera plebi diuiderentur. Nec ut patrum familiæ tantum, sed filiorum etiam ratio haberetur: uellentq; in eam spem ciues liberos tollere. Eo munere plebe delinita, Consularia comitia habita sunt, creatiq; Coss. 362

Potitus. — Capitolinus.

3 119 Q. VALERIVS, & M. MANLIVS. 363

Horum Coss. meminit Dionysius Halicarnasseus in primo Antiquitatum, ubi disputat, qua Olympiade condita sit urbs Roma, ijs uerbis: Gallorum inuasionem, per quam capta est Roma, fuisse ferè inter omnes constat, imperante Athenis Pyrgione, anno primo octauæ & nonagesimæ Olympiadis. Tempus autem ante eam, deductum ad L. Iunium Brutum, & L. Tarquinium Collatinum, primos Romæ Coss. post regni dissolutionem, annos cœpit centũ & uiginti. Ostenditur autem hoc tum ex multis alijs, tum ex monumentis censuarijs uocatis, quæ filius à patre suscipit: magniq; æstimant hi uiri, ea posteris suis tanquam sacra paterna tradere. Multi uerò ex censorijs sunt domibus uiri illustres, qui ea conseruant. In quibus quidem inuenio, anno ante urbem captam, lustrum secundũ à populo Romano factum, cui ascriptum est, sicut & alijs, hoc tempus: Coss. L. Valerio Potito, & T. Mallio Capitolino, post eiectionem regum, anno centesimo decimonono. Ita ut Gallicam inuasionem, quam secundo anno eius lustri inuenimus, centum & uiginti annis expletis fuisse appareat. Si autem hoc temporis spacium triginta Olympiadum esse inuenitur, confiteri necesse est, qui primi creati sunt Coss. imperante Athenis Isagro, Consulatum inijsse anno primo octauæ & sexagesimæ Olympiadis: & ab eiectione regum ad Romulum relatum tempus, ad ducentos & quadraginta quatuor annos. Capta autem (ut illud superaddam) urbs his Coss. non est, ut tradit Casiodorus: sed biennio pòst, ut infrà clarè patebit. Ideo error hic annotandus est. Cæterùm sub ijs Coss. Liuio teste, ludi magni facti sunt, qui fuerant Veientano bello uoti: & ædes Iunonis à Camillo eodem bello uota, magna matronarum frequentia est dedicata. In Algido quoq; à Coss. Equi prælio uicti sunt, Valerioq; triumphus decretus, qui hostibus terrore perculsis diutius cedendo institisset: Manlio, ut ouans ingrederetur urbem, datum. Bellum Volsiniensibus & Salepinatibus indictũ, quòd iunctis exercitibus in Romanum agrum, ciuitate morbo implicita, hostiliter irrupissent. Et M. Cornelius eodem anno in C. Iulij Censoris demortui locum suffectus est, id, quia eo lustro Roma postea à Gallis capta est, religioni fuit, ut iam inde in demortui Censoris locum quisquam sufficeretur. Coss. morbo implicitis (fuerat enim nimia siccitate atque insolito æstu annus ille Romanæ urbi pestilens) per interregem trib. con. pot. creati: ut si cui eorum incommoda ualetudo fuisset, copia magistratuum Reipublicæ esset. Iste est M. Manlius, qui cognomentum Capitolini inde suscepit, à defenso

Ab ur. con. fenso Capitolio, cum anserum clangore ac strepitu esset ante alios excitus: ut latè Liuius tradit. Sed priusquam Tribunos subscribam, uerba quæ hoc loco ponit Casiodorus, subiungam: licet non sub ijs Coss. sed sub sequentibus Tribunis gesta, Liuius in quinto scribat.

His Coss. post urbem captam redeuntes Gallos dux Romanus nomine Camillus extinxit. De quibus triumphans, in urbē, quasi & ipse patriæ conditor Romulus, meruit nuncupari. Tunc dignitates mutatæ sunt, & in loco Consulum per annos decem & septem Tribuni militares fuerūt. Quibus ob insolentiam remotis, per annos IIII. potestas Consulum Tribunorumq; cessauit. Deinde rursus tribus annis, per Tribunos militares est administrata Respublica. Post annos uerò uigintiquatuor, reuersa est dignitas Consularis.

Hæc uerba Casiodorus ponit, moxq; alios Coss. subiungit, obmissis omnibus Tribunis. Cæterùm nos, qui ordine prouinciam suscepimus res Romanas annotandi, progrediemur ut cœpimus Tribunos recensere, & quæ sub singulis gesta sunt stri ctim enarrare. Tum cuilibet mediocriter erudito patebit, si uerba Casiodori de numeris annorum (quibus nihil est difficilius, ob deprauatos codices) cōstare possint: quod inferius clarius intelliges. Sed nunc Tribunos ponemus, qui post Coss. creati calendis Quintilibus magistratum accepere. fuerunt autem sex,

364 L. Lucretius, Ser. Sulpitius, M. Aemilius, L. Furius Medullinus VII. 4 120
Agrippa Furius, Claudius Aemilius II.

Ex his Tribunis Lucretius & Cl. Aemilius Volsinensem prouinciam sortiti sunt. At Salpinates Agrippæ & Sulpitio euenere. Cum Vosinensibus leui prælio debellatum, ad octo millia hostium à Romano equitatu interclusa, abiectis armis deditionem fecere. Romana deinceps arma per Volsinensem agrum liberè euagata, quoad hostibus multiplici clade affectis, pacem suppliciter petentibus, in uiginti annos sunt induciæ datæ, his conditionibus, ut rebus Romano populo redditis, stipendiū militibus anni illius exhiberent. Salpinates ab initio se intra mœnia tenuerunt, territi Volsinensium clade: fœdatus eorum ager. Nihil præterea in ea prouincia dignum memoria fieri cōtigit. hæc eo anno foris gesta. Romæ M. Ceditius, homo plebeius, Tribunis renunciauit, se noua uia silentio noctis uocem humana clariorem audiuisse, quæ iuberet magistratibus nunciari, Gallos aduentare. Sed ludibrio est habitus, cum Galli adhuc Romanis ignoti essent. Verùm ingruentibus fatis, postea non solummodo non credita res est, sed Camillus, quem pop. Rom. imminenti tempestati tutò obijcere potuisset, à L. Apuleio Tribuno plebis ob Veientanam prædam (dicebatur enim æneas portas domi habere, quas inde cōpilasset) in iudicium arreptus, quum nihil præsidij in ciuibus esse cerneret, ultrò in exilium abijt. Sed absens quindecim milibus grauis æris est damnatus. Nec ita multo pòst, cum Galli Clusium obsedissent, missiq; legati à Romanis cum Gallis altercassent, ac contra ius gentium pugnassent: Galli oratores ad Senatum miserunt, questum de iniuria ab legatis illata. Sed cum cognitionem rei senatus ad populum reiecisset, contempti abiere Galli ad castra, propalàm minitantes bellum. Vberrimè hæc Liuius in quinto, & Plutarchus in Camillo. De Gallorum uerò in Italiam transitu, eorumq; populis & regibus, uide Liuium in quinto. Sequenti anno Trib. mil. con. pot. creati sex:

365 Fabij tres, Q. Sulpitius Longus, Q. Seruilius IIII. P. Seruilius Malu- XCVIII 121
ginensis.

Licet hi sex Tribuni creati essent, tamen summa rei penes Fabios erat, quorū temeritate fuit bellum contractum, Legati enim ad Gallos circa obsidionem Clusi-

Olym. Post re. exa. nam erant tres Fabij. Cæterùm nihilo accuratiore delectu usi sunt, quàm si à finiti- morum populorum aliquo bellum intenderetur: quin imò neque Dictatorem dixe- re, qui in minori sæpe expectatione dici solitus est. Galli igitur in Romanos om- nem uim belli auertunt, latè omnia sternentes, ac tumultuose ad urbem properan- tes: tantaq; fuit hostium celeritas, ut uix ad undecimum lapidem ire obuiam potue- rint. Huc Tribuni cum tumultuario exercitu ad quadraginta milia armatorum pro- fecti, circa Alliam fluuium, temerè nullo cõsilio utentes, à Gallis, quorum dux Bren- nus erat, fusi fugatiq; sunt. Hinc collecta præda cæsorum, iter Romam intendunt: quò cum tertia die uenissent, ut ait Plutarchus, apertas inuenerunt portas, nullasq; stationes, quia maior pars Romanorum Veios fugiebat: ac per agros sparsim dila- psa, reseruanda quærebat. Senatus cum iuuentute militari Capitolium & arcem oc- cupauit, acceptis etiam sacerdotibus cum sacris. Triumphales senes cum imbelli tur- ba in urbe remanserunt, obstinato moriendi animo. Quos Galli per portam ingres- si Colinam, intuentes in sellis suis, humano habitu augustiores, primò ut deos uene- rati, paulo pòst trucidarunt, cum à M. Papyrio Gallus scipione percussus esset ebur- neo, quòd ei barbam permulsisset ira motus. Id quod & Val. Max. libro tertio, de Fortitudine annotat. Dehinc paßim domus direptæ, flammaq; tectis iniecta est: ac Roma capta est, anno ab eius conditione sexagesimo, post trecentesimum, pau- lo plus: ut Plutarchus in Camillo testatur. Sed non ab re subiungit: Si fidum est ali- quam temporum diligentiam seruare in ijs rebus, quibus illa rerum perturbatio de alijs nouioribus dubitationem iniecit. Vide quæ sequuntur, de Heraclito & Aristo- tele. Plinius quatuor huic numero annos adijcit, libro trigesimotertio Naturalis hi- storiæ, capite primo, dicens eam anno trecentesimo sexagesimoquarto captam. A- lij autem anno Olympiadis septimæ & nonagesimæ secundo, quo (ut Iustinus in se- xto docet) pax in tota Græcia facta est, & urbs Romana à Gallis capta. Sed neque Olympiadis numerus conuenit, cum à Dionysio (ut paulo antè diximus) dicatur O- lympias nonagesimaoctaua: id quod etiam numeri annorum ostendunt, trecenti sexagintaquatuor. Liuius in fine quinti, in oratione Camilli (si emaculatus est liber) Trecentesimus sexagesimusquintus annus, inquit, inter tot ueterrimos populos, &c. Ita ut unus tantum annus ponatur in dubium. Nam ex Eusebio nihil certi collige- re poßumus, ita sunt anni illius confusi: quod cuique patebit, quando leget Gallos urbem cæpisse Olympiàde nonagesimaseptima, & Camillum Gallos superasse O- lympiade centesima quarta: quæ minimè conueniunt, cum eodem anno omnia illa acta sint. Nam Romani Camillum paßi non sunt se Dictatura abdicare, nisi anno circumacto: ut Plutarchus, & Liuius in principio sexti docent. Sed capta urbe Gal- li Capitolium inuadere nituntur summa ui, uerùm strage & ruina ad ima detrudun- tur. Cum deinde pars relicta pro obsidione, pars in finitimos agros dilapsa, Ardeam peruenisset: à Camillo, qui tum ibi exulabat, cæsa: qui in Antiatem agrum fuga de- lati sunt, fœdè & ipsi obtruncantur. Hi qui Veios confugerant, Camillum accer- serunt ex Ardea, ut patriæ subueniret labanti. quod & Senatores concupierunt, ob- sessi in Capitolio: per Pontium Cominium impigrum iuuenem, qui Capitolium a- scenderat. Sic Dictator creatus. Sed interim proditi Galli cantu anserum, cum noctu ad Capitolium scanderent frustra: quos M. Manlius, ob id Capitolinus dictus, ar- reptis armis deiecit, arcemq; defendit. Longa tum obsidio Romanos fame labora- re fecit: Gallos inopia simul & pestilentia inuasit, ut breui tempore plura corpora concremata nomen loco dederint, qui Gallica busta dicitur. Interim colloquio cum hostibus habito, pacti inter se sunt, ut mille pondo auri se populus Romanus redi- meret, Brennus cum exercitu ex urbe & Romano agro decedèret. Sed priusquam aurum est appensum, ob altercationem, Camillus cum copijs affuit, Gallos urbe e- iecit: atrociore dehinc pugna afflixit, octauo ab urbe lapide, Gabinia uia. Dehinc triumphans Camillus, in urbem reuersus est: Romulus, parens patriæ, ac alter ur- bis conditor dictus. Quæ Camillus autem post receptam urbem hoc anno fece- rit, cum lustratione urbis, ac prohibitione, ne Veios commigrarent, alia quo- *Ab ur. con.*

que

Ab ur. con. que multa ubertim Plutarchus in Camillo, Liuius in quinto. Polybius in secundo, postquam Italiam descripsit, ac mores Gallorum, in fine subiungit: Interiectis temporibus, cum bellum aduersus populum Romanum gererent, superatos prælio Romanos, ac turpiter in fugam conuersos persequuti, triduo post initam pugnam, Roma præter Capitolium potiti sunt. Sed Venetis per id tempus regionẽ eorum infestantibus, retrocedere coacti, fœdere cum Romanis percusso, ac restituta urbi libertate, domum remigrarunt. Hinc intestinis inter se bellis uexari cœpere. nam qui alpes incolebant, animaduertentes uires istorum indies summopere augeri, plerunque aduersus eos mouebant. Interea Romani instauratis uiribus, res Latinorum composuere. Florus libro primo, titulo decimo tertio: Gellius libro quinto, capite decimo septimo: Appianus in Celtico, etiam meminere: Eutropius libro primo, capite decimotertio, similiter. Vnde & sequenti libro, primo capite, eadem quæ Cassiodorus (ut alterum ab altero penè mutuasse suspicandum sit) scribit sic: Anno trecentesimo sexagesimoquinto ab ur. con. post captam autem primo, dignitates mutatæ sunt, & pro duobus Coss. facti Tribuni militares consulari potestate. Cum id, ut iam patuit, paulo antea factum sit: quæ causa fuit, ut iuniores qui ante nales scripserunt, multum in annorum supputatione errauerint. Tu uerò si singulos annos diligenter computabis, quibus regnatum est per Reges, Coss. & Tribunos Consulares, inuenies trecentos sexagintaquinque circiter, cum eo quo Camillus Dictaturam exercuit, plebemq; continuit ne urbem relinqueret: quo item, Fabio dicta dies, sed mors eum præuenit. Orosius in tertio Ormestæ, capite primo, captiuitatem urbis Romæ anno trecentesimo sexagesimoquarto factam scribit. Cum iam in fine uicesimi primi libri copiosè Gallorum irruptionem comparasset Gothorum in urbem irruptioni, & ruinam urbis pulchrè & breuiter explicat, cum uero numero annorum, qui hic integer & sincerus reperitur. quod & Plinius libro tricesimotertio obseruauit, ut suprà scripsimus. Cum tamen tum in urbe fuissent capitum liberorum censa centum quinquaginta duo milia, quingenti octuagintatria, & duo tantum milia auri reperta. Per interreges dehinc creati Tribuni con. pot. sex.

Olym. Post re. exa.

366 A. Valerius Publicola II. L. Verginius, P. Cornelius, A. Manlius, L. Aemilius, & L. Posthumius. 2 122

Hi Tribuni, ut in sexto Liuius attestatur, leges duodecim tabularum, & quasdam ipsorum Regum conquisitas, in publicum redigendas curauerunt: & circa religionem nonnihil eorum cura uersata est. Diem ad decimum quintum Kalendas Sextiles duplici clade insignem, & quod ad Cremeram Fabij cæsi essent, & ad Alliam cum Gallis infeliciter dimicatum, infaustum censuere, Alliensemq; uocarunt. Paulo pòst fama uenit, totum nomen Ethruscum ad Volturnæ fanum in Romanos coniurasse. nam & Volsci bellum minabantur: & Latini Hernicijq;, qui centum propè annos in fide permanserant, præsentem urbis fortunam aspernati, ad defectionem spectabant. Ad consuetum igitur remedium populi Romani in tanto terrore, Camillum Dictatorem creat tertiò, à quo magister Equitum Cl. Seruilius Hala dictus: qui conscripto exercitu, trifariam diuisit. Vnam partem præsidio urbis in castra locauit: alteram circa Veios Ethruscorum motibus obiecit: ipse cum tertia in Volscos profectus, qui territi eius aduentu, congestis arboribus, in uallo se continuerunt: cui iniectus ignis, tantum metum iniecit, ubi fumus & crepitus flammarum in uiridem materiam grassantium, ad sensum peruenit, ut minore negotio hostium uallum, quàm septum ipsum incensum, transcenderit miles. Præda exercitui concessa, Dictator Volscam regionem populatus, septuagesimo demum anno quàm bellari cœptum erat, totam gentem ad deditionem compulit. Victor inde exercitus in Equos ductus, qui & ipsi summa ope bellum comparabant, eorum copijs ad Bolam repertis, castraq; ante urbem munita erant. Inde Bolas ipsas primo impetu cæpit. Cum autem Ethrusci Sutrium, sociam populi Romani urbem, adorirentur, urbem ea conditione dedunt, ut ipsi cum uxoribus & liberis singula uesti-

Olym. Post re. exa. menta habentes, liberi mitterentur. Quibus cum obuiasset Camillus, improuisam urbem, eodem die amissam recepit, magna cæde edita. Sic trium bellorum uictor, triumphans in urbem reuersus est, insigni captiuorum multitudine ante currum acta: quibus sub hasta uenditis, tantum inde pecuniarum est exactum, ut persoluto matronis auro, quod in medium Gallico bello contulerant, tres aureæ pateræ inde factæ sint, cum Camilli inscriptione, atque in Capitolio dicatæ. Phaliscis & Capenatibus, qui medio belli tempore Romam confugerant, ciuitas data, & ager assignatus. Ex Veijs Romani sub capitali mulcta reuocati sunt: auctaq; indies urbana multitudo, & urbs nouis ædificijs instaurata, intra annum ex integro stetit. Abunde omnia Liuius, & Plutarchus in Camillo. Eutropius libro secundo, primo capite, breuiter omnia perstringit ijs uerbis: Camillus Volscorum ciuitatem, quæ per septuaginta annos bellũ cum Romanis gesserat, uicit, & Equorum urbem occupauit. Sutrium recuperauit, deletis Ethruscorum exercitibus, et tres simul triumphos egit. Sic enim legenda est litera, alioqui deprauata. Ab urbe con.

3 123 T. Quintius Cincinnatus, Q. Seruilius Fidenas, Q. Iulius Tullius, L. Aquilius Coruus, L. Lucretius Tricipitinus, Seruilius Sulpitus Ruffus. 367

Sub ijs Tribunis, ut fatetur Liuius in sexto, Equorum agri ab residuo bellorum odio, ne rebellandi materia adesset, uastati sunt. Hoc anno alter exercitus in Ethruscos missus. Cartuosam & Contenebram urbes ui ex hoste cæpit: direpta hæc, illa direpta & incensa. Eodem anno Capitolium quadrato ex saxo substructum: opus uel in ea rerum opulentia, quæ sequuta est postea, conspicuum. Et Tribuni plebis, agrariæ legis autores se profiteri, Pontini agri diuisione. pòst Volscorum res à Camillo accisa, multitudini proposita. Sed plebs siue contemptu rei, siue religione, præsentem tribunorum illecebram aspernata est. Etenim ut auspicia renouarentur, res ad interregnum redijt. Creati sunt pòst aliquot Interreges Tribuni militum con. pot.

4 124 L. Papirius Cursor, Gn. Sergius, L. Aemilius II. Licinius Menenius Lanatus, L. Valerius Publicola III. 368

Hoc anno, ut in sexto scribit Liuius, & ædes Martis dedicata est à T. Quintio Duumuiro, quæ Senonico fuit bello uota. Sunt & ueteri numero quatuor tribus additæ, Stellatina, Sabbatina, Romentina, & Narniensis, atque ita quinque & triginta deinceps fuerunt, cum minor omnino ad id tempus numerus fuisset. Tum de Hernico & Latino bello nonnihil agitatum, eoq; maiore ciuitatis cura, quòd & Ethruria in armis esse dicebatur. Sed res in sequentem annum dilata, in quo Tribb. sex hi fuerunt,

XCIX 125 M. Furius Camillus, V. Seruilius Cornelius Maluginensis, Q. Seruilius Fidenas, VI. L. Quintius Cincinnatus, L. Horatius Puluillus, & P. Valerius. 369

Principio anni ciuitas ab Ethrusco bello in Antiates auersa est. Ferebantur enim Antiates summa ui atque ope bellum instruere, iuuentutemq; à Latinorum populis ad id bellum missam. Senatus et Tribb. iam Camillum quartò Dictatorem creare conati sunt. Sed honorem illum reiecit, gratias agens, & cum collegis sese omnia facturum pollicitus: Seruilium iubet cum exercitu circa urbem sedere, si quid Latini aut Hernici mouerent: Quintium iubet mœnibus urbis præsidere cum senioribus, & causarijs: Horatium, arma, tela, frumentum, ad bellum expedire: Seruilium Cornelium religioni, comitijs & legibus præesse. Ipse cum Valerio ad bellum profectus, ad Satricum primò consedit: quò Antiates non solum Volscos, sed ex Latinis & Hernicis ingentem uim hominum contraxerant. Vnde maximus Romanis terror natus, sed à Camillo sua prudentissima hortatione disiectus, cum ab equo desiliens, pedes, proximum signiferum secum in hostem raperet, milites du-

cem

cem senem intuiti, sublato clamore in hostem procurrunt: qui ad unum omnes fusi fu-
issent, nisi ingens procella uictoriam diremisset. Subito imbre Hernici et Latini, quia
primi conatus prosperè parum cesserant, abiere domum. Volsci auxilijs destituti, Sa-
tricum petierunt: quod Camillus ui expugnauit, cum interim Ethrusci iterum Sutri-
um atq; Nepetem cæpissent. Sutrium à Camillo occupatur, cæduntur Ethrusci fuga
dilapsi, atq; oppidanis restituitur. Nepesina oppugnatio ob id difficilior, quòd fa-
ctio ciuium una fuerat autor delendæ urbis. Capta urbe, Camillus Ethruscos arma-
tos inermesq; ad unum cæde cōfecit: defectionisq; autores securi percussi sunt. Vrbs
quoq; & fortunæ socijs restitutæ: relictoq; Nepete præsidio, uictorem exercitum in-
genti gloria domum reduxit. Res inde ab Hernicis & Latinis repetitæ, quæsitumq;
quid esset, cur biennio ex ueteri formula militem non dedissent? Responsum est, ne-
quiuisse iuuentutem domestico bello occupatam, foràs ablegare: negatumq; pu-
blicè, suos in castris Volscorum militasse. Visum patribus, ultionem in aliud tempus
differendam. Liuius hæc omnia latè in sexto. Delibat Plutarchus in Camillo.

370 A. Manlius, P. Cornelius, T. Quintius, L. Quintius Capitolinus, 2 126
L. Papyrius Cursor.

Hoc anno, ut latissimè Liuius in sexto scribit, graue bellum à Volscis instabat, La-
tinorum defectione, atq; Hernicorum: & domi ingens suboriebatur seditio, à M.
Manlio, qui Gallos ex Capitolio depulerat. Cuius facinoris laude tumidus, Camillo
inuidebat, cui exercitus crederentur, & omnes darentur supremi honores. Nec mi-
nus Senatum criminabatur, totus popularis factus: cumq; tribb. pl. consilia confere-
bat ad agrarias leges, & ad æs alienum discutiendum, se quoq; autorem ad omnia
audenda pollicebatur. In tantis motibus, A. Cornelius Cossus Dictator creatus, T.
Quintium Capitolinum magistrum Equitum dixit. In Pontinum agrum legiones
duxit, quò magnus Volscorum numerus, sed maior Latinorum & Hernicorum, con
uenerat: & ex Circensibus colonis nonnulli, Velitrisq; aderant. insigniq; stratagema-
te, cum uibratis gladijs in hostem Romani prorumperent, nouo terrore ordines su-
bitò ita turbarunt, ut fuga inclinata passim disiecti, cum palantes discurrerent, omni-
bus castris exuti, Circenses coloni ac Veliterni inter captiuos cogniti, Romam missi
sunt. Contra quos Dictator iuisset cum exercitu: sed gliscebat Romæ indies seditio,
quam Manlius excitauit. Et cum cēturio per creditorem à foro abduceretur, persolu
to ære domum dimisit: maximas dehinc calumnias patribus irrogauit, de se arrogan
tissimè atrocia uerba iactitans. Plebis igitur multitudine stipatus, nobilitatem qui-
bus modis potuit infestã reddidit, tam falsis quàm ueris criminibus. Ob id accersitus
Dictator, ut motus plebeios sedaret, per uiatorem Manlium ad tribunal uocat, ut di-
ceret qui nam patres Gallicos thesauros occultarent (ut passim clamabat) unde æs
alienum persolui posset. Cui feroci responso Manlius, in plebem confisus, respondit,
ut in uincula & carceres duceretur: non sine magna plebis consternatione. Sed ma-
iestas Dictatoria effecit, ut neq; Tri. pl. neq; plebs ipsa ausa sit attollere frontem.
Pòst dictator de hostibus triumphauit. & ut plebis ira leniretur, Satricum propo-
sita colonia: quæ à uulgo repudiata est. Interim se Cornelius magistratu abdicauit.
tum Manliani sæuire, & per urbem discurrere, querelisq; patres afficere, ut senatus
cogeretur Manlium uinculis eximere. His diebus legati à Latinis & Hernicis Ro-
mam uenerunt: & Veliterni ac Circenses, se purgaturi à Volsci suspicione. Quibus
responsum est, ut confestim à conspectu abirent, ne grauiora paterentur. Vide Plu-
tarchum in Camillo. cum iam recrudesceret Manliana seditio, creati Tribuni sunt,

371 Sergius Cornelius Maluginensis II. P. Valerius Potitus II. M. Fu- 3 127
rius Camillus, Q. Seruius Sulpitius II. C. Papyrius Crassus, T. Quin-
tius Cincinnatus secundùm.

Olym. Post re. exa. Hic annus, ut in sexto Liuius docet, ab externis armis quietus fuit. Sed domi Manlius carceris iniuria irritatus, ferociorque factus, multitudinem in patres domesticis concionibus concitabat, ut iam caput inciperet Romana plebs attollere. Cœpit etiam clanculum de regno agitare. Quod ubi patres intellexerunt, tribunos diligenter aduertere iusserunt, ne respublica caperet detrimentum. M. Menenius & Q. Publius tribuni plebis, Manlium accersere uelle affectati regni pronunciant, cum nullum crimen Romanæ ciuitati esset magis inuisum. Die dicta, cum solus sine fratribus & propinquis in iudicium uenisset, multa de se gloriose iactitans, etiam Capitolium à se defensum ostendit. producta die, populus in Petelinum lucum descendit, unde Capitolium uideri non potuit. Ibi damnatus Manlius, populi suffragio, ex Capitolina rupe præcipitatus est. Cautumque, ne patricius in Capitolio habitaret amplius, nec in Manlia gente quisquã Marci prænomen ferret. Abundè, præter Liuium, Plutarchus in Camillo: Florus libro primo, titulo uigesimo sexto: iunior Plinius de Viris illustribus, titulo uigesimo quarto: Valerius Maximus li. sexto, capite de Seueritate: Plinius item senior lib. septimo, cap. uigesimooctauo, laudes recenset Manlij. De hoc etiam Ouidius sexto Fastorum. Ab urb. con.

4 128 L. Valerius IIII. A. Manlius IIII. Ser. Sulpitius III. L. Aemilius III. M. Trebonius. 372

Hic annus duplici malo insignis fuit, pestilentia & fame, quæ subsequebatur. Bellum etiam, inito magistratu, in Volscos, ad Romanum nomen exercendum natos, parare sunt iussi. Destinati noui hostes Veliterni, & Circenses coloni. Exercitus ob pestilentiam eo anno adduci non potuit. Coloni interea non solum id tempus in deprecanda culpa consumpsere, sed turbatoribus pacis multitudinem irritantibus, ausi sunt etiam Romanum agrum incursare. Prænestini quoque eo anno nunciati sunt defecisse, & quòd Tusculanorum, Gabinorum, Labicanorum agros populati essent. Sed ea credita minimè sunt, ut Liuius in sexto scribit. Sequenti anno,

C 129 Sp. Papyrius, L. Papyrius, Sergius Cornelius Maluginensis, Q. Seruilius, G. Sulpitius, L. Aemilius. 373

Ex ijs Tribunis duo Papyrij, noui Tribuni, Velitras ad bellum sunt profecti. Vbi cum maior numerus Prænestinorum quàm colonorum esset, à Tribunis est feliciter dimicatum. Oppugnatione urbis, quia arduum uidebatur opus, consultò Romanus uictor abstinuit. Prænestinis bellum est indictum, quia Veliternis hostibus auxilia misissent. Hi cum Volscis coniuncti, sequenti anno Satricum Po. Ro. coloniam expugnarunt, fœdeque in colonos uictoriam exercuere. Sed alij quatuor tribuni ad Vrbis præsidium relinquebantur, si quid ex Ethruria moueretur. nam inde quoque belli minæ impendebant. Cum uerò Romani ægrè ferrent Prænestinorum facinus, sequenti anno maiore cura tribunos crearunt con. pot. hos scilicet sex,

2 130 M. Furium Camillum, A. Posthumium, L. Posthumium Regillensem, L. Furium, L. Lucretium, M. Fabium Ambustum. 374

Sub ijs tribunis bellum Volscum Camillo extra ordinem decretum: cui fortè L. Furius collega in magisterio datus est. Erat iam senio confectus Camillus, ut ciuilia iam haud multum obiret officia: uegetum tamen ingenium in uiuido pectore uigebat. Cum quatuor igitur legionibus ad Satricum profectus, tantam uim hostium ibi offendit, ut Volsci uiribus suis freti, ultrò aciem in Romanorum conspectu explicauerint, nullam moram dimicationi facturi. Camillus tenuit suos intra uallum, nihil moturus, priusquam omnia per otium explorasset. Creuit deinde, ut fit, hostibus audacia: proximeque uallum accedentes, conuicia in Romanos iaciebant. L. Furius instigabat

Ab ur. con. | Olym. Post re. exa.

gabat militem, Camilliq; autoritatem eleuabat, cunctatoremq; factum ex bellatore prædicabat, ætatemq; criminabatur. Tum exercitum contra Camilli consilium eduxit. Sed Volscis in pugna uersis, Romana acies præceps agebatur, & passim terga dabat: & nisi succurrisset Camillus, actum erat de exercitu. sed sua adhortatione milites uersi in hostes, castris eos exuerunt. In recensendis captiuis Tusculani quidam agniti, qui rogati, quum se publico consilio militare dixissent: intellectum est, eos defecisse. Cum his Camillus Romam concessit, collega in castris relicto. Senatus re intellecta, bellum in Tusculanos decreuit. eaq; prouincia Camillo decreta, ut quem uellet sibi collegam assumeret: præter spem omnium L. Furium optauit, qua animi moderatione sibi ingentem gloriam peperit, & collegæ infamiam leuauit. Cum igitur Tusculum uenisset Camillus, omnia intus exploraturus, artificesq; suis operibus intentos inuenisset: nihilq; ficti offenderet, uocato senatu Romam ire iussi sunt, ut ueniam deprecarentur: quod & factum. Nam Dictator Tusculanus patres in curia oratione sua adeò demulsit, ut non solum pax sit precantibus reddita, sed haud multo pòst Tusculani omnes ciuitate donati sint. Legionibus à Tusculo Roma reductis, Camillus uirtute imperatoria & felicitate insignis, magistratu abijt. Abundè hanc etiam historiam Plutarchus in Camillo describit. Tribuni con. pot. creati, sequuti sunt, ut testatur Liuius in sexto,

375 L. Valerius v. P. Valerius III. C. Sergius III. Licinius Menenius II. 3 131
P. Papyrius, Sergius Cornelius Maluginensis.

Scribit Liuius in sexto, Tribunis plebis hoc anno delectum impedientibus ob æs alienum, Prænestinis, qui iam antea arma intenderant, occasionem datam esse, ut comparato exercitu ad Collinam portam usq; processerint. Ingens in urbe tum trepidatio fuit: concursumq; est in muros, & ad portam. Tum ciuitas à seditione ad bellum conuersa, Dictatorem T. Quintium Cincinnatum dixit, à quo A. Sempronius Atratinus magister Equitum est creatus. Dictatoris nomine uix bene audito, hostes confestim ab urbe recessere, & plebs ad danda nomina Dictatori obsequentior fuit. Dum igitur Romæ exercitus conscribitur, hostes ad Allium fluuium castra muniuere, inter se iactantes operæprecium esse, cum castris locum à se potissimum capi, qui Romæ ciuitati insigni clade funestus esset: fore ut Romani, si eò accederent, nihilo meliore euentu pugnaturi essent, quàm antea cum Gallis pugnarant. Romani contrà, scire se, ubicunq; Latinum hostem adipiscerentur, eundem pugnæ exitum fore, qui ad Regilli lacum olim fuerat: qua pugna Latini fracti, centum propè annos Romano imperio paruissent. Irritauit locus militum animos ad Senonicæ cladis infamiam recenti uictoria delendam. His utrinq; animis ad Alliam diuersi exercitus consedere. Dictator itaque precatus deos fœderum testes, & ordinato exercitu hostes aggressus, primo clamore ac impetu ordines hostium dissoluit. Tum aperta fit fuga: fusi disiectiq; hostes, præter sua castra præcipiti cursu deferuntur usq; ad Præneste. Dictator circumlatis primò signis, octo oppida quæ Prænestinæ ditionis erant, ui subegit. Mox Præneste bello repetitum: id non ui, sed seditione est receptum. Quintius Dictator clarissimam uictoriam uiginti dierum spacio adeptus, Romam rediens triumphauit: ut Liuius copiosè scribit. Eutropius ab initio secundi libri, breuiter totam historiam ijs uerbis descripsit: T. Quintius Cincinnatus Dictator Prænestinos, qui usq; ad urbis Romæ portas cum bello uenerant, persequutus, ad flumen Alliam uicit: octo ciuitates, quæ sub illis agebant, Romanis adiunxit. ipsam Prænestem aggressus, in deditionem accepit: quæ omnia ab illo gesta sunt uiginti diebus. triumphusq; ipsi decretus, in quo signum Iouis (teste Liuio) Præneste deuectum, in Capitolium tulit: dedicatumq; est inter cellam Iouis atque Mineruæ. tabulaq; sub eo fixa, monumentum rerum gestarum, his fermè literis incisa:

IVP.

Olym. Post re. exa. IVP. ATQVE DII OMNES HAEC DEDERVNT, VT T. QVINTIVS DICTATOR OPPIDA NOVEM CAPERET. Ab ur. con.

Ex his locus Flori lib. primo, tit. undecimo, subobscurus ab, alijs præteritus, facilè intelligitur: Et æstiuæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio uotis, petebâtur. Creati præterea sunt hoc anno censores, Cl. Sulpitius Camerinus, ac Sp. Posthumius Regilliensis. Sed ob mortem alterius, res usque ad tertios uenit. Sed religio uetuit.

Patricij.

4 132 P. Manlius, G. Manlius Capitolini F. L. Iulius: G. Sextilius, M. Albinus, & L. Antistius. *Plebeij.* 376

Hi Tribuni (teste Liuio) æquato numero patriciorum plebeiorumque creati fuerūt. Volsci prouincia extra sortem duobus Manlijs data, quòd genere plebeijs, gratia Iulium anteirent. Qui in hostem profecti, quum cohortes in explorato populatum misissent: nec ita multo pòst falsus in castra nuncius uenisset, quem hostes occultè subornauerant: circumuentas à Volscis præsidiarias cohortes, in aperto discrimine esse, nisi maturè subueniretur (erat enim is qui ea nunciabat Latinus, non Romanus) temerè duces castris egressi, ut suis suppetias irent, in insidias præcipitantur. Ibi dum magis uirtute militum quàm consilio se tutantur, Romana castra quæ in planicie erant, diuersa sunt parte ab hoste oppugnata: ægreque ab his qui sine duce, sine stationibus relicti fuerant, defensa. Ea trepidatio Romam perlata, Dictatorem uoluit creari. Sed ubi omnia ex Volscis quietiora afferebantur, placuit duces & exercitum Romam reuocari. Fuissentque foris res in reliquum anni admodum quietæ, nisi Prænestini Latinorum populis ad res nouas concitatis rebellassent. Nec is motus quidem tanti fuit, ut Romanum ex urbe ante principium alterius anni exciuerit. Creati inde sunt Tribb. con. pot.

CI 133 Sp. Furius, Q. Seruilius II. Licinius Menenius III. P. Clœlius, M. Horatius, L. Geganius. 377

His Tribunis, seditio ingens ob æs alienum orta est domi. ad quod cognoscēdum creati sunt Censores, Sp. Seruilius Priscus, & Q. Clœlius Siculus. Id malum adeò inualuerat, ut nullo modo fieri amplius posset. Interim Volscis Romanos fines incessantibus, Tri. pl. delectum impediendo ui patribus expressere, ut tributum, quoad esset cum hoste debellatum, nemo daret, ne ue de pecunia credita ius diceretur cuiquam: eoque laxamento plebi dato, nulla est delectui mora amplius facta: bipertiti Romani duces in Volscum hostem duxere. Q. Seruilius, Sp. Furius, & M. Horatius, dextrorsum secus mare atque Antium: Q. Seruilius, & M. Geganius, læua ad montes Ecetranos uersus. Neutra parte hostis obuius fuit Romanis. omnis proinde ultionis ira in agros est uersa: utrobique exustæ uillæ, frugiferæque arbores cæsæ: ne satis quidem in spem frugum relictis, sed aut desectis, aut de industria attritis. Vis præterea ingens pecorum in prædam acta est. Atque hæc foris eo anno gesta. Maiores inde belli apparatus extitere, cum sequenti anno hi essent consulares Tribuni,

2 134 L. Aemilius, P. Valerius IIII. G. Veturius, Seruius Sulpitius, L. Quintius Cincinatus, G. Quintius Cincinatus. 378

His Tribunis, ut latissimè Liuius in sexto scribit, Volsci & Latini coniunctis legionibus, castra ad Satricum fecerant: triplexque ob eum motum conscriptus est exercitus. unus quidem ualidissimus, quem ad Satricum P. Valerius & L. Aemilius duxere: alter, qui præsidio urbi esset: ultimus, ut si quis casus tulisset, subitò hostibus obijceretur. Romani duces ad Satricum progressi, hostem instructa acie inuenerunt: nec ipsi cunctantius suos ad pugnam producunt. Ingentibus utrinque animis erat iam initum prælium, quum imber ingenti procella effusus, pugnam diremit.

Postridie

Olym. Post re. exa.

Ab ur. con.

Postridie pari ardore eodem loco concursum. restiteruntque in primis Latini, Romanae militiae assueti. Postremò Romanus eques magno impetu in diuersam aciem inuectus, tantum ordines turbauit, turbatosque miles acrius instando fudit. Magna deinde caedes edita, castra capta, direptaque. Eques Satricum, quod ad duo milia passuum distabat, fugientes cum multa caede est persequutus. Latini & Volsci huc compulsi, ueriti ne uallo circumsessi ad deditionem compellerentur, oppido proxima nocte relicto, Antium effuso agmine abierunt. Romanus e uestigio subsequutus, obsidione (quia nihil ad ipsam paratum haberet) abstinuit. Discordia deinde hostium Romanis uictoriam fecit. Antiates multis cladibus afflicti, pacem malebant. contrà Latini noua rebellione feroces, bellũ suadere: Nec enim ad unam aduersam pugnã animos frangi oportere. Sed ubi hortando nihil proficiunt, ex Antio se praecipitantes, Satricũ occuparunt: ignique tectis in Antiatium inuidiam, à quibus desertos se querebantur, iniecto, omnia sacra & prophana hostiliter concremarunt. Inde concitati Tusculani, quia ea sola ciuitas in Romanorum fide adhuc erat, patentibus portis irrumpunt. Tusculani re subita consternati, in arcem confugerunt. Dehinc misso Romam nuncio, à Senatu exercitum L. Quintij & Seruij Sulpitij impetrant. Vnde alacriores facti, in hostem decurrunt. Romanus densa parte portarum molimina refringit. Latini ancipiti metu uicti, ne eruptione quidem tentata, in medio ad unum caesi: Tusculoque recepto, ac socijs restituto, uictor exercitus domum concessit. Ea Latinorum clades effecit, ut foris pax peropportuna sequuta sit. Romae ita potentiorum opes creuerant ob aes alienum, ut in plebe nemo esset, qui non modò ad Tribunatum militum, qui patriciorum factus uidebatur: sed ne ad plebeios quidem magistratus petendos, caput attolleret. Amplius accidit interea res, unde ingens procella excita est. Fabio Ambusto duae erant filiae, quarum maior Seruio Sulpitio, tum Tribuno consulari nupserat: altera Licinio Stoloni, illustri quidem uiro, sed plebeio: cum minor soror apud maiorem strepitum fieri consuetum à lictoribus cum uirgis, consuetudinis ignara, inaudisset, tristior facta, patrem perpulit, ut cum genero inde Stolone & L. Sextio strenuo adolescente consilium caperet, ut Tribunatum illi peterent: proponerentque plebi populares rogationes, quibus fortunae & opes inter ordines aequarentur. Ambo proximis comitijs Tribuni plebis creati, leges promulgant, ut ad aes alienum leuandum, quicquid esset usuris annumeratum, de capite deduceretur: et si quicquam superesset, triennio aequis solueretur pensionibus: Ne ue quis plus quingenta iugera agri possideret, Neu tribunorum militum comitia fierent amplius, Et ut alter ex plebe consul deinceps crearetur. Leges graues, & quae sine ingenti certamine obtineri non poterant. Nec patres tantam rerum molem sunt aspernati, quin ad uetus remedium conuersi, ex Tribunorum collegio aliquot sibi intercessores comparant. Hi populo id suffragium nequicquam solenne fieri sunt passi. Tum Sextius comitia Tribunorum indixit, comitiaque nulla praeter aedilium & Tribunorum plebis sunt eo anno habita. Appellat Lucius Florus libro primo, titulo uigesimo sexto, hanc quartam urbis discordiam, quam honorum cupido excitauit.

379 QVINQVENNIVM RESPVB. SINE CVRVLI 3
380 MAGISTRATV FVIT. 4
CII
381 Sextus enim & Licinius Tribuni plebis refecti, ut Liuius in sexto describit, nullos 2
382 Curules magistratus creari passi sunt. Eaque magistratuum solitudo, & plebe refi- 3
383 ciente duos tribunos, & ijs comitia Tribunorum militum tollentibus, per quin-
quennium urbem tenuit. Vnde examinanda sunt uerba Cassiodori, quae superius, L. Valerio Potito & M. Manlio Coss. subscripta, erroribus non carere annotaui. inquit enim, cum de Tribunis militum loquitur: Quibus ob insolentiam remotis, per annos quatuor potestas Consulum Tribunorumque cessauit. cum Liuius hic quinquennium dicat, Ruffus item Sextus, uir consularis, ad Valentinianum imperatorem,

Olympiad. peratorem, ubi annos consulum supputat: Sine magistratibus, inquit, Roma fuit annis quatuor. Sic Eutropius lib. secundo, cap. primo inquit: Verùm dignitas militarium tribunorum non diu perseuerauit. nam post aliquantum, nullos placuit fieri: & quadriennium ita fluxit, ut potestates sibi maiores præsumpserint. tamen Tri. militares con. pot. iterum dignitatem, & triennio perseuerauerunt. Cum ij tres autores simul ita concordent, unus uidetur ab alio mutuasse: nisi numerorum notæ, quod maximè suspicor, sint deprauatæ. Diligens itaq; lector hæc paulo accuratius pensitet. quia si Olympiades in certum debent redigi numerum, duo anni deficient: ideo annorum notas addici tamen supersedebo. Flauius insuper Vopiscus in Tacito repetit, cum de interregno agit: Maiores nostros quadriennium nullos habuisse Curules magistratus. Cæterùm ut ab exactis regibus ad historiam redeam, cum ea magistratuum solitudo per quinquennium urbem teneret, plebe eosdem Tribunos plebis semper reficiente, Tribunis ipsis comitia impedientibus, bella interim opportunè quieuerunt. Postremò Veliterni Tusculum sunt oppugnare adorti. Inde Romam missi, qui sibi ueteribus socijs, ciuitateq; recens donatis auxilium implorarent. tum demum Tribunis (pudor enim negando auxilio obstitit) remittentibus, comitia sunt per Interregem habita. Creati Tri. con. pot. Ab ur. con.

4 L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpitius, Ser. Cornelius, A. Valerius, & G. Valerius. 384

His tribunis, ut Liuius in sexto scribit, plebs haudquaquam tam obediens in delectu, quàm in comitijs fuit. ingentiq; contentione scripto exercitu, non solum hostis est à Tusculo repulsus, sed compulsus etiam intra sua mœnia, & in reliquum anni obsessus. tenebat obsidio, cum noui tribuni militum creati sunt,

CIII Q. Seruilius, G. Veturius, A. Cornelius, & M. Cornelius, Q. Quintius, M. Fabius. 385

Corruptè legitur in Liuio, M. Aulus: cum apud Romanos consuetum non fuerit prænominibus præponere prænomina. His tribb. nihil memorabile ad Velitras gestum. Domi Sextius & Licinius octauum iam tribuni plebis refecti, M. Fabio Ambusto fauente, qui se legum suasorem est professus: & ex collegio Tribunorum plures cum plebe sentire, ferociores facti, tantum non fortunam plebis iterum experiri, quòd exercitus in urbem expectabatur. Interim patricios in concione stantes, assiduis altercationibus incessabant. Rogabant coràm, num ipsi, qui tot annos æquissimarum legum lationem remorarentur, iniquum aliquid fieri putarent, si quum bina iugera plebi diuiderentur, quinquaginta possiderent: parumq; abesset, quin unus trecentorum ciuium possideret portionem. An'ne præterea placeret, fœnore circumuentam multitudinem potius adduci in neruos & supplicia, quàm sortem creditoribus dissolui, repleriq; nobilium domus ciuibus uinctis, ceu mancipijs bello captis: ut ubicunq; patricius habitet, ibi sit & priuatus carcer. Hæc cum illi maiore audientium, quàm sua, indignatione dicerent: patricios metus incessit, ne in se impetus à multitudine fieret. Tribunitiæ erat concionis summa hæc, ut nisi consul alter ex plebe crearetur, futurum nunquam ut patricij finem facerent, per occasionem in plebem grassandi. Hæc cum indies maiore assensu audirentur, adijciunt & aliam rogationem: ut

2 Decemuiri crearentur ad peragenda sacra, quorum quinq; plebeij essent. Anno in-

3 terea circumacto, priusquam à Velitris reducerentur legiones. Ita suspensa de legibus 386

res, ad nouos militum tribunos est dilata. eosdem enim Tribunos plebis reficiebant. 387

Collige hinc iterum, deesse annos aliquot: & si Sextius & Licinius octo annis tri. pl. fuerunt, numerum annorum certum non posse constare. Tum creati Tribuni militum consulari potestate:

4 T. Quintius, Ser. Cornelius, Ser. Sulpitius, Sp. Seruilius, L. Papyrius, L. Veturius. 388

Sub

Ab urbe con. Sub ijs tribunis, ut late Liuius in fine sexti scribit, iam ad ultimam de legibus dimicationem uenerat: cum Senatus atque totus ordo magno tribunorũ clamore exterriti, Camillum Dictatorem creant: tantũ abfuit, ut is magistratus latores ipsos legũ perculerit, ut maiore quodam ardore accensi, plebisque causam arctius amplexi, assiduis concionibus fouerent. Interim Camillus re neutrò inclinata, Dictatura abijt: siue quia uitio creatus esset, ut quidam credidere: seu quòd tribuni ad plebem tulere, idque plebs sciuerat, ut si M. Furius Camillus quid pro Dictatore egisset, quingentorum milium æris mulcta esset. In cuius locum P. Manlius Dictator dictus est. is G. Licinium plebeium magistrum equitum dixit: unde à patribus illi inuidia orta est. Et iam ne Dictator quidem multũ rogationi obstabat: nec patres, quà se uerterent, amplius satis perspicere poterant. Tum patriciorũ causa planè inclinante, Appius Claudius Crassus, Decemuiri nepos, acerrimam ad plebem habuit orationem (quam apud Liuiũ lege) ea nihilominus tantum effecit, ut tempus rogationibus sit adhuc nonnihil prorogatum. Hinc tribuni plebis decimùm refecti sunt, Sextius & Licinius. Vnde iterum colligitur, annos aliquot deesse. Decemuiri igitur sacrorum creati quinque ex plebe, cæteri patricij: eoque gradu uia facta iam ad consulatũ uidebatur. Cæterùm plebs præsenti uictoria contenta, facile passa est proximis comitijs tribunos militum creari. Creati sunt itaque,

389 A. Cornelius, M. Cornelius II. M. Geganius, P. Manlius, L. Veturius, P. Valerius sextùm. ciiii

His tribunis, durante adhuc Veliterna obsidione, repentè Gallici belli fama illata, ingentem, pristinæ cladis memoria, tulit ciuitati terrorem. Ea res causa fuit, ut Furius Camillus quintùm Dictator sit dictus: is T. Quintium Pœnum magistrum equitum dixit. Obscura inde fama eorum quæ in Gallos gesta sunt, ad posteros manauit. Claudius Quadrigarius circa Anienem fluuium cum Gallis eo anno dimicatum, in Annalibus prodidit: inclytamque in ponte pugnã fuisse, qua T. Manlius Gallum, cum quo manum ex prouocatione conseruit, in duorum exercituum conspectu peremptum, aureo torque spoliauit. Plures tamen, quibus Liuius accedit, decimo pòst anno id accidisse aiunt. Satis constat, in Albano agro, Camillo Dictatore, prosperè cum ea gente hoc anno dimicatum: multaque Gallorum milia cæsa, multa in castris oppressa. alij dispalati, Apuliam petiere. Abundè hoc bellum Plutarchus in Camillo describit. Sed ibi insignis error, ab illis etiam qui nuper Plutarchum emendatum à se gloriati sunt, non est animaduersus. Verba Plutarchi hæc sunt: Hanc dimicationem & tertio fuisse anno post captam Romam ferunt. Cum ille annus non sit tertius, sed uigesimus tertius: adeò ut uerbum unum desit, sicut apparet ei qui rectè annos supputat. Florus libro primo, titulo decimotertio, hanc historiã paucis delibat. Camillus triumphans in urbem redijt. nec ita multis interiectis diebus, Dictator & uniuersus ordo, tribunorum consensu uicti, sæuientis populi leges ferebant: & comitia consularia habita sunt, & rursus COSS. creati.

Admoneo hic, lector, te, ut nunc annos tribunorũ numeres, quibus rexerint, quoniam rursus pop. Rom. COSS. habuit, ut intelligas, uerá ne sint uerba Cassiodori quæ suprà scripta sunt de numero annorum, quibus tribuni imperium tenuerint: cum non decem & septem annis, sed sex & quadraginta gubernarint.

Plebeius. Patricius.

390 L. SEXTIVS, ET L. AEMILIVS MAMERCVS. 1

Cum plebs Consularia comitia ex formula rogationis passa est fieri, creatus est primus ex plebe Consul L. Sextius. Cuius creationis, quia patres se autores futuros negabãt, tanta est perturbatio orta, ut tertiò à patribus plebs secessura fuerit, nisi per Dictatorem discordia sedata esset. Ex illius igitur autoritate Senatus se autorem nouo Consuli præstitit: permissumque est patribus à plebe, ut è suo corpore magistratũ crearent, qui ius in urbe diceret, qui Prætor à præeundo uocaretur. Sed ob ciuitatis concordiam

Olympiad. cordiam ludos maximos faciendos Senatus censuisset, ut dies unus triduo adijceretur: Aedilibus plebis id munus recusantibus, conclamatũ à iuuenibus patricijs est, se id deorũ immortaliũ causa libenter facturos, si ædiles fierẽt. Actæ illis gratiæ, factũq; Senatusconsultum, ut Dictator qui comitia habebat, duos ædiles ex patribus populum rogaret. Atq; ita factum, ut Sp. Furius Camillus M. filius primus prætor sit creatus: Gn. Quintius Capitolinus & P. Cornelius Scipio, ædiles: quos, ut prætorem, curuli sella & prætexta instrui placuit. Cæterùm quòd prætor iuri dicundo præesset, sic appellatus est & urbanus, & peregrinus sic dictus postea: iusq; eius honorarium. de hoc Pomponius iureconsultus primo ff. de Origine iuris: & titulus eodem primo libro, de Officio prætoris: inter iuniores Fenestella, titulo trigesimoquarto: Lætus, & Blondus secundo triumphantis Romæ, abundè disserunt. De ædilibus præterea, uide Liuium ab initio septimi: Varronem primo de Latina lingua, iureconsultũ Pomponium ff. primo, de Origine iuris: Dionysium libro sexto: Gelliũ decimoseptimo, capite uigesimoprimo, quando primum sint creati hi COSS. sed & Fenestella titulo uigesimooctauo, Lætus, & Blondus tertio triumphãtis Romæ, de Aedilibus. Sed ut redeam ad historiam, hic annus insignis fuit nouo in plebe consulatu, prætura, curuli ædilitate, nouis tum magistratibus. Patribus de industria famam de Gallis occultantibus, qui per Apuliam fuga dissipati, in unum coire dicebantur, & Hernici ad defectionem spectare: ne in plebeio Consule insigne aliquid eo anno gereretur, domi proinde forisq; otium fuit. Tantum trib. pleb. pro concione fremebant, indignum facinus admitti, quòd pro uno Curuli magistratu plebi communicato, duos sibi Curules nobilitas assumpsisset. Imposuit ea res pudorem patribus, ne ex suo corpore Curules ædiles creari uellent: sed alternis annis pebeios ad eum honorem admitti passi sunt, mox & promiscuum fieri. Hos COSS. (nisi deprauatus sit codex) Plutarchus in Camillo L. Sextium & M. Aemiliũ uocat. ubi in fine uitæ Camilli scribit hæc uerba: Sequenti anno cum Roma graui peste laboraret, ex multitudine innumera uis cecidit: ex principibus uerò plurimi, inter quos Camillus, omniũ annis grauissimus, maturo funere obijt: & plus desiderij ac luctus, quàm cæteri omnes, qui ea tẽpestate pestilentia ceciderant, Romanis reliquit. Superauit autem octogesimum ætatis annũ. Ab urbe con.

3 L. GENVTIVS, ET Q. SERVILIVS. 391

His COSS. pestilens annus fuit. illustres uiri pleriq; defuncti, Censor, Aedilis Curulis, tres tribuni plebis, & M. Furius Camillus: cuius mors, etsi grandis natu perijt, acerba tamen fuit ciuitati: quippe unicus sua tempestate imperator, & in omni fortuna Romanorum omnium longè princeps, pace belloq; ante exilium clarus, sed clarior in exilio factus: qui ad auxilium patriæ reuocatus, incredibili uirtute & se & patriam restituit. Pari deinceps gloria quinq; & triginta annos uixit, dignus qui secundus à Romulo urbis conditor fuerit appellatus. Sic ingens pestilentia & magnam plebis multitudinem absorpsit, ne uacaret urbs à periculis, quia à seditione & bello annus alioqui quietus erat. Ita ferè Liuius in septimo. Vereor tamen, ne sit uitiatum exemplar: quia si singuli anni tribunis & COSS. supputabuntur, uenient quinq; & uiginti anni, quibus Camillus post captam urbem uixit: non quinq; & triginta, si prope annum sequentem mortuus est Camillus, quemadmodum licet ex Plutarcho discere: quoniam & in sequentem annum durauit pestis. Tamen quicquid sit, unus iterum annus relinquitur dubius: nisi desint & in Liuio aliquot tribuni militares, aut COSS. quod maximè suspicor. Nam paulo inferius, G. Genutio & L. Aemilio COSS. secundum Diodorum erit centesima & quinta Olympias. quæ supputatio si est uera (ut eam ueram esse omnino credo) deerunt duo anni ab Olympiadis nonagesimæseptimæ anno secundo, quo iuxta alios, Roma à Gallis capta est. Meminit horum COSS. & Eutropius libro secundo, primo capite: & similiter mortis Camilli ac ingentis pestilentiæ, quam item graphicè describit Orosius libro tertio, capite tertio. Horum autem COSS, mentionem facit & diuus Augustinus, de Ciuitate

Ab urbe con. tate diuina libro tertio, capite decimoseptimo, ubi in ludos scenicos inuehitur, qui Olympiad. tum reperti sunt. Sed anni ab urbe cōdita in Orosio, indigēt examine. nam ipse hunc annum ab orbe condita ponit trecentesimum octogesimumquartum. Si uerò secundum COSS. & tribunos anni numerētur, prouenięt trecenti octogintaocto amplius. Mortis uerò Camilli meminit Plutarchus pulchrè, & breuiter.

Potitus.

392 T. SVLPITIVS, ET G. LICINIVS STOLO. 4

Durauit & in hunc usque annum pestilentia, & ideo nihil dignum memoria actum: nisi quòd pacis deûm exposcendæ causa, tertiò tum post conditam urbem lectisternium fuit. & inter cætera deûm placamina, scenici ludi primùm celebrati: res ab initio rudis, sine carmine, ullá ue carminis imitatione. Ludiones tantum ex Ethruria accersiti, ad tibicinis modulos saltantes, haud indecoros more Tusco reddebāt motus. Imitari hos primò Romana iuuentus, incomptis inter se carminibus iocularia fundentes: nec motus interim absoni à uoce, mox diligēti usurpatione eò processit usus, ut uernaculi eius rei artifices, quia nihil iam à Tuscis ludionibus distarent, histriones appellati sint: quia Ethrusca uoce hister ludio uocaretur. Hi deinceps non inconditum & rude carmen, alternisque ut à principio iactatum, usurparunt, quod Fescenino fuit simile: sed modulatas Satyras, descripto ad tibicinem cantu, decoroque motu peragebant. Liuius Andronicus ab Satyris digressus, fabulam argumento fecit, factaque cum sæpius egisset, obtusa demum frequenti usu uoce, puerum qui caneret ante tibicinem statuit. Inde, ut ad tibicinis latus histriones canerent, receptum. Vbi igitur res à risu & soluto ioco auocari cœpta est, ludoque in artem paulatim uertente, iuuentus fabularum actu histrionibus relicto, ueteri instituto ridicula uersibus intexta inter se iactabant. Vnde ex odio fabulis potissimum Attellanicis conserta extiterunt. Id ludorum genus ab Oscis acceptū, tenuit postea iuuentus, nec histrionibus attingere permissum. quo factum, ut Attellanarum actores, ne tribu quidem mouerentur, unaque cum cæteris militarent, perinde ac histriones non essent. Res à modico, & sine principio orta, sed quæ ad insaniam rerum opulentia sit postea perducta. Medio talium ludorum spectaculo, quum fortè Tyberis circum maximum inundasset, ingens ciuitatem terror inuasit. Creditum uulgò, ut uana fuit eius temporis superstitio, deos ea placamina repudiare.

Mamercus.

393 G. GENVTIVS ET L. AEMILIVS II. CV

His COSS. ut in septimo Liuius scribit, fuit ciuitas in conquirendis piaculis supra modum occupata. Quum igitur uulgò morbis corpora afficerentur, Dictator figendi claui gratia dictus L. Manlius, cognomento imperiosus. Repetitum erat memoria, clauo aliquando à Dictatore fixo, pestilentiam in urbe sedatam. Sed figendi claui ratio aliunde sumpta. Cum paratæ ea tempestate literæ essent, lex scripta fuit, ut qui Prætor maximus in urbe esset, Idibus Septembris clauum figeret, ut nota uelut annorum esset. Lex ipsa idcirco in Mineruæ templo creditur dicata, quia numerus, ipsius sit deæ inuentum. Fixus est igitur dextro latere in æde Iouis, qua parte Mineruæ templum proximum illi fuit. Primùm id COSS. factitarunt. ad Dictatores inde est hoc munus translatum: quia maius esset imperium. Potestque ex hoc ipso intelligi, Prætoris appellatione Consularem etiam & Dictatoriam dignitatem ueteres accepisse. Volscinijs in templo Nortiæ deæ Ethruscæ clauos annorum indices figi solitos, tradidit Cincius. Manlius Dictator, fixo clauo Hernici belli causa, uelut ad id exequendum, non ad religionem creatus esset, acerbum delectum habere cœpit. Cæterùm tribuni plebis in eum ferociter coorti, incœpto absterruerunt. Meminit horum COSS. Diodorus Siculus, libro decimosexto Bibliotheces: quo libro incipit res Alexandri commemorare, & antecessorum. Scripsit enim, referente Suida, libros quadraginta. In primis tribus libris Barbarorum res, in reliquis Græ-

Olympiad. eorum narrantur: in undecim inde sequentibus conferuntur deinde, quæ in bello Troiano usq; ad Alexandri Macedonis mortem gesta sunt. In postremis uigintitribus continentur, quæ deinceps usq; ad bellum Gallicum, quod Romani duce Iulio Cæsare gesserunt, sunt acta. Nam sub Augusto uixit, & suprà. Sex ego libros græcos, à decimosexto usq; uigesimum, reperi Budæ, in Bibliotheca regia, cum illic oratorem Cæsaris agerem: e quibus paucula pro commodo meo excerpsi. Ibi autem loco citato scribitur: Regnante Athenis Callimede, Olympiade quinta & centesima, cum in stadio uicit Poros Cyreneus, Romani COSS. habuerunt Gn. Genutium & L. Aemilium. & quæ dehinc Philippus Aminthi filius gessit, enarrat copiosius: quæ istinc requiras. Duos ex illis sex elegãtissimè est interpretatus Angelus Cospus Bononiensis, qui honestas literas hic Viennæ non sine summa gloria professus erat. *Ab urb. con.*

Hala.

2 Q. SERVILIVS II. ET L. GENVTIVS II. 394

His COSS. L. Manlio, & M. Pomponio tribuno plebis dies dicta est, quòd hominis natura uulgo erat inuisa: dabaturq; illi crimini, quòd in acerbissimo delectu, iuuenum corpora, nomen dare recusantiũ, nudari cædiq; fecisset: quòd filium iuuenẽ nullius probri compertũ, nisi quòd largiore lingua esset, procul urbe in agris haberet. Sed filius ægrè ferens patrem sua causa à tribuno uexari, tribuni domum ingreditur, remotisq; arbitris stricto cultro compellit tribunum, ut patrem liberum pronunciaret. Fuit ea res ac pietas insignis iuueni apud populum honori. Nam cum eo anno tribuni militum in legionibus creationis suffragio essent (Imperatores antea eos creare consueuerant, Ruffulosq; uocabant) factum est, ut secundum inter alios T. Manlius iuuenis locum obtinuerit. Meminit huius, præter Liuium in septimo, Valerius Max. libro quinto, capite de Pietate: & Cicero libro tertio Officiorum, de Fortitudine: Specus ingens hoc anno medio foro uasto derepentè hiatu patuit. ea uorago quum multo terræ ingestu expleri nequisset, canebant uates, id, quo plurimum Rom. nom. posset, ipsi loco dicandum, si rem Romanam incolumem uellent. M. Curtius ergo uiris armisq; Romanos pollere ostendit, cumq; bellatore equo armatus in specum se deiecit: unde & Curtius est lacus dictus. Meminit & huius specus Eutropius libro secundo, capite primo: ac Paulus Orosius libro tertio, capite quarto. Sub id tempus est Hernicis bellum indictum, à quibus res repetitæ fuerant, nec redditæ. L. Genutius Consul ad illud profectus, infelicibus auspicijs bellum inijt, & interficitur. Ex cuius cæde patribus occasio data fuit cõtra plebem fremendi, quòd plebeius Consul inauspicatò pugnasset: multaq; tum, ut fit, in plebem iactabãt. Seruilius Consul iussu patrum, Dictatorem Appium Claudium dixit. Is iustitio indicto, delectum habuit. Cæterùm priusquam legiones in Hernicos uenissent, C. Sulpitij legati ductu, res per occasionem in hostes est egregiè gesta, fusis fugatisq; Hernicis. Aduentu Dictatoris cum iam Hernici nouas conscripsissent copias, ad duoq; milia passuum Romana castra ab Hernicis distarent, media planicie collatis signis pugnatum est, ancipiti primùm pugna: postremò fusi hostes, in castra compulsi sunt. Postridiè castra ab hoste deserta, saucijs relictis, diffusum palatumq; agmen, per agros diuersum in suas urbes abijt. Nec Romanis incolumis acies mansit, quarta penè militum parte amissa, præter hos & aliquot equites cecidere. Horumq; COSS. meminit Diodorus Siculus decimosexto Bibliotheces libro, cum Athenis regnauerit eo tempore Eucharistius. Sed appellat utrunque consulem prænomine Q. Quintium Seruilium & Q. Genutium, si codex est emaculatus. Vide ibi quæ Philippus, quæ Dionysius Syracusanorum tyrannus fecerit: & quomodo Dionysius iunior duas urbes in Apulia construxerit.

Caluus.

3 L. SVLPITIVS, ET G. LICINIVS. 395

Hoc anno, ut Liuius scribit in septimo, COSS. in Hernicos exercitum duxere:

nec

nec hoste uspiam reperto, Ferentinam urbem ui cæperunt. Inde redeuntibus Tybur
tes portas urbis clausere. ea causa fuit, ut & Tyburti populo sit bellum indictum. Eo
anno Galli ad tertiũ lapidem salaria uia proximè urbem accessere. Dictator T. Quin-
tius Pœnus est dictus: omnesq; iuniores sacramento adacti. Hostes ultra Anienem
castra fecerant: eratq; pons medius inter utranq; munimenta. eum uacuum Gallus in-
genti statura occupat, altaq; uoce fortissimum prouocat Romanorum ad singula-
re certamen: ut ex talis pugnæ euentu intelligi posset, utra gens melior esset. Tum T.
Manlius L. filius, qui patrem à tribunitia uexatione defenderat, ut paulo antè an-
notauimus, uenia à Dictatore petita, in hostem pergit. Excipit Gallus Romanum
uenientem cum derisu, exerta in despectum (ut mos est gentis) lingua. Erant duo-
rum exercituum lumina in unum id certamen defixa. Gallus scuto læuaq; in Ro-
manum proiecta, cæsim gladium cum ingenti sonitu, in eum deiecit. Contrà ille mu-
crone stricto, cum unum scutum scuto perculisset, hosti insinuatus, uentrem atq; in-
guina uno atq; altero hausit ictu: Gallumq;, quantus erat, moribundum ingenti spa-
cio porrexit: iacentem aureo torque spoliat, quem cruore respersum collo circunde-
dit suo. inuasit pauor Gallos, inopinata clade attonitos. Romani contrà alacres, ab
sua statione suum militem cum lætitia & gratulatione excipiunt. inter iocularia mili-
tum carmina, Torquati cognomen auditum uictori ipsi & posteris deinceps man-
sit: Dictator illi coronam auream dono dedit, eumq; pro concione laudauit. Tanta
ex ea pugna barbaris trepidatio orta est, ut sequenti nocte relictis castris, in Tybur-
tem agrum concesserint. Ibi cum Tyburtibus societate inita, commeatuq; adiuti, in
Campaniam transiuere. Meminit huius T. Manlij Valerius Max. libro tertio, de For-
titudine: Florus libro primo, titulo decimtertio: Eutropius libro primo, capite secun-
do. Sed perperam ibi scriptum est L. Manlius, cum sit legendum T. Manlius, qui fi-
lius fuit L. Manlij. De eo item iunior Plinius de Viris illustribus, titulo uigesimoo-
ctauo. Sed Gellius nono libro Noctium Atticarum, capite decimotertio, ex Q.
Claudij Quadrigarij annalibus hanc pugnam describit. Gallorum item hanc inun-
dationem, Orosius libro tertio, capite quinto narrat. Sed ibi iterum numerus anno-
rum eget examine. nam anno ab urbe condita tricentesimo octogesimooctauo, fa-
ctam hanc inundationem prodit, cum iam effluxerint quadringenti & tres anni, ab
initio. Horum item COSS. Diodorus Siculus in decimosexto meminit, sed utrunque
pariter Caium prænomine appellat: ubi plura de Dione philosopho, Timæo histo-
rico, & de Tauromínio Romanorum colonia unde sic dicta sit, de Chabria Athe-
niensi: & quo pacto Philippus Amphipolim cæpit, sibiq; obedientẽ fecit: & cur mo
neta aurea à Philippo sit appellata: cũ tunc apud Athenięses regnaret Cephisodotus.

aliàs Libo, *Ambustus.*

396 G. POETILIVS BALBVS, ET M. FABIVS. 4

His COSS. Fabius in Hernicos, Pœtilius in Tyburtes cũ exercitibus profecti sunt.
Galli Tyburtium oppugnatione ex Campania reuersi, Labicanum agrum fœdè po-
pulantur. Inde in Tusculanum & in Albanum transgressi, pari clade proculcant. Is
terror Romã perlatus, Dictatoris creandi materiam præbuit. Q. Seruilius Hala crea-
tus est, qui magnos ludos uouit, si præsens bellum prosperè cessisset. Consularem in-
de exercitũ aduersus Tyburtes, ut antea, bellare iubet. Ipse cum omni militari iuuen-
tute, quam sacramento adegerat, in conspectu urbis, haud procul à Collina porta
cum Gallis, qui effusa populatione Romam uenerant, confligit, Gallumq; fundit
ac fugat: fusum consularis exercitus, qui circa Tybur sedebat, ferro exceptum dele-
uisset, nisi Tyburtes suorum periculo commoti, auxilio fuissent. Fuit aliquandiu gra-
ue prælium. Postremò hi simul, Gallíq;, Tybur compelluntur. Aliter Polybius huius
belli meminit in secundo, sic scribens: Annus erat post captam urbem trigesimus,
cum Galli ingenti exercitu comparato, Albam reuertuntur: Romani, quòd aduen-
tus eorum repentinus fuit, & neq; exercitum cogere, neq; à socijs auxilia conuocare
potuerunt, haudquaquam aduersati Gallis fuere. Cæterùm Fabius consul interea

Olympiad. prosperè in Hernicos depugnauit. Petilius ob Gallos & Tyburtes à se uictos, triumphans in urbem rediit. Fabio alteri Consuli minor triumphus datus, ut ouans Romam ingrederetur. Dictator omnium gestarum rerum honore COSS. remisso, se Dictatura abdicauit. Irridere interea Tyburtes Pœtilium, quòd pro prælio inter paucos ante portas suæ urbis commisso, triumphum sibi decerni passus esset: sed breui fore, ut uana illa lætitia fieret Romanis funesta. hæc illi coràm. Diodorus Siculus libro decimosexto: Cum Agathocles Athenis regnaret, scribit M. Fabium & G. Popilium (sic enim habet græcus codex) COSS. apud Romanos fuisse: quando scilicet Minoa oppidum Siciliæ, à Minoe rege Cretæ fuit ædificatum: ubi postea quædam tradit de Demophilo historico, Callisthene historico, & Duillo historico. Ab urbe con.

Lenas, Capitolinus.

CVI M. POPILIVS, ET GN. MANLIVS. 397

His COSS. ut in septimo Liuius docet, silentio noctis, infesto Romam agmine uenere Tyburtes. Fuit nocturna illa trepidatio ciuibus terrori. Conclamatum est repentè ad arma. Nec somno exciti satis scire, qui hostes undè ue essent. Vbi uerò illuxit, atque Tyburtes eos esse constitit, ipsorum paucitate contempta, duabus COSS. portis cum armata iuuentute egressi, modico negotio in medio hostilem exercitum cecidissent: nisi ad primum clamorem per agros dilapsi Tyburtes, domum abiissent. Sub id tempus Tarquinienses, maiore agrorũ quàm urbis tumultu, Romanos fines ea parte qua Ethruriæ adiacent, populati sunt. Horum COSS. mentionem ita facit Diodorus Siculus, libro decimosexto: Regnante Athenis Elpino, Romani constituerunt COSS. M. Puplium Lenatem, & Gn. Memelium (ita græcè scribitur) imperiosum, Olympiade sexta & centesima, cũ in stadio uicit Porus Malieus. Vbi dehinc multa de Faliste, qui seipsum interfecit, infamiam timens: de bello sociali, Iphicrate & Timotheo scribit.

2 G. PLAVCIVS, ET G. FABIVS. 398

Sub iis COSS. G. Plaucius iussu populi Tarquiniensibus bellum indixit. Fabius in Hernicos prouinciam accepit. Occupat interea Gallici belli fama ciuium animos, peropportuneque pax Latinis data est: milesque ab iis ex ueteri formula acceptus. Quibus freti auxiliis, minore animorum motu Romani audiuerunt Præneste Gallos uenisse, atque in Pedum progressos. C. Sulpitius Dictator est dictus: qui cũ robore duorum Consularium exercituum in Gallos profectus, ubi hostes in conspectu habuit, locum castris cepit. Neque hi ullam prælio moram fecere. Dictator etsi suos satis ad pugnam animatos uidebat, abstinere tamen congressu: bellumque de industria trahebat, ratus omnia hosti tempus deteriora facturum. Romanus miles id ægrè ferens, cùm Sulpitium ut tumidum carpere, tum patres cõmuniter criminabantur. Tandem Seruium Tullium primipilum ad Dictatorem miserunt cum multa querela, se ut feminas intra uallum teneri, quo hostibus ludibrio essent: nisi in aciem ducerentur, futurum ut aut domum, aut in hostem occasione proficiscerentur. Dictator etsi parum probabili ratione fieri hoc crederet, pollicetur tamẽ, se exercitum educturum: ususque insigni & nobili stratagemate, quod apud Liuium in septimo latissimè inuenies, Gallos fudit, fugauitque, non sine ingenti cæde. multis enim Gallis fuga in syluas ac montes delatis, omnibus æqua mors superuenit. Vnde & Sulpitio triumphus decretus. Nec ullus de Gallis iustiorem triumphum, post Camillum, egit, quàm is Sulpitius. A' COSS. eodem anno uario est euentu pugnatum. Hernici à Fabio uicti prælio, subactique sunt. Contra Plaucius incautè, ac proinde parum feliciter in Tarquinienses pugnauit. Nec tantum cladis in acie acceptum, quàm quòd Tarquinienses Romanorũ odio trecentos & septem milites captos, uictimarum more iugularunt. Vastati sunt & Romani agri eodem anno, Priuernatium primò, mox Veliternorum incursione. Ludi, quos Camillus uouerat, facti: & lex de ambitu à C. Petilio tribuno plebis, patribus autoribus, tum primùm ad populum lata, qua nouorum hominum ambitionem,

Ab urbe con. nem, qui mundicias & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant. Gallorum cædem paucis etiam recenset Eutropius libro secundo, capite primo. Facit & horum Consulum mentionem Diodorus Siculus decimosexto: Cum, inquit, regnaret Athenis Callistratus, Romani constituerunt COSS. M. Fabium (sic ibi scribitur, non G.) & G. Plotium. Describit dehinc bellum sacrum, & de Archidamo Lacedæmoniorum rege nonnulla prodit, & de tripode ac oraculo. Olympiad.

Rutilius. Capitolinus.

319 G. MARTIVS, ET GN. MANLIVS. 3

His COSS. Falisci quoque hostes facti, quia cum Tarquiniensibus eorum iuuentus militasset, ea prouincia Gn. Manlio forte euenit. G. Martius eius collega, in Priuernatem agrum duxit, longa pace intactum: ibique miles breui præda expletus, ad Priuernum est urbem adductus. Priuernatibus in urbem prælio deiectis, cum iam scalę mœnibus admouerentur, deditio ab oppidanis facta est. Triumphauit Martius de Priuernatibus. Ab altero Consule nihil memoria dignum actum est: nisi quòd in illis castris lex tributim de uicesima illorum qui manumitterentur, lata est. Eius legis abrogandæ, quia haud paruum inde uectigal inopi ærario quærebatur, autores fuere tribuni plebis. Nec tam re quàm exemplo moti, capite sanxerunt, ne quis postea tali de causa populum seuocaret, prohibitumque in castris iam inde sanciri legem ullam. C. Licinius Stolo hoc anno decem milibus damnatus, ex præscripto legis, quam ipse tulerat: quoniam mille soli iugera cum filio possideret. Require Plutarchum in Camillo, qui eadem de Licinio Stolone prodit. Meminit horum quoque COSS. Diodorus Siculus libro decimosexto: quos fuisse scribit, cum Athenis regnaret Diotimus.

Ambustus. Lenas.

400 M. FABIVS II. ET M. POPILIVS II. 4

His COSS. ut Liuius in septimo scribit, duo bella Romani habuere. Popilius Lenas in Tyburtes profectus, prosperè rem gessit. Alterum Consulem Phalisci & Tarquinienses prima pugna fuderunt, Romanis falsa specie & uelut phanatica deceptis. sacerdotes enim hostium cum facibus incensis, furiali incessu anguium nodos intendentes, militem spectaculo insueto turbauerunt. Inde ubi à Consule & tribunis cœptum est in uanum illum metum reclamari, quòd puerorum more talia expauescerent: pudore affecti milites, ferociter in hostes uertuntur. Atque in ea ipsa, quæ nuper extimuerant, uelut amentes ruunt. inde hostili ludibrio confestim discusso, in armatos cuneos sese inferunt. Fuitque tantus Romanorum in prælium redeuntium impetus, ut ne ab armato quidem, non modò inermi hoste sustineri potuerint. Fusa acie, castris Romanus uictor potitus est. Concitauit hæc Phaliscorum & Tarquiniensium clades omne Ethruscum nomen in Romanos: atque duobus populis ducibus, ad Salinas usque prædabundus hostis processit. Aduersus hunc terrorem M. Rutilius primus è plebe Dictator est dictus: qui C. Plaucium plebeium magistrum equitum dixit. Ferebant patres iniquo animo, Dictaturam quoque in promiscuo esse. Nihil itaque illi decreuere, ut irrita Dictatura flueret. Ea iniuria populus instructus, maiore quàm ullo antea studio, omnia ad bellum necessaria detulit. Parato itaque exercitu, Rutilius in hostem contendit: exercituque ratibus Tyberim traiecto, populatoribus multifariam oppressis, ex improuiso castra hostium ui cæpit. Octo milia hostium capta Romam duxit, ac sine patrum autoritate populi iussu triumphauit. Cum nec plebeius Dictator, nec Popilius Consul, comitia consularia indicerent, res ad interregnum rediit: & facta contentione, tandem duo patricii COSS. sunt electi, quanquam tribunis reclamantibus. Memorat & hos quoque COSS. Diodorus Siculus, libro decimosexto, cum Athenis regnaret Eudemon. ubi plura de Artabazo, & quomodo Philippus factus sit luscus, & de Mausolo plura.

o 4 G.Sul.

Potitus, *Publicola.*

CVII G. SVLPITIVS III. ET M. VALERIVS. *Ab urbe con.* 401

Hos COSS. Liuius scribit in septimo, magistratum iniisse quadringentesimo anno quàm urbs Romana condita erat, quinto & trigesimo quàm à Gallis recepta, ablato post nonum annum à plebe consulatu. Examina diligenter lector, ut numerum inuenias certum. Fuit enim hic annus circiter quadringentesimus ab urbe condita: quantum possumus in tanta rerum caligine deprehendere. Nam ut Diodorus tradit, hoc anno fuit Olympias centesima septima. Cum igitur septima Olympiade condita sit urbs, centum Olympiades faciunt annos quadringentos. Sed quo ad Romam à Gallis captam, numerantur tantum trigintaquatuor anni, nisi Romana respublica sine magistratibus sexennio, non quinquennio stetit, iterum unus annus uenit in dubiũ. Sed & de altero Consule Sulpitio dubium, quem scribit tertium Consulem Liuius. Si à tribunis fit supputatio, ter quidem Sulpitius fuit Consul. Sed primo datur prænomen Titus, alteri Lucius, huic Gaius: nisi erratum sit in prænomine, quod simplici litera scribitur, T. L. G. Vnde fit facilis lapsus literarum, ex una in alteram: siue diuersi sint, quod inquisitione indiget. Sed ad historiam. Nihil eo anno foris relatione dignum fieri contigit, nisi quòd ex Tyburtibus Empulum est captum. Maius omnino certamen COSS. in urbe fuit, cum plebe annitentibus, ut integer consulatus iam inde in nobilitate esset. Extulerant credo patricijs animum, quòd contra præscriptum legis ambo sui sanguinis COSS. eo anno creati essent. Contrà plebs fremere: Regesq́ ac Decemuiros, & si quod tristius imperij nomen animo occurreret, citius latura uidebatur, quàm magistratum duorum ciuium uirtute quæsitum, uniuerso ordini per ignauiam extorqueri. Sæuiebant tribuni assiduis concionibus. Descensum alienis utrinq́ animis in campum: atq́ per irritas altercationes, cum plures dies comitiales exissent, postremò tribuni COSS. pertinacia uicti, clamitantes actum de libertate esse, urbem captam & oppressam patriciorum regno, cum magna parte plebis se ex campo proripuerunt. Sequuntur nihilo secius COSS. inceptum: atq́ ea ciuium infrequentia, quæ aderat, comitia perficiunt. Creanturq́ iterum ambo Patricij COSS. Diodorus Siculus libro decimosexto: Regnante Athenis Aristodemo, Romani habuerunt Consules G. Sulpitium & M. Valerium, Olympiade septima & centesima, cum in stadio uicit Smicrinas Tarentinus.

Ambustus, *Capitolinus.*

2 M. FABIVS III. ET T. QVINTIVS. 402

Alij huius loco M. Popilij Consulem ponunt, inquit Liuius.

His COSS. Tyburtes uicti deditionẽ fecere, Sassula ex ijs urbe prius capta, triumphatumq́ de ea ciuitate est: fuitq́ uictoria illa mitis. magis autem in Tarquinienses sæuitum, qui acie uicti, quotquot uiui capti sunt, præter trecentos quadragintaocto nobiles, qui Romam sunt missi, cæteri ad unum trucidati. Nec mitior propterea factus est populus in eos, quibus armatus miles pepercerat. in foro uirgis cæsi, ad unũ securi omnes sunt percussi. Idq́ pro Romanis in Tarquiniensium foro immolatis, est pœnæ hostibus repensum: fœdus eo anno cum Samnitibus, qui ad hoc ipsum legatos Romam miserant, est ictum. non eadem domi, quæ militiæ, fortuna erat plebi Romanæ. Nam etsi unciario fœnore facto leuata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, nexumq́ inibant. Iterum igitur Patricij creati COSS. Horum COSS. sic mentionem facit Solinus in Polyhistore: Notatur eadem die conflagrauisse templum Ephesi, qua Alexander Magnus Pellæ natus est: qui oritur, ut Nepos tradit, Marco Fabio Ambusto T. Quintio Capitolino COSS. anno post Romam conditam trecentesimo octogesimoquinto. Qui numerus annorum non conuenit, cum sit annus quadringentesimus, ob id corruptus. Sed neq́ Orosij numerus ferri potest, qui libro tertio, capite quinto, sic scribit: Anno ab urbe condita quadringentesimo secundo, legati à Carthagine Romam missi sunt, fœdusq́ pepigerunt, &c. Quibus diebus & Alexander Magnus, uerè ille gurges miseriarum, atque atrocissimus turbo totius Orientis, est natus. Plutarchus Alexandrum Magnum

natum

Ab urbe con. natum tradit circa idus Augusti. Ipso eius natali die templum Dianæ Ephesiæ est *Olympiad.* concrematum, quo tempore Philippus Potideam urbem cæpit. quam captam tradit Diodorus anno tertio centesimæquintæ Olympiadis: licet alij anno primo Olympiadis sextæ & centesimæ, Eusebius anno secundo sextæ & centesimæ Olympiadis scribat. Tanta est autorum diuersitas. Iudicet, qui sit nare emuncta. Diodorus Siculus libro decimosexto horum COSS. mentionem facit: Regnante Thessalo apud Athenienses, Romani COSS. erant M. Fabius & T. Quintius. Vbi de Artaxerxe, de Tripode & Nectanabo plura. Gellius libro decimoseptimo, cap. uicesimoprimo: Philippus Amyntę filius, Alexandri pater, regnum Macedoniæ adeptus est: inq; eo tempore Alexander natus est.

Potitus. *Publicola.*

403 G. SVLPITIVS IIII. ET M. VALERIVS II. 3

His COSS. ut in septimo Liuius scribit, bellum & à Ceritibus instabat, qui Tarquiniensium cōsanguineorum cæde permoti, bellum studio instruebant. Et Latinorum legati nunciabant Volscos in armis esse, suisq; finibus imminere. Profecti COSS. in prouinciam, Valerius in Volscos contendit: qui ubi ex Sulpitij literis cognitum est, magis quàm opinio esset, bellum ab Ethruscis imminere, Ceritesq; cum Tarquiniensibus sentire, Romam Consul reuocatus, iussu patrum T. Manlium, L. filium, Dictatorem dixit, qui Cōsulari contentus exercitu, bellum Ceritibus indixit. Hi ubi se hostiliter peti uiderunt, subita pœnitentia adducti, Romam legatos mittunt, eius culpæ pœnam deprecaturos. Legati à patribus ad populum reiecti, multum pro concione obtestati sunt, ut pro ueteri sua pietate in Vestam & cæteros Romanos deos, quos Senonico bello ab omni externa iniuria pientissimo hospitio seruassent, ne præsentem noxam ultione persequerentur. Tarquinienses scelestissimos homines, quum infestum agmen per Ceriten agrum ducerent, traxisse ui potius quàm uoluntate suam iuuentutem. Iam omnes pœnitere facti, poscereq; suppliciter ut ueniā darent eam Vestali religioni, & dijs quos Cerites non solum seruassent, sed religiose etiā coluissent. Valuit plus uetus meritum apud Romanos, quàm præsens causa: ac ueteris beneficij potius, quàm præsentis iniuriæ memoria, data pax est Ceritibus, & induciæ in centum annos. In Phaliscos deinde itum, qui in eadem causa erant. Hostes ibi nusquam reperti: sed ager fœda uastatione ac populatione uastatus. Nec in Ethruria est aliud eo anno gestum. Legionibus ergo Romam reductis, turres & muri instaurati: Apolliniq; ædes dedicata est. Longum deinde certamen plebis & patrum fuit, quod Consularia comitia ad undecimum interregnum protraxit: Tribunis Licinia lege innixis: contrà patribus totum potius consulatum tollere paratis, quàm promiscuum habituris: postremò Tribuni obtinuerūt, ut alter è plebe Consul crearetur. Memorātur & hi COSS. à Diodoro libro decimosexto, cum archon Athenis fuerit Apollodorus. Scribit Plinius lib. secūdo, capite uigesimoseptimo, de cœli coloribus, quod huic loco conuenit: Fit, inquit, & sanguinea specie, quo nihil terribilius mortalium timori, incendium ad terras cadens inde: sicut Olympiadis centesimæseptimæ anno tertio, cum rex Philippus Græciam quateret.

Publicola, patricius. *Plebeius.*

404 P. VALERIVS, ET G. MARTIVS RVTILIVS II. 4

His COSS. ad fœnebrem causam leuandam quinq; uiri mensarij creati sunt, qui à pecuniæ dispensatione appellati, suo arbitrio æs alienum ex publico dissoluerent. Quæ res inueteratam urbanæ discordiæ materiam prorsus è ciuitate sustulit. Exierant iam Consules in prouinciam, cum ex Ethruria trepidè nunciatur, duodecim eius gentis populos in Romanum nomen coniurasse. Patres S. C. ad COSS. in castra miserunt, ut statim Dictatorem dicerent. C. Iulius est dictus, & foris omnia quieta fuere. Dictator Romam reuersus, comitia consularia habuit. Creatiq; sunt Patricij duo. Fuerunt hi COSS. teste Diodoro libro decimosexto, quū Athenis archon fuit,

Olympiad. fuit, & princeps Callimachus. Sed alter COS. illic M. Fabius corruptè scribitur. Ab urb. con.

Potitus, *Pœnus, aliàs Ceso.*

CVIII G. SVLPITIVS, ET T. QVINTIVS. 405

His COSS. duo bella habita sunt: Quintius ad Phaliscum profectus, Sulpitius ad Tarquiniense. Agri latè utrobiq; uastati, quum ipsi mœnibus inclusi tenerentur, fractisq; ea clade animis pacem petiere: quam legatis Romam missis, in quadraginta annos impetrarunt. Cum tunc censum agi placuisset, G. Martius Rutilius, qui primus Dictator de plebe fuerat, auxilio tribunorũ impetrauit, ut Censor cum Manlio Neuio crearetur. M. Fabius inde Dictator est creatus, ut tribunis Liciniæ legis assertoribus resisteret. Sed plus lex ualuit quàm Dictatoria maiestas, quia unus ex plebe Consul creatus est. Diodorus libro decimosexto: Regnante Athenis Theophilo, apud Romanos COSS. fuerunt, G. Sulpitius & Q. Quintius (sic enim hic legitur) Olympiade octaua & centesima, quando in stadio uicit Polycles Cyreneus. Describitur dehinc ibi expugnatio Olynthi, & quædam alia.

Lenas, plebeius. *Scipio, patricius.*

2 M. POPILIVS III. ET L. CORNELIVS. 406

His COSS. cũ Galli in Latino agro essent, Popilio Gallici belli prouincia extra sortem data, quia collega infirmus erat. Cum quatuor igitur legionibus in hostẽ iturus, patribus autor fuit, ut ad nouos casus alterum in urbe exercitum subitò conscriberent. Vbi uerò hostis in conspectu fuit, qua arte illos aggressus, castris exuerit, & illorum impetum fregerit, donec ordinibus confusis cum strage & cæde multa eos fudit ac cecidit: abundè Liuius in septimo docet. Cum uerò in Albanam arcem Galli profugissent, Consul, qui per humerum erat sauciatus, & uulnere grauabatur, à longiore insectatione abstinuit: castra uerò hostium uictor diripiẽda dedit militibus. Inde Romam est exercitus reductus, triumphusq; dilatus, quoad Popilius à uulnere conualuisset. L. Furius Camillus Dictator patribus possessionem pristinam Consulatus reddidit: ob cuius meritum ipse creatus est Consul. Hos COSS. etiam ponit Diodorus lib. decimosexto, regnante Athenis Themistocle. Sed alterum COS. appellat G. Corneliũ, nõ L. si est fides libro scripto habenda. Sed obseruandum, quòd Diodorus sequentes COSS. Camillum & Claudium non ponit, sed post hos subiungit: Regnante Athenis Archia, Romani COSS. fuerũt M. Aemilius & T. Quintius. Post regnante Athenis Eubolo, apud Romanos COSS. fuerunt M. Fabius & Sergius Sulpitius. Tandem consulatum M. Valerij & M. Pompilij ponit. adeò ut series COSS. illic sit omnino diuersa: qui fortè alios est sequutus annales. sed fides penes autorem sit. Vtiq; ad complendam illam Olympiaden, deest unus Consulatus. Paulo autem inferius in sequenti Olympiade sunt quinq; Consulatus: & M. Fabius cum suo collega Seruio Sulpitio nominatur, ita ut unus huc debeat referri. alioqui numerus annorum non procederet.

3 L. FVRIVS CAMILLVS, ET APPIVS CLAVDIVS CRASSVS. 407

Hi COSS. priusquam magistratum inirent, Popilius de Gallis triumphauit: Galli uerò ex Albania arce excurrentes, & Græca classis in Antiatis Laurentiniq; tractus oram ex alto inuecta, præsentem annum fecere insignem. Maritimi prædones cum Gallis congressi, incerta uictoria sese ad naues receperunt. Concilium frequens Latinorum ad lucum Ferentinæ habitum. ubi Romanis auxilia de more postulantibus responsum est: Desinerent tandem ijs imperare, quorum auxilijs indigerent: Latinos pro sua libertate potius, quàm pro alieno imperio bella obituros. Subita Latinorum defectio eo Romanis terribilior fuit, quòd duo externa bella satis sua magnitudine ciuitatem per id tempus sollicitam haberent. Tum uerò, quia aut proprijs uiribus standum erat, aut bello succumbendum, accurratissimus in urbe & totis agris est delectus habitus. Suntq; decem legiones conscriptæ quaternûm & ducenûm

Ab urbe con. ducentum peditum, equitum trecentorum. Appius Claudius medio belli apparatu uita decessit: incumbebatque totum onus reipublicæ Camillo, alteri Consuli. qui duabus legionibus ad urbis præsidium relictis, cæteras copias cum L. Pinario prætore partitus, cum maritimam oram aduersus Græcos tutari iubet, prædonesque procul littoribus arcere: ipse ad hostem eo cõsilio proficiscitur, ut inhibita excursione assidendo domaret. Galli cum in conspectu essent, mox unus qui magnitudine corporis & armis cæteros præcellebat, unum ex Romanis prouocat alta uoce. Cui M. Valerius Tribunus, explorata Consulis uoluntate occurrit. Aiunt aduentasse coruum, ac insedisse galeã, qui alis ac rostro cum Valerio uerberaret: ac tandem à Valerio Gallus prostratus occiditur, cum utrinque ex stationibus fieret concursus. sed adhortatione Consulis post certamen acre ac diu anceps, Galli fugam arripiunt: perque Volscos ac Falernum agrum dissipati, in Apuliam & oram superi maris abierunt. Consul tribunum pro concione laudatum, decem bobus & corona aurea donauit: mansitque illi ab eius uictoriæ euentu Coruini cognomen, usque in longam posteritatẽ. Iunxit deinde Consul castra cum prætore aduersus Græcos, qui de industria bellum trahebant potius, quàm abstinebant. Dixitque absens iussu patrum T. Manlium Torquatũ ad consularia comitia habenda Dictatorem: à quo hic Valerius treis & uiginti annos natus, summo fauore populi Consul creatur. Polybius in secundo pulchrè hanc historiã cõplectitur his uerbis: Cæterùm cum post duodecimũ annum iterum Galli eódem reuerterentur, euestigiò Romani aduentu eorum cognito, obuiam alacres cum exercitu processere, nihil magis quàm dari sibi ab hostibus pugnandi copiam cupientes, qua de omni imperio uno tempore decerneretur. Galli audacia Romanorum perterriti, simul orta inter se seditione, per noctem terga uertentes, turpi fuga redierũt in patriam, atque annos tredecim quieti permansere. Postea cum uires pop. Rom. indies quàm maximè augeri cernerent, de pace agere cœperunt: qua impetrata, ad trigesimum annum quieuere. Perpaucis hanc historiam Florus libro primo, titulo decimotertio designat: Iterum Pontino agro, cum in simili pugna L. Valerius, insidente galeæ satyrica alite adiutus retulit spolia. Tu ibi lege M. non L. Valerius, quod omnes attestantur. Per satyricam autem alitem, intellige coruum: quoniam scilicet est libidinosa & salax auis, & quòd ore morigeratur: id obtinente fabula, qua eas planè ore párere & coire, uulgus arbitratur. Vnde & coruinum ouum dicitur. Aristoteles uerò & Plinius in decimo pernegant. Dicitur enim saty Græcis uirile membrum, unde satyrion inflectitur, urigo uenerea, quæ à medicis recentioribus priapismus dicitur. De quo Auicenna in tertio, 20. Fen. Inflectitur inde quoque Satyrus, qui ad libidinem pronus & procliuis est. Et per Satyrica signa, apud Pliniũ in decimonono, ad hortos custodiendos suffixa, Priapus intelligendus est. nisi Saturnica malis legere. Hic ergo satyrica auis, coruus libidinosa intelligẽda est. Quia uerò aliqui satyriã genus corui esse dicunt, ipsi uiderint. neque enim Aristoteles, neque Plinius, quod hactenus animaduerti, hoc astruũt. Cæterùm de hoc Valerio Coruino, & Eutropius lib. secundo, capite primo: Val. Max. libro tertio, capite de Fortitudine: Plinius iunior titulo uigesimo nono, de Viris illustribus: Orosius libro tertio, capite quinto. Sed iterum relegendus est Valerius Maximus libro octauo, titulo decimosexto, quæ cuique magnifica contigerunt.

Coruinus, patricius. *Lenas, plebeius.*

408 M. VALERIVS, ET M. POPILIVS IIII. 4

Tum Camillus nihil adhuc cum Grecis memorabile gesserat: quia quum aliquandiu in Latini littoris ora sine prælio uersati essent, aqua deficiẽte, in altũ abierunt. Porrò qui Grecorum fuerint, qui tum Latium classe sunt infestare adorti, Liuius ignorat: licet Siculos fuisse, atque ab eius terræ tyrannis classem instructam, suspicetur. Sed Timoleonis ductu & auspicijs per hæc tempora Sicilia tyrannide liberata est, ut Plutarchus uidetur significare. Pestilentia nonnihil est Romæ laboratum, & cum Carthaginensium legatis fœdus ictum, cum societatem petijssent: cuius fœderis icti meminit

Olympiad. meminit Orosius libro tertio, capite quinto. Cæterum otium domi forisque fuit. Horũ COSS. facit mentionem Diodorus lib. decimosexto: Regnante Athenis Lycisco, Romani COSS. constituti erant M. Valerius & M. Poplius (sic ibi legitur) Olympiade centesima & nona, quando in stadio uicit Aristolochus Atheniensis. Sed cum unus annus desit huic Olympiadi, uidetur erratũ, & sequentibus COSS. Olympias 109. adscribenda: quod & ex Censorino colligendũ est, qui quadringẽtesimo & decimo anno ludos seculares factos tradit. Sed & superius, & paulo inferius, ubi M. Fabius & Ser. Sulpitius COSS. fuerunt, res illa memorabitur: quia consulatus sunt transpositi. Ab urb. con.

Torquatus, *Venox.*

CIX. T. MANLIVS II. ET G. PLAVCIVS. 409

His COSS. de fœnore res acta: & in pensiones æquas trienij diducta sors, ut plebs leuaretur. Nec quicquam memorabile actum est hoc anno. Supersessum de tributo, & delectu. Horum quoque COSS. meminit Diodorus libro decimosexto, cum apud Athenienses archon fuit Pythodorus.

Coruinus. *Libo.*

2 M. VALERIVS II. ET G. POETILIVS II. 410

His COSS. cum Volscis bellum fuit. Nunciabatur enim, Antiates legatos Latium circumire, ad cõcitandum in Romanos bellum. Coruinus ad Satricum proficiscitur: quò Antiates & alij Volsci, præparatis ad id tempus copijs, occurrunt. Nulla itaque dimicandi mora facta est. Volsci, ferocior ad bellandum gens, quàm ad bella gerenda, modico negocio uicti, Satricũ fuga repetunt. Cingit oppidum Romanus uictor: scalisque circa muros admotis, deditio facta est. Quatuor armatorũ milia cum imbelli multitudine dedita: eos ante currum uinctos triumphans Consul egit. Horũ COSS. meminit Censorinus de Die natali, de distinctionibus ætatum hominis scribens, sub ijs tertios ludos seculares factos, in hæc uerba, si non errorem habent: Vt uerò in cõmentarijs Quindecimuirorũ scriptũ, anno quadringẽtesimo & decimo, M. Valerio Coruino & C. Petilio COSS. tertij ludi fuerunt. Sed certè, ni prorsus fallor, secundũ commentarios Quindecimuirorum (sic enim dicuntur, non Duodecimuiri) hi fuerũt secundi ludi seculares. nam de primis inter omnes conuenit, quòd fuerint sub P. Valerio Publicola. Secundi deinceps fuerunt uariati secundum autores. Debuit Angelus Politianus, cum de Secularibus ludis in sua Miscellanea scriberet, ex Zosimo nomina COSS. recensere ex fide, ut errata Censorini potuissent tolli, etiam si lapsus fuisset, & in proprijs & in numerorum notis. Miror Liuium nihil de ijs ludis scribere, nec hic, nec alibi. Diodorus quoque Siculus libro decimosexto, horum facit COSS. mentionem, licet suspicer mendosum librum. appellat enim COSS. M. Valerium & M. Popilium: qui paulo antè fuerũt annotati. Sed eo tempore regnauit apud Athenienses Sasigenes.

Camerinus.

3 M. FABIVS DORSVO, ET SER. SVLPITIVS. 411

His COSS. Aruncum bellum ab repentina est incursione cœptum: metusque ciuitatem inuasit, ne totius Latini nominis consensu Arunci arma induissent. Ob id L. Furius Camillus Dictator dictus est. Romanæ legiones in Aruncos confestim ductæ: ibique prædonũ animi magis quàm hostium reperti. Descensum tamen est in aciem: Dictatorque Iunoni Monetæ ædem uouit, si uictor acie discessisset. Tum damnatus uoti, ubi Romam uenit, autor patribus fuit ut Duumuiri crearentur ad eam ædem in Capitolio erigendam, ubi fuerant Manlij Capitolini ædes: annoque sequenti, quàm uota fuerat, dedicata est. COSS. Dictatoris exercitu ad bellum usi, Soram de Volscis ui cæperunt. Hos COSS. Diodorus superius posuit, ante Olympiadem nonam & centesimam, regnante apud Athenas Eubolo. & hic intermittit, quia mox post superiores dictos ponit Martium & Manlium: quod etiam pro supputatione Olympiadum obseruandum est.

G. Mar-

Ab urbe con. Olympiad.

Rutilius, *Torquatus.*

G. MARTIVS III. ET T. MANLIVS II. 4

412 His COSS. in Albano lapidibus pluit, & nox interdiu uisa est intendi. Feriæ proinde indictæ, Dictatorq; ad id creatus P. Valerius Publicola. Nec tantum à Romanis tribubus supplicatum, sed à finitimis etiam populis. Iudicia eo anno pop. in fœneratores facta: quibus est ab ædilibus dicta dies. Hos COSS. scribit Diodorus in decimosexto, Romæ fuisse, quando Nicomachus Athenis fuit archon. Macrobius in primo Saturnalium refert, ædem Iunonis Monetæ Calendis Iunijs dicatam, COSS. C. Martio Rutilio III. & T. Manlio Torquato II. Sed COSS. in impresſis codicibus desunt. His enim COSS. ædes Iunoni Monetæ fuit dedicata, teste Liuio in septimo, anno postea quàm uota erat.

Coruinus, *Cossus.*

L. VALERIVS III. ET A. CORNELIVS. CX

413 His COSS. bellum cum Samnitibus ortum est, gente tum opibus & armis ualida: quod bellum aliud grauius cum Pyrrho rege, mox & cum Pœnis grauiſsimum pepe rit. Ferunt Rom. tum in primis opibus floruisse, quum Sidicinis, qui Teanum habuerunt, magis quia plus poterant, quàm quòd iustam ullam haberent belli causam, arma inferrent. Sidicini Campanis sese iungunt, qui inter finitimos & ipsi maximè pollebant. Hi uerò ocij & luxus magis quàm rei bellicæ erant studiosi. Igitur in Sidicino agro haud magno negotio uicti, omnem belli molem in se uertunt. Samnites omiſsis Sidicinis, Capuam ferociter inuadunt, ac Tifata, colles Capuæ imminentes, primò occupant, & quadrato agmine urbem petunt. Campani in planicie uicti, tum magna strage in urbem deiecti, legatos Romam pro auxilio mittunt. Cum uerò hæc negata, quia Samnites confœderati Romanis erant: Capuani mox sese, omniaq; sua Romanis dediderũt. Quibus receptis in deditionẽ, legati in Samnitium castra sunt miſsi, qui deditionem à Campanis factam exponerent, peterentq; ut ijs parcerent, ac armis abstinerent. Sed Samnites reiectis Romanorum petitionibus, illis uidentibus in Campanum agrum cohortes prædatum ire iussi sunt. Quibus Romam nunciatis, bellum indictum est Samnitibus. COSS. cum duobus exercitibus ab urbe profecti, Cornelius in Samnium, Valerius in Campaniam diuersi abierunt. Valerius Samnites primò fudit, in Campaniam dehinc in fugam uertit. nam oculi militum Romanorum ardere ex furore uisi sunt, quibus territi Samnites fugierunt. Cornelius cum in Samnium incautè exercitum in uallem duxisset, P. Decij tribuni auxilio periculum euasit Romanus exercitus. Sed eius quoq; consilio castra Samnitium perrumpuntur. Cædes ingens intra extraq; edita est. nam ad triginta milia hostium in eo exercitu fuere, quorum pars longè maxima desiderata est. Laudatus à Consule Decius, ac aurea corona cum centum bobus donatus, ut longiſsimè Liuius in septimo explicat. Valerius trepidis ab Suessula nuncijs accitus, quòd eò Samnites omnem militarem iuuentutem exciuissent: postquam ad hostem uenit, facto in hostium castra impetu, tanta uis hominum cæsa est, ut ad quadraginta milia scutorum, & centum septuaginta signa militaria sint ad Consulem relata. Tam ingens uictoria & Phaliscos, cum quibus induciæ erant, ad fœdus petendum compulit: & Latinos, qui exercitum in Romanos comparatum habebant, in Pelignos auertit. Carthaginenses quoq;, legatos cũ corona aurea XXV. pondo Romã miserunt pro uictoriæ cõgratulatione. Consules ambo de Samnitibus triumpharunt. Campani & Suesſini præsidia à patribus petierunt, quæ & assequuti sunt. Plinius libro decimosexto, capite quinto, huius Consulis ijs meminit uerbis: P. Decium patrem tribunum militum frondea donauit exercitus ab eo seruatus, imperatore Cornelio Cosso Consule, Samnitium bello. Meminit & horum COSS. Cicero in primo de Diuinatione, ubi somnium P. Decij narrat, quod ei postea tertio anno in suo consulatu euenit. Horum item COSS. Diodorus meminit in decimosexto, sic scribens: Regnãte Athenis Theophrasto,

Olympiad. phrasto, Romani COSS. erant, M. Valerius, A. Cornelius, Olympiade centesima decima, quando uicit in stadio Anticles Atheniensis. Si extaret integrum Appiani Alexandrini opus, ex libro illo qui Samniticus ab eo inscribabetur, possent omnia bella cum Samnitibus à Romanis gesta legi. Sed fatum quod alios libros eripuit, illos quoque legere nos, & manibus uersare noluit. Sed Liuium in septimo diligenter lege, & inuenies ibi ornatißimas & elegantißimas orationes. *Ab urbe con.*

Rutilius, Hala.

2 G. MARTIVS IIII. ET Q. SERVILIVS III. 414

In septimo Liuij perperam scribitur Claudius Martius, cum Gaius legendum sit: quod leui errore & literarum lapsu fit, quoniam hic quartùm Consul, & prius censor & dictator fuit: quod de Claudio non legitur. Ex ijs COSS. Seruilius in urbe relictus, Rutilius in Campaniam profectus est. Ibi comperit per tribunos militum, coniurationē inter milites factam, Capuæ ui occupandæ, ut Campani suo ipsi exemplo opprimerentur, quo ueteres inde colonos expulissent. Consul itaque uidens rem haud procul à seditione abesse, ex suis præsidijs milites in castra traduxit. Inde seditiosam multitudinem exonerare adortus, alios alia de causa domum ablegere cœpit, & in primis coniurationis capita. Nec res est ab initio animaduersa: uerùm ubi, qui missi fuerant, domi retinebantur, perculsi conscij ne causam Romæ dicere cogerentur, secesione facta quodam colle consederant, sub Albæ Longæ iugo. Deinde ut sibi ducem facerēt, nocte T. Quintium in Tusculano agro rusticantem ui cæperunt, ac rapto deinceps agmine Romam contendunt. Quibus M. Valerius Coruinus Dictator obuiam cum exercitu progressus, ad octauum lapidem, tam populari oratione deliniuit, ac tempestiua adhortatione illam secesionem cōpresit, ut legibus multis latis noxa illa tolleretur: Scilicet ne fœnerare liceret, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet: neu uno anno duo magistratus gereret: utque liceret COSS. ambos plebeios creari. quæ latißimè in fine septimi libri apud Liuium leges. Meminit horum COSS. Diodorus in decimosexto: sed alterum consulem Marcum Rutilium uocat.

Venox, Mamercus.

3 G. PLAVTIVS II. ET L. AEMILIVS. 415

His COSS. Romani Priuernatibus bellum indixere, quia Norbam & Setiam colonias essent populati. Volsci quoque ad Satricum castra communierant. Plautius, cui ea prouincia obuenerat, prælio Priuernatibus uictis, eorum urbem ui cæpit, captæque præsidium imposuit. In Antiates deinde mouit, qui ad Satricum castra fecerant. dubio hic marte dimicatum, prælium subita tempestas diremit. Antiates nocte abierunt. Consul duplici prælio uictor, omnem hostium regionem ad mare usque populatus est. Aemylius Sabellicum agrum ingressus, lateque omnia prædatus, cum multa populatione circumagebat exercitum, nusquam hoste comparente. Vnde Samnites clade perculsi, pacem per legatos petunt, quæ eis iterum reddita est per Senatum. Ob id noua obsidione Sidicinos repetunt: qui cum se Romanis dederent in ultima necesitate, recepti non sunt. Ad Latinos igitur confugiunt: qui eos recipientes, auxilia transmittunt in Samnium: quibus iunguntur Campani quoque. ab his Samniticus ager depopulatus est, & Latini superiores in certamine semper fuere: quod Romanis Samnites conquerebantur. Ob id Campani metu alienati sunt, Latini uerò penitus defecerunt. Cum igitur consilia noua inijssent contra Samnites, rumor Romam allatus, fecit nouos creari consules: ut Liuius in octauo scribit. Diodorus in decimosexto, hos COSS. scribit Romæ regnasse, quando Athenis Charondas archon fuit.

T. Man-

Ab urbe con. 416

Torquatus.

T. MANLIVS III. ET P. DECIVS MVS.

His COSS. Alexander Epiri rex, Magni Alexandri auunculus, in Italiam classe appulit. Latini itaq; populi, qui iam defecerant à Romanis fœdere, per L. Annium Setinum à Romanis petunt, si in fœdere uellent Latinos permanere, ut alter consul iam inde Latini nominis crearetur: & par senatorum numerus ex eadem gente foret, ut ex æquo Latini cum Romanis uiuerent. Iussus è curia discedere Annius, cum se tumultuose proriperet, lubricitate scalarum lapsus, saxo ceruicem fregit. Bellum igitur magno ordinum consensu in Latinos decretum. COSS. duobus exercitibus conscriptis, in Samnium profecti sunt: in quo bello P. Decius se pro pop. Romano deuouit, & in acie strenuè pugnans occubuit. Alter Manlius Consul filium, quòd extra ordinem iniussus pugnasset, securi percussit. unde Manliana imperia dicta sunt. Cæterùm Latini fusi fugatiq; sunt. Id quod abundè Liuius, longo uerborum ambitu in octauo describit. Florus libro primo, titulo decimoquarto paucis delibat: sed alterum COSS. Decium Murenam appellat, cum Liuio & cæteris omnibus P. Decius Mus dicatur. Licinius autem Crassus Murena dictus est, ut Macrobius in tertio scribit, quòd hoc pisce effusissimè delectatus sit: adeò lautæ habebatur gulæ. De hoc pisce murena Columella, Plinius libro nono, Iuuenalis in quinta Satyra. Credo itaq; legendum in Floro: Manlio Torquato, Decio Mure COSS. Meminit horum Consulum & Valerius Maximus libro primo, capite de Somnijs. Sed Titi Manlij meminit libro tertio, de Fortitudine: & libro sexto, de Mutatione morum & fortunæ: & secundo item libro, capite de Disciplina militari. A. præterea Gellius nono libro, decimotertio capite, Torquati ex Quadrigarij annalibus facit mentionem. Iunior item Plinius titulo uigesimosexto, de P. Decio Mure scribit: in titulo uerò uigesimooctauo, T. Manlij Torquati meminit. Hanc historiam etiam mutuauit à ueteribus Eutropius libro secundo, capite primo: breuiter Orosius libro tertio, capite octauo, ubi etiam alterius consulis nomen corruptum est. Sed cum dicit bellum id factum anno ab urbe condita quadringentesimonono, acriore indiget examine: cum non nonus, sed decimusquintus sit annus post quadringentesimum, ut patet manifestò. De Decio Valerius in quinto, capite de Pietate erga patriam. Meminit & senior Plinius Decij, uigesimosecundo libro, cum de coronis agit, capite quinto. Sed COSS. amborum in decimosexto meminit Diodorus Siculus. Cæterùm hunc deuouendi morem primus creditur introduxisse Linus Codri filius, qui pro patria bello Dorico se deuouit. hic Miletum coloniam Atheniensium deduxit in Ionia. Sed quomodo mos deuouendi apud Romanos fieri debeat, latè Liuius in octauo: qui requirendus est.

417 CXI

T. AEMILIVS MAMERCVS, ET P. PHILO.

Cum superiori anno Manlius iterum inter Sinuessam & Minturnas, Latinos recenti prælio fudisset, resq; hostium accisæ eò uenissent, ut Latini nominis ciuitates ultrò sese dederent, ob eam deditionem Latinus ager & Phalernus, qui Campani populi fuerat, usque ad Vulturnum flumen Romanæ plebi est diuisus. Hi igitur Consules Latinos dolore amissi agri ad rebellandum impulsos, prius acie uictos castris exuerunt. Sed dum Philo, cuius ductu & auspicijs fuerat pugnatum, cæteros Latinos recepit in fidem: Aemilius Pedum oppidum oppugnat. Tuebantur Pedanos Prænestini, Tyburtes, & Veliterni: aderant illis ex Lauinio quoque & Antio auxilia. His prælio uictis, dum ad Pedum & alias socias hostium urbes circumagit exercitum, audito collegæ triumpho, ipse quoq; Romam cupiditate laudis, infecta prouincia decessit. Negantibus triumphum patribus, nisi Pedum ui captum aut deditum esset: adeò Aemilius est à patribus alienatus, ut in reliquum tempus anni nõ minus fuerit nobilitati infensus, quàm Philo, qui plebeius erat. Nec contentus illa inse-

Olympiad. ctatione, quum ob Latij motum Dictator dicendus esset Aemilius, cuius tum fasces erant, Philonem collegam dixit, pactus fore, ut populares leges Dictator ferret. Legum autem quæ latæ sunt uno capite sancitum, ut plebiscita omnes ciuitatis ordines tenerent: altero, ut legum quæ centuriatis comitijs ferrentur, prius patres autores fierent, quàm populus in suffragia mitteretur: postremò, ut censor alter ex plebe crearetur. Persuasum fuit patribus, maiorem domi cladem eo anno, ob inuisas leges acceptam, quàm foris esset bellica opera quæsitũ. Diodorus in decimosexto: Regnante Athenis Pythodoro, Romani COSS. erant, Q. Poplius & Tiberius Aemilius Mamercus (ita enim ibi legitur) Olympiade undecima & centesima, quando in stadio uicit Cleomantis Clitorius. & quæ tum in Græcia hoc tẽpore gesta sunt, abundè describit, finiens decimumsextum librum. Aburb. con.

2 L. FVRIVS CAMILLVS, ET G. MENIVS NEPOS. 418

His COSS. Latini, qui ira adempti sibi agri, omnia prius ferre poterant, quàm ociũ & quietem: in omnem nouandarum rerũ erant occasionem erecti. Oppugnabantq; iam COSS. Pedum: quòd in Aemilij contemptũ patres non solum captũ, sed etiam euersum uolebant. Tyburtes & Prænestini suppetias Pedanis tulere. Diuersa parte Aricini, Lanuuini, Veliterni, & Antiates, ad Asturam fluuium castra fecerant: quos Neuius ex improuiso adortus fudit. Camillus interea facta ex Pedo eruptione, atq; exercitus parte in fugam inclinata, laboriosè aliquandiu hostem sustinuit. Inde instaurato prælio, non solummodo aduersam aciem perculit, sed oppidum etiam admotis scalis ui cæpit. Nec secundum eam uictoriam prius quieuere COSS. quàm uniuersum Latium partim ui, partim uoluntaria deditione subegerint. Præsidijs inde oppidatim relictis, Romam reuersi, omnium consensu de Latinis triumpharunt: statuæq; equestres illis in foro positæ. Cum igitur Camillus de statu Latij referret, decreuerunt patres, ut pro meritis cuiusq; ciuitatis, illis suum beneficium impertiretur. Lauinijs itaq; ciuitas data, suaq; illis sacra reddita. Aricini, Nomentani, Pedani eodem iure in ciuitatem asciti. Tusculanis seruata ciuitas, quam antea adepti fuerant. Veliterni, quoniam sæpius rebellassent, grauius mulctati, eorum muri disiecti, senatus Romam abductus, iussusq; trans Tyberim habitare. Antiatibus ciuitas data est: naues ademptæ, mariq; interdictum. Tyburtibus & Prænestinis ager ex parte ademptus: nec tantum ob recens crimen, sed quia pop. Romani odio cum Gallis arma iunxissent. Cæteris Latinis connubia, commercia, & concilia inter se adempta. Campanis equitibus, Fundanis & Formianis ciuitas sine suffragio data. Cumanos & Suessulanos eiusdem iuris esse placuit, cuius Capua. Antiatum naues quædam sunt in nauale subductæ, alię incensæ, quarũ rostris suggestum est in foro extructũ. Id templum Rostra ob eam rem dixerunt. Hinc scribit Casiodorus:

His Coss. rostra nauium de Antiatibus in foro fixa sunt.

Quod Liuius in octauo, & Florus lib. primo, titulo undecimo, ijs uerbis annotat: Extant & parta de Antio spolia, quæ mœnibus in suggestu fori, capta hostiũ classe suffixit: si tamen illa classis, nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initijs nauale bellum fuit. Plinius tricesimoquarto libro, capite quinto scribit, ea rostra in suggestu deuictis Antiatibus fixa, anno urbis quadringentesimo decimosexto: credo decimoseptimo legendum. Huius consulis G. Menij columnam illic describit & Diodorus libro decimoseptimo, ac L. Furium & G. Menium COSS. scribit fuisse, quando Atheniensibus imperauit Euenetus.

3 G. SVLPITIVS LONGVS, ET P. AELIVS POETVS. 419

His COSS. bellum inter Sidicinos & Aruncos est ortum. Arunci quia à T. Manlio

Ab urbe con. lio fuerant in deditionem accepti, auxilium ab Roma petiuere. Iussi COSS. Aruncis opem ferre, qui priusquam eò uenissent, nunciatum est, Aruncos relicta patria populariter profectos Suessam muniuisse: quæ res fuit in causa, ut iam inde Suessa sit Arunca dicta. Veterem Aruncam, quam illi reliquere, Sidicini funditus deleuerant. Senatus COSS. iratus, quòd serò opem tulissent, Dictatorem dici Claudium Regiliensem iussit. Sed quòd uitio creatus esset, se magistratu abdicauit. Eo anno Minutia Vestalis uiua sub terram, ad portam Collinam dextra uia, est defossa: Scelerato campo nomen loco factũ, cuius & Orosius libro tertio meminit, octauo capite. Is etiam annus, quòd P. Philonem primùm è plebe prætorem habuerit, insignis apud Romanos fuit. Horum COSS. mentionem facit Diodorus libro decimoseptimo, sed alterũ consulem L. Papyrium nominat. Vereor errorem codicis. Regnauit tunc Athenis Ctesicles. Illic describitur Alexandri transitus ex Europa in Asiam.

Crassus.

420 L. PAPYRIVS, ET CESO DVILLIVS. 4

His COSS. cum Ausonum gente bellum fuit. Cales oppidum Ausones tenebant. Iunxerant cum Sidicinis arma. Vterq; populus uno leui prælio est à Romanis fusus. Cæterùm quando Sidicini adeò infesto erant in Romanos animo, placuit id bellum non intermitti: ut Liuius in octauo scribit. Horũ Coss. mentio fit apud Diodorum lib. decimoseptimo, qui tradit, Cesonem Valerium & L. Papyrium Romæ Coss. fuisse, quando Nicocratus Athenis archon fuit.

Coruinus, *Regulus.*

421 M. VALERIVS IIII. ET M. ATTILIVS. CXII

His Coss. data est Coruino extra sortem Sidicinorum prouincia: qui uictore exercitu à ueteribus Coss. accepto, Cales duxit. Ibi hostes prælio congredi ausos, egregiè uicit: inde Cales oppugnat. Tantus erat militum ardor, ut scalis muro admotis, per æqua & iniqua conarentur in arduum euadere. Sed consuli res difficilior uisa, quàm ut temerè milites in apertum uitæ discrimen adirent: tantisper abstinendum censuit, donec uineæ & turres muro admouerentur. Interea M. Fabius Romani sanguinis, qui ab Ausonibus captus in urbe custodiebatur, ruptis uinculis, ex muro hostium se reste dimisit. Is ad Consulis præsentiam constitutus, autor illi fuit, ut Calenos uino & epulis festo die sepultos, repentè adoriretur. Quo facto, haud maiore est certamine oppidum captum, quàm Caleni acie fuissent nuper uicti. Consul hinc Romam rediens triumphauit. Inde ambo Coss. in Sidicinos duxere: qui priusquam Roma proficiscerentur, Dictatorem dixere ad comitia cõsularia habenda, in quibus hi creati sunt Coss. Sed de his ita scribit Diodorus Siculus in decimoseptimo: Regnante Athenis Nicerato, Romani Coss. erant M. Attilius & M. Valerius, Olympiade duodecima & centesima, quando in stadio uicit Gryllus Chalcidensis.

Caluinus, *Albinus.*

422 T. VETVRIVS, ET SP. POTSHVMIVS. 2

His Coss. cum Coruinus & Attilius bellum aduersus Sidicinos gererent, Romæ Triumuiri creati sunt, ad coloniã Cales deducendam. Nec ita multo pòst noui Coss. Sidicino bello adhuc residuo à ueteribus, exercitum acceperunt: qui Sidicinos fines ingressi, quum latè omnia popularentur, rumor percrebuit, Samnites à Sidicinis ad arma conciri. Vnde P. Cornelius Ruffinus Dictator est dictus: qui cum uicio esset creatus, magistratu se abdicauit. Deinde per interregem sunt Coss. creati. Cæterùm in decimoseptimo hos Coss. Diodorus nominat, quum Athenis archon fuit Aristophanes, & quando Alexander transiuit in Aegyptum: ubi eius illic gesta pulchrè describuntur. meminit & horum Coss. Velleius Paterculus in sua fragmentata historia ijs uerbis: Sp. Posthumio, Veturio Caluino Coss. Campanis data est ciuitas, partiq; Samnitium sine suffragio. Et eodem anno Cales deducta colonia.

Olympiad.

3 L. CORNELIVS II. ET GN. DOMITIVS. Ab urbe con. 423

His Cosſ. Gallici belli fama ciuitate perculſa, Dictatorem dixere M. Papyrium Craſſum. & iam Dictator cœperat ſumma cura delectum habere, quum exploratores ad id miſsi, omnia ex Gallia pacata retulerunt. Samnium interea ſuſpectum Romanis erat: eaq́ ſuſpicio in cauſa fuit, ut Romanus exercitus nō ſit hoc anno ex Samnio abductus. Samnites Alexandri Epirenſis bellum in Lucaniam traxit. Ibi duo populi aduerſus regem, excurſionem à Peſto facientem, acie conflixerunt: fuitq́ ea pugna Alexander ſuperior, uictorq́ pacem cum Romanis fecit, ut Liuius in octauo ſcribit, & Caſsiodorus ab eo fortè mutuauit his uerbis:

His Coſs. pax cum Alexandro rege Epiri facta eſt.

Tamen cum hactenus nuſquam lectum ſit, regem hoſtile quippiam in Romanos egiſſe, fœdus potius fuiſſe credendum eſt. De hoc Alexandro Oroſius libro tertio, capite decimo ſic ſcribit: Anno ab urbe condita quadrageſimo uigeſimoſecundo, Alexander rex Epirotarum, Alexandri magni auunculus, traiectis in Italiam copijs, cum bellum aduerſus Romanos pararet, & circa finitimas Romæ urbes firmaret uires exercitus ſui, auxiliaq́ uel ſibi acquirere, uel hoſtibus ſubtrahere ſtudens, bellis exerceretur, à Samnitis, qui Lucaniæ genti ſuffragabantur, maximo bello in Lucania uictus atq́ occiſus eſt. Hoc anno tribus Metia & Scaptia ueteribus additæ, & Acerranis ciuitas ſine ſuffragio data eſt. Sed Diodorus in decimoſeptimo ſic de his conſulibus ſcribit: Regnante Athenis Ariſtophonte, Romæ Coſs. fuerūt C. Domitius & A. Cornelius. ſic ibi legitur, non Gn. aut L. ſi modò menda liber caret.

Marcellus, *Potitus, aliàs Flaccus.*

4 M. CLAVDIVS, ET T. VALERIVS. 424

Infamis hic annus fuit, quum multi ex primoribus patrum ſimili morbo & euentu mortui eſſent. Ancilla quædam ad Q. Fabium Maximum ædilem curulem uenit, cauſamq́ eius cladis proditurам ſe profeſſa eſt, ſi fides ſibi daretur, id indicium apud dominos haud futurum ſibi noxæ. Fabius re ad Coſs. delata, à Coſs. ad ſenatum: ac fide, conſenſſu ordinis, indici data, patefactum eſt, muliebri fraude eam cladem accidere: multas eſſe quæ in uirorum perniciem coquerent uenena, ac ſi ſecum eant, fore ut in eo opere deprehenderentur. Miſsi qui ancillam ſequerentur. Hi medicamenta coquentes quaſdam, apud alias re cōdita inueniūt. Quibus in forū delatis, uigintiq́ numero matronis, apud quas id pharmaci genus fuerat deprehēſum, publicè accerſitis: & in his Cornelia & Seruilia patriciæ gentis. quæ cū ſalubria eſſe contenderent, bibere iuſſæ, ſpacio ad colloquendum ſumpto inter ſe loquutæ, id haurire ſtatuunt. Medicamento in conſpectu populi epoto, ad unam interiere. inde ad centum ſeptuagintæ, eiuſdem ſceleris conuictæ, capitali ſunt ſupplicio affectæ. Atrocitas rei, quia ad eam diem in nullam fuerat ueneficij inquiſitum, prodigij eſt loco habita: uelut alienatis furore mentibus, id flagitiū perpetrari contigiſſet. Ob id Dictator creatus eſt figendi claui gratia G. Quintilius: quòd eo olim periculo mens plebis diſcordia alienata, compos ſui demum facta, ad concordiam reuocata eſſet. Meminit huius hiſtoriæ, præter Liuium in octauo, Valerius Maximus libro ſecundo de Inſtitutis: diuus Auguſtinus in tertio diuinæ ciuitatis, capite ſeptimo, ubi inquit: Erāt dij, quando alia peſtilentia grauis de uenenis matronarum exorta credita eſt: quarum ſupra fidem multarum atq́ nobilium mores deprehenſi ſunt, omni peſtilentia grauiores. Paulus item Oroſius libro tertio, capite nono, horum conſulum atq́ mulierum meminit: ſed in numero neq́ cum Liuio, neq́ cum Valerio concordat. Scribit enim, trecentas ac octuaginta eſſe damnatas: niſi mendoſus (quod facile credo) ſit codex, ob numerorum notas, quæ facile inuertuntur. Diodorus in decimoſeptimo hos coss. appellat G. Valerium, non T. & M. Clodium.

L. Papy-

Ab urbe con.

Crassus.

425 L. PAPYRIVS II. ET L. PLAVTIVS VENOX.

His COSS. legati à Volscis, Sidicinis, & Lucanis Romam uenerunt, fidem pop. Rom. implorantes, dedentesq; se & sua, ut ab Samnitium iniuria defenderentur. Secundum eam deditionẽ iussi sunt Samnites per legatos ab deditorum finibus abstinere. quod factum quoq; est, quia ad bellum instructi non erant. Priuernates interim, Fundanis in socios adscitis, Romana in se arma uertunt: qui Vitruuij Fundani ductu, Setinum agrum, Norbanum & Coranum, effusa populatione uastarunt. Hos Papyrius Consul uix explicata acie fusos, castris exuit: exutos Priuernum compulit. Plautius alter consul Priuernatem agrum latè populatus, in Fundanum transijt. Fundani supplices occurrunt, orantq; ne à sua ciuitate pœnas eorum exigat, quæ Vitruuius, homo facinorosus, priuato, non publico consilio, in socios populi Romani fecisset. Consequuti ueniam à consule Fundani, Priuernum inde belli impetum auertunt. Obsidẽt Priuernum duo consulares exercitus, quum COSS. alter inde Romam ad habenda comitia est uocatus. Crebrescebat enim indies Gallici belli fama. Noui igitur COSS. electi, eo ipso die Calendis Quintilibus magistratus inierũt. Hos COSS. fuisse scribit Diodorus in decimoseptimo, quando Athenis regnauit Euthycritus, Olympiade decimatertia & centesima.

Mamercus, aliàs C.

426 L. AEMILIVS II. ET GN. PLAVTIVS. 2

His COSS. ut scribit Liuius in octauo, partitæ prouinciæ: Mamerco Gallicum sorte bellum obtigit, qui decreto patrum nouum conscripsit exercitum. Opifices & sellularij, genus hominum parum alioqui militiæ assuetum, inautorati. Processit consul Veios usq;, inde intentius explorans, qua parte esset hosti occursurus. Cæterùm cum quieta omnia nunciarentur, omnis uis belli in Priuernum cõuersa est. Oppidum paucis diebus captum, murisq; nudatum. Vitruuius ibi captus, Romæ capitali est supplicio affectus. Eius ædes, quæ in palatio fuere, diruendas censuit Senatus: bonaq; obscuro genio, qui Semoni lano nomine aduersus Quirini ædem colebatur, consecrauit. Plautius de Priuernatibus triumphum egit. dehinc ex autoritate consulis, cum Priuernatium causa in curia agnosceretur, latum est ad populum, ut ciuitas Priuernatibus daretur. Eodem anno Anxur trecenti in coloniam missi sunt, bina iugera agri acceperunt. Diodorus in decimoseptimo ponit hoc anno COSS. P. Cornelium & A. Posthumium, quo apud Athenas regnauit Chremes.

Proculus.

427 P. PLAVTIVS, ET P. CORNELIVS SCAPVLA. 3

His COSS. nihil memorabile est domi foris'ue gestũ: nisi quòd uisceratio populo data est à M. Flauio, in funere matris: & Fregellæ (Signiorum is ager, deinde Volscorum fuerat) colonia deducta. Palæpolitani Samnitium societate freti, hostiliter interim Campanum Falernumq; agrum inuasere. Fuit Palæpolis haud procul Neapoli. eadem gens utraq; urbẽ habebat, Cumis oriũda. Cumani uerò ipsi à Chalcidensibus fuerũt, & Cumæis, ab Euboia insula profectis. Res primò more à Palæpolitanis repetitæ, non modò non redditæ sunt: sed legati etiam qui ad id missi fuerant, minacissimum à Græcis tulere respõsum. Diodorus in decimoseptimo, ponit hoc loco COSS. L. Cornelium, & Q. Popilium, quo tempore Athenis regnauit Anticles: si fides Græco exemplari est habenda.

428 L. CORNELIVS, LENTVLVS ET P. PHILO II. 4

His COSS. ut scribit Liuius in octauo, Palæpolis prouincia Philoni euenit. Cor-

Olympiad. nelius cum reliquo exercitu missus est, qui Samnites obseruaret, quorũ societas iamdudum parum fida haberi cœperat: & iam rumor erat, magistratuum iussu in Samnio accuratissimum delectum haberi, Fundanosq́ & Priuernates ad defectionẽ sollicitari. Mittuntur qui id explorent. Haud quidem laturi Samnites uidebantur, quòd Romani Fregellas oppidum Samnitici agri occupassent. & cũ Romanus legatus, cognitionẽ de ea re nihil grauatè pop. Rom. ad socios delaturũ diceret: Samnites negotium armis decernendum æstimant. Digreßi ab ijs Romani, apertum cum Samnitibus bellum denunciant. Philo interea inter Neapolim & Palæpolim castrametatus, utramq́ urbem bello premebat. Cornelius in castris Dictatorem dicere iussus à patribus, M. Claudium Marcellum dixit: qui se mox magistratu abdicauit, quia uitio erat creatus. Tum res ad interregnum redijt, quo creati sunt COSS. sequentes. Hos iterum Diodorus in decimoseptimo appellat, L. Cornelium Lentulum, & Q. Poplium. credo esse Q. Publium Philonem. *Ab urbe con.*

CXIIII G. PETILIVS *Libo,* III. ET L. PAPYRIVS *aliàs Mugilanus.* CVRSOR. 429

His COSS. ut Liuius testatur in octauo, patrum decreto Samnitibus (quia superbè Rom. legatis respondissent, armaq́ iam ex confesso instruerent, Fregellas repetituri) bellum intulere. Sabellicus ager primò populatus est, & tria ex gente oppida in potestatem recepta: Alife, Callirife, & Ruffrium. Apuli & Lucani, qui neq́ hostes neq́ socij ad id tempus fuerãt, in fœdus & amicitiam pop. Rom. ultrò uenerunt. Neapolitani & Palæpolitani, qui iampridem à P. Philone obsidebantur, quum non pauca indigna à Samnitibus & Nolanis præsidiarijs paterentur, haud multum diuersa ab his quæ pati solent qui bello capti sunt: Nimphidij ductu & Charilai, Samnitibus per expeditionis speciem urbe ablegatis, Romanum præsidium intra mœnia accepere. Receptis Græcorum urbibus, triumphus Philoni decretus est: cui duo noui honores contigerunt, & quòd ei consulatu defuncto imperium est prorogatum, & quòd iam acto honore triumpharit: quod Romanorum nulli fuerat ad id tempus datum. Interim Tarentini, à quibus ex Neapoli & Palæpoli implorata fuerant auxilia, ubi Romanorum fidem sequutos accepere, accusata sociorum inconstantia, hortantur Samnites, ut forti animo bellum sustineant: qui auxilia promittentes, odium in Romanos concipiunt: ac Lucanorum quosdam subornant, qui ipsi inter se mulctati uirgis, in media suorum concione quererentur, iussu Romani consulis fœdè cæsos, quòd in Romana castra ingredi essent ausi. Quo mendacio tanta animorum mutatio facta est, ut mox missi sint, qui cum Samnitibus societatem renouarent. Coacti à Samnitibus obsides dare, & præsidia in arces & munitiora loca accipere: præcipitante ira nihil recusatum. Nec ita multo pòst fraus apparuit, autoribus defectionis Tarentum profectis. Sed amissa sua potestate, nihil supererat, nisi ut frustra consilij pœniteret. Et ita Lucani à Romanis defecerunt. Romæ hoc anno, cum mala libido Papyrium cæpisset, ut ingenuo adolescenti, ob paternum æs alienum, stuprum inferret, & recusantem uerberibus cecidisset, causa fuit ut COSS. ad populum ferrent: ne ciuis Romanus, nisi noxam meruisset, donec pœnam lueret, in uinculis haberetur. Atq́ ita nexi soluti sunt: cautumq́, ne in posterum necteretur quispiam. Eodem anno Vestini & ipsi se Samnitibus iunxere. Populus etsi apparabat bellum cum Marsis, Pelignis, & Marrucinis habendum, si Vestini armis incessérentur: bellum tamen aduersus eam gentem iußit, in quo maior Romanæ ciuitatis animus, quàm consilium extitit. Sed euentus docuit, fortunam fortes iuuare. Hos COSS. Diodorus in decimoseptimo appellat G. Poplium & Papyrium, quo anno Athenis regnabat Agesias, Olympiade decimaquarta & centesima, quando in stadio uicit Micinas Rhodius.

His

His Coss. Alexandria in Aegypto condita est.

Ab urbe con. Hoc Liuius attestatur in octauo, ubi etiam de morte Alexandri Epirotæ scribit. De Alexandria uerò urbe, uide Strabonem in decimoseptimo, Plutarchum, Procopium, Plinium, Dionysium poetam, Melam, Ptolemæum, Stephanum, Solinum, Diodorum in decimoseptimo, passim cæteros. Eusebius in Chronicis: Alexandria, inquit, in Aegypto ab Alexandro condita, septimo anno regni eius, quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti sunt. Sed hoc factum Olympiade centesima duodecima scribit: quod sine dubio errore nō caret, uitio librariorum. nam columnæ annorum & res gestæ sunt transpositæ, & rarissimè conueniunt: quod à paucis est animaduersum hactenus: & ideo cautè legendus est. & ut in præfatione scripsimus, non sine causa diuus Hieronymus adiurationem præposuit huic operi. Obseruandus est idem error apud Solinum, qui de hac re ita scriptum reliquit: Alexandriam & operis ipsius magnitudo, & autor Alexander Macedo nobilitant: quam metatus Democrates architectus, secundum post conditorem inter memorabilia locum obtinet. Condita autem Alexandria est duodecima centesimaq; Olympiade, L. Papyrio, Sp. F. C. Petilio C. F. coss. Romanis, haud longè ab ostio Nili fluminis, quod Heracleaticon, alij Canopicon appellant. hæc ille. Si quis coss. quos hic rectè nominat, cum Olympiade conferat, inueniet apertam differentiam cum Diodoro, qui eos in Olympiaden decimamquartam reijcit. Velleius Paterculus in suis fragmentis sic prodit: Interiecto deinde triennio, Fundani & Formiani in ciuitatem recepti, eo ipso anno quo Alexandria condita est. Sed hic annus superius esset supputandus.

430 L. FVRIVS CAMILLVS II. ET IV- *Scæua.* NIVS BRVTVS. 2

His coss. diuisæ prouinciæ. Brutus Vestinos sortitus est, Furius Samnium. Exercitus utrobiq; ducti, prohibitiq; hostes tuendorum finium studio copias iungere. Sed uis morbi Camillum bello subtraxit. Iussus itaq; Dictatorem dicere, L. Papyrium Cursorem dixit: à quo Q. Fabius Maximus Rutilianus magister equitum est dictus. Brutus in Vestinis hostem, agrorum populatione in prælium euocatum, acie fudit, fusum castris exuit. Mox urbes oppugnare adortus, Catinam & Cingliam ex ea gente ui captas, militi diripiendas dedit. In Samnio res in acie prosperè cessit: sed uictoriam imperatorum discordia fœdauit. Repetiturus enim ex urbe auspicia Papyrius, magistro equitum denunciat, ut se intra uallum castrorum teneat, neu cum hoste se absente manum conferat. Cum uerò Fabius dissoluta omnia cerneret, consensu militum uiginti milia hostium iniussu Dictatoris cecidit. Qua re Dictator commotus, uoluit Manlij exemplo Fabium corripere. Sed primò militum, dehinc Senatus ac patrum, tandem tribunorum ac populi intercessione uix euasit: ut latissimè in octauo Liuius explicat: & Valerius Maximus libro secundo, de Militari disciplina: & Eutropius libro secundo, capite primo. Per eos dies frumentatores Romani exercitus in Samnio ab hostibus circumuenti, quum subueniri potuisset, quia legati Fabij exemplo deterriti, nihil mouere sunt ausi, cæsi sunt ad unum. Quæ clades Dictatoris inuidiam haud mediocriter auxit, usq; adeò, ut penè seditione obrueretur, donec se militibus conciliauit. Tandem Samnites subacti pacem à Dictatore petierunt: singula militibus uestimenta & annuum stipendium pacti, inducias in annum impetrauere. Dictator triumphauit, & hinc coss. creauit. Diodorus Siculus libro decimo octauo, horum coss. meminit, scribens quo anno Athenis Cephisodorus regnauerit, Romæ L. Furium & Decium Iunium coss. fuisse.

431 *Longus.* G. SVLPITIVS II. ET Q. AELIVS CERETANVS. 3

His coss. Samnites, etsi inducias haberent, non diu quieuere: sed non multo pòst

Olympiad. pòst quàm Romanæ legiones è Samnio sunt abductę, Apulis in societatem belli asci *Ab ur.* tis, rebellarunt. In Apuliam igitur Aemilius consul cum exercitu est missus. Fuerunt *con.* qui scriberent, Apulos non tantum armis petitos à Romanis, quàm à Samnitium iniuria defensos. Sulpitius alter consul in Samnium profectus, latè hostium regionem uastauit. Romę per id tempus nocturnus terror ciuitatem somno excussit. Conclamatum est ad arma, ac tumultuatum, uelut omnia hostibus plena essent. Vbi uerò illuxit, neq; terroris illius autor, nec causa comparuit. Tusculani eodem anno Flauia rogatione ad populum sunt uexati: sed sordidati cum coniugibus ac liberis, & genubus cum lachrymis aduoluti, ueniam meruere. Hos COSS. Diodorus in decimooctauo appellat G. Sulpitium & G. Aelium, quo tempore apud Athenas regnauit Philocles.

4 Q. FABIVS RVLLIANVS, ET L. FVLVIVS. 432

His COSS. ut Liuius in fine octaui scribit, instabat graue cum Samnitibus bellum. nam fama aduenerat, cõduxisse eos ex finitimis uim hominũ ingentẽ. A' Cornelius Aruina est Dictator creatus, qui delectu accuratissimè habito, in hostẽ cõtendit. Tantum abfuit ut Samnites Romanũ exercitũ, suos fines ingressũ, ut antè, effugerint, & multitudine freti, ultrò ad Romana castra uenerint, nullam dimicationi morã facturi. Fuissentq; castra oppugnare ausi, quia Romanus intra munitiones se tenebat, nisi nox interuenisset. Dictator multis ignibus circa uallũ accẽsis: silenti nocte castris profectus est, ne cogeretur iniquo loco dimicare. Nec tacitus Romanorũ digressus hostẽ fefellit: quũ Samniticus equitatus, extremum agmẽ adeptus, tumultuoso certamine iniecto moratur abeuntes: inde sub lucẽ peditum robur affuit. Ibi cũ nec castra quidẽ Romanus metari posset, in Samnitẽ conuersus, pugnã conserit. Ibi à quinta diei hora ad octauã, adeò ancipiti marte dimicatũ est, ut aduersæ inter se acies, suo utraq; gradu obnixè starẽt: multus interim cruor fusus, ut militi uires, ducibus consiliũ deesset. Interim Samniticus equitatus in Romanorũ impedimenta, ex improuiso impetũ facit: hos prædę intentos magister equitũ Fabius adortus, cum multa strage dissipat, pedestremq; aciem inuadit, ut turbatis ordinibus fluctuarent. Tum cædes ingens facta. Vbi fuga inclinare cœpit, deditioq; Samnitium facta est, quę tamen irrita fuit, Dictator Romam reuersus triumphauit: quẽ aliqui, ut ludis præsideret, prætore morbo implicito, creatum ferunt. In decimooctauo ponit Diodorus COSS. Q. Popilium, & Q. Popliũ, quo anno Apollodorus regnauit. Sed suspicor nomina COSS. corrupta esse: quemadmodum & sequentis anni, & alterius qui sequitur, COSS. ab eo non ponuntur: siue sciens obmiserit, siue codex mancus sit.

Caluinus.

CXV T. VETVRIVS II. ET SP. POSTHVMIVS. II. 433

Hic annus insignis ac nobilis fuit clade Romana: quã apud Caudinas Furcas ambo COSS. cum legionibus passi sunt, inermesq; omnes sub iugũ missi: ac datis obsidibus pacem acceperunt. Quam cladem, cum uberrimè Liuius ab initio noni libri explicet, superfluũ est hic multis eam toties descriptam repetere. Florus libro primo, titulo decimosexto, sic de ea scribit breuiter: Maximè tamẽ nota est illustris ex hac gente clades apud Caudinas Furcas, Veturio Posthumioq; COSS. Clauso enim per insidias intra eum saltum exercitu, unde non posset euadere: stupens occasione tanta hostium dux Pontius, Herennium patrem consuluit. & ille, mitteret omnes, uel occideret, sapienter, ut senior, suaserat. Hic armis exutus, mittere sub iugum maluit: ut nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Eutropius item libro secundo, primo capite, hanc historiam signat. Orosius quoque libro tertio, capite decimoquarto, cuius uerba penè singula transcripsit Eutropius. Sed numerum annorus examen desiderat, si modò uera sunt Liuij scripta, & annorum supputatio. Siquidem

Ab urbe con. quidem Orosius id factum tradit anno ab urbe condita quadringentesimo uigesimosexto: cum secundum ueram supputationem, anno quadringentesimo tricesimosecundo acciderit. quod cuique studioso patebit, si ritè annales euoluat. Valerius Maximus libro quinto, de Humanitate: & libro septimo, de Sapienter dictis & factis, illius historiæ mentionem facit. Iunior Plinius de Viris illustribus, titulo trigesimo: sed ibi perperam Caius Veturius, pro Tito Veturio scriptum est. Diuus quoque Augustinus tertio Ciuitatis, decimoseptimo capite, huius rei gestæ meminit. Passim alij, Lucanus & Plutarchus. Meminit horum COSS. & Cicero in Catone maiore, ubi de uoluptate quædam secreta prodit, paucis obuia: & Gellius libro decimoseptimo, capite ultimo, ubi recenset uiros illustres illius seculi ex libris Chronicis, sic scribens: Iisdem tempestatibus pop. Rom. graui & diutino Samnitium bello conflictatus est, COSS. que T. Veturius & Sp. Posthumius in locis iniquis apud Caudium à Samnitibus circumuallati, ac sub iugum missi, turpi fœdere facto discesserūt. Ob eam causam populi iussu, per fœciales dediti, recepti non sunt. *Olympiad.*

Cursor, *Philo.*

434 L. PAPYRIVS II. ET Q. PVBLIVS. III. 2

His COSS. Sp. Posthumius, & collega, quoniam sua desponsione pop. Rom. obstringere nequiuerant, nudi uinctique hostibus sunt Samnitibus adducti. Scriptus tum exercitus: sed deditio per fœcialem facta, à Pontio Herennio recepta non est. Interim Papyrius Luceriam ire pergit, ubi Romani equites asseruabantur in custodia. Publius in Samnio substitit aduersus Caudinas legiones: ibique Samnites castris exuti, Apuliam fuga petierunt, & se Luceriam conferunt. Sed ubi inopia rerum laborare incipiunt, cum Romanis congrediuntur, licet frustra Tarentini legati dimicationem prohiberent. Ruptis igitur hostium castris, ad unum omnes obtruncassent, nisi COSS. & sexcenti equites, qui in custodia habebantur, pari crudelitate potuissent necari. Publius per Apuliam uagatus, multa oppida in fidem recepit, & tum ad Luceriam septem milia Samnitiū sub iugum missa sunt. Et præda apud Furcas amissa, recuperata est. quinimo & Pontius cum cæteris subiugatus. Hæc longè lateque differit Liuius in nono: Orosius libro tertio, & Eutropius in secundo, paucis rem, graphicè tamen describunt.

Mugilanus.

435 L. PAPYRIVS, ET Q. AELIVS CERETANVS. 3

Subdubitat Liuius, an L. Papyrius Cursor, an L. Papyrius Mugilanus, hoc anno consul fuerit. Si fuerit cognomen Papyrio Cursor, cui à pernicitate pedum cognomen datum est, fuit is eius tertius consulatus. Quod uerò Liuius Q. Aurelium Ceretanum iterum Consulem scribit, suspicor mendam irrepsisse: pro Aemilioque, Aurelium scriptum: quandoquidem Aurelius nusquam superius consulatum ullum gessit, sed Q. Aemilius Ceretanus, quinto abhinc anno. Vel hic, uel illic error est. In opusculo autoris incerti scribitur: Mugillano III. & Ceretano. Cæterùm ut ad historiam redeam, hi COSS. reliquias belli confecerunt. Ceretanus cum Ferentanis uno secundo prælio debellauit eorum urbem: quà uicta, acies in fugam inclinauerat, in deditionem recepta. Pari fortuna belli Papyrius usus, qui Satricanis (qui ciues Romani, post Caudinam cladem ad Samnites defecerant) pacem petentibus respondit: Nisi Samnitium præsidio, quod secum haberent, interfecto aut tradito, non esse cur pacati à se quicquam expectarent. Quo responso territi, quum in urbe duæ factiones essent, quæ ad Samnites rem traxerat, ad promerendam Romanorum gratiam, occultè docet Consulem, qua hora noctis & qua regione Samnites ex oppido egressuri essent. Cæterùm Romanæ factionis uiri, eadem hora Consulem intra urbem accepere: atque ita uno tempore Satricum

estre

Olympiad. est receptum: & Samnites in insidias præcipitati, occidione occisi sunt. Papyrius au- *Ab urb. con.*
toribus defectionis interfectis, tum demum Romam reuersus, de hostibus sub iugum ad Luceriam missis, & Satrico recepto triumphauit. Multa de fortitudine & seuero huius imperio Liuius in nono scribit, ubi pulchram digreßionem de hoc uiro facit, & Grræcorum cum Romanis comparationem, & cur sit Cursor cognominatus. Diodorus in decimooctauo, horum Consulum mentionem facit: sed alterum appellat Q. Aelium, non Aemilium: & sic etiam appellari credo, quandoquidem in Caßiodori exemplari etiam sic reperio scriptum: & paulo inferius Liuius in nono tradit, Q. Aelium Ceretanum magistrum equitum Q. Fabij Dictatoris fuisse: qui sine dubio hic est, qui in bello occisus est: ubi perperam undiq; scriptum est Aulius, uoce nihili.

Flaccus.

4 L. FVLVIVS, ET L. PLAVTIVS VENOX. 436

His coss. fœdus petentibus Samnitibus, in biennium induciæ datæ. Flaccus Plautius ex Apulis Theanenses & Canusinos populationibus fessos ad deditionem compulit: obsidibus in fidem eorum, quæ promittebantur, acceptis. Tum eódem præfecti Capuæ cœpti creari, legibus à L. Furio prætore datis. Duæ insuper tribus hoc anno priori sunt numero additæ, Vfentina & Valeria. Horum coss. meminit Diodorus in decimonono. Sed alterum consulem appellat Manium Fuluium, quo tempore Athenis regnauit Demogenes.

aliâs Brutus, *Barbula.*

CXVI C. IVNIVS BVBVLCVS, ET Q. AEMILIVS. 437

His coss. Theates, & ipsi Apuli, deditionem fecere: atq; per hæc Apulorum animis ad accipiendum iugum semel inclinatis, tota ferè gens in deditionem uenit. Ex Apulia coss. in Lucaniam transiuere paucis diebus, Florento & Nerulo ex ea gente captis. Antiates quoq;, ut Campani, iura Romana acceperunt, datis coloniæ patronis qui ea ferrent. Diodorus mentionem facit horum coss. in decimonono, cum Athenis regnauit Democlidus Olympiade centesima decimasexta, quando in stadio uicit Diomenes Lacon.

Lucillus.

2 SP. NAVTIVS, ET M. POPILIVS LENAS. 438

His coss. Samnites rebellarunt, propter Satriculam, quam L. Aemilius Dictator oppugnare adortus est. Sed cum hinc Satriculani portis irrumperent in Romanos, illinc Samnites coacto exercitu socijs auxilia ferrent, duplici terrore Romanus miles concussus est. Fugientibus autem Satriculanis, in Samnites tota uis uersa est. Quomodo autem deinceps Plistia obsidione cincta est, & Soram translatum est bellum, latißimè Liuius in nono describit: quæ scire operæpreciũ est. Omnia enim quæ alibi scripta sunt, superfluum censeo repetere gratis. Horum coss. mentionem facit Diodorus in decimonono, cum eo anno Athenis regnaret Praxibolus.

Cursor, *Philo.*

3 L. PAPYRIVS IIII. ET Q. PVPLIVS IIII. 439

Hos coss. Liuius in nono non ponit, nec ullam horum mentionem facit. Superiori enim anno Dictatorẽ factum: sed qua ratione, nõ scribit. Ego hos in Caßiodori unico exemplari offendi: & itẽ in eo opusculo ignoti autoris, quo coss. nomina ponuntur, quod quidã Orosij esse autumant, similiter reperi. Diodorus itẽ Siculus decimonono Historiarum scribit, L. Papyrium IIII. & Q. Poplium II. (sic enim ibi scribitur) Romæ fuisse coss. quo anno Athenis Nicodorus regnauit. Nolui hos præterire, licet quid sub ijs gestum sit, non habeam. Necessariò autem hic requiritur unus consu-

Ab urbe con. Consulatus, alioqui decima sexta Olympias esset imperfecta. & cum sequenti anno, teste Frontino, per quadringentos quadraginta unum annos urbs sine aqua inducta steterit, non potest hic consulatus deesse. Liuius autem sub ijs Coss. quos nouos uocat, obmissis eorum nominibus, tradit Q. Fabium Dictatorem cum magistro equitum Q. Aurelio Ceretano, qui in bello cecidit, feliciter contra Samnites pugnasse, eorumq; ducem strauisse, Satriculam cæpisse, Samnitesq; debellasse. Quod longè lateq; prodit, licet Coss. eo anno in urbe mãserint. Vide lector. Nunc illos subiungam, quos & Liuius & Cassiodorus ponunt. *Olympiad.*

Longus III.

440 M. PETILIVS LIBO, & G. SVLPITIVS 4

His Coss. Sora oppugnari cœpta est, & proditione capta, ut latè Liuius in nono enarrat. Facta dehinc deditione, Coss. ducentos uiginti quinque autores defectionis Romam misere, qui ad unum in foro uirgis cęsi sunt, ac securi percussi. Dehinc Coss. Ausonum genti bellũ intulerunt. nam & hi Samnitibus accesserãt olim, qui (ut Sorani) suorum proditione uicti sunt, sæuitumq; est in miseros oppidanos. Vna enim hora tres urbes Romani acceperunt, Ausonam, Nutumnam, & Vestinam. Luceria eodem anno, Romanis colonis subita defectione interfectis, Samnites in urbem accepit. Sed tam his quàm Soranis priore anno, sua perfidia exitio fuit: urbe paucis diebus à Ro. recepta: Lucerini cum Samnitium præsidio, sunt ad unum cęsi. Transcripta eò duo milia colonorum, & quingenti. Capuæ quoque hoc anno coniuratio oppressa est, sublatis capitibus defectionis, qui sibi ultrò mortem consciuere. Romæ Dictator factus: & inquisitio in eos qui in unum coire dicebantur, facta est. Samnites spe Campanæ defectionis, ex Apulia Capuam petiere. Sed à Coss. ad triginta milia Samnitium cæsa dicuntur. Maleuentum pauci confugerunt, quod mox Beneuentum est appellatum. Horum Coss. fit mentio apud Diodorum lib. decimonono. Sed alter consul illic appellatur M. Poplius, quando Athenis regnauit Theophrastus. Tradit etiam, tum apud Rom. fuisse Dictatorem C. Manium, magistrum Equitum Manium Fuluium, quem Liuius M. Follium nominat.

Cursor, *aliàs Brutus II.*

441 L. PAPYRIVS V. & C. IVNIVS BVBVLCVS. CXVII

His Coss. Bouianum, quod prioris anni Coss. circumsederant, Claudius Petilius Dictator & ipse diu obsedit: quò ubi allatum est, Samnites Fragellanam arcem occupasse, soluta obsidione, ad recipiendas Fregellas occurrit. Hostis in Campaniam fugiens, Nolam ingreditur. Sed & Fregellæ receptæ, & Nola capta est. quod quibusdam Iunio consuli ascribitur. Suessa & Pontiæ eodem anno coloniæ deductæ. Minturnum quoque & Casinum ut coloni mitterentur, Senatus decreuit. Meminit horum Coss. Diodorus lib. decimonono historiarum, quum Athenis regnauit Palęmon, Olympiade centesima decimaseptima, quando in stadio uicit Parmenion Mitylenæus.

Maximus, *Mus.*

442 M. VALERIVS V. & P. DECIVS. 2

His Coss. Samnitico bello nondum profligato, tricesimus licet eius belli annus ageretur, aliud recens atque terribilius, ob gentis opulentiam, ab Ethruria ortum est. Cum igitur Valerius ad Samnitium reliquias profectus, Decius uerò morbo implicitus esset, Iunius Bubulcus Dictator dictus, confestim delectum conscribit, iturus in hostem. Ethrusci tamen se intra fines suos tenuerunt. Meminit horum Coss. Diodorus quoque Siculus decimonono Historiarum, quo anno Athenis regnauit Simonides. Fuit hic annus insignis censura Appij Claudij, & C. Plautij. Appius uiam lapidibus muniuit, & aquam induxit. ea opera solus perfecit: quia ob infamem Senatus electionem, collega pudore uictus, se magistratu abdicauit. quo conti-

Olympiad. git, ut tam aqua, quàm uia, alterius nomen tulerit. Ob id scribit Caßiodorus: *Ab urb. con.*

His Coss. per Appium Claudium censorem, uia facta, & aqua inducta est, quæ ipsius nomine nuncupantur.

Induxit autem in urbem Anienem, in Auentini usque uerticem flumine corriuato: quæ Claudia est aqua dicta. Viam ab urbe ad Algidum produxit, quæ Casilinum progressa, uiginti stadijs à Capua Latinæ uiæ iungitur. Quomodo autem Appio autore Poticia gens, quæ ad aram maximam sacrificauit, extincta sit, & excæcatus Appius: Liuius in nono, & Valerius Maximus libro primo docent, de Neglecta religione. Meminit & Eutropius in secundo uiæ Appiæ, & Eusebius: sed hanc factam scribit Olympiade centesima decimaquarta, quod minimè conuenit: ideo pensandus. Sed nemo clarius de aqua Appia, quàm Iulius Frontinus libro de Aquæductibus, ubi in hæc uerba sic scribit: Ab urbe con. per annos quadringentos quadraginta unum, contenti fuerunt Romani usu aquarum, quas aut ex Tyberi, aut ex fontibus hauriebant. Fontium memoria cum sanctitate & adhuc extat, & colitur. Salubritatem enim ægris corporibus afferre credimus, sicut C. Amaranus Apollinaris meminit. Nunc autem in urbem influunt plures aquæ: Appia, M. Valerio Maximo, P. Decio Mure Coss. anno uigesimo post initium Samnitici belli (triginta rectius leges, si initium supputaueris Samnitici belli) inducta est ab Appio Claudio Crasso censore, cui postea Egro fuit cognomen (credo Cæco potius legendum, quàm Egro) qui & uiam Appiam, à porta Capena usque ad urbem Capuam, muniendam curauit. Collegam habuit C. Fabium, cui ob inquisitas eius uenas, Venocis cognomen datum est, (C. Plautius nominatur Liuio, corruptè fortasse) Sed is intra annum & sex menses, deceptus à collega, tanquam idem facturo, abdicauit se à censura. Nomen aquæ ad Appij tantum honorem pertinuit: qui multis tergiuersationibus extraxisse censuram traditur, donec & uiam & aquæductum consummaret. Plura de uia Appia, & aqua Appia, Diodorus libro uigesimo. Sed Procopius libro primo, de bello Gothorum, ubi describit quomodo Belizarius Romam ingresus sit, longitudinem & latitudinem uiæ Appiæ, & qua arte quo'ue ingenio sit facta, graphicè depingit.

Bubulcus, Barbula.

3 C. IVNIVS III. & Q. AEMILIVS II. 443

Ex ijs Coss. Iunius Cluuianum subitò adortus, ui cæpit, puberesque ad unum trucidauit: quòd Romanum præsidium Samnites crudeliter illic trucidassent. Inde Bouianum ui expugnat, ubi plus prædæ quàm cædis fuit. Cum dehinc Samnis insidias moliretur, diffisus suis uiribus, tanta strage ex insesso iugo est deturbatus, ut uiginti milia hominum desiderata dicantur. Interim uniuersum nomen Ethruscum, præter Aretinos, Sutrium, sociam Po. Romani urbem, summis uiribus oppugnabat: quam Aemilius, alter consul, ex urbe profectus, liberauit, atrocique prælio Ethruscos fudit, ac magnam partem exercitus hostium consumpsit ac strauit. Apud Romanos tantum uulnerum fuit, ut plures post prælium mortui sint, quàm in acie cecidissent: ut pulchrè Liuius in nono enarrat. Hoc item anno tibicines urbe exclusi, quo ingenio à Tyburtibus sint reducti in plaustris ebrij, luculenter Liuius describit: cum alijs, quæ à tribunis hoc anno gesta sunt, in creandis nouis magistratibus, duobus tribunis scilicet militum, & Duumuiris naualibus. Horum Coss. mentio fit à Diodoro Siculo, in uigesimo libro Historiarum, ubi alter Consulum, corruptè fortassis, appellatur C. Iulius.

Rullianus, Rutilius.

4 Q. FABIVS II. & GN. MARTIVS. 444

Insignis hic annus fuit domi forisque. Romæ enim P. Sẽpronius Trib. pleb. Appiũ Claudium

Claudium ultra Aemiliæ legis præscriptum in censura perseuerantem, pro rostris increpauit. Foris uerò maxima bella gesta. Fabius enim, cum ad Sutrium longè maiore hostium exercitu congressus, cùm natura loci quem cæperat, tum militum uirtute adiutus, Tuscum magna strage fusum, atque in Ciminiam usque syluam fugatum, ipsorum castris cum ingenti præda potitur. Quo pacto uerò sit syluam transgressus Consul cum exercitu, præmisso fratre exploratore, ibiq; pulchro stratagemate ad sexaginta milia Ethruscorum cęciderit, induciasq; illi in triginta annos à senatu impetrauerint, latissimè Liuius in nono recenset, cum ijs quæ Rutilius in Samnio egit: qui multa Samnitium castella cæpit, deleuitq;. Pòst uulneratus, in causa fuit, ut Papyrius Dictator crearetur, qui Samnites multa cæde dissipatos castris exuit. Romam dein ad triumphum reuersus est, cum auratis scutis: quibus forum dehinc ornatum est, & consuetudo fori ornandi cœpit. Sic & Fabius, postquam tertiò, prospero euentu cum Ethruscis pugnauit, Perusiamq; ad deditionem coegit, triumphaturus Romam concessit. Hæc ubertim omnia Liuius: carptim, ut assolet, Florus libro primo, ti. decimoseptimo. Meminit horum Coss. Diodorus libro uigesimo Historiarum: alterum autem consulem uocat G. Martium, quo anno Athenis regnauit Demetrius Phalereus. Fuit autem is Fabius Rullianus, filius Fabij Ambusti, qui sic dictus est, quòd olim adolescens fulmine tactus in natibus fuerit. Hinc etiam pullus Iouis, quasi dilectus ab eo uideretur, & mutata litera postea Rullus dictus: & Eburnus à candore, ut Festus ait. Fuit etiam princeps senatus, quem honorem & filius hic postea Rullianus, & ex eo nepos Fabius Gurges, ex successione obtinuere: quod Plinius in rara commemorat felicitate, libro septimo, capite quadragesimo primo. sic enim legendus. Plutarchus Rullianum Rullum appellat, scribitq;, cum esset Censor, & quosdam uiros libertinis genitos amoueret à senatu, quòd Maximus sit appellatus: quem honorem nulli nisi Valerio, qui patres à plebe dissidentes conciliauit, tribuerunt. Cæteri autem hunc Rullianum, Rutilianum malè cognominant: ut Petrarcha. Cæterùm nemo princeps Senatus constituebatur, ut Plutarchus in Scipione scribit, nisi qui auctoritatem & gloriam, maximis in Rempub. meritis, præstantissimisq; rebus gestis consequutus fuerat.

Rullianus.

445 Q. FABIVS III. & P. DECIVS MVS II. CXVIII

Fabio consulatus prorogatus est ob res feliciter gestas: quo cum collega prouincias partito, Decio Ethruria cessit, Samnium Fabio. Qui in prouinciam profectus, Samnites prælio fudit, in qua acie Marsi noui hostes à Samnitibus stetisse dicuntur. Tarquinienses interea à Decio in Ethruria subacti, inducias in quadraginta annos petiere. Et Volsiniensium quoque castella partim capta, partim subuersa, ne receptaculo hostibus essent. Quo terrore, inducias in annum à Decio consequuti Ethrusci sunt. Sed Vmbrorum defectio materiam rebellandi Ethruscis obtulit: quos tamen Fabius nullo labore, à Samnio ueniens, ita cęcidit, ut turpissimam facerent deditionem. Ad Samnium dehinc redijt, cui ob præclaras res gestas imperium foris, Senatusconsulto in sequentem annum prorogatum est. Horum Coss. fit mentio apud Diodorum Siculum, lib. uigesimo, quando Athenis regnauit Carinas, Olympiade decimaoctaua & centesima.

Cæcus. *Violensis.*

446 APPIVS CLAVDIVS, & L. VOLVMNIVS. 2

His Coss. Salentini noui hostes Volumnio dati. Appius urbanis negotijs aptior quàm bello, Romæ mansit. Volumnius rem foris feliciter administrauit: hostibus sæpe prælio uictis, aliquot urbes ademit. Fabius, cui erat propagatum imperium, cum Samnitibus prosperè conflixit, hostibus in acie fusis, atque in castrorum munimenta compulsis, postridie cum singulis uestimentis deditos sub iugum misit.

Olympiad. Qui cum Samnitibus erant, præter Hernicos, seruiliter uenicre. Hernici Romam missi, Latinis sunt in custodiam traditi. Meminit horum Consulum Diodorus libro uigesimo, quo anno apud Athenienses regnauit Anaxicrates. Hunc Appium Claudium inter maximos Iureconsultos enumerat Pomp. ff. de Origine iuris, in hæc uerba scribens: Post hunc Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam habuit. Hic Centimanus appellatus est, & Appiam uiam strauit, & Claudiam aquam induxit, & de Pyrrho in urbem non recipiendo sententiam tulit. Hunc etiam actiones scripsisse traditum est, primùm de usurpationibus, qui liber non extat. Idē Appius Claudius inuenit r literā, ut pro Valesijs Valerij essent, pro Fusijs Furij. Ab urb. con.

Aruina, Tremulus.

3 P. CORNELIVS, & Q. MARTIVS. 447

Hi Coss. inter se prouincias partiti, Cornelius Samnites, Martius Hernicos adepti sunt. Fuit illud bellum specie magis quàm euentu terribile, insessis ab hoste itineribus inter utraque Coss. castra. Sed Hernici ter paucis diebus uicti, ac castris exuti, inducijs in triginta dies impetratis, deditionem fecere. Martius itaque perfecto bello ad Samnium, incomposito agmine uenit, opem Cornelio laturus, qui obsesso quàm obsidenti propior erat. Samnites itaque improuisa re perculsi, fœdam fugam amissis castris inierunt. Ad triginta hominum milia Samnites iterum amisere: cæteri in proximos montes fuga dilapsi, superuenientes cohortes deterruerūt. Cum deinde pacem peterent, annuum stipendium & singulis militibus tunicas dederunt. Martius de Hernicis triumphauit. Tribus populis, qui in fide permanserunt, Alatrinati, Verulano & Ferentinati, suæ leges redditæ. Anagninis ciuitas sine suffragio data est. Horum Coss. meminit Diodorus lib. uigesimo, quo anno Athenis princeps erat Corybus. Subiungit Casiodorus:

His Coss. uiæ per agros publicæ factæ.

Hoc de Maximo Valerio, censore huius anni, Liuius in nono scribit. Fœdus item tertium est hoc anno cum Carthaginensibus renouatum. Polybius in tertio, sub id tempus, quo Pyrrhus in Italiam uenit, id factum arbitratur: ubi formula uetusti fœderis per Iouē lapidē eleganter explicat, locus eruditione plenus, & antiquitate insignis. Vbi etiam ordine tria illa fœdera Carthaginensium cum Romanis ponunt.

Megellus, Augurinus.

4 L. POSTHVMIVS, & T. MINVTIVS. 448

Calphurnius Piso in suis Annalibus, hos Coss. Q. Fabio & P. Decio subiecit, biennio prætermisso, quo Claudius & Volumnius prius, mox Cornelius & Martius Coss. fuerunt. Noui igitur Coss. quia Samnites excursionem in campum Stellatem fecerant, diuersi in hostem duxerunt exercitum: Tifernum Posthumius, Minutius Bouianum. Cum Posthumio hostes ad Tifernum congressi, æquo marte discesserunt: licet alij uictos Samnites scribant, & triginta milia captos. Sed uafro consilio Posthumius ad collegam, inscijs hostibus, cum suo exercitu uenit, cum pugnam illam cum hostibus inijsset, qua castra Samnitium capta sunt, eorumq́ dux Statius Collius, & signa militaria unum & triginta. Bouianum deditum, Minutius in pugna uulneratus obijt, L. Fuluius in eius locum suffectus. Eodem anno Sora, Arpinum, Cesentia, à Samnitibus recepta. Meminit horum Coss. Diodorus lib. uigesimo, appellatq́ alterum consulem Tiberium Minutiū, quo anno Xenippus Athenis regnabat.

Auerrio, Sophus.

CXIX P. SVLPITIVS, & P. SEMPRONIVS. 449

His Consulibus ut Liuius in fine libri noni scribit, cum legati Samnitium rursus pacem peterent, Sempronius Cos. in Samnium cum exercitu missus, quia ibi omnia pacata occurrerant, iussu Patrum, antiquum fœdus Samnitibus petentibus restituit.

Ab urbe con. *Olympiad.*

tuit. In Equos inde bellum translatum, qui Samnites iuuerant. Ambo Coss. ad id bellum missi, qui intra quinquaginta dies triginta oppida cæperunt: ac Equitum nomen penè deletum. Qua re territi Marsi, Peligni, Ferentani, pacem à Romanis petierunt, Coss. de Equis triumpharunt. Eodem anno, cum C. Flauius scriba Aedilis curulis factus, ius ciuile uulgasset, ac fastos in albo proposuisset, ædemq; Concordiæ dedicasset, ac ueluti duas factiones in ciuitate, in nobilium indignationem excitasset: Q. Fabius censor factus, cum P. Decio concordiæ causa, omnem forensem factionem in quatuor tribus coniecit, quæ Vrbanæ sunt dictæ: instituitq;, ut Idibus Quintilibus Equites in trabeis transueherentur. cuius & Valerius Maximus libro secundo, de Institutis meminit. Quæ omnia uulgo tam grata fuere, ut inde Maximi cognomen adeptus (quod tot uictorijs parare non poterat) in nepotes usque transmiserit. Cur autem non & Plinij senioris uerba ex trigesimotertio libro, & primo capite subscribemus? in quibus & hi consules, & hæc res pulchrè signatur: Frequentior, inquit, usus annulorum non ante Gn. Flauium, Annij filium, deprehenditur. Hic namque publicatis diebus fastis, quos populus à paucis principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus est, alioqui libertino patre genitus, & ipse Appij Cæsi scriba, cuius hortatu exceperat eos dies, consultando assiduè sagaci ingenio, promulgaueratq;, ut Aedilis curulis crearetur cum Q. Anitio Prænestino, qui paucis antè annis hostis fuerat: præteritis C. Petilio & Domitio, quorum patres consules fuerant. additum Flauio, ut simul tribunus plebis esset. Quo facto tanta Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abiectos fuisse, in antiquis reperiatur annalibus. Fallit plerosque, qui tum & Equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. Annulos quoque depositos à nobilitate, in Annales relatum est: non à senatu uniuerso. hoc actum P. Sempronio Longo, L. Sulpitio Coss. Flauius uouit ædem Concordiæ, si populo reconciliassent ordines: & cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex multatitia, fœneratoribus condemnatis, ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ nunc supra Comitium erat: incidítq; in tabula ærea, quatuor ann s post Capitolinam dedicatam. Ita quadringentis quadraginta nouem annis à con. ur. gestum est, & primum annulorum uestigium extat. In quibus Plinij uerbis, obserua alterius Consulis nomen uariatum, & postea Flauium pro Fabio corruptè positum, qui ædem Concordiæ uouit. Vide de hoc Fabio Plinium iuniorem, de Viris illustribus, ti. trigesimosecundo. De P. Sempronio scribit Valerius Maximus libro sexto, de Seueritate, quòd coniugem repudij nota affecerit, quòd se ignorante ludos spectare ausa fuerit. De hoc Sempronio sine dubio scribit Iureconsultus in Digesto ueteri, de Origine iuris: ubi corruptè Simphronium Sophim indocti Leguleij legunt. uerba hæc sunt: Fuit post eos maximæ scientiæ Sempronius, quē Po. Roman. appellabat Sophum, nec quisquam ante hunc hoc nomine cognominatus est. Horum Coss. mentio fit à Diodoro Siculo libr. uigesimo Historiarum, quo anno Athenis regnauit Pherecles, Olympiade decima nona & centesima, quando in stadio uicit Andromenes Corinthius.

450 L. GENVTIVS & SER. CORNELIVS. 2

His Coss. ut Liuius in decimo prodit, Soram & Albam in Equis, colonias Romani deduxerunt. Eodem anno Arpinatibus & Tribulanis ciuitas data: & Fusinates, quia Hernicos ad bellum sollicitasse indicio comperti sunt, capitibus coniurationis securi percussis, tertia parte agri sunt mulctati. In Vmbria quoque nonnihil bellatum, suntq; duo milia hominū in spelunca quadam igni & armis oppressa. Quemadmodum noster MAXIMILIANVS Cæsar, hoc anno quo hæc scripsimus, cum bellum in Venetos acerrimum gereret, prope Vincentiam, in monte quodam excauato ac peruio, tria penè milia rusticorum, qui toties rebellabant, & iugum excusserāt, fumo necauit, obdurato introitu igne ac sulphure. Horum Coss. mentio fit in libro uigesimo à Diodoro Siculo, quo anno Athenis regnauit Leostratus.

Olympiad. Ab urb. con.

alias Denter, Paulus.

3 M. LIVIVS DEXTER, & Q. AEMILIVS. 451

His Coss. ut Liuius in decimo scribit, bellum ab Equis renatum, qui Albam coloniam erant expugnare adorti. tantum uerò terroris iniectum est, ut Q. Iunio Bubulco Dictatore dicto, exercitus in Equos eductus sit: qui paucis diebus de eis subactis, triumphans in urbem rediit, & Salutis ædem dedicauit. Aemilius consul in Salentinis Cleonymum Lacedæmonium, qui classe appulsa Thurias occupauerat, prælio uictum ad naues compulit. quod latè Liuius explicat. Eodem anno Carseoli colonia in Marsos deducta est, & Ethrusci rebellabant, cum M. Valerius Dictator creatus est, qui Marsos deuicit. Sed eo absente, Romanæ cohortes in insidias præcipitatæ sunt. Sed cum reuerteretur Dictator, Ethrusci castris exuti, teterrimaq́ue cæde affecti, pacem iterum petierunt: qua negata, inducias in biennium dedit. ij uerò stipendium annuum, & frumenta duorum mensium dare coacti sunt. Effecerunt res fortiter gestæ M. Valerij, ut & absens, & non petens, consulatum assequereretur. Facit mentionem horum Coss. Diodorus lib. uigesimo. Sed alterum Consulem appellat M. Aemilium, non Q. quo anno Athenis archon erat Nicocles.

4 Coruo II. & Rulliano. 452

Vigesimo enim anno superius, ubi scribuntur Coss. Q. Fabius Rullianus, & L. Fuluius, scribitur in eo opusculo incerti autoris, Coruo & Rulliano. Quis autem is fuerit Coruus, hactenus à me repertus non est. Verisimile autem, hunc Consulatum hic deesse, si numerus annorum debet rectè supputari. Obtestor antiquarios omnes, ut hunc meum laborem & ipsi citra inuidiam iuuent: quandoquidem iam amplius Diodori Siculi historijs uti nequeo, qui XX tantum in hunc diem libros uidi. Si quis post me plures inueniet, non grauetur subscribere, quæ ei cognita fuerint. Idcirco etiam hos Coss. licet in Cassiodoro non inuenerim, apposui.

Coruinus, Maximus. Pansa.

CXX M. VALERIVS, & Q. APVLEIVS. 453

His Coss. cum foris annus hic pacatus esset, domi inter Patres & plebem uetus certamen renatum: plebe postulante, ut è suo quoq́ue corpore pontifices & augures crearentur, quod ad id tempus non fuerat impetratum. Cumq́ue multum inter se contendissent Appius Claudius & P. Decius, ut longè lateq́ue Liuius explicat, euicit plebs, ut quatuor pontifices, quinq́ue augures è plebe crearentur, ut octo essent pontifices, & nouem augures: quod prius non fuit. Eodē anno Valeria lex & Porcia latę sunt. Et Valerius consul in Equos bellum gessit: sed nihil memoria dignum hoc anno accidit. Apuleius collega Nequinū Vmbrię oppidū, quod Norina pòst dictū est, obsedit: sed ob situm arduū capere non potuit. Cæterùm an hic consulatus sit Coruini sextus, paulo inferius copiosius disputabo. Satis sit hoc loco admonere te, studiose lector, quòd in opusculo incerti autoris uidetur adhuc consulatus unus esse, qui hic deest. Sic enim illic scribuntur Coss.

Dextro, & Paulo.
Coruo II. & Rulliano.
Coruino V. & Pansa

Corui & Rulliani consulatus hic non est, neque apud Liuium. Sed hunc iudico quintum esse Coruini consulatum, secundum illum antiquum autorem. Si uerò est sextus consulatus, tunc erunt inter primum eius consulatum, & hunc, supputato etiam illo qui hic & apud Liuium deest, anni sex & quadraginta: ut Plinius, Cicero, Plutarchus, Valerius scripsere. Si uerò hic est quintus, & inferior de quo scribemus sit sextus,

sextus, proueniet alius numerus, ut inferius aliquanto etiam latius scribemus.

Pætus.

454 M. FVLVIVS, & T. MANLIVS TORQVATVS. 2

His Coss. Aniensis & Tarentina tribus ueteri numero additæ, & lustrum conditum. Nequinum oppidanorum proditione captum, qui noctu consulem Fuluium in urbem induxere. Eò colonia aduersus Vmbros missa, atque à Narte fluuio Narnia appellata est. In Ethruria bellum est Gallorum interuentu motum: cum quibus paciscuntur Tusci pecunia, ut in Romanos secum bellum gerant. accepta pecunia Galli negant secum inire bellum contra Romanos, nisi in partem agri recipiantur: quod ubi recusant, retrò abierunt Galli. Contra hos Manlius legiones duxit: sed in ferocioris equi circumactu in terram effusus, triduò expirauit. In cuius locum M. Valerius surrogatus, in Ethruriam uenit: & cum se continerent hostes, uastatis agris, uillisq; incensis, Romam rediijt. Polybius in secũdo, ubi irruptiones Gallorum in Italiam quasi per catalogum recenset, sic scribit: Iam uerò Transalpini, iteratò eos infestare. Hinc utrinque premerentur ueriti, per generis affinitatem precari, ne sibi inimici essent. Munera præterea opima offerre, ut bellum in Po. Ro. conuerterent hortari, se omnibus uiribus eis affuturos ostendere. Id ubi persuasum illis intelligunt, omnes unanimi consensu aduersus Romanos per Tyrrheniam profecti, (quippe magnus Tyrrhenorum numerus apud eos morabatur) facta ingenti præda incolumes domum reuertuntur. Hic orta inter eos pro diuisione prædæ seditio usque adeò processit, ut non solum prædæ, uerumetiam Imperij magnam partem perdiderint. Quod frequẽter Gallis accidere consueuit, ob immoderatas eorum crapulas atq; ebrietates.

Scipio, Centumalus.

455 L. CORNELIVS, & GN. FVLVIVS. 3

His Coss. Lucanorum legati questum uenere de iniuria Samnitium, qui hostiliter suos fines uastarent, quòd ab illis in societatem belli trahi nequiuissent, cum nihil antiquius Romana haberent amicitia. Cum Lucanis igitur fœdus percussum, bellumq; Samnitibus illatum. Contra quos Fuluius profectus est. nam Ethruria Scipioni euenit sorte: in qua Scipio agros populatus, uicos & uillas incendit, quia fuga dilapsi sunt hostes. In Samnio autem tanta uictoria Fuluius potitus est, ut triumphans urbem ingrederetur.

Maximus IIII. Mus III.

456 Q. FABIVS RVLLIANVS, & P. DECIVS. 4

Magna difficultate populus impetrauit, ut Fabius Maximus consulatum acciperet: qui sibi prius P. Decium collegam asciuit, ut Liuius scribit. Cæterùm hi Coss. cum de sortitione prouinciarum, & de delectu accuratissimè habendo cõsilia conferrent, ex Nepete & Sutrio affertur, in Ethruriæ concilijs de pace agitari. Ea res utrumq; Consulem in Samniũ auertit. diuersi tamen in hostem mouere: per Soranum agrum Fabius, Decius per Sidicinos, uterque suam regionem populatus. Fabius ad Tifernum hostem nactus, suos in aciem eduxit: usus mirabili stratagemate, ut hostes in fugam uerteret. Tum tria milia hominum feruntur cæsa, & quadringenta signa militaria, tria & uiginti capta. Decius Apulorum duo milia strauit, priusquam Samnitibus iungerentur. In Samnio quinq; & quadraginta locis castrametatus est, Fabius sex & octuaginta. Cimetramq; urbem cæpit, ac regio tota depopulata & deformata est.

Cæcus II.

457 L. VOLVMNIVS II. & APPIVS CLAVDIVS. CXXI

His Coss. imperium Fabio & Decio, ut rem in Samnio gererent, prorogatum. Deciusq;, collega absente, adeò hostium opes populationibus afflixit, ut Samnites patrio solo pulsi, in Ethruriam abierint: ubi omne Tuscum nomen in Romanos concitarunt, Gallosq; accersiuerunt. Interea Decius ad uicos & oppida circumagens exercitum, Marguntiam ualidam gentis urbem ui cæpit. Inde Romuleam, mox Ferentinum: ubi tria milia hostium cæsa circa muros sunt. Dum hæc in Samnio gerun-

Olympiad. tur, terribilis belli in Ethruriã rumor Appium in Ethruria exciuit. Volumnius cum in Samnium esset profectus, literis est in Ethruriam accersitus, quia parum prospere Appius pugnauit. Sed cauillationibus superbè ab Appio acceptus, reuersurus erat in Samnium, nisi exercitus eum prohibuisset. Tum pertinaci animo contra hostes pugnatum est: & ad septem milia ac trecenti hostium cæsi, duo milia & ducenti capti, castraq; à militibus direpta sunt. Interea ex Samnio nouus hostium exercitus per Vestinos in Campaniam Falernumq; agrum descendit, quem circa Vulturnum fluuium Volumnius castris exuit, sexq; milia hominum cædit ac sternit, duo milia & quingentos cum suo duce capit: quodq; lætissimum Romano militi fuit, super aliam prædam sanè opulentam, septem milia captiuorum sunt ibi recepta. Quæ omnia metum Romæ sedarunt, qui ortus erat de congregatione hostium in Ethruria. Actum deinde de colonijs duabus deducendis. Interim Tusci, Galli, Vmbri, & Samnites, in unum coiuerant, binaq; castra fecerant: quæ Volumnius in urbem rediens, Po. Ro. aperuit, ut Imperatorẽ dignũ talibus hostibus eligerent: ut latißimè in decimo Liuij patet. Polybius in secundo de Gallis, sic meminit huius historiæ: Quarto dehinc anno cum Samnitibus coniuncti, denuò Romanos inuadunt, plurimos eorum cædunt. Non multis interiectis diebus, eos iteratò aggreßi, iuxta Sentinatium regionem prælium ineunt, plurimos obtruncãt, reliquos ad suam quemq; domũ fugere compellunt. Abur. con.

Mus IIII.

2 Q. FABIVS MAXIMVS V. & P. DECIVS. 458

Hic annus, ut latißimè docet Liuius in decimo, fuit felix rebus bellicis, pestilentia grauis, sollicitus prodigijs. In hoc ara Pudicitiæ à matrona plebeia Virginia dedicata. Aedes Veneris à Q. Fabio Gurgite, consulis filio, facta est. Supplicationes multæ factæ, simulacra locata in Capitolio. Sed licet hi Coss. tres simul consulatus & censuram, pari semper gloria & unanimi consensu gesßissent prius, nunc ad dißensionem uenere: cum Fabio Ethruriam patres extra ordinem decreuissent, & Decius sortem habere uellet. Nihilominus Fabius in Ethruriam profectus, licet Scipionem cum una legione amisisset, cum absens esset: quoniam apud Samnites iam P. Decius patris exemplo se deuouit, & in bello concidit, cuius interitus inclinatam aciem à fuga reuocauit: Fabius hinc Gallos in fugam uertit, Samnitium castra oppugnauit. Cæsa eo die quatuor & uiginti hostium milia, octo capta: ex Decij exercitu septem milibus, ex Fabij mille & trecentis amißis. Plinius in uigesimo octauo libro Naturalis historiæ, capite secundo, ubi de potentia uerborum agit, Deciorum patris filijq;, quo se deuouere, carmen durare scribit. Quod latißimè Liuius in decimo explicat: G. Fuluius in Ethruria manum cum Tuscis conseruit, ac tria hostium milia confecit. Samnitium agmen cum abiret, à Pelignis circumuentum. ex quinq; milibus, qui supererant, mille obtruncati sunt. Fabius triũphauit de Gallis, Vmbris, Samnitibus: cum quibus ab M. Valerio tertiùm, & A. Cornelio Coss. sex & quadraginta annos pugnatum est, ut Liuius in decimo scribit: licet tantum quadragintaquinque inueniantur consulatus, adeò ut etiam uix menda careat Liuius. Signat hanc historiam Orosius quoque libro tertio, capite decimonono: ubi etiam Decius Murena, pro Decio Mure, perperam scribitur. Sed & numerus annorum illic scriptus, corruptißimus est. inquit enim: Anno ab Vr. Con. tricentesimo & quinquagesimo, Fabio Maximo quinquies, Decio Murena quater Coss. quatuor florentißimi fortißimiq; populi Italiæ in unum agmen fœdusq; coierunt, &c. Constat autem, hunc annum ab ur. con. non tricentesimum, sed quadringentesimum & quinquagesimum septimum fuisse. Sed numerorum notis hunc errorem tribuo. Subiungit paulo post de pestilentia illius anni notanda. Cæterùm de hoc Decio, & Valerius Maxim. lib. quinto, cap. de Pietate erga patriam. Amborum Deciorum meminit diuus Augustinus, nunc in quarto, uigesimo capite: nunc in quinto, capite decimooctauo. Passim & poetæ, Vergilius, Iuuenalis, ac cæteri. Meminit & horum Coss. Velleius Paterculus,

Ab urbe con. | Olympiad.

terculus sic: Fabio V. Decio Mure IIII. Coss. quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam Minturnasq́ missi coloni, post quadriennium Venusinum.

Megellus II. *Regulus.*

459 **M. POSTHVMIVS, & M. ATTILIVS.** 3

Hic est sextus & quadragesimus annus, quo cum Samnitibus est pugnatum: contra quos ambo Coss. missi, sed mala ualetudo Posthumium domi tenuit. Attilius igitur in Samnium profectus, Samnites admiranda audacia reperit eos sibi obuiare: cū quibus manum cōserens, primò castris eiecit, & trecentos interfecit. sed & Romanorum perierunt ducenti circiter, & triginta. Territi rumore Romani, ualetudinarium consulem in prouinciam misere: qui Miloniam expugnauit, ubi tria hostium milia cæsa, quatuor capta, & septingenti. Ferentinum dehinc, & alia oppida capta ex Samnitibus. Attilius autem in Lucerinis cum Samnitibus summa ferocia congressus, inuitis militibus stragem magnam edidit. Septemq́ milia deditorum, & septingenti sub iugum missi sunt ab eo, cum quatuor milia perijssent ex hostibus, ex Romanis uerò septem milia & trecenti. Attilio Romam redeunti negatus est triumphus. Posthumius Volsiniensem agrum populatus, duo milia hostium cęcîdit. Finitimaq́ populatus, coegit Tuscos pacem petere. Induciæ in quadraginta annos datæ, mulctaq́ quingentûm milium æris singulis ciuitatibus indicta. Deinceps triumphauit inuitis patribus. Hoc latissimè apud Liuium in decimo.

Cursor.

460 **L. PAPYRIVS, & SP. CARVILIVS.** 4

His Coss. ut in fine decimi Liuius copiosissimè explicat, tam ingenti prælio Samnites sunt deuicti à Papyrio, quanto prius à Papyrio patre Consulis. Nam sacrata quadam lege, & noua coniuratione, ad quadraginta milia armatorum, qui Linteatę legiones dicebantur, in Samnio conuenerant. Quos quo pacto deuicerint, & quæ oppida cæperint, Liuius enarrat. Satis sit indicare, ubi hæc legas. Quòd si extaret liber Appiani, cui titulus erat Samniticus, unus ex tribus Italicis libris, longè copiosius bellum illud innotesceret: ut superius annotauimus. Eodem anno Phaliscis pacem petentibus, in biennium induciæ datæ sunt. Ipsi centum milia grauis æris, & stipendium eius anni exercitui dederunt. Vterq́ consul triumphauit. Liuius pompam utriusq́ explicat ubertim. Census hoc item anno factus est: & lustrum conditum à P. Cornelio Aruina, & C. M. Rutilio, censoribus. Huius belli & Orosius libro tertio, capite decimonono meminit: ubi & de pestilentia graui eius anni, ob quam Aesculapius est aduectus, cuius in fine Liuius meminit: qui & de censoribus & lustris quædam scribit, quæ examine indigent. Si enim ritè calculaueris à primis censoribus lustra, unumdetriginta, non deuiginti inuenies. Sed nemo ijs est intentus: spuma uerborum curatur, non res ipsa.

Maximi filius, *Scæua.*

461 **Q. FABIVS GVRGES, & IVNIVS BRVTVS.** CXXII

His Coss. ne non semper causa esset aliqua, quæ ciuitatem recenti aliqua imbueret superstitione, quum fortè ille annus pestilens esset, ex Sibyllinis libris de more aditis, relatum est, Aesculapium in eius mali remedium, ex Epidauro Romam accersendum. Verùm Coss. bello occupatis, quia eo anno nemo est in Græciā missus, supplicatio in diem unum illi decreta est: ut in fine Liuius decimi libri asserit. Quem Aesculapium, diuus Augustinus libro tertio, duodecimo capite, irridet: & in tertio Orosius, capite decimonono. Fabulam autem longam Aesculapij, Ouidius libro decimoquinto de Transformatis, in fine, decantat. Sed legatis missis in Græciam, paulo pòst accidit, ut Liuius libro undecimo scribit, ut ex Abbreuiatore colligere licet. Cæterùm cum Fabius Gurges malè aduersus Samnites pugnasset, & Senatus de remouendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus, eius pater, legatus, filio ignominiam repressit. Cuius opera filius usus, cæsis Samnitibus triumphauit:

Olympiad. triumphauit: & Pontium Samnitium ducem post triumphum securi percussit. Meminit illius & Orosius libro tertio, capite decimo nono, pulchrè historiam enarrans: & Eutropius libro secundo, capite primo. Macrobius autem causam cognominis dicit, ob deuoratum patrimonium in luxu. Sed insequuta uirtus, uitia prioris compensauit ætatis. Ab com.

Megellus III. *Brutus.*

2 L. POSTHVMIVS, & C. IVNIVS. 462

Hic iterum, ut omnibus constat, Liuianus codex deficit, iactura temporis: aut fortè bibliotaphorum, qui bonas literas, ut soli sapere uideantur, abscondunt, nec sinunt in lucem prodire. Attamen ex Abbreuiatore, Orosio, Eutropio, cæteris, quantum possumus, quidquid sub singulis gestum est Coss. subiungemus, partim ratione, partim coniectura utentes. His itaque Coss. suspicor legatos missos in Græciam, secundum Sibyllini carminis oraculum, ut ab Epidauro Aesculapium, qui sub forma anguis illic latebat, accerserent, quia biennio iam ciuitas laborauerat: cui in insulam amnis Tyberini templum locauerunt. Cuius rationem pulchram explicat Plutarchus in Problematibus. Posthumius cum exercitum eduxisset, nec hostes in conspectu apparerent, usus fertur opera militum in suo agro colendo: propter quod sequenti anno damnatus est. & Samnitibus pacem petentibus, quartò fœdus renouatum est. Aesculapium irridet Augustinus tertio Ciuitatis Dei, capite decimoseptimo.

Ruffinus.

3 P. CORNELIVS, & M. CVRIVS DENTATVS. 463

Hi ambo Coss. ut Eutropius in secundo docet, contra Samnites missi, ingentibus prælijs rem confecerunt: ita ruinas ipsas urbium diruentes, ut Samnium in ipso Samnio requiratur, nec inueniri facile possit: & ut Florus libro primo inquit, nec facile appareat materia quatuor & uiginti triumphorum. Tum bellum cum Samnitibus per annos nouem & quadraginta actum, sublatum est: neque ullus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam uirtutem magis fatigauit. Quod uerò Appianus scribit in præfatione ultimi, Samnites erunt qui Ionium incolunt, & magno difficiliq; bello per annos octuaginta conflictati sunt, & reliqua: id intelligendum est de his, qui postea à L. Sylla uicti, capti, deletiq; sunt in campo Martio, ut infrà patebit. Sed priores, teste Floro, quinquaginta ferè annis rebellarunt Romanis. Scripsit ob id Appianus integrum librum de bello Samnitium, cui erat titulus Samniticus: sed iactura temporis, ut alij multi, interijt, quod prius adnotauimus. Curius igitur Dentatus cæsis Sabinis, qui rebellauerant, & Samnitibus uictis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphauit. Describit bellum hoc Sabinum Florus libro primo, titulo decimo quinto: Quo, inquit, tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset, ne ipse posset existimare qui uicerat. Quod etiam Orosius attestatur tertio libro, decimo nono capite, sic scribens: Anno subsequente cum Sabinis Curio Cos. bellum gestum est: ubi quot hominum milia interfecta, quod capta sint, ipse Cos. ostendit, qui cum in Senatu magnitudinem acquisiti agri, & multitudinem capti populi referre uellet, numerum explicare non potuit. Plinius de Viris illustribus, siue Cornelius Nepos, titulo trigesimo tertio, plurima de Curio scribit. Quem arbitror eo tempore memorabile illud continentiæ exemplũ, quod Valerius Maximus libro quinto de Abstinentia scribit, Samnitibus exhibuisse. Qui cum magnam uim auri occulti mitterent, quo mitius Samnium uexaret: Malle se, inquit, aurum habentibus imperare, quàm aurum possidere. Quod & in Catone Maiore Cicero scribit: & Plutarchus in uita Catonis Senioris. Quòd autẽ cum dentibus natus est, ideo Dentatũ esse cognomento dictum, Plinius Senior libro septimo scribit, sextodecimo capite. & Solinus in Polyhistore. De P. Cornelio Ruffino Gellius lib. decimo septimo cap. ultimo scribit. Quòd eum Fabricius, cum esset Censor, senatu mouerit: quòd eum cõperisset argẽti facti cœnæ gratia, decem pondo habuisse. quod & in decimoquarto Liuius explicauit, & Val. Max.

lib. secundo

Ab urbe con. lib. secundo, cap. de Censoria nota. Itē Plinius li. septimo, ca. quinquagesimo. P. Cornelius Ruffus, qui Cos. cum M. Curio fuit, dormiens oculorum uisum amisit, cum id sibi accidere somniaret. Sub id tempus Triumuiri capitales creati dicuntur ab Abbreuiatore Liuij, ex libro undecimo. Siue sub ijs id Coss. siue sub alijs factum sit, incertum. Meminit horum Coss. Velleius Paterculus ijs uerbis: M. Curio & Ruffino Cornelio Coss. Sabinis sine suffragio data ciuitas. Id actum ante annos fermè CCC XXX, intellige ad M. Vinitium Cos.

M. VALERIVS, & Q. CAEDITIVS. 4

464 In opusculo autoris incerti, hoc loco nomina Coss. ponuntur, Coruini & Noctuę. Si igitur hic est M. Valerius Coruinus cognomento dictus, erit is eius sextus consulatus: licet annorum numerus non proueniat, quem Plinius & Valer. Max. scribunt. Plinius enim septimo libro, quadragesimo octauo capite sic scribit: M. Valerius Coruinus centum annos compleuit: cuius inter primum & sextum consulatum quadraginta sex anni interfuere. Plutarchus in uita Marij, quinq; & quadraginta interfuisse annos scribit. Valer. Max. lib. octauo de Senectute: M. Valerius Coruinus centesimum annum compleuit: cuius inter primum & sextum consulatum quadraginta & sex anni intercesserunt: suffecitq; integris uiribus corporis, non solum speciosissimis Reipublicę ministerijs, sed etiam exactissimę agrorum culturę, & ciuis & patris familiâs optabile exemplum. Idem Cicero in Catone Maiore: M. quidem Valerium Coruinum accepimus ad centesimum annum uitam perduxisse. Cum enim esset exacta iam ætate in agris, eosq; coleret: cuius inter primum & sextum consulatum sex & quadraginta anni interfuerunt. Itaque quantum spacium ætatis maiores nostri, ad senectutis initium esse uoluerunt: tantus illi cursus honorum fuit. Tres utique autores paria scribunt, si modò notę numerorum sunt integræ. Si uerò Consulatus numerabis, alius tibi ueniet numerus annorum à primo consulatu Coruini, scilicet sex & quinquaginta: utpote si litera numeralis X ante L posita in prædictis autoribus superflueret. Si uerò numerus est integer: quoniam quatuor autores conueniunt, non proletarij, hic Coruinus fortè illius fuit familiæ, sed alius à priore. Tu lector pro tuo quoq; iudicio examina diligenter.

Tremulus II. *Aruina II.*

465 Q. MARTIVS, & P. CORNELIVS. CXXIII

Gesserunt & hi Coss. simul etiam superius consulatum: ut libro nono Liuius docuit. Sed quid nunc horum consulatu gestum sit, cum autores non habeam, diuinare nolo. Illi scribant, qui se integrum Liuium habere gloriantur. Mihi satis sit, Coss. nomina tantum recensere, ubi nihil certi habeo.

Marcellinus. *Rutilius.*

466 M. MARCELLVS, & C. NAVTIVS. 2

Maximus. *Pætus.*

467 M. VALERIVS, & C. AELIVS. 3

Tradit Iureconsultus in Digesto ueteri, de Origine iuris, duos Aelios maximam habuisse iuris scientiam, & Coss. fuisse: & quendā Sex. Aelium laudatum fuisse ab Ennio: Cuius liber, inquit, extat, & tripertitus inscribitū, ueluti cunabula iuris continens.

Cannia. *Lepidus.*

468 C. CLAVDIVS, & M. AEMILIVS. 4

CXXIIII

469 C. SERVILIVS, & L. CECILIVS METELLVS.

Sub id tempus, ut ex undecimo Liuij colligitur, grauis seditio urbē inuasit, ob æs alienum,

Olympiad. alienum: uarijsq; certaminibus plebs agitata, in Ianiculum secessit. Q. Hortensius Dictator reduxit. Mox pacato ciuitatis statu, contra Volsinienses & Lucanos est bellatum: contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuit. Sed quibus Coss. id factum sit, incertum.

Dolobella, Caluus.

2 P. CORNELIVS, & CN. DOMITIVS. 470

His Coss. (ut testatur Orosius lib. tertio, cap. decimonono) Lucani, Brutij, Samnites quoq; cum Ethruscis & Senonibus Gallis facta societate, cum rediuiuum contra Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos misere legatos. quos cum Galli interfecissent, L. Cecilius prætor ad ulciscendam legatorum necem, & comprimendum hostium impetum, cum exercitu missus est: & ab Ethruscis Gallisq; oppressus interijt. Septem præterea tribuni militum in ea pugna occisi, multi nobiles trucidati, tredecim etiam milia militum Romanorum illo bello prostrata sunt. Sed in eo loco scribitur, id factum anno ab ur. con. quadringentesimo sexagesimo tertio, qui numerus non conuenit, cum hic sit septuagesimus annus supra quadringentesimum, si bene singula supputentur. Cæterùm quo ad historiam, idem & Eutropius li. secundo, primo cap. Interiectis aliquot annis, iterum se Gallorum copiæ contra Romanos, Tuscis Samnitibusq; iunxerunt. Sed cum Romam tenderent, à Gn. Cornelio Dolobella deletæ sunt. Cornelius ille passim à cæteris P. non Cn. prænomine appellatur. Florus li. primo, ti. decimotertio: Necnon post aliquot annos omnes reliquias Gallorum in Ethruria ad lacum Vadimonis Dolobella deleuit: ne quis extaret in ea gente, qui incensam à se Romanam urbem gloriaretur. Signat hanc historiam etiam diuus Augustinus, libro tertio, decimoseptimo capite. Abbreuiator Liuij ex duodecimo: Cum legati Romanorũ à Gallis Senonibus interfecti essent, Bello ob id Gallis indicto, L. Cecilius Prætor cum legionibus ab ijs cæsus est. Polybius hæc omnia clarè (ibi enim in secundo, irruptiones Gallorum in Italiam quatuor per catalogum recenset) sic prodit: Iam uerò Transalpini iteratò eos infestare. Hi utrinque ne premerentur ueriti, per generis affinitatem precari, ne sibi inimici essent. Munera præterea opima offerre, ut bellum in Po. Romanum conuerterent hortari, se omnibus uiribus eis affuturos ostendere. Id ubi persuasum illis intelligunt, omnes unanimi consensu aduersus Romanos per Tyrrheniã profecti (quippe magnus Tyrrhenorum numerus apud eos morabatur) facta ingenti præda, domum incolumes reuertuntur. Hic orta inter eos pro diuisione prædæ seditio, usq; adeò processit, ut non solum prædæ, uerùm etiam imperij magnam partem perdiderint: quod frequenter Gallis accidere consueuit, ob immoderatas eorum crapulas atque ebrietates. Sed Gellius lib. decimoseptimo, libros Chronicos reuoluens, sic scribit: Post annum deinde urbis conditæ quadringentesimum & septuagesimum, bellum cum rege Pyrrho sumptum est. Ea tempestate Epicurus Atheniensis, & Zeno Citiensis, Philosophi celebres erant. Sed hoc paulo pòst clarius. Eodemq; tempore C. Fabricius Luscinius, & Q. Aemilius Pappus, Censores Romæ fuerunt: & P. Cornelium Ruffinum, qui bis consul & Dictator fuerat, senatu mouerunt: causamq; isti notæ subscripserunt, quòd eum comperissent argenti facti cœnæ gratia decem pondo habere. quod & paulo superius in eius consulatu annotauimus.

Luscinus, Pappus.

3 C. FABRICIVS, & Q. AEMILIVS, 471

Gesserunt hi simul consulatum & censuram. In censura P. Cornelium, Ruffinum bis consulem Senatu amouerunt: ut suprà annotauimus ex Gellio & Val. Quid autem sub ijs in consulatu gestum sit, incertum est.

L. Aemi-

Ab urbe con.

Barbula. Philippus.

L. AEMILIVS, & Q. MARTIVS.

472 His uel prioribus Coss. quantum coniectura licet assequi, ex Orosio lib. quarto, 4
primo capite, Tarentinum bellum fuit inchoatum: quia sequenti anno cum Pyrrho rege est pugnatũ à Valerio Leuino Consule, quod omnes attestãtur. Gellius autem lib. decimoseptimo, ultimo cap. Post annũ, inquit, urbis cõditæ quadringentesimũ ferè et septuagesimũ, bellum cum rege Pyrrho sumptũ est. Licet Plinius lib. octauo, cap. sexto, ubi elephantes describit, Pyrrhi regis bellum in annum urbis quadringentesimũ septuagesimũsecundũ reijcit: quod bene conuenit. Atq; ideo numerus Orosij errore nõ caret: qui anno ab ur. con. quadringentesimo sexagesimoquarto, Tarentinos Romanam classem inuasisse scribit. Cæterùm hoc bellũ Tarentinũ inde ortum habuit, quòd cum classis Romana fortè frumentatũ in Apuliam exijsset, à Tarẽtinis, qui fortè tum ludos celebrabant, capta est, duce qui classi præerat occiso. Legati ad eos à Senatu missi repetitũ res, ac ut de iniurijs quererentur: qui maiori sunt contumelia affecti. Ob id bellũ illis indictũ. Et cum feliciter cum eis dimicatũ esset, Pyrrhum Epirotarum regem in Italiam accerserunt: ut ex Plutarcho in uita Pyrrhi, ex duodecimo Liuij, ex quarto Orosij, ex secundo Eutropij, ex decimooctauo Iustini, colligi facile potest. Sed bellum Tarentinum eleganter Florus lib. primo, tit. decimooctauo describit. Meminit & huius Val. Max. lib. secundo, de Institutis: & diuus Augustinus lib. tertio Ciuitatis, cap. decimoseptimo: Cicero in prima Tusculana, Solinus, Plinius in septimo libro, capite uigesimo quarto. Huius legationis meminerũt omnes. Hi uidendi sunt, ut historia innotescat, quoniam Liuio caremus.

Leuinus.

P. VALERIVS, & T. CORVNCANVS. CXXV

473 Hic est ille Valerius Leuinus, qui cum Romano exercitu etiam ex proletarijs conscripto, contra Tarentinos profectus, omnia igni ferroq; uastauit: plurimaq; oppida expugnauit, ut iniuriam insolenter acceptam crudeliter uindicaret. Cui Pyrrhus, iam in Italiam excitus à Tarentinis, cum exercitu obuiam profectus est: præmisso caduceatore ad Romanos, si uellent ante bellum se iudice cum Tarentinis de iure causam decerni. Cui Leuinus Consul respondit, populum Romanũ nec elegisse Pyrrhum iudicem, nec hostem formidare. Licet Plutarchus hunc consulem Albinum, non Leuinum appellet. Deinde circa Syrin fluuium cõmissa est pugna: quam pulchrè Plutarchus describit: in qua Romani septies pepulerunt hostes, ac pulsi sunt. Sed cum elephantes induxisset Pyrrhus, ijs territi equi, sessores excludentes, Romani in fugam uersi maxima cum clade. Nam & castra Romanorum cæpit, ac urbes sociorum recuperauit: licet optimos ex amicis & ducibus, quibus fidebat, amisisset. Ex Romanis mille & octingentos cæpit, quos honestè tractauit, mortuosq; sepeliuit. quos cum aduerso uulnere omnes truci uultu iacere uideret, se totius orbis dominum exclamauit, si tales milites sibi contigissent. Dehinc ad Romam perrexit, Campaniamq; populatus, ad Præneste usque uenit. Sed cum consul sequeretur, in Campaniam se recepit. Cyneas legatus Pyrrhi cum pluribus donis Romam missus, à nemine acceptus est: licet pacem afferret, adquam alioqui Senatores inclinabant. Sed Appius Claudius Cæcus sella in Senatum delatus, acerrima oratione pacem dissuasit, cum iam diu ob aduersam ualetudinem cõsilio abstinuisset, Ennij uerbis usus in principio suæ orationis, ut Cicero in Catone scribit, his scilicet:

Quò uobis mentes, rectè quæ stare solebant
Antehac, dementi sese flexere ruina? & in sexto Fastorum Ouidius cecinit,
Appius est autor, Pyrrho qui pace negata,
Multum animo uidit, lumine captus erat. & reliqua quæ sequuntur. De hoc &

Valerius Maximus libro octauo, de Senectute. Suetonius in Tyberio, rubrica secunda, huius Appij Cæci mentionem facit. Et Iurisconsultus ff. primo: Appius, inquit,

Olympiad. quit, Claudius maximam iuris scientiam habuit, Appiam uiam strauit, Claudiam aquam induxit, & Pyrrho, in urbem non recipiendum, sententiam tulit. Item Iureconsultus libro tertio ff. quærit, Nunquid cæcus gerere magistratum possit: & extat, inquit, exemplũ eius qui gessit, Appius Claudius cæcus consilijs publicis intererat, & in Senatu dixit seuerissimam sententiam de Pyrrhi captiuis non recipiendis. Meminit huius Appij iunior Plinius titulo trigesimoquarto. Cynea itaque dimisso, responderũt patres: Si Pyrrhus Italia decedet, Populum Romanum paratum esse cum eo fœdus inire: quoad uerò in armis esset, aduersus eum belligeraturum. Vide Plutarchum, Florum, Eutropium, Orosium, Plinium iuniorem titulo trigesimoquinto, quæ Pyrrhus à Cynea interrogauit. Credo item hunc esse Tiberium Coruncanum, qui maximam iuris scientiam habuit, & primus profiteri cæpit: ut Iureconsultus docet de Originee iuris, libro primo Digestorum: & quidem inquit, Ex omnibus qui scentiam nacti sunt ante Tiberium Coruncanum, publicè professum nemo traditur.

P. SVLPITIVS, & P. DECIVS.

Horum Coss. meminit Eutropius libro secundo, cap. primo: scribitq; certamine 474
cum Pyrrho cõmisso uulneratum fuisse, ac elephantos interfectos, & uiginti milia hostium cæsa, cum ex Romanis tantum quinq; milia cecidissent. Suspicor ante hanc pugnam Fabricium cum cæteris legatis ad Pyrrhum, pro redimendis captiuis missum: quem nec auro, nec elephanto permouere potuit, nec oblatione portionis quartæ regni sui: ut latissimè in Pyrrho Plutarchus docet, & Val. Max. quibus rebus permotus Pyrrhus, captiuos Fabricio dedit: ut Saturnalia cum domesticis ac parẽtibus peragerent: si Senatus pacem abnueret, post festiuitatem ut redirent.

Luscinus II. *Pappus.*

C. FABRICIVS, & Q. AEMILIVS.

Horum Coss. meminit Cicero in tertio de Officijs, in hæc uerba: Pyrrhi bello C. 475
Fabricio iterũ consule, perfuga in castra Fabricij uenit: eiq; est pollicitus si præmiũ ei proposuisset, se ut clàm uenisset, sic clàm in Pyrrhi castra rediturum, & eum ueneno necaturum. Plutarchus in Pyrrho apertius hanc historiam describit: Cum enim iam castra uicina haberet cõtra Pyrrhum Fabricius, quidã à medico regis epistolam obtulit, qua se offerebat, ueneno regẽ necaturũ, si præmia darent. At Fabricius iniuriam detestatus, hominẽ uinctum reduci iussit, cum literis: quarũ exemplar lege apud Plutarchum, qui horum consulũ illic meminit. Scribit Eutropius, regem tunc admiratũ dixisse: Ille Fabricius difficilius ab honestate, quàm sol à cursu auerti potest. Conuicto tum medico (quem Gellius in tertio libro, cap. octauo, & Val. Max. in sexto, Timocharen appellant) & supplicio affecto: ad retributionem beneficij, captiuos omnes gratis Fabricio Romanisq; restituit. Romani parem Tarentinorum ac Samnitium numerum captiuorum Pyrrho remiserunt, pacem quam postulabat & amicitiam abnuẽtes, donec Italiam relinqueret. Apud Asculũ igitur grauissima pugna rex Pyrrhus cum Romanis congressus, tum iam elephantorum terror exoleuerat, utpote cum à Minutio quartæ legionis hastato elephantis proboscide abscissa, beluas mori posse ostendebatur. In hoc certamine brachium Pyrrhi hasta transfixum est, & quindecim milia hominum utrinq; cecidisse narrantur. Ob id in Siciliam traiecit Pyrrhus. Fabricius autem uictis Samnitibus & Lucanis, triumphauit. Corrige locũ deprauatũ in Floro lib. primo, tit. decimooctauo: ubi scribit, Apud Asculum melius dimicatum est Curio Fabricioq; Coss. Hi enim nunquam simul fuerunt Coss. licet uterq; Pyrrhum profligauerit: Fabricius apud Asculum, Curius apud Beneuentũ. Igitur legendum censeo, Aemilio Fabricioq; Coss. aut Curij Fabricijq; consulatibus. Tunc enim apud Asculum pugnatum esse, & Plutarchus ipse in Pyrrho fatetur. Pręterea cum paulopòst Florus subiũgit: Quales porrò ipsi duces uel in castris, cum medicũ uenale regis Pyrrhi caput afferentẽ Curius remisit. cum hoc de Fabricio legatũ, non de Curio, in Cicerone, Plutarcho, Gellio, ac passim cæteris. Cæterùm atrocitatẽ

cladis,

Ab urbe con. cladis, ut Orosius lib. quarto, primo cap. testatur, Pyrrhus in templo Tarentini Iouis, Olympiadis
tali eulogio fassus est: QVI ANTEHAC FVERE INVICTI, PATER O-
PTIME OLYMPI, HOS EGO IN PVGNA VICI: VICTVSQVE
SVM AB EISDEM. Plutarchus scribit, Pyrrhum dixisse: Si alia item pugna Ro
manos uicerimus, omnino peribimus. Vide continentiam Fabricij apud Valerium
Maximum lib. quarto, de Abstinentia: apud Gellium lib. primo, cap. 14.

Ruffinus II. *Brutus.*

476 P. CORNELIVS & C. IVNIVS. 4

Quanquam non immeritò studiosissimus quisque Liuij fragmentatos libros quera
tur, mihi tamen in primis hæc iactura molestissima est, qui non habeam, quo gesta
Coss. semper afferam. Nuda enim eorum nomina hic mihi uerecundiã in facie, & sto-
machum mouent. Facio tamen pro uirili quæ possum, nihil temerè. Ob id si cõiectu-
ris locus est, circa id tempus gestum est id quod Polybius tradit in secundo, ubi Gal-
lorum in Italiam irruptiones commeminit: uel paulo pôst, quando L. Cecilius fuit
consul. nam L. consulis meminit. Verba eius hæc sunt: Post decimum annum (re-
quire proximam Gallorum dimicationem) comparato ingenti exercitu, in Ethru-
riam profecti, Aretium obsident. Romani Aretinis auxilium ferentes, non longè ab
urbis mœnibus dimicarunt. In qua pugna superati, L. Consule amisso, Manium Cu-
rium in eius locum suffecere. Hic statim legatos in Galliam ad redimendos captiuos
mittit. Qui cum eò peruenissent, uiolato iure gentium, à Gallis interficiunt. Quo sce
lere indignati acriter Romani, nouo delectu habito, penetrare in Galliam aggrediũ-
tur. Sed parum processum erat, cum eis Senones occurrunt: hos collatis signis, eue sti
giò aggressi superant. Magnam partem interficiunt: si qui superauerant, sedibus fu-
gant, regione potiuntur, nouam ipsi in urbem coloniam inducunt: causamque ueteri
nomine, quòd primo à Gallis habita fuerit, Senam appellant. Est autem ea urbs in lit
tore Adriatici maris sita, ubi campi Italiæ terminantur. Boij, cum Senones proprijs fi
nibus fugatos à Romanis intelligerent, ueriti ne ipsi quoque idem paterentur, coacto
exercitu, Tyrrhenisque omnibus in subsidium uocatis, arma aduersus Romanos mo-
uent. Nec multis interiectis diebus præliũ ineunt: in quo Tyrrhenorum magna pars
cæsa, Boiorum ad extremum quàm paucissimi fugere. Nec tamẽ ob eam stragem ce-
cidere animis: quin proximo anno iterum uocatis uiribus, collectaque omni iuuentu-
te, quæ ad usum armorum apta uidebatur, in Romanos exeunt: ubi adeò fusi profli-
gatique fuere, ut penè ad internecionẽ delerẽtur. Quamobrem mitigatis parumper a-
nimis, fœdus cum Romanis per legatos percutiunt. Erat, dum hæc gerebant, tertius
annus post traiectionẽ Pyrrhi in Italiam: & quintus post eam cladem, quam Galli a-
pud Delphos passi fuere. Ita ea tempestate fortuna, quasi pestis quædam hostilis in
Gallos immissa, passim omnes persequebat. Hæc sine dubio Liuius in undecimo, u-
bi eius Abbreuiator inquit: Cum legati Romanorũ à Gallis Senonibus interfecti es-
sent, bello ad id Gallis indicto, L. Cecilius prætor cum legionibus ab ijs cæsus est.
Subiungit uerbum annotatu dignũ Polybius, quod huic loco conuenit, dicens: Ve-
rùm enimuero ex ijs prælijs quæ suprà numerauimus, duplicẽ utilitatẽ Romani cæ-
pere. Nam & assuefacti dimicare cum Gallis, quorũ nomine nihil apud eos tetrius,
nihil horribilius esse consueuerat, præstantissimi aduersus Pyrrhum certatores facti
sunt. Et ita Gallorum audaciam paulatim cõtriuerunt, ut nõ longè post securi, primò
cum Pyrrho de Italia, deinde cum Carthaginẽsibus de imperio Siciliæ dimicauerint.
Galli superioribus prælijs uexati, quinque & quadraginta annos quieuere, non uiola-
ta pace quam cum Romanis habebãt. Is P. Cornelius Ruffinus bis Consul, est Fabri-
cio Censore amotus Senatu, utpote qui nimis luxuriosam cœnã instruxisse ferebat:
ut superius ex Gellio in 14. lib. cap. 7. & Val. Max. lib. secũdo, cap. de Censura anno-
tauimus. Quod abbreuiator Liuij in 14. annotat. Tum credo etiam prodigia illa fuis-
se facta: quando, ut idem scribit, fulmine deiectũ est in Capitolio Iouis simulachrũ,
& ut Orosius in 4. scribit, eiectũ. Tum pabulatores fortè egressos, uelut hostilis quæ-

Olympiad. dam oborta tempestas, cum horribili fragore cœli correptos diris fulminibus exusſit. Quippe trigintaquatuor eorũ quidam turbo prostrauit, uigintiduo semineces relicti: iumenta exanimata sunt. De hoc P. Cornelio Ruffino, Cicero in secundo de Oraore, quem locum etiam citat A. Gellius lib. quarto, capite octauo. *Ab* *con.*

Elepsina.
Clepsina.

CXXVI Q. FABIVS GVRGES II. & G. GENVTIVS. 477

His Coſs. ut Orosius lib. quarto, cap. secundo scribit, pestilentia grauis urbem ac fines eius inuasit: quæ omnes, tum præcipuè mulieres pecudesq́ corripiens, necatis in utero fœtibus, futura prole uacuauit: & immaturis partubus cum periculo matrũ, extorti abortus proijciebantur adeò, ut defectura succeſsio, & defuturum animantiũ genus, adempto uitalis partus legitimo ordine crederetur. Diuus Augustinus in tertio diuinæ Ciuitatis, cap. decimoseptimo, huius pestis sic meminit: Atq́ in strage tanta bellorum, etiam pestilentia grauis exorta est mulierum. Nam priusquam maturos partus ederẽt, grauidę moriebanť. Vbi se credo Aesculapius excusabat, quòd archiatrum se, non obstetricem profitebať. Pecudes quoq́ similiter interibant, ut iam defecturum genus animalium crederetˉ. Interea Pyrrhus fertur relicta Sicilia traiecisse in Italiam. ac cum è Sicilia abiret, respexisse ac dixisse: O' qualẽ Carthaginẽsibus & Romanis pro hac insula palæstram reliquimus: & hoc quidem ut cõiectatus est, ita euenit. Interim uerò Samnites, teste Plutarcho, multis iam prælijs erant superati, quia tunc Romani in Samnio castra habebant. Ipse autem ex Tarentinis delectũ faciens, cum prius secum uiginti equitum, triginta peditum milia adduxisset, copias diuisit, partim in Lucaniam misſas ut alterum consulem demoraretur: ipse contrà, alium ad Beneuentum exercitum duxit. Eutropius, si numeri sunt castigati annorum, prodit, quòd anno quadringentesimo septuagesimoseptimo, cum iam clarum urbis Romæ esset nomen, arma tamen extra Italiam mota non fuerant, factum sit. Vt ergo cognosceretur quæ copiæ Romanorum essent, census est habitus. Tum inuenta sunt ciuiũ capita ducentena nonagintaduo milia, trecenta trigintaquatuor, quanquam à condita urbe nunquam bella cessassent.

Dentatus II. *Lentulus.*

2 M. CVRIVS, & L. CORNELIVS. 478

Horum Coſs. meminit Plutarchus, & Orosius. Item Eutropius libro secundo, capite primo inquit: Hi aduersum Pyrrhum misſi sunt: Curius contra eum pugnauit, exercitum eius cæcidit: ipsum Tarento fugauit, castra cæpit. Ea die cæsa sunt hostiũ uigintitria milia: Curius in consulatu triumphauit, & primus Romam quatuor elephantes duxit. Plutarchus scribit in Pyrrho, regem se præparasse, ut antè Curium opprimeret, quàm collega aduentaret, fortiſsimisq́ militibus & bellicosiſsimis elephantibus aciem instruxisse. Quos tamen Curius ita in fugam uertit, ut elephantes quosdam caperet, quosdam in fugam uerteret: quæ res uictoriam Romanis, & simul principatum tradidit. Sic Pyrrhus sex annorum tempore absumpto, Italia exceſsit. Orosius (sed exemplar timeo ne sit mendosum) quintodecimo anno scribit, Italiam reliquisse. Sed cum in Italiam uenerit, P. Valerio & T. Coruncano Coſs. hic erit annus sextus, non quintusdecimus. Et Florus: Vno (inquit) bello Tarentino intra quadriẽnienium maximam partem Italiæ, &c. Cæterùm pugnam pulchrè describit Orosius: Reuersum, inquit, ex Sicilia Pyrrhum, Curius consul excepit: tertiumq́ id bellum cõtra Epirotas apud Lucaniam in Arusinis campis gestum est. Itaq́ primo concursu, cum Pyrrhi milites Romanorũ impreſsione trepidarẽt, circunspectantesq́ fugam belli cedere molirenť, Pyrrhus elephãtes ex subsidijs iuſsit induci. Romani asſueti iam pugnare cum beluis, cum malleolos stuppa inuolutos ac pice oblitos, uncis insuper atq́ aculeis tenaces præparauissent, eosq́ inflammatos in terga beluarũ, turresq́ uibrarent: non difficulter furentes ardentesq́ beluas, in eorũ excidia, quorum

subsidia

Ab urbe con. subsidia fuerant, retorserunt. Florus lib. primo, titulo decimooctauo: Lucaniæ supre ma pugna sub Arusinis, ut uocant, campis, ducibus ijsdem quibus superius: & tunc tota uictoria exitum, quem datura uirtus fuit, casus dedit. Nam productis in primam aciem elephantis, unum ex illis pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit: qui cum per stragem suorum currens stridore quereretur, mater agnouit, & quasi uindicatura exiluit. Tum omnia circa quasi hostilia graui timore permiscuit, ac sic cædem feræ, quæ primam uictoriam abstulerant, secundam parem fecerũt, tertiam sine controuersia tradidere. Meminit L. Lentuli consulis Plinius libro trigesimo tertio, capite secundo, sic scribens: L. Lentulus Cos. Seruilo Cornelio Merendę Samnitum oppido capto, coronã dedit. Continentiam Curij quam hoc bello exhibuit, uide apud Valerium Maximum, libro quarto, capite de Abstinentia: ubi etiam de continentia Romanorum agit, qui munera legatorum Pyrrhi recusarunt. quod Florus uel uerbo significat: Depulsi, inquit, cum muneribus suis legati. Est præterea illud in eo loco obseruandum, quòd omnes penè Flori codices Lyrin fluuium habent, cum Syrin aliqui legendum putent, ex Plinio libro tertio, capite undecimo. Vnde & Strabo libro sexto: Pòst Heracleopolis, supra mare paululum, & nauigabiles amnes duo, Aciris & Siris: super quo eiusdem nominis est ciuitas Troiana, à quã procedente tempore deducti à Tarentinis coloni, Heracleam tenuerunt. Stephanus de Vrbibus: Siris ciuitas Italiæ est, haud longè à Metaponto, & fluuius eiusdem nominis. Neq; tamen certè asserendum. nam Lyrin fluuium Latij Strabo libro quinto describit, Clauincp; uocatum inquit, & de Appenninis collibus ortum, & qui Fregellas præterfluat, & inter Minturnas erumpat. ut suspicandum sit, Florum utrunque hoc titulo designasse. Nam primum, inquit, apud Heracleam & Campaniæ fluuium Sirim, Leuino Consule, & reliqua. Hic etiam, teste Plutarcho, prima pugna commissa est. Dehinc de Pyrrho loquens, qui usque ad urbem cum exercitu festinauit: Totam trementem Italiam, Campaniam, Lirim, Fregellasq; populatus, prope captam urbem, &c. Plinius libro tertio, capite quinto, Latium antiquum à Tyberi ad Lirim amnem processisse scribit, Glanicum appellatum. Hinc felix, inquit, Campania est. Examinandum tamen relinquo erudito: quia nasuti magis curiosum quàm uerũ indagant, & ambitione pleni sæpe cæcutiũt. In Pyrrhi uita apud Plutarchum, Sirine scribitur: fortè pro Sirin, uitio librarij.

479 SER. CORNELIVS MERENDA, & M. CVRIVS DENTATVS III. 3

Scribit Orosius in quarto, cap. tertio, quòd anno ab ur. con. quadringentesimo septuagesimosexto, Tarentini Pyrrhi morte cõperta, iterum noua aduersus Romanos arma sollicitauerint, Carthaginensiumq; auxilia poposcerint per legatos. Sed conserto prælio, iterum uicerũt Romani. An hoc ijs Coss. gestum sit, dubito. Numerus certè annorum Orosij menda non caret.

480 C. FABIVS LICINIVS, & C. CLAVDIVS CANNIA II. 4

Hos Coss. Eutropius in secũdo lib. cap. primo nominat: scribitq;, quòd Tarentini Pyrrhi morte cõperta, iterum noua arma aduersus Romanos sollicitarint. Cæterùm domesticis uiribus diffisi, ad Carthaginensiũ opes confugiunt, auxilia per legatos poscunt, & accipiunt. Carthaginenses à Romanis uincuntur: qui etsi nondum hostes ex confesso erant, senserunt tamen se posse à Romanis uinci. Subiungit idem Eutropius: Quadringentesimo sexagesimoprimo anno, C. Fabio Licinio, C. Claudio Cannia Coss. legati Alexandrini à Ptolemæo missi Romam uenere, & à Romanis amicitiam, quam petiuerant, obtinuerunt. quod etiam abbreuiator Liuij in decimoquarto scripsit. Sed hic numerus, ut Orosij, est corruptus. Sed potius legendum, quadringentesimus septuagesimusnonus. Meminit horum Coss. Velleius Paterculus: Cossa & Pestum coloniæ Romanorum factæ, annos abhinc trecentos, Fabio Dorsone & Claudio Cannia consulibus.

Olympiad. CXXVII

L. PAPYRIVS CVRSOR II. & SP. CARVILIVS.

Horum Coss. sic meminit Iulius Frontinus, de Aquæductibus: Incipit, ait, uetus Anio distribui uico publico, Publicij alueo ad portam Trigeminam, qui locus Salinæ appellantur, post annos quadraginta quàm Appia perducta est, anno ab ur. con. quadringentesimo octuagesimonono. M. Curius Dentatus, qui censuram cum L. Papyrio gesit, Anienis, qui nunc dicitur uetus, aquam perducendã in urbem ex manubijs de Pyrrho captis curauit, Sp. Caluisio L. Papyrio Coss. Item post bienniũ deinde actum est in Senatu de cõsummatione eius aqueæ operæ, post annũ nonum Minutius prætor edidit. Tum ex S.C. Duumuiri aquam perducentes creati, Curius & Fuluius Flaccus, locauerant. Curius intra quintum diem, quàm erat Duumuir creatus, decesit: gloria perductæ pertinuit ad Fuluium. Sed & hi quoq; numeri egent examine. nam quadragesimus quidem est annus post Appiam aquam inductam, sed ab ur. con. est quadringentesimus octuagesimusprimus circiter. Ab ur. con. 481

2 C. QVINTIVS, & L. GENVTIVS. 482

Circa id tempus Sextilia uirgo Vestalis damnata incesti, uiua defossa est. Eusebius circa id tempus unam uirginum Vestalium tradit in corruptione deprehensam, percussam esse. & paulo pòst alteram subiungit, laqueo uitam finijsse. Sed de annis, quibus hæc facta sunt, nemo credat se posse rectè æstimare. Coloniæ tum deductæ sunt, Posidonia & Conisa. Carthaginensium classis auxilio Mamertinis uenit, quo facto fœdus ab ijs uiolatum est.

Clepsina. Blesus.

3 C. GENVTIVS II. & GN. CORNELIVS. 483

Eo ordine, & ijs nominibus ponuntur Coss. à Casiodoro, in unico quod habeo exemplari. In opusculo uerò Coss. incerti autoris, quod quidã Orosio attribuũt, ijdẽ sic nominantẽ, post Ser. Corneliũ & Curiũ Dentatũ III. si non sunt (quod uereor) nomina corrupta. ob quã causam ego ea subiũgo, ut nihil obmittã, quod prodesse reor.

Licinio	&	Cinna.
Cursore II.	&	Maximo.
Claudio	&	Clepsina.
Clepsina	&	Bleso.
Gallo	&	Pictore.

Cæterùm sub quibus Coss. factum sit illud, quod Orosius lib. quarto, cap. 3. scribit: quod nimirũ ex 15. Liuij collegisse uidetẽ, ut ex Abbreuiatore apparet, incertũ planè est de legione Campana, quæ Rhegiũ occupauerat: quæ deditione facta, securi percussa est. Nam sequenti anno, inquit Orosius, magnam uiscerũ suorũ partẽ seueritas Romana cõcidit. Nam aduentante dudum Pyrrho, octaua legio diffidens Romanæ spei, nouũ scelus auxit: Rheginos omnes, quibus subsidio præerat, interfecit, prędam sibi omnem, atq; ipsum oppidũ uendicauit. Hoc facinus in tam sceleratos puniendũ Genutio cõsuli uisum est: qui obsessa Rheginorum urbe, captisq; omnibus, ipse quidem in reliquos perfugas & latrones exercuit digna supplicia: Romanos uerò milites integræ legionis Romam misit, qui populi iussu in medio foro uirgis cæsi, ac securi percusi sunt. Visa est tunc sibi Roma uincere, cum legionem suam integram occidit: quæ sine dubio uicta fuisset, si eam hostili prælio perdidisset. An id sub L. Genutio, an sub G. Genutio, qui iterũ consul fuerat, acciderit, incertũ est. Describit hanc historiam luculenter Polybius primo libro, sed Coss. non nominãt. Accidit per id tempus, ut Apolloniatũ legati ad senatũ missi, Romæ à iuuenibus quibusdã pulsati sint: quo flagitio ne ius gentium impunè uiolatum uidereẽ, lusu populi sontes ad supplicium Apolloniatibus sunt dediti: ut abbreuiator Liuij in 15. annotat. Narrat Orosius eodem quarto libro, & quarto cap. obscœna & tetra prodigia, quæ acciderunt: quę lector diligens leget, quia miranda. quibus autem Coss. mihi diuinare non licet.

Rectè supputanti apparebit, hoc factũ esse Q. Fab. Max. et Quintio Gulone cõsulibus.

nam nu-

Ab urbe con. nam numerus annorum, quem ponit, corruptus est. Cæterùm post nominatos iam Coss. à Cassiodoro, ponuntur ab Eutropio lib. secundo, ca. secundo, hi duo Coss. Q. Gulo, & Fabius Pictor: ut in opusculo Coss. incerti autoris, fortasse Gulone, nō Gallo, & Pictore, sit legendum. Hos item subiungere placuit, licet in Cassiodoro non inuenerim. Boni lector consulas, si nimis tibi uidear curiosus. Prodesse enim, & alios excitare, qui somnium Epimenidis dormiunt, laboro. *Olympiad.*

484 Q. Gulo, & Fabius Pictor. 4

His Coss. teste Flauio Eutropio, lib. secundo, cap. secundo, Picentes noui hostes facti, Romana in se arma exciuere. Picentis autē belli causam non inuenio. Ipsa gens à Sabinis oriunda, uoto uere sacro, cuius opes adeò procedente tempore creuere, ut uno tempore trecenta sexaginta milia Picentum in fidem Po. Ro. uenisse dicantur. Fortè quia Tarentinis auxilia tulerunt, placuit Po. Ro. hostiū socios persequi. Sunt igitur à sequentibus Coss. superati. Fuit ergo hic quintus annus ante primum Punicum bellū, quo anno primùm, teste Liuio, Po. Ro. argento signato uti cœpit. Quod & Plinius lib. trigesimo tertio, cap. tertio annotauit: Argentum, inquit, signatum anno urbis quingentesimo octogesimoquinto, Q. Fabio consule, quinq; annis ante primum bellum Punicum. Sed error inest his uerbis. non enim quingentesimo, sed quadringentesimo, est legendum, ut clarè apparet: & quarto, non quinto. Eusebius argenteum nummum primùm in urbe signatum tradit Olympiade CXXVII. quod cum numero nostro non cōuenit. Cæterùm de Fabio Pictore Plinius tricesimo quinto, cap. quarto sic tradit: Apud Romanos quoq; honos maturè huic arti contigit. Siquidē cognomina ex ea pictores traxerunt, Fabij clarissimæ gentis: princeps eius cognominis, ipse ædem Salutis pinxit, anno Vr. con. quadringentesimo quinquagesimo: quæ pictura durauit ad nostram memoriam, æde Claudij principatu exusta.

Sophus, *Ruffus.*

485 P. SEMPRONIVS, & APPIVS CLAVDIVS. CXXVIII

Eutropius lib. secundo, horum Coss. meminit, sub quibus Picentes deuicti sunt, et de his triumphatum est. Meminit huius belli Florus in primo, decimonono titulo: Domiti hinc Picentes, sed caput gentis Asculum Sempronio duce: qui tremente inter prelium campo, Tellurem deam promissa æde placauit. Quod significantius Orosius in quarto, & quarto capite expressit: Sequenti, inquit, ab hinc anno, Sempronius consul aduersus Picētes duxit exercitum. Et cum directa intra iactum teli utraq; acies constitisset, repentè ita cum horrendo fragore terra tremuit, ut stupore miraculi utrumq; pauefactum agmen hebesceret: diu attoniti utrinq; populi hæsitauere. Præiudicata incesti conscientia, tandem pro cursu concito certamen iniere. Triste adeò id bellum fuit, ut meritò dicatur, tantum sanguinem immanum susceptura, etiam cum gemitu horrisono terra tremuisse. Romani, qui pauci admodū eo prælio euasere, uicerunt. Sed quemadmodum ille uetussimus Græcorum Milesius Iouis nutritor tellurem uelut uxorem colere instituerit, abundè Lactantius docet li. 1. ca. uigesimo secundo, & Augustinus in quarto. Telluris item deæ meminit Macrobius primo Saturnalium, Ouidius in quarto Fastorum, Plinius libro tricesimo quarto, cap. sexto, quod apud neminē alium inuenio. Frontinus in primo Stratagematon, duodecimo capite, hunc Sempronium consulem T. Sempronium Gracchum uocat: ubi etiam huius historiæ meminit, quod apud neminem alium inuenio. Tam diuersi sunt autores in nominibus Coss. si modò codices sunt à menda securi, & nō uitio librariorum deprauati. Sed facilis est lapsus literarum, quibus prænomina figurantur. Ariminum in Togatæ Galliæ finibus, colonia per id tempus facta: Romani eò coloni missi. Vmbri ab initio habuerunt Ariminum flumen, illi proximū: utrum alterum alteri nomen dederit, haud facilè dixerim. Missi & Beneuentū coloni eo tēpore: id uerò est in Samnio, olim Maleuentū dictū. Tetra hoc tempore prodigia apparauere. Fōtes pluribus locis cruore fluxisse dicuntur, & lac in speciē pluuiæ pluisse: ut Oros. in quarto, cap. 5. explicat (sed numerus annorum, ut ferè semper, mutilus est) & in 2. Eutrop. Meminit

Olympiad. horum Coſs. Velleius Paterculus, in ſuis fragmẽtis, ſic ſcribens: Interiecto quinquen- Ab ur. con.
nio, Sempronio Sopho & Appio Cæci filio Coſs. Ariminum, & Beneuentum colo-
ni miſsi, & ſuffragij ferendi ius Sabinis datum.

Regulus, *Libo.*

2 M. ATTILIVS, & L. IVNIVS. 486

His Coſs. Salentinis bellum indictum eſt: qui & ipſi armis uicti, in deditionem uenere: captiq́ ſunt cum ciuitate ſimul Brunduſitij, & de ijs triumphatum eſt, inquit Eutropius lib. ſecundo, cap. ſecundo. Florus lib. primo, tit. uigeſimo: Salentini Picentibus additi, caputq́ regionis Brunduſium, inclito portu, M. Attilio duce: & in hoc certamine uictoriæ precium, templum ſibi paſtoria Pales ultrò popoſcit. Hoc itidem ex abbreuiatore Liuij colligitur, ex libro quintodecimo: Vmbri, inquit, & Salerni uicti, in deditionem accepti ſunt. Si uerò de Pale dea multa ſcire uolueris, lege Solinum in Polyhiſtore, ab initio: & Seruium Honoratum ſuper Georg. tertium: Ouidium in quarto Faſtorum. Vbi autem ſiti ſint Salentini populi, & Picentes, docet Plinius in tertio Naturalis hiſtoriæ, cap. duodecimo & tredecimo: & Strabo in quinto.

Pera, *Piſtor.*

3 D. IVNIVS, & CN. FABIVS. 487

Tradit Oroſius in quarto, circa id tempus Carthaginenſes, dato aduerſum Romanos auxilio Tarentinis, à Senatu per legatos eſſe redargutos, ac turpiſsimam rupti fœderis labem præſumpto accumulaſse periurio.

Maximus, *Vitulus.*

4 Q. FABIVS, & L. MANVLIVS. 488

Sub quo Fabio bellum illud Volſcinienſe ſit geſtum, ingenuè fateor me dubitare, cum duos ponat Caſsiodorus Fabios Coſs. ſeſe mutuò ſequentes. Sed quod hunc poſtremum putem illum eſſe, qui hoc bellum cõfecit: faciunt uerba Flori li. primo, ti. uigeſimoprimo: Poſtremi, inquit, Italicorum in fide manſere Volſcini, opulentiſsimi Ethruſcorũ, implorantes opem aduerſus ſeruos quondam ſuos, qui libertatem à dominis datam in ipſos erexerant, tranſlataq́ in ſe Repub. dominabantur. Sed hi quoq́ duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. Is fuit Fabius, alio nomine ex familia Maximus cognomento dictus: ut ex hiſtorijs paſsim liquet. Oroſius illud bellum expreſſurus, ponit lib. quarto, quinto capite, ſic ſcribens: Tunc etiam Volſcinienſes Ethruſcorum florentiſsimi, luxuria penè periere. nam cum licentia in conſuetudinem prorogata, ſeruos ſuos paſsim liberos facerent, conuiuijs alligarent, coniugijs honeſtarent: libertini in partis poteſtatis recepti, plenitudinem per ſcelus uſurpare moliti ſunt, & liberati ſeruitutis iugo, ambitu dominationis arſerunt: & quos dominos ſubditi æquanimiter dilexerunt, eos iam liberi, quos dominos fuiſse meminerãt, execrati ſunt. Itaq́ ideo ſperantes in facinus libertini, quorum tanta manus fuit, ut ſine controuerſia auſu potirentur, correptam urbem ſuo tantum generi uendicant, patrimonia coniugiaq́ dominorum ſibi per ſcelus uſurpant, extorres dominos procul abigunt, qui miſeri exules egentesq́ Romam deferuntur. Vbi oſtentata miſeria, querelaq́ defleta, per Romanorum ſeueritatem & uindicati ſunt, & reſtituti. Illic etiam plurima de crudeli peſtilentia, quæ biennio urbem Romanam deuaſtauit: ſed numerus annorum eget examine. Huius peſtis & diuus Auguſtinus meminit in tertio Ciuitatis, ca. decimoſeptimo. Cæterùm de Volſinienſibus hiſtoriã pulchrè etiam ſcribit Valerius Maximus libro nono, capite de Luxuria: et iunior Plinius de Viris illuſtribus, titulo trigeſimoquinto. Sed ibi Decius Murena ſcribitur miſsus, non Fabius, ut Florus. nam Oroſius nullum cõſulem nominat, nec Val. Max. ut certam hic ſubeſse mendam ſuſpicari poſsit: niſi hoc bellum ſuperioribus ſit Coſs. factum, ſub Decio Iunio & Cn. Fabio. Quanquam inueniam illum Peram, non Murenam dictum, Tu lector examina paulo diligentius.

Ab urbe con. 489 — Olympiad. CXXIX

Caudex, frater Cæci, Flaccus, Fabius.

APPIVS CLAVDIVS, & Q. FVLVIVS.

Sub ijs Coss. Po. Ro. egressus est Italiam, ut inquit Florus libro secundo, cum iam adoleuisset prope quingentesimum annum. Fertur esse monumentum ueteris inscriptionis hodie in Messana ciuitate Siciliæ, in hac forma:

S. P. Q. R. AP. CLAVDIO: Q. FABIO: COSS. altero Messanam Siciliæ ciuitatem class. præfecto reserante, percepit. Hieronem Syracusanorum regem, Pœnorum quoque copias Hieroni coniunctas, tam celeriter superatas, ut Ap. Claudium Cos. ad hanc rem gerendã potius ciuitas suæ uirtutis admirationem, quàm belli susciperet adiutorem. Nam rex Pœniq; urbis nõ tam multitudine ac animosa nobilitate propulsi uictos, quàm sese didicere congressos: qui ante consulis aduentum ultra Leontinum profugi, pacem exposcentes, Romanorũ gloria, Messanensium nobilitate, propria mulcta, centum talenta æraria soluenda supplices impetrauerunt. Ob quod statuit, urbem titulis nobilitatis extolli: alijsq; prouinciæ ciuitatis, eiusq; ciues Romanorum honore Siciliæ caput illic fungi potestate Romana: lapides eius à Leontino usque Phedas extendi. nam id spacium, cæteris deficientibus, Romanæ ditioni seruauit: chirographum hoc fastis Romanorum adiunctum, laudem ciuitatis ostentans ad scribi, Romanamq; gratitudinẽ merito respõdere. Approbatum est præsens decretum patrum à Gn. Calatino tribuno plebis, post urbẽ conditã anno quadringẽtesimo nonagesimo, remp. primo bello Punico turbãte.

Cæterùm annorũ numerus diuersissimus est apud autores: qui me non parũ diu anxium suspendit, adeò ut quid certò statuerẽ, non ad assem facilè inuenirem. Cogitaui omnium autorum sententias afferre, quotquot reperire poteram: ut hinc studiosus lector uerum indagaret. Dionysius itaq; Halicarnasseus (ut in præfatione sui operis attestatur) suscepit historiam Romanam scribere ab origine urbis ad primum bellum Punicum: licet magna pars librorum, iactura temporis interijt, ut sumus superius lamentati. Narrat autem ibi, se historiam extendisse ad tertium annum usque centesimæ uigesimæoctauæ Olympiadis, quod fuit initium primi belli Punici. At Polybius, qui quadraginta libris uolebat historiam Romanam continuare, ab Olympiade centesima quadragesima, coactus præmittere causas & initia belli Hannibalis, quæ duobus libris explicat, facit principium sui libri, primam Romanorum ex Italia transfretationem, quæ est ijs continua, quæ Timæus ultimo loco scripsit: id est, Olympiadem centesimam uigesimamnonam. Ibiq; copiosè recenset, quo tempore Romani eiecto ex Italia Pyrrho, profligatisq; Samnitibus ac Gallis, Rhegium urbem obsederunt & expugnarunt. Et tamen Mamertinis traducto in Siciliam exercitu, per Appium Claudium consulem suppetias ferebant. Id, cum Polybius centesima uigesima nona Olympiade factum prodat, cum Dionysio conuenit, qui centesima uigesimaoctaua librum suum conclusit. Eusebius etiam in Chronicis, Romanos tradit Syracusas cæpisse uigesimanona & centesima Olympiade: quæ si computentur, subductis annis ante septimam Olympiaden, qua est urbs condita; erunt anni quadringenti octogintanouem. Sic initium primi belli Punici ueniret ad annum quadringentesimum octuagesimumnonum. Liuius in præfatione trigesimi libri, uel ut uulgus dicit, tertiæ Decadis, numerat quadringentos septuaginta octo annos à condita urbe ad Appium Claudium consulem, qui primus Carthaginensibus bellum intulit. Sed omnino codex est deprauatus, quum octuagintaocto, non septuaginta

Olympiad. septuaginta octo sit legendum. Quemadmodum in Plinio par macula est, libro tri- *Ab ur. con.* gesimotertio, capite tertio, qui bellum Punicum primum reijcit in annum quingentesimum nonagesimum: cum certè legendum sit, quadringentesimum, non quingentesimum. Similis labecula est in Solino. Is bellum Punicum primum anno trecentesimo octogesimooctauo scribit factum: cum quadringentesimo, non trecentesimo sit factum. Rectius Gellius in suis Noctibus candidissimis, libro decimoseptimo, capite ultimo: Anno post Romam conditam quadringẽtesimo fermè & nonagesimo, Coss. Appio Claudio, cui cognomentum Codex fuit, Appij illius cæci fratre, & M. Fuluio Flacco, bellum aduersus Pœnos primum cœptum. Sed hic obseruandum, quòd Gellius alterum consulem nominat M. Fuluium Flaccum, cum Eutropius eundem, & Orosius, Q. Fabium nominẽt: Caßiodorus Q. Fuluium: & autor ignotus in opusculo Coss. scribat, Caudex & Flaccus. Velleius autem Paterculus in fragmentis historiæ Rom. meminit horum Coss. ubi de tertio bello Punico scribit in hæc uerba: Cum Carthagine bellare maiores nostri cœpere, Claudio & Fuluio Coss. ante annos CCXCVI. quàm tu M. Vinici consulatũ inires. Fuit autẽ hic M. Vinicius Consul sub Tiberio Imperatore, ut inferius patebit. Sed neq; is numerus satis integer est. Anni autem in Orosio, ut ferè semper, corrupti sunt. Sic enim ibi scribit lib. quarto, septimo capite: Anno ab ur. con. quadringentesimo octogesimotertio, Appio Claudio & Q. Fabio Coss. Mamertinis, quorum Messana nobilis Siciliæ ciuitas erat, auxilia contra Hieronem regem Syracusanum & Pœnorum copias Hieroni iunctas, Appium Claudium misere Romani: qui tam celeriter Syracusanos Pœnosq; superauit, ut ipse quoq; Rex rerũ magnitudine perterritus, antè se uictum, quàm congressum fuisse prodiderit: qui ex infractis uiribus, amissaq; fiducia, cum pacem supplex rogaret ducentis argenti talentis, iussu consulum accepit. Si itaq; Græcis, qui per Olympiadas annos supputarunt, fides est habenda, Punicum bellum circa initium centesimæ uigesimænonæ incœpit, quum annus urbis conditæ numeraretur quadringentesimus octogesimusoctauus: & hæc supputatio uero propior est. Qui in uno aut duobus annis discrepant, parum à ueritate discedunt. Qui uerò per decem aut plures, illi certè corrupti & deprauati sunt. Cæterùm Florus lib. secundo, tit. secundo, hoc bellũ luculenter & breuiter enarrat, copiosissime aũt Polybius in primo. Iunior Plinius de Appio Claudio, titulo trigesimo sexto, hanc historiam eleganter describit. Philinus primum hoc bellum Punicum descripsit, sed totus perijt. Scripsit & hoc bellum Appianus, in eo libro qui dicitur Siculus: sed is pariter desideratur, nisi quod quandam breuem huius belli repetitionem fecit in Lybico, à principio. Desideratur & Liuius, qui in decimosexto lib. ab Vrbe condita, hoc bellum exorsus, deinceps continuauit, originemq; Carthaginis ibi descripsit: quam alioqui Appianus in Libyco ponit. Iustinus tamen ex Trogo, libro decimooctauo, multa de origine Carthaginensium scribit. Et Orosius libro quarto, capite sexto dehinc repetit: Sed septimo capite scribit, quæ sub ijs Coss. gesta sunt: licet ibi pariter, ut in Eutropio, pro Q. Fuluio, Q. Fabius consul ponatur. Historiam uerò in Sicilia circa Messanam & Syracusas per Appium gestam, nemo pulchrius quàm Polybius in primo scribit. Caudex autem dictus est Appius, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos uocabatur, unde tabulæ codices dicuntur: & naues quæ commeatum subuehunt, caudicariæ nominantur: quas & codicarias appellamus. Hic autem primus persuasit Romanis nauem conscendere, ut Seneca dicit in libro de Breuitate uitæ, atq; ideo sortitus est nomen. Suetonius: Claudius Caudex primus freto classe transiecto, Pœnos Sicilia expulit.

Maximus, *Crassus.*

2 M. VALERIVS, & C. OCTACILIVS. 490

Hi Consules (ut Polybius primo libro scribit) cum duobus exercitibus in Siciliam uenientes, ciuitates plerasq; Syracusanorum & Carthaginensium, ut ad Romanos deficerent, compulerunt. Quod Hiero intuitus, conducibilius sibi ratus,

Romanorum

Ab urbe con. Romanorũ partes quàm Pœnorũ sequi, præsertim cum Syracusani inueteratum odium aduersus Pœnos gererent: Legatos ad Coss. misit, qui ab ijs pacem & societatem peterent. Romani, quia Carthaginenses per maria insulam insederent, ueriti ne commeatus sibi intercluderentur, commodissimã Romanæ rei eam pacem arbitrati, his conditionibus cum Hierone societatem iunxere: ut rex captiuos Romanis sine precio restitueret, & centum argenti talenta penderet, Syracusani socij amiciq; Po. Ro. appellarentur. Hiero per hæc conciliatus, iam inde in studio & obseruantia Romani nominis, quamdiu uixit, constantissimè perseuerauit: quo contigit, ut Syracusanorum res fauore Romanorũ feliciores fuerint, quàm sub ullo regũ antea fuissent. Probauit Po. Ro. eam pacem, fretusq; socij regis opibus, ut maior esset uni exercitui omnium rerum copia, alterum ex insula consulem cum suis copijs in Italiam reuocauit. Carthaginẽses, posteaquam Hieronem cum Romanis fœdus percussisse auditũ est, maioribus esse copijs opus arbitrati, Ligurum & Gallorum uim ingentẽ mercede conducunt. Ex Hispania quoq; miles stipendio accersitus, copiasq; Agrigentum contrahunt, ac commeatum parant. Hieronis regis originem & prodigia scribit Iustinus libro uigesimotertio, & Polybius in primo: Eutropius in secũdo, capite tertio: Valerio M. & Otacilio Coss. in Sicilia à Romanis res magnę gestæ sunt: Taurominitani, Carthaginenses, & præterea quinquaginta ciuitates in fidem acceptæ. Subiungit præterea, tertio anno in Sicilia contra Hieronem regem pugnatum, & ducentis talentis pacem comparasse. quod ab Orosio quoq; libro quarto, capite septimo scribitur. licet Polybius hoc anno factum scribat, non tertio anno belli Punici, hoc est, sequẽti. Est hic Valerius Maximus, postea à deuicta Messana Siciliæ urbe, Messala cognominatus: quod postea nomen familiæ permansit, ut scribit Macrobius primo Saturnalium. Facit huius Valerij consulis mentionem, Plinius. lib. tricesimoquinto, cap. quarto. Dignatio autem præcipua picturæ Romæ increuit, ut existimo, à M. Valerio Maximo consule Messala: cum princeps tabulam picturæ prælij, quo Carthaginenses & Hieronem in Sicilia deuicerat, proposuit in latere curiæ Hostiliæ, anno ab Vr. con. quadringentesimo nonagesimo.

Megellus, Vitulus.

491 L. POSTHVMIVS, & Q. MANVLIVS. 3

Polybius in primo, alterum consulem Q. Aemilium uocat: sed uereor codicem esse deprauatũ. nisi (quòd in Græcis sæpe obseruaui) nomina Romana à Græcis scriptoribus frequenter sint inuersa. His Coss. exercitu in insulam deportato, speculantur hostium consilia, qui unum in locum omnem bellicum apparatum cõtulerunt: Agrigentum ad octo stadia proximè consederunt. & cum æstas esset, milites frumentatũ effusi, in spem hostem eduxerunt, rei per occasionem bene gerendæ. Itaq; eruptione ex oppido facta, una pars castra inuadunt, alij in frumentatores faciunt impetũ. Sed hostes cum multa cæde in urbem reiecti, Coss. dehinc exercitu in binas partes diuiso, bina circa urbem castra muniunt, ac duplici fossa urbẽ cingunt, ne erumperent, ne'ue auxilia inferrent. ac quinq; mensibus hostem obsident: ut iam fames ualidissima Hannibalem, qui intus erat, cum quinquaginta milibus corriperet. Ob quam rem Carthaginenses nouum exercitum, cum magno elephantorum numero, ac nauibus pluribus, ad Hannonem mittunt, quo Agrigentum obsidione leuaret. Qui Herbesum Romanorum horreum proditione occupat: ut etiam Romani penè coacti obsidionem penuria rerum soluere fuissent, nisi ab Hierone commeatu & alijs necessarijs benignè essent prouisi. Laborabat præterea exercitus Romanorum pestilentia. quare Hanno cũ Numidis, equites Romanos in insidias deduxit. Duobus tamen mẽsibus ocium fuit. Sed cum Hannibal tentaret erumpere, Romanus miles in elephantos uictor incidit, Carhaginensium acie pulsa. Sed beluæ fuga exterritæ, stragem fœdam suis dederunt. Elephantibus potiti, & hostium spolijs, cum in castris ex re bene gesta negligentius uallum urbis custodirent, Hannibal repletis fossis paleis, silenti

Olympiad. nocte abijt. Fuga manè cognita, Agrigentum urbem hoſtiliter irrumpunt, ac opibus Ab ur-
ſpoliant. Quæ res uictorioſa Romam illata, magnam patribus ſpem iniecit, breui to con.
ta Sicilia potiri. Hanc hiſtoriam pulchrè Oroſius in quarto deſcribit, ca. ſeptimo. Sed Coſs. non nominat. Lege ſtudioſe lector, & hos ſubintellige Coſs.

Flaccus, *Craſsus.*

4 L. VALERIVS, & T. OCTACILIVS. 492

His Coſs. ut Polybius in primo ſcribit, cum exercitus ingens in Siciliam eſset miſſus, magna pars Siciliæ ad Romanos defecerat: quod nemini dubium erat, Romanos terreſtri bello ualidiores Punicis eſse. Carthaginenſes tum imperium obtinebant maris. quæ cauſa fuit, ut maritimæ urbes, ſub aduentu primæ claſsis à Pœnis ſint receptæ. Infeſtabatur interea & Italiæ ora, ab altera Carthaginenſium claſse, cum interim Aphrica ab omni hoſtili iniuria immunis eſset. Hinc patres ea animo reputantes, de claſse publicè paranda decretum tulerunt, quæ centum uiginti haberet naues, quarum centum quintuplici ordine agerentur, tertio reliquæ. Quæ ædificatio ideo perdifficilis fuit, quòd nullus tum uſus nauium in Italia erat. Nam prius in traijciendo Tarentinorum, Locrenſium & Rheginorum nauibus uſi fuerant. Itaq; tam intrepidè pelagus ingreſsi ſunt, ut prius nauali bello cū Carthaginenſibus certarent, quàm eius rei periculum facerent. Quo uerò ingenio primam exædificarint, à quadam Carthaginenſium naue, & quo pacto artem nauigandi didicerint, copioſe Polybius in primo explicat: illic uideas lector, quæ deſideras. Horum Coſs. neq; Oroſius, neq; Eutropius meminit. Sed de claſse parata ſexaginta diebus, Florus in ſecundo libro, titulo ſecundo: Oroſius in quarto, capite ſeptimo: Plinius in Naturali hiſtoria libro decimoſexto, capite quadrageſimo: Sillius Italicus in fine ſexti Punicorum. Plutarchus præterea in Marcello, Octacilium fratrem Marcelli fuiſse ab eo protectum ſcribit, ab imminenti periculo, trucidatis qui in eum acri ferebantur impetu.

Aſina,

CXXX CN. CORNELIVS, & C. DVILLIVS. 493

His Coſs. teſte Polybio in primo, miſsus iterum exercitus in Siciliam, Cornelio claſsis data: qui cum omnibus nauibus ad fretum uſq; Siculū progreſsus, cætera claſſe in Italia relicta, ipſe cum ſeptemdecim nauibus Meſsanam tranſfretauit: paratiſq; hic omnibus quæ ad uſum claſsis uiſa ſunt neceſsaria, cum iiſdem nauibus Liparam traiecit. Erat tum Hannibal Panormi, auditoq; Coſs. aduentu, Boodem Carthaginenſem nobilem, cum uiginti nauibus ad eum opprimendum ire iubet: qui Romanas naues cum Conſule intercludit faucibus portis inſeſsis. quo malo perculſus Cornelius, inops conſilij, ſeſe cum nauibus tradidit. Sed ut ex decimoſeptimo Liuij colligitur, & Floro, Punica claſse circumuentus, & per fraudem ueluti in colloquium euocatus, captus eſt. C. Duillius de collegæ caſu factus certior, cōfeſtim deſcendit ad mare, pugnaturus cum Punica claſse: quæ ne ſibi agilitate elaberetur, factis coruis machinis (quas affabre Polybius deſcribit) ac nauibus Carthaginenſium iniectis, primo impetu triginta naues Conſul cæpit: & in his prætoriam ſeptiremem, quæ Pyrrhi regis fuiſse ferebatur. Hannibal ubi rem perditam uidit, in ſcapham deſiliens, ad ſuos pertrepidus fugit: tum amiſsis ſexaginta nauibus, cæteri in fugam uertuntur. Florus libro ſecūdo, titulo ſecundo, horū quoq; Coſs. meminit, & huius cladis. Quē Oroſius eſt ſequutus libro quarto, cap. ſeptimo: licet in numero nauium non conueniant. Eutropius item libro ſecundo, cap. tertio. Eſt autem Cornelijs Aſinæ cognomentum datum: quoniam princeps Corneliæ gentis, empto fundo, ſeu filia data marito, cū ſponſores ſolenniter ab eo poſcerentur, aſinā cum pecuniæ onere perduxit in forū, quaſi pro ſponſoribus pręſens pignus. Hæc Macrobius primo Saturnaliū. Sed Duillius primus omniū Romanorū naualis uictoriæ duxit triumphū: ob quā cauſam perpetuus ei honos eſt habitus, ut reuertēti à cęna tibicines canerēt, et funale pręferretur. Quod annotauit et

Tullius

Ab urbe con. Tullius in Catone maiore, & Val. Max. cap. sexto, lib. 3. & iunior Plinius titulo trigesimo octauo: Licet hic eum appellet Cn. & Pœnorum ducem Himilconem, quod nō facit Polybius. Plinius senior lib. trigesimoquarto, cap. quinto scribit, C. Duillio Cos. in foro locatam esse columnā, quòd primus naualem triumphū egit de Pœnis. Meminit huius Duillij & Frontinus in primo Stratagematon cap. quinto, & capite tertio libri duodecimi. Silius Italicus in fine sexti sic de eo canit: Olympiad.

Aequoreum iuxta decus & nauale trophæum
Rostra gerens, niuea surgebat mole columna,
Exuuias Marti, donumq; Duillius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat.
Cui nocturnus honos, funalia clara, sacerq;
Post epulas tibicen adest, castosq; penates
Insignis lęti repetebat murmure cantus.

Florus. Scipio.

494 C. AQVILIVS, & L. CORNELIVS. 2

Hos Coss. Polybius non ponit, quia (ut ipse dicit) nihil à Romanorum exercitu hoc anno memoria dignum in Sicilia gestum est: nec fortè his Coss. Siciliam attigerunt. Verùm ut idem Polybius testatur, cum Hannibal cum his nauibus, quæ prælio superfuerant, cum Duillio facto, Carthaginem reuersus esset: non multo pòst cum aliquot triremibus in Sardiniam mittitur, ubi nihilo est meliore fortuna usus, quum portum insedisset quendā, ubi à Romanis ex improuiso circumsessus, classem ferè omnem amisit. Ipse media trepidatione elapsus, ubi primū Carthaginē uenit, ob rem toties malè gestā, est cruci affixus. Quod nimirū sub ijs Coss. factū, ut Orosius in quarto libro, cap. septimo scribit, ijs uerbis: Postea Carthaginenses C. Aquilio Floro, & L. Cornelio Scipione Coss. Hannonē in locū Hannibalis surrogatū, pro Sardis & Corsis defensandis, nauali prælio præfecerūt: qui à Scipione consule uictus, amisso exercitu, ipse cōfertissimis hostib. se immiscuit, ibiq; interfectus est. Penè eadē Eutropius li. 2. cap. 3. ubi & hos Coss. nominat. Sed Orosius subiungit: Eodem anno tria M. seruorum, & quatuor M. naualiū sociorū, in urbis Romæ excidiū coniurasse: & nisi matura proditio consilium præuenisset, destituta præsidio ciuitas, seruili manu perijsset. Abbreuiator Liuij in decimoseptimo: Lucius Cornelius cōsul in Sardinia, cōtra Sardos & Hannonē Pœnorum ducem feliter pugnauit. Item eadem Florus libro secundo, titulo secundo, qui etiam Cornelij cōsulis meminit. Et Silius in fine sexti cecinit:

Scipio ductoris celebrabat funera Pœni,
Sardoa uictor terra. —

Calatinus. Paterculus.

495 A. ATTILIVS, & C. SVLPITIVS. 3

Ita inuenio horū Coss. nomina in unico, quod habeo, exemplari Cassiodori. Sed Polybius primum consulem A. Rutilium appellat, ut Perotus & Aretinus in suis tralationibus habēt: cum cæteri omnes, Liuius, Florus, Plinius, Orosius, Calatinum uocitent. Testatus tamen sum prius, Græcos nomina Romana propria plerunq; corruptè effari. Sed quo ad historiā, scribit Polybius, Sulpitiū in insulā profectū, confestim copias Panormū admonuisse, ubi tunc hostes erant: Pœnoq; pugnā detrectante, Romanū inde cōsulem auersum, Hippanum oppidū occupasse: mox Misistratū, & Camarinam. Dum hæc à Sulpitio gerūtur, Rutilius, cuius erat imperiū classis, quiq; ad Tindariū in occidua Siciliæ ora stationē habebat, cōspicatus hostiū naues, ipse temerè cum decem nauibus in Pœnos euehitur, iussis alijs se sequi. Hic atrox incœptum præliū, Punicis nauibus disiectis: quarū octo depressæ sunt, decem captæ, reliquæ Liparas cursum tenuerūt. Ex hac pugna sic discessum est, ut utriq; primas sibi uictoriæ partes uendicarēt. Ob id sub initiū æstatis acrius bellū instituerūt, aucto nauiū numero. Romanorū enim cōsiliū erat, in Aphricā nauigare, ut eò omnē uim belli ex Sicilia

Olympiad. auerterent: Pœniq; nō minus de solo patrio, quàm de Sicilia pugnare cogerent. Carthaginenses eius cōsilij haud ignari, prius omnia pati cogitabāt, quàm incolumi classe sinerent Romanos eius nauigationis fieri compotes. Hæc Polybius. Liuius in decimoseptimo, ut ex Abbreuiatore apparet, scribit Attilium Calatinū consulem, cum in locū iniquū à Pœnis circumsessum temerè duxisset exercitū, à M. Calphurnio tribuno militū liberatū, qui cum trecētis militib. eruptione facta in se cōuertisset. Idem Florus lib. secundo, titulo secundo, Calatinū Dictatorem appellat, & has angustias Thermopylis cōparat, cum tunc consul esset: Dictator autē postea factus, P. Claudio & L. Iunio Coss. nouē annis post hoc bellū, quod ex decimonono Liuij colligi potest. Iunior Plin. trigesimūnonū titulū de Attilio Calatino scribit, ubi hæc quoq; inseritur historia. Frontinus lib. 1. Stratagematon, cap. 5. Orosius lib. quarto, cap. septimo: Anno ab hoc proximo Calatinus cōsul, Camerā Siciliæ urbē petēs, temerè in angustias deduxit exercitū, quas Pœnorū dudum iam copiæ præstruxerāt: cui cum omnino nulla uel obsistendi uel euadendi facultas esset, Calphurnij Flammę uirtute & ope liberatus est: qui lecta trecentorū uirorū manu, insessum ab hostibus tumulū occupauit, & in se Pœnos omnes pugnando cōuertit, donec Ro. exercitus obsessas angustias trāsiret. Sed omnes trecēti cęsi sunt, Calphurnius cōfossus uulnerib. euasit. *Ab urb. con.*

CVSPINIANVS LECTORI BENE EXAMINARE.

Quandoquidem Liuianus codex hac in parte suffragari nobis nequit, quia mancus est: ideo sine præfatione sequentes scribere Coss. noluimus. Cum enim unicū nobis fuisset allatū Caßiodori exemplar, idq; nonnunquā satis deprauatū, tutum huic confidere sanè non erat. Nec item contra fidē illius autoris aliquid, quod liber is non haberet, inserere honestū. Cum igit post prædictos Coss. Polybius ponat M. Attiliū Regulum, & L. Manliū, quos & Eutropius & Orosius ponūt: eos quoq; cōiectare licet subsequutos, ex decimoseptimo et decimooctauo Liuij: quos tamen Caßiodorus nō ponit, nisi nomina Cos. quod facilè suspicor, sint deprauata. Dubiū in mentē uenit, si hi forent à librario fortè paulo negligentiore obmißi. Tum præcipuè, quòd Polybius circa finē primi libri (si modò fideles sunt & Nicolai Peroti & Leonhardi Aretini translationes, scribit, bellū Punicū annos quatuor & uiginti durasse: ut etiā ex his duobus uiginti quatuor consulatus dinumerentur, si adijciatur consulatus M. Attilij & L. Manlij, qui est necessariò addendus, si numerari debent uigintiquatuor anni in hoc bello Punico primo. Licet Orosius, quem & Eutropius nonnunquā imitatur, tres tantum & uiginti asserant. Et Liuius lib. primo belli Punici secundi, Pœnū hostem Romana arma uexasse tres & uiginti annos durißima militia scribat, adeò quòd bellum hoc primum uigintitribus annis tantum durasse constet. Si nobis integer esset Liuius, & has & alias tolleremus mendas. At si anni à Coss. numerent Appio Claudio & Q. Fuluio, quibus hoc bellum incœptū est, usq; ad C. Luctatiū & A. Posthumium Coss. quibus finitū, tres tantum & uiginti exibunt anni, dempto consulatu Reguli. Quod etiam inuenio in eo ignoti autoris opusculo, quo Coss. nomina sola ponuntur: in quo post Calatinum & Paterculum, hæc uerba subijciuntur:

Regulo,	&	Bleso II.
Longo,	&	Regillo.
Nobiliore,	&	Paulo.

Sed si retrorsum tredecim numerabis annos, reperies C. Genutiū secundum, & Gn. Cornelium Blesum Coss. scriptos, ut fortè Caßiodori liber menda carere uideat. Licet alterum quod ponitur consulis nomen, C. Acilius Eranus, omnino uideatur deprauatum. Satis tamen mihi sit, ut inuenerim, ita Coss. reddere nomina, interim dum meliora nanciscemur, & sinceriora uolumina. Tu candide lector, æqua lance singula paulo diligentius considera.

Blesus II. *Eranus.*

4 CN. CORNELIVS, & C. ACILIVS. 496

Puto hoc loco scribendū, si modò ij Coss. fuerūt, C. Attilium Serranum, non Acilium Eranum. Liuius enim 2. lib. belli Punici secundi, tradit: Cum M. Terentius Varro Consul

Ab urbe con. ro Consul designaret, tres patricios petijsse consulatum, P. Corneliũ Merendam, L. Manlium Volsonem, M. Aemyliũ Lepidum, ac duos nobiles familiares plebi, C. Attilium Serranum, & Acilium Pætum: quorum alter pontifex, alter augur erat. Sed nihil definio: nec quid sub ijs gestum sit, temerè aliquid affero. Olympiad. CXXXI

Q. CEDITIVS, & L. MANLIVS.

497 Sed uix errore hoc caret, cum hic consulatus habeat Q. Ceditiũ et Lucium Manlium: & pòst sequitur M. Attilius & L. Manlius. Nisi sint transposita Coss. nomina: ob id magna opus diligentia, si quis rectificare hanc supputationem uoluerit. Facio tamen quod possum: suppleant posteri defectũ. Polybius uerò lib. primo, ijs obmissis, pòst Attilium Calatinum & C. Sulpitium ponit. Necesse est enim, unum cõsulatum ex ijs esse superfluum, si debent Olympiades esse certæ.

M. Attilius Regulus, & L. Manlius.

Is Eutropio Vulso cognominat̃. Hi in Aphricam transtulerũt bellum. Habuit Romana classis supra centum quadraginta milia hominum. In singulis nauibus trecenti erant remiges, & legionarij milites centũ uiginti numero. Cum igitur tam ingens esset bellatorũ numerus, ordinata acie Coss. in Punicã classem irruperũt, & ad quinquaginta Carthaginensiũ triremes momento temporis opprimunt: conuulsæ sunt Romanorũ quatuor & uiginti. Romana dehinc classis in Libyam appulsa est, ac Clypeam urbem oppugnauit exercitus Romanus: Carthaginensiumq́ agrum populati, suburbana ædificia incendunt, captiuorũ supra triginta milia ad naues adducunt, quos Manlius Romã aduexit, relicto in Aphrica Regulo. Contra quẽ Bastar, Hasdrubal & Hamilcar, Pœnorũ duces, omnes infortunatissimè pugnarunt: cum, ut Eutropius inquit, duodeuiginti milia hostiũ tum sint desiderata, quinq́ milia capta, & cum ijs elephanti duodeuiginti. Alium numerũ Polybius, alium Florus, alium Orosius ponit. Attilius hostium castris potitus, perq́ hostiũ agros euagatus, quum ad Bagardam amnem cõsedisset, serpentẽ inusitatæ magnitudinis, qui aquatores plerosq́ necarat, catapultis & balistis ueluti molem quandã expugnauit: cuius exuuiæ centũ uiginti pedũ longitudine, & maxillę usq́ ad Numantinum bellum in publico pependisse dicũtur: ut inquit Gellius lib. sexto, cap. 3. Liuius in decimonono, & Plinius, quę Polybius nescio cur amisit, cum tamen diligentissimè hoc bellũ scribat. Tandem Attilius, cum Carthaginenses Xantippum Lacedæmonium ducem haberẽt, uictus ac captus est, etiam in catenas missus, cum prius pacem à Carthaginensibus petitam denegasset. In numero cæsorũ & captorũ, autores non conueniũt. Cæterùm copiosissimè hæc omnia Polybius in primo, qui fortunã prudentissimè docet inspiciendã, ne quis ob eam insolescat. Item Florus in secundo, titulo secũdo, breuiter: Orosius lib. quarto, cap. septimo, latissimè: Eutropius in secundo, cap. tertio, diligenter rem omnẽ exequunt̃. Iunior Plinius de Viris illustribus, tit. quadragesimo: & Appianus in principio Libyci, historiã ex fide pertractãt. Vbi narrat Appianus, quomodo Xantippũ pro benefactis suis Carthaginẽses muneribus ornauerũt, redeuntemq́ in mari obruerunt. Sed de serpente scribit Silius in fine sexti Punicorum:

Lentus arenoso spumabat Bagrada campo
Viperea sanie, turmisq́ mirantibus ultrò
Pugnabat serpens, & cum duce bella gerebat.

& plura antè. Xantippi præter alios meminit Frontinus quoq́, secũdo lib. Stratagematon, cap. 3. Sed cur perfecta illa Romanorũ clade discesserit, uide Polybiũ. Hęc omnia latissimè Liuius in 18. scribebat.

M. AEMILIVS Paulus, & SERVILIVS FVLVIVS Nobilior. 2

498 His Coss. teste Polybio in primo, trecẽtæ naues in Siciliam transgressę, Aphricam dehinc prospera nauigatione attigerũt: Carthaginensibusq́, qui ijs obuiã ut arcerẽt progressi sunt, centum & quatuordecim ademerũt. Receptoq́ Romano pręsidio, ex Clypea Siciliã Coss. repetunt. Sed in mari Siculo tam atrox perpessi naufragiũ sunt, ut ex trecentis, octoginta duntaxat incolumes superfuerint: cæteræ absorptæ, ac scopulis

Olympiad. pulis illisæ, maximã hominum iacturã fecerunt. Ob id Abbreuiator in 18. inquit: Res *Abu*
à ducibus Romanis omnibus terra mariq; prosperè gestas, deformauere naufragia *con.*
classium. Fama huius cladis Carthaginenses in spem erexit, Siciliæ adhuc armis retinendæ. Continuò itaq; Hasdrubal cum classe trecentorũ nauium, & elephantis centum et sexaginta, in Siciliã est missus, qui copijs expositis, socias Romanorũ ciuitates grauiter infestaret. Patres, etsi multũ ob acceptã territi essent cladem, ne maris possessione cederẽt, classem tanto studio repararũt, ut triũ mensium spacio ducentę et uiginti naues sint ad bellũ instructæ. Hæc eadem Orosius lib. quarto, cap. septimo: Eutropius lib. secũdo, cap. 3. Sed hic omnia in maius auget: uterq; uerò Coss. hos nominat.

Asina II. *Calatinus II.*

3 CN. CORNELIVS, & A. ATTILIVS. 499

In Polybio alter Cos. Aquilius appellatur, si non est librariorũ uitium. Cæterũ hi Coss. accepta classe, ut Polybius in 1. scribit, in Siciliam traiecere. Circa Messanam acceptis nauibus, quæ ex naufragio supererant, trecenti nauium classem expleuere. Hinc digressi Panormũ ui subita adoriunt, duobus locis circa urbem metati. Paucis inde diebus arcem tormentorũ ui disiectam capiũt: & cum ea arce pars urbis capta est, quã Neapolim dixere. Quo casu oppidani perculsi, haud multo pòst Romanis cessere. Capto Panormo, Coss. relicto in urbe præsidio, Romam reuertuntur.

Cepio, *Blesus.*

4 C. SERVILIVS, & C. SEMPRONIVS. 500

Vtrumq; Eutropius in secundo CN. appellat, & Seruiũ & Semproniũ: sed Polybius Caios. Cæterùm hi Coss. missi in prouinciã, classe & exercitu à ueteribus Coss. accepto, in Aphricã traiecerunt. Hi diu multumq; per hosticum euagati, ad Lothophagorum insulam deuenere. Mirinx ea dicitur, haud multũ à minore Syrti distans, ubi locorũ inscitia in breuia delati, subito pelagi recessu aquis destituunt. Mox alterno maris æstu naues fluctibus ablatæ, plurimarũ rerum iactura prius facta, ui remorũ in altũ abierunt. Coss. in Siciliã relati, nõnihil Panormi consederũt. Vnde digressi, subita & atroci tempestate iactati, centũ quinquaginta naues amisere. Quæ recentior clades adeò rem Romanam affecit, ut à mari iam inde abstinendũ, multi in curia fremerent. Hæc eadem Orosius lib. quarto, cap. septimo: Eutropius lib. secundo, cap. 3.

Cotta, *Geminus.*

CXXXII C. AVRELIVS, & P. SERVILIVS. 501

Hos Coss. Polybius non ponit, siue quod nil memoratu dignum sub ijs gestũ est, siue quòd in prouinciam non uenerint. In Cassiodoro tamen et Orosio reperi. Vnde Orosius lib. quarto, cap. septimo, sic scribit: Præterea Cotta Cos. in Siciliã transgressus, plurimis prælijs aduersus Pœnos & Siculos terra mariq; pugnauit: & per totam Siciliam, partim hostium, partim etiam sociorũ inhumanas strages reliquit. Crebra etiam naufragia fecerũt, ut Patres sexaginta nauium tantum classem pro tuenda Italia decernerent: licet diu illud decretum non durauerit.

Metellus, *Placidus.*

2 L. CECILIVS, & C. FVRIVS. 502

Illius L. Cecilij Metelli meminit Dionysius in secũdo, ubi de uirginibus Vestalibus Numæ regis scribit, in hæc uerba: Sunt qui dicant, etiam præter ignem arcana quædam esse in templo deæ sacra, quorũ neq; Pontifices cognitionem habent, neq; uirgines: cõiecturam huic sermoni adhibẽtes, non paruũ templi incensi casum, bello Punico primo, quod Romanis in Sicilia cum Carthaginensibus fuit. Incenso enim templo, fugientibusq; ex igne uirginibus, pontifex quidam L. Cecilius Metellus, uocatus uir consularis, is qui memorabilem illum de Sicilia & de Carthaginensibus triumphum duxit, centum trigintaocto elephantorum: propriæ securitatis negligens, publicæ utilitatis causa, summo suo periculo, in ardentia irrupit: ac relicta à uirginibus sacra rapiens ex igne, seruauit. Quam ob causam magnos à ciuitate honores tulit, sicut simulachri eius in Capitolio positi inscriptio testatur. Quando autem incen-

Ab urbe con. tem incendium illud fuerit, paulò inferius ostendemus. Polybius autem alterum Olympiad.
appellat consulem Curium: sed puto librum esse corruptum. Hi Coss. cum pedestribus copijs missi sunt, cum sexaginta nauibus (teste Polybio) ad frumentũ cõuehendum, aliaq́ exercitui necessaria. Tum cõtigit rem Punicam iterũ fieri superiorẽ. nam & mare latè obtinebat Punica classis, & terrestribus copijs non minus quàm Romani pollebant. Accedebat elephantorũ metus, qui post Libycam cladem Romanorũ animos incesserat: ut biennio neq; in Aphrica, neq; in Sicilia ausi sint cum Pœnis æquo marte dimicare. Quo militũ metu animaduerso, cõtinuò latum est decretũ, ut noua classis ad bellum instrueretũ. Interim sunt Coss. sequẽtes designati per Furium. Eutropius & Orosius horũ Coss. mentionẽ facientes, tradũt, quòd ijs Coss. Hasdrubal, nouus Carthaginensiũ imperator, cum elephantis centũ trigintatribus, & equitũ peditumq́; amplius uiginti M. Lilybæum uenit ex Aphrica, & continuò cum Metello cõsule apud Panormum pugnam cõseruit. Sed Metellus uim magnam belluarum timens, prius eas, magno usus consilio, uel in fugam, uel in mortem egit. Et sic facilè quamuis magnam uim hostiũ superauit. Viginti milia Carthaginensiũ in eo prælio cæsa sunt: elephanti quoq; uigintisex interfecti, centumquatuor capti, & per Italiam ducti, maximum Italis gentibus spectaculũ præbuerunt. Hasdrubal cum paucis Lilybæum profugit, atq; absens à Pœnis capite damnatus est. Abbreuiator Liuij in decimonono: Cecilius Metellus rebus aduersus Pœnos prosperè gestis, speciosissimũ egit triumphũ, tredecim ducibus hostium & centum uiginti elephantis in eo ductis. Florus compẽdio hoc attigit. Polybius hanc rem copiosius explicat in primo, postquam Coss. designatos Attilium & Manlium nominauit.

503 C. ATTILIVS, & L. MANLIVS VOLSO II.

Hasdrubal audito Furij digressu, quum Metellus cum dimidio copiarũ relictus diceretur, ex Lilybæo profectus, exercitũ in Panormitanũ agrum induxit. Metellus autem suos intra mœnia tam diu tenuit, quoad Hasdrubal esset proximũ flumen transuectus. Tum expeditos milites mittit, qui tela in beluas iacerẽt, atq; irritatis in fossas urbis refugientes, earũ impetũ declinarẽt. Ipse auersa parte urbis, cum robore copiarum paratus substitit, in omnẽ occasionẽ intentus. Beluæ irritatę, agmina suorũ perturbant: Pœni cadũt, decem elephanti cum suis magistris in potestatẽ uenere. Cæteri excussi sessoribus, circa fluuiũ uagi ad unũ capti, qui centũ & triginta numero fuisse dicunt. Sunt & uiginti milia Carthaginensiũ cæsa. Qua uictoria elati Romani, omni ope annixi sunt, cum hoste in Sicilia bellare. Interim noui illi Coss. in prouinciã missi uenerũt. Metellus Romam reuersus, egregiũ de Pœnis triumphũ egit, de rebus prosperè gestis, tredecim ducibus hostiũ & centũ uiginti elephantis in eo ductis: ut in 19. Liuij Abbreuiator annotat. Florus in secũdo, tit. secũdo, scribit centũ fuisse elephantes. Plin. lib. octauo, cap. sexto: Eadem Roma anno quingentesimosecũdo, uictoria L. Metelli pontificis, in Sicilia plurimos uidit elephãtes de Pœnis captos. centũ quadraginta duo fuere traiecti ratibus, quas doliorum cõsertis ordinibus imposuerant. Quod & Frontinus annotauit in primo libro, cap. 7. Scribit Polybius, hunc fuisse decimumquartũ annũ primi belli Punici: quoniã, ut superius annotauimus, in annotatione quadam Coss. Cn. Cornelius cum C. Acilio, & Q. Ceditius cum L. Manlio, à Polybio nõ ponunt. Huius item Metelli idem meminit in septimo, cap. 43. Vide & Orosium in quarto, & Eutropiũ in 2. Cæterùm Coss. Attilius & Manlius, post Metelli uictoriam in Siciliam missi, breui Pœnos recenti clade perculsos in Lilybęum compulerant. Verùm cum Lilybæũ obsiderẽt Romani, ut latissimè Polybius in 1. scribit, acris suborta pugna, qua atrociter utrinq; pugnatũ est. Tandem uehementior quædam procella, bellica Romanorũ opera mirũ in modum cõcutiebat: qua occasione hostes usi, ignem inijciũt. Flamma aridæ materiæ insinuata, turres, arietes, & machinas ferè omnes mometo temporis cõsumpsit. Miror cur Polybius nullã Reguli faciat mentionẽ, quum tamẽ (ut ex Abbreuiatore Liuij in decimooctauo, circa id tempus, uel paulo superius, colligere possumus) hunc à Carthaginensibus Romam missum cõstet, ut captiuorũ faceret permutationẽ: quam tum in Senatu publicè dissuasit,

Olympiad. atq; ob id reuersus miserabilibus tormentis est cruciatus. Quod penè omnes scribūt: *Ab u... con.*
Florus lib. secundo, titulo secundo: Gellius libro sexto, cap. quarto: Cicero primo Officiorum: iunior Plinius tit. quadragesimo: Orosius lib. quarto, cap. octauo: Val. Max. lib. nono, cap. de Crudelitate: diuus Augustinus 1. de Ciuitate Dei, cap. 15. Eutropius fideliter historiam narrat. Meminit horū Coss. Orosius lib. quarto, cap. 8. sic scribens: Attilius Regulus & Manlius Vulso, ambo bis Coss. cum classe ducentorū nauium, & quatuor legionibus Lilybæum profecti sunt: quod oppidū in promontorio sitū, Romani obsidere conati sunt, superueniente Hannibale, qui Hamilcaris fuit filius, uicti: maiore exercitus sui parte perdita, ipsi ægrè euaserūt. Et Iustinus lib. quadragesimoprimo, qui sic scribit: Primo Punico bello, L. Manlio Pisone, Attilio Regulo Coss. huius defectionis, &c. Vbi quoq; animaduertendū, quòd omnes hunc L. Manlium Vulsonem appellant, solus Iustinus Pisonem: nisi sit uitiatus codex.

Pulcher. *Pullus.*

4 P. CLAVDIVS, & LIVNIVS. 54

His Coss. infeliciter est à Romanis pugnatum. Nam Claudius, cum iturus in Siciliam cum noua esset classe, contra auspicia profectus, iussit immergi pullos, qui cibari nolebant. Ob id infeliciter aduersus Carthaginenses pugnauit. Et ut Florus in 2. libro, tit. 2. inquit: Non ab hostibus, sed à dijs ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat. nam ex omni classe, ut Polybius scribit, circiter triginta retinuit: tres & nonaginta in Carthaginensium potestatem uenere. Præterea omnes copiæ captæ, exceptis ijs quæ proiectis in terram nauibus perierant. Ipse tandem consulatu abdicatus, summa cum ignominia in iudicio cōcidit. De hoc Claudio Val. Max. lib. primo, cap. de Auspicijs: Cicero secundo de Natura deorum: Frontinus lib. secundo, cap. 13. L. uerò Iunius reparata noua classe, nouisq; coactis copijs, in Siciliam uenit. Sed ingēti procella, ac magna agitatus tempestate, naufragium perpessus est. Verùm ut hanc quoq; ignominiā leuaret, terrestri pugna Erycinæ Veneris templo & oppido potitur: ut abundantissimè Polybius enarrat. De hoc Iunio Val. Max. lib. primo, de Auspicijs: L. inquit, Iunius, P. Claudij collega, neglectis auspicijs classem tempestate amisit, damnationisq; ignominiam uoluntaria morte præuenit. Verùm historiam refert abbreuiator Liuij lib. decimonono: Orosius lib. quarto, cap. octauo. Sed ibi scriptū est, Caius quoq; iunior collega: pro, L. Iunius. Eutropius quoq; libro secundo, cap. tertio, Caius scribit, pro L. Iunius: ut appareat in alterutro error. Vterq; Coss. & rerū gestarū mentionē facit. Censorinus in libello de Die natali, ubi de ludis agit secularibus, horū Coss. mentionē facit in hæc uerba: Tertij ludi fuerūt Antiate Liuioq; autoribus, P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo Coss. anno quingētesimo duodeuigesimo, P. Cornelio Lentulo, C. Liuio Varo Coss. Hoc ultimū errore non caret. Censorinus equidē, meo iudicio, tertios seculares duplices esse significat, secundū uarietates autorum: quemadmodū de secundis annotauimus, & de quartis dicemus. Aliqui ergo, inquit, uolunt hos tertios ludos seculares fuisse sub P. Claudio & Iunio Pullo: alij uerò sub P. Lentulo & C. Liuio Varo: quorū suspicor nomina aut hic esse in Casiodoro, aut in Censorino corrupta. Vtinā nobis Angelus Politianus ex fide interpretatus fuisset Zozimū, cum de secularibus ludis scriberet. Si uerò cōiecturæ est locus, suspicor ultimos Coss. esse, quos inferius post tredecim cōsulatus Casiodorus appellat C. Liciniū Varronē, & P. Corneliū. Facilis enim est collapsus literarū Liuij & Licinij. Et tunc erit sic castigandus Censorinus, qui semper duplicē ludorū seculariū rationem ponit: Tertij ludi fuerūt Antiate Liuioq; autoribus, P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo cōsulibus, anno quingentesimo quarto. Vt uerò in commentarijs Quindecim uirorū scriptū est, anno quingētesimo duodeuigesimo, P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varrone Coss. Ita penitus puto legendū, quod & supputationi cōuenit, & historiæ. Si quis tamē meliora inuenerit, non grauetur adijcere, ut rem sincerā studiosi habeant. Sed cum ij ludi fuerint centesimo quoq; anno celebrati, nonnunq; fuerunt uariati duobus tribusq; annis, nonnunquam decem: adeò ut non semper in centesimū

Ab urbe con. annum rectè ceciderint. Verùm ab ijs tertijs ludis secularibus, ad quatros ludos, qui fuerunt initio tertij Punici belli, numerantur rectè centum anni, usque ad consulatum L. Martij Censorini & M. Manlij, qui fuerũt Coss. anno Vr. Con. 604. Ob id notæ numerorum semper secum mendas afferunt, nisi rectè scribantur. Plinius quoque hos Coss. nominat libro decimoquinto, de copia olei loquens, capite primo: Vrbis quidem anno quingentesimoquinto, Appio Claudio Cæci nepote, L. Iunio Coss. olei libræ duodenæ assibus ueniere. Sed & Polybius alterum consulem, Appium Claudium nominat: licet annorum numerus mendosus appareat in Plinio. Olympiad.

Geminus, Cotta.

505 P. SERVILIVS II. & C. AVRELIVS. CXXXIII.

Orosius libro quarto, capite octauo: Pôst Claudium & Iunium Coss. anno, inquit, sequenti classis Punica in Italiam transijt, eiusque plurimas partes longè latèque uastauit. Quæ eadem uerba Eutropius repetit. Polybius uerò nullos Coss. nominat usque ad Luctatium, sub quo pax facta est: sed tradit, Hamilcarem Barcham classi præfectum, cum omnibus copijs in Italiam delatum, maritima omnia deuastasse. Sed hoc decimooctauo eius belli anno factum scribit. Et postquam Locrorum ac Brutianorum agros populatus est, cum omni classe in Panormitanum agrum reuersum narrat, montem quendam occupasse. Sed crebrò iterum irruisse in Italiam, & pedestri exercitu nonnunquam Romanos esse lacessitos: ibique tres ferè annos commoratum, donec Romanis Ericynam urbem fraude abstulit. Suntque tunc Romani à Carthaginensibus, & Carthaginenses à Romanis obsessi. Hamilcar autem Romanos semper in mari infestauit, quòd illi ferè annos quinque mari abstinuerant. Et ideo omnes hos Coss. obmittit Polybius.

Metellus.

506 L. CECILIVS II. & CN. FABIVS. 2

Hunc Cecilium Metellum bis fuisse Consulem, uel Plinius in septimo indicat, quadragesimotertio capite. Vereor, licet certi nihil habeam, collegam eius hoc consulatu fuisse ueterem, C. scilicet Furium Placidum: quia in opusculo ignoti auroris legitur Megello II. & Butilo II. quæ uerba nimirum corrupta sunt. sed diuinare nolo. Si emerget quandoque Liuius, patefient & hæc & alia.

Licinius, Crassus.

507 C. FABIVS II. & C. OCTACIVS. 3

Magis erubesco, quando nudi Coss. ponuntur sine rebus gestis, quàm scribere audeo. Sed malo hanc uerecundiam pati, quàm aut incerta sine autore ponere, aut mendacia confingere. Spero semper affuturum Liuium, qui possit nobis hac in re optimè mederi: quemadmodum nuper Cornelij Taciti priores libri quinque, ex tetro carcere liberati, ad nos redierunt.

Buteo, Balbus.

508 M. FABIVS I. & OCTACILIVS. 4

Buteo accipitrum genus est præcipuum, teste Aristotele, nono libro, de Historia animalium, capite trigesimosexto, Triorchis à numero testium nuncupatus: cui, ut inquit Plinius in decimo, capite octauo, principatum in augurijs Phœmonoe dedit: familia etiam ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis naui sedisset. In Fabio Maximo apud Plutarchum est menda, ubi scribitur Fabius Bulco, pro Fabius Buteo. Buteonis oratoris mentio est apud Senecam, libro secundo Controuersiarum. Sed Sextus Pompeius ita scribit: Buteo genus auis, quæ eo se alit, quod accipitri eripuerit: uastitatisque est causa in ijs locis quæ intrauerit, ut bubo, à quo etiam creditur appellatus buteo. In uigesimotertio Liuius, Maximum Fabium Buteonem Dictatorem factum scribit, quo tempore duo Romæ Dictatores creati sunt. quod & Plutarchus tradit. sed ibi, ut dixi, Bulco scribitur, pro Buteo. Meminit horum Coss. Florus libro secundo, titulo secundo: M. Fabio Buteone Consule classem hostium in Aphrico mari apud Egimurum (insula est apud Strabonem in decimo-

Olympiad. septimo descripta: de qua plura scriberem, nisi Hermolaus in quintum Plinij copiosissimè omnia foret executus) iam in Italiam ultrò nauigantem, cecîdit: quamuis Octauio (suspicor legendum Octacilio) triumphus tempestate intercidit, cum opulenta præda clasis aduersis acta uentis, naufragio suo Aphricam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularum littora impleuit. Magna clades: sed non sine aliqua principis populi dignitate intercepta tempestate uictoria, & triumphum perijsse naufragio. Et tamen cum Punicæ prædæ amnibus insulisq; fluitarent, populus Romanus triumphauit. Abu. con.

CXXXIIII. *Atticus,* A. MANILIVS, & C. SEMPRONIVS II. *Blesus.*

Hos Coss. sicut & superiores, Polybius prætermittit: siue quòd nihil gestum est præclari in Sicilia, siue quòd domi manserunt, & Italiam egreßi non sunt. Sed Casiodorus, & autor ignotus, hos ponunt. 509

2 *Fundalus,* C. FVNDANIVS, & C. SVLPITIVS. *Gallus.*

Hos Coss. ordine dictos, Polybius in primo, qui tamen diligentißimè primum bellum Punicum scripsit, dimittit, nec ullã facit horum mentionem: Quoniam, ut ipse scribit, annos ferè quinq; Romani abstinuerant mari, post acceptas tot naufragio clades, quibus hi tum Coss. fuerunt. & sic legendus est Polybius, non quindecim annos, ut peruersi habent & deprauati codices. Quod si integer nobis Liuius esset, mox sciremus sub quibus consulibus Attilius Calatinus Dictator primus extra Italiam exercitum duxisset, sub quibus cum Pœnis captiuorum mutatio facta fuisset, sub quibus coloniæ Fregellas & Brundusium deductæ, sub quibus lustrum conditum, sub quibus Claudia soror Claudij multata fuisset. & id genus alia, quæ Liuius in decimonono fideliter conscripsit. Nam & Orosius et Eutropius attestantur, Italiam esse post acceptas clades, à classe Punica sæpius infestatam ac populatam. Quod & Polybius, & quidam alij insinuant. 510

3 *Catulus,* C. LVCTATIVS, & A. POSTHVMIVS. *Albinus, Eutropio Allicanus.*

Cum bellum illud Carthaginensium traheretur duce Amilcare Barca, qui pater fuit Hannibalis, eius qui pòst bellum cum Romanis gesit, uiro profectò fortisimo & prudentisimo, commoti patres hostium iniuria, summo studio classem comparant. Cæterùm diuturni belli sumptu ærario exhausto, priuatim ciues in hũc usum pecuniam contulerunt. Pleriq; quinqueremem unam proprio sumptu construebant. Tanta tunc erat reipublicæ charitas, propagandiq; imperij studium. Ducentas quinqueremes constructas, Luctatio cõsuli committũt. Qui tanta felicitate apud Aegathes insulam Carthaginenses deuicit, ut quinquaginta hostium naues submersæ, septuaginta cum turmis captæ, cæteræ fuga abreptæ sint. Qua clade territi Carthaginenses, pacem petunt: quæ data est ijs conditionibus, ut tota prorsus Sicilia Pœni abstinerent, neq; Hieroni bellum inferrent, nec contra Syracusanos arma mouerent: Captiuos sine precio redderent, talenta Euboica argenti tria milia & ducenta annos uiginti penderent. Sic bellum illud uigesimotertio, secundũ Orosium & Eutropium: ut Polybius, uigesimoquarto, finitum est: quod etiam Liuius uigesimoprimo attestatur. Vide Orosium libro quarto, capite octauo & nono. Sed lege ibi Aegathes, non Egades, ut perperam scriptum est. Insula ea est, quàm Polybius Egusam appellat, quæ non longè abest à Lilybæo. Silius de Hannibale in primo: 511

— Auet Aegathis abolere parentum
Dedecus, & Siculo summergere fœdera ponto. Et alibi:
— Fusaq; per æquora classe Aeathes cernam.

Hodie

Ab urbe con. Hodie hanc insulam nautæ corruptè Gotham dicunt. Florus item luculenter conflictum illum describit: et Eutropius in secundo, capite tertio. Verùm ut Abbreuiator in decimonono Liuij annotat, Cecilius Metellus Pon. Max. A. Posthumium consulem, quoniam idem & flamen Martialis erat, cum ille ad bellum gerendum uellet proficisci, in urbe tenuit, nec passus est à sacris recedere. Et ideo Polybius solius Luctatij meminit Cos. & non Posthumij. Quod & Val. Max. libro primo, de Cultu deorum, obseruauit. Idem de Luctatio, libro primo, capite de Auspicijs, sic scripsit: Luctatius, qui primum Punicum bellum confecit, à senatu prohibitus est, sortes Fortunæ Prænestinæ adire. auspicijs enim patrijs, non alienigenis Rempub. administrare iudicabant. Meminit huius Luctatij & Plinius de Viris illustribus, sed frustra. Q. enim illic appellatur, qui C. dicebatur. quod & Liuius in uigesimo primo repetit. *Olympiad.*

Cæterùm haud ab re fuerit, uerba Polybij ex primo subscribere de hoc bello, qui sic scribit: Durauit id bellum continuos quatuor & uiginti annos: omnium sanè, quæ nos audiuerimus, longissimum atq; maximum. In quo, ut alia obmittam memoratu digna, semel quinq; remibus ex utraq; parte amplius quingentis, iterum non multo minus quàm septingentis, inuicem pugnatum fuit. Amiserunt in eo bello Romani quinqueremes septingentas, præter eas quæ diuersis naufragijs perierunt: Carthaginenses uerò circiter quingentas. Quibus ex rebus constat, Romanos neq; fortuna (ut quidam Græcorum putant) neq; casu, sed propria uirtute, audacia, magnitudine animi, tantum imperium consequutos, ut tandem rerum omnium potiti fuerint.

Cerconius, *Atticus.*

512 Q. LVCTATIVS, & A. MANLIVS II. 4

His Coss. teste Orosio in quarto, capite nono, diuersæ ignium, aquarumq; clades penè absumpsere urbem. nam Tyberis insolitis auctus imbribus, & ultra opinionem, uel diuturnitate, magnitudine redundans, omnia Romæ ædificia in plano posita deleuit. Diuersæ qualitates locorum ad unam conuenere perniciem. Quoniam quæ segnior redundatio tenuit, madefacta resoluit: & quæ cursus torrentis inuenit, impulsa deiecit. Aquarum grauissimam cladem, grauior ignis sequuta uastatio est. qui ignis, incertum unde surrexerit, plurimas ciuitates partis peruagatus, cum hominum domorumq; miserabilem stragem fecisset, tum etiam tantum opum uno incendio consumpsit, quantum plurimæ uictoriæ conferre non possent. Dehinc cū omnia in circuitu fori popularetur, ædem Vestæ corripuit: & ne sibi quidem dijs subuenientibus, ignem illum qui æternus putabatur, temporarius ignis oppressit. Vnde etiam Metellus, dum arsuros deos eripit, uix brachio semiusto ablatus aufugit. Val. Max. libro primo, capite de Auspicijs: Cum Metellus Pontifex maximus Tusculanum petens iret, corui duo in os eius, aduersum ueluti iter impedientes aduolauerunt, uixq; extuderunt ut domum rediret. Insequenti nocte ædes Vestæ arsit: quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume seruauit. Meminit & Abbreuiator Liuij, in decimonono, huius rei. Tradit Orosius, id factum anno ab Vrbe condita quingentesimo septimo, cum secundum Coss. Cassiodori numerentur anni quingenti duodecim, & Eusebius in Chronicis Vestæ templum incensum tradat centesimæ trigesimæquartæ Olympiadis anno tertio. Qui quidem numerus conuenit ferè cum Coss. Cassiodori: licet nihil certi possimus ex Eusebio asserere, qui totus est corruptus. cum enim columnas pingat regum Macedonum, Assyriorum, in columna Coss. ne uerbo quidem Coss. describuntur, qui ordine omnes sine dubio sunt ab Eusebio scripti: quod hinc licet coniectare, quòd cum Eusebius desijt, & Prosper chronica continuauit, ordine recensentur Coss. Horum quoq; Coss. Eutropius meminit, scribitq; Phaliscos sub ijs debellatos, ijs uerbis: Q. Luctatio, A. Manlio Coss. Romani bellum Phaliscis intulerunt, quæ ciuitas Italiæ opulentissima quondam fuit. Quod ambo Coss. intra sex dies quàm uenerāt, transegerunt, quindecim milibus hostiū cæsis: cæteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato. Quod Orosius sub alijs

Olympiad. factum annotat, ut inferius dicemus. Polybius quoq; in primo libro: Fœdere, inquit, inter Romanos Carthaginensesq; percusso, similes ferè casus utrumq; populum excepere. Romani enim statim cum gente Phaliscorum bellum gerere cœperunt, quod tum intra paucos dies, ciuitate eorum potiti, terminarunt. Carthaginenses uerò per id tempus finitimorum, ac Numidarũ, & aliorum Aphricæ populorum bello circumuenti, in extremum ferè discrimen deuenere. Quod quidem bellum Polybius Aphricanum nominat, ac eleganter in fine primi describit, tertioq; anno finitimum prodit. *Ab urbe con.*

Cento, *Tuditanus.*

CXXXV. C. CLAVDIVS, & M. SEMPRONIVS. 513

His Coss. ludis Romanis primùm tragœdia & comœdia ad scenam data, à Liuio Andronico.

Gellius libro decimooctauo, capite ultimo: Annis deinde paulo pòst pluribus uiginti, cũ Pœnis pace facta, Coss. Claudio Centone Appij Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano, primus omnium L. Liuius poeta fabulas docere Romæ cœpit, post Sophoclis & Euripidis mortem annis plus ferè centum & sexaginta, post Menandri annis circiter quinquaginta duobus. Hoc & M. Cicero probat, qui ad Brutum scribens, anno ante Ennium natum refert Liuium fabulas dedisse. Illius Liuij meminit Suetonius. Laudant eius carmen, T. Liuius & Val. Maximus.

Turrinus, *Falco.*

2 C. MANILIVS, & Q. VALERIVS. 514

His Coss. teste Gellio libro decimooctauo, capite ultimo, natus dicitur Ennius poeta, à M. Varrone in primo de poetis libro: eumq; subdit, quum septimum & sexagesimum annum ageret, duodecimum Annalem scripsisse, quod ipse in eodemmet libro fatetur. De hoc quicquid annotatu dignum ueteres scripsere, Petrus Crinitus libro primo de Poetis accuratè collegit. Superuacuum est igitur, ea pluribus repetere. Eutropius antè genitum scribit: sed error est. Nam & Tullio referente, sequenti anno, quo C. Clodius Cæci filius & M. Tuditanus consulatum gessere, post bellum Punicum genitus est, & moritur (secundum quosdam) M. Cornelio Cethego & P. Tuditano Coss. licet Varro longius eius uitam producat: quia prætore C. Sulpitio Gallo ludos Apollini faciente, cum Thyesten fabulam docuisset, Q. Martio & Cn. Seruilio Coss. mortem obijt: secundum Serenum, articulari morbo correptus, quia nimio uino indulgebat. Eusebius uerò, quarta & trigesima Olympiade supra centesimam, anno quarto, Ennium poetam Tarenti natum scribit: & à Catone quæstore Romam translatum, in monte Auentino habitasse, parco admodum sumptu contentum, & unius ancillæ ministerio. Sed non est fidendum eius libro, ita corrupto.

Grachus,

3 T. SEMPRONIVS, & P. CORNELIVS. 515

Orosius, cui hac parte magis accedo (uereor enim Cassiodori libellum esse deprauatum) libro quarto, capite nono, ponit T. Sempronium Gracchum & C. Valerium Falconem. In opusculo quoque incerti autoris, hoc loco scribitur, Graccho & Falcone. Id me facit credere, Sempronio fuisse collegam Valerium Falconem, non Cornelium. His itaque Coss. cum Phaliscis bellauere Romani: eoʹque prælio quindecim milia Phaliscorum interfecta sunt. Vnde & Abbreuiator in decimonono inquit: Phalisci cum rebellassent, sexto die domiti, in deditionem uenerunt. Eutropius in fine secundi libri, sub Q. Luctatio & A. Mallio Consulib. paulo antè dictis, id bellum confectum esse scribit, si huic fides habenda est: quod etiam ex Polybio suprà annotauimus.

Olympiad.

Ab urbe con.

Flaccus.

L. CORNELIVS, & G. FVLVIVS. 4

516 Eutropius libro tertio, capite primo, scribit paulo ante hos Coss. Hieronem regem potentissimum Siciliæ, Romam uenisse ad ludos spectandos, & ducenta milia modiorum tritici populo dono dedisse. Et cum iam Galli Cisalpini & Ligures, noui hostes cõtra Romanos uenissent, cum ijs intra Italiam bellum gestum est. nam idem Coss. primi trans Padum Romanas duxere legiones. Pugnatum ibi est cum Insubribus & Liguribus: quorum interfecta sunt, ut idem scribit, uiginti tria milia, quinq; milia capta sunt, & de ijs triumphatum est. Orosius libro quarto, capite decimo, aliter illud bellum describit, & numerum occisorum minuit: idq; sub Valerio consule scribit factum, cum cæteri omnes sub Cornelio gestum tradant. Ad hæc in opusculo Coss. ignoti autoris (ut nihil sciens obmittam, quod studiosis profuturũ arbitror) hi Coss. & sequentis anni sic scribuntur: Caudino & Flacco, Caudino II. & Varro: ut suspicer, hunc Lentulum etiam Caudinum cognominatum (licet Eutropius Lentulum uocitet) & in sequenti anno non P. Cornelium, sed fortè L. Cornelium iterum fuisse consulem: cum scribitur Caudino II. Sed hæc, ut incerta, curiosis rerũ antiquissimarum, & ipsis (ut sic dicam) antiquarijs examinanda relinquo. Satis mihi sit, illis hanc offam obijcere, ut paulo curiosius indagent uetusta marmora. Sed & luculenter hoc bellum Ligusticum à Floro describitur libro secundo, titulo tertio, ubi Fuluij quoq; consulis fit mentio. Abbreuiator in secundo Liuij, huius historiæ de Liguribus meminit. Cæterùm non est obmittendum, quod Polybius tradit libro secundo, irruptiones Gallorum in Italiam describens, in hæc uerba: Galli superioribus prælijs uexati, quinq; & quadraginta annos quieuere, non uiolata pace, quam cum Romanis habebant. Postquam uerò senes, qui & conspexerant sæpe pericula, & uarias fuerant experti iacturas, naturæ concesserunt, insurrexere iuuenes ingenio prauo, rudes, & præteritarum rerum inexperti. Hi, ut fert natura hominum, confestim nouis rebus studere cœperũt: & quocunq; res ferret, infesti Romanis esse: à Transalpinis etiam auxilium aduocare. Verùm id principio duces tantum, inconsulta plebe, peragebant. Quo factum est, ut uenientibus Ariminum cum exercitu Transalpinis, multitudo Boiorum, quæ rerum ignara erat, aduentum Transalpinorum uerita, cum ducibus suis in dissensionem uenerit: ac regibus interfectis, prælium cum Transalpinis commiserit. Romani quoq; ea tempestate aduentu Transalpinorum deterriti, copias eduxerant: sed cum primum Gallorum inter se conflictum audiuere, domum iter uerterunt. Scripsit haud dubiè hæc latissimè Liuius, quem desideramus.

Varro.

C. LICINIVS, & P. CORNELIVS. CXXXVII.

517 Eutropius, licet hos Coss. non nominet: sequenti tamen, inquit, anno in Piceno flumen sanguine effluxit, & apud Tuscos cœlum ardere uisum est, & Arimini nocte multa luce fulgentes tres simul lunæ apparuere. De quibus prodigijs iterum paulò inferius, de bello Gallico, C. Flaminio & P. Furio Coss. uberius scribam. Carthaginenses præterea, cum bellum reparare tentarent, Corsos & Sardos instigarunt, ut rebellarent: sed subacti, ut abbreuiator in uigesimo Liuij scribit, & Eutropius, per legatos ueniam impetrarunt. Hos esse Coss. illos, sub quibus aliqui, ut ex Censorino paulo antè admonui, ternos factos ludos seculares scribunt: ea ducor coniectura, quod Censorinus solet ludos seculares computare secundum Valerium Antiatem, Heminam & Liuium, ac secundum commentarios Quindecimuirorum. Et cum ab illo nominentur hi Consules, Publius Cornelius Lentulus & C. Liuius Varro: facilis est lapsus literarum. nam in ignoto autore, alter Caudinus, alter Varro dicitur: ut euidens sit coniectura, eosdem esse.

Torquatus, *Bubulcus.* Ab urbe con.

2 T. MANLIVS, & C. ATTILIVS.

His Coss. ut Orosius libro quarto, capite decimo scribit, Sardinia insula rebellauit, autoribus Pœnis. unde mox Sardi subacti & oppressi sunt. Carthaginensibus autẽ uiolatoribus pacis, quam ipsi poposcissent, inferre bellum decretum est. Contrà Carthaginenses pacem suppliciter poposcerunt. & cum hi missis legatis nihil profecissent, pòst etiam decem principibus bis æquè supplicantibus non impetrarent: nouissimè Hannonis, minimi hominis inter legatos, oratione meruerunt. Eutropius id superioribus Coss. factum scribit: sed sub ijs de Sardis triumphatum, ac pacem omnibus locis factam Romanos tunc habuisse: quod Romanis tantum semel post conditam Romam, regnante Numa, contigerat: id quod inter omnes constat. Vnde hoc anno porta Iani Gemini clausa est, Plutarcho etiam attestante in Numa. Licet ibi scribatur, M. Attilio, pro C. Attilio. Sed & Florus lib. 2. tit. 3. aliter: Peracto, inquit, Punico bello, sequuta est sanè breuis, & quasi ad recipiendum spiritum, requies: argumentumq́ pacis, & bona fide cessantium armorum, tunc primùm post Numam clausa fuit porta Iani: sed statim, ac sine mora, patuit. Deridet pacem illam leuissimam Orosius argutissimè, libro quarto, capite undecimo. Sed numeri annorum quàm sint castigati, uideat quisquis ingenium habet: diuus item Augustinus libro tertio Ciuitatis, capite nono. Sed cur portæ huius templi in pace claudantur, bello aperiantur, docet Macrobius in primo Saturnalium, capite sexto. Atq; hinc Ianum Patulcium atq; Clusium nominatum ueteribus, scribunt Ouidius in Fastis, Vergilius in septimo Aeneidos, Seruius grammaticus, Sillius, passim cæteri omnes poetæ. Cæterùm huius T. Manlij Torquati meminit Liuius in uigesimo tertio libro, de bello Punico secundo, sic scribens: Ad eam rem missus est T. Manlius Torquatus, qui bis consul, censorq́ fuerat, subegeratq́ in consulatu Sardos. Velleius Paterculus in suis fragmentis, scribit Brundusium coloniam factam, Torquato Sempronioq́ Coss. circa hæc tempora. Quos tamen nusquam collegas inuenio. 518

Albinus, *Maximus.*

3 L. POSTHVMIVS, & SP. CARBILIVS. 519

Arbitror hunc esse Posthumium, cuius meminit Florus libro secundo, titulo tertio, de bello Ligustico, ubi sic ait: Incognitas tandem Fuluius latebras eorum ignibus sepsit, Bebius in plana deduxit: Posthumius ita exarmauit, ut uix reliquerit ferrum quo terra coleretur.

Verrucosus, *Matho.*

4 Q. FABIVS, & M. POMPONIVS. 520

M. Pomponius Matho prætor pòst fuit, bello Punico secundo, Terentio & Aemilio Coss. ut narrat Liuius libro uigesimo secundo, ab Vrbe condita.

Malleolus.

CXXXVII. M. LEPIDVS, & M. OBLICIVS. 521

Polybius libro secundo, ubi omnes Gallorum irruptiones in Italiam ordine edocet, ut superius semper annotauimus, quinto dehinc anno ponit, sub M. Lepido consule, C. Flaminium legem tulisse, ut ea regio Galliæ, quam Picenum uocant, unde Senones fuerunt expulsi, Romanis militibus diuideretur. Quæ res causa extitit, ut nouum statim bellum exuscitatum fuerit. De quo uide ibi abundè Polybium, scribentem de Regibus Gallorum, & eorum coniuratione in Romanos.

C. PAPY-

Ab urbe con. 522

Maso, *Matho.*

C. PAPYRIVS, & M. POMPONIVS. 2

Lycosth. omittit hoc loco annũ duorum cõsulum, quorum nomina ignorantur, quibus tamen Glareanus in sua supputatione locum dedit: quo factum est, ut in sequentibus unius anni anticipatione à Cuspiniano discrepet.

Horum Coss. meminit Dionysius Halicarnasseus in secundo Antiquitatũ, cum de legibus Romuli scribit, ubi cum de mulieribus loquitur, in hæc uerba scribit: Constat enim intra quingentos uiginti annos nullum Romæ fuisse diuortium: centesima uerò & tricesima Olympiade, Coss. M. Pomponio et C. Papyrio, primus uxorẽ suam dimisisse dicitur Sp. Seruilius, uir non obscurus: iurare coactus à Censoribus, liberorum gratia se matrimonium colere. Erat aũt ei coniunx sterilis, quo tum facto, quamquam ob necessitatem, populo inuisus fuit. Est autem ibi legendum Carbilius, non Seruilius. Similis penè error in Plutarcho, in comparatione Numæ & Lycurgi, ubi hæc uerba leguntur: Nam sicut apud nos historici primos scribunt, qui uel ciuilem necem perpetrarunt, uel bellum fratribus intulerũt, uel patrem matrem'ue necarunt: ita Romani memoria tradiderunt, Sp. Coruinum primum extitisse, qui post urbem conditam ducentesimo trigesimo anno, cum uxore diuortiũ fecerit, cum nihil prius huiusmodi factum esset. Vbi non Sp. Coruinus, sed Sp. Carbilius legendum est. Nec etiam numeri annorum cõstant, quia mendòsi. Gellius libro septimo, capite ultimo: Anno deinde post Romam conditam quingentesimo undeuigesimo, Sp. Carbilius Ruga primus Romæ de amicorum sententia diuortium cum uxore fecit, quòd sterilis esset, iurassetq; apud censores, uxorem se liberûm quærendorũ causa habere. Val. Max. libro secundo, de Institutis antiquis: Repudium inter uxorem & uirum à con. ur. usq; ad uicesimũ & quingentesimũ annũ nullũ intercessit. Primus autem Sp. Carbilius uxorem sterilitatis causa dimisit. qui quanquam tolerabili ratione motus uideretur, reprehensione tamen non caruit, quia ne cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei præponi debuisse arbitrabatur. Sed ut intelligas lector, diuersitatẽ annorum apud autores, quo semper distringor: audi rursus Gellium libro quarto, capite tertio, dicentem: Memoriæ traditum est, quingentis ferè annis post Romam conditam, nullas rei uxoriæ neq; actiones, neque cautiones in urbe Roma, aut in Latio fuisse: quia profectò nihil desiderabatur, nullis etiam tunc matrimonijs diuertentibus. Seruius quoque Sulpitius in libro quem composuit de Dotibus, tum primum cautiones rei uxoriæ necessarias esse uisas scripsit, cum Sp. Carbilius, cui Ruga cognomentum fuit, uir nobilis, cum uxore diuortium fecit, quia liberi ex ea, uitio corporis, non gignerentur: anno ur. con. quingentesimo uigesimotertio, M. Attilio, P. Valerio Coss. (qui infrà quarto pòst anno ponentur) Atque is Carbilius traditur uxorem, quam dimisit, egregiè dilexisse, charissimamq; morum eius gratia habuisse, & iurisiurandi religionẽ animo atque amori præuertisse, quod iurare à censoribus coactus erat, uxorem se liberorũ quærendorum gratia habiturum. Attende quæso autorum diuersitatem. Sed haud dubiè hoc loco Coss. in Gellio sunt deprauatè scripti, & numerus annorum minus uitio caret: quia si, ut Dionysius scribit, centesima trigesimaseptima Olympiade diuortium illud factum est, erit annus quingentesimus uicesimus secundus & tertius circiter, ut patet rectè supputanti.

Barbula, *Pera.*

523 M. AEMILIVS, & M. IVNIVS. 3

His Coss. Hamilcar, Hannibalis pater, in Hispania bellum Romanis parans, occisus est. hic solitus est dicere, quatuor se filios contra Po. Ro. ueluti catulos leoninos educare.

Orosius libro quarto, capite undecimo: Anno ab urbe condita sexingentesimo quadragesimoquarto, Hamilcar dux Carthaginensium, ab Hispanis in bello, cum aliud bellum aduersus Romanos clàm pararet, occisus est. Sed aduerte lector, quæ monstra notas numerorum occuparunt: cum longè alius numerus annorum sit, quàm qui hic ponatur, si quis saltem digitis numerare possit. De morte autem Hamilcaris, Polybius etiam in principio libri secundi, in hæc uerba scripsit: Postquam

Olymp. 41. Carthaginenses Aphricę res cōposuere, confestim Hamilcarem cum exercitu in Hispaniam mittũt. Hic cum omnibus copijs profectus, Hannibale filio comite, qui tum nonum ferè ætatis suæ annum agebat, superatis columnis Herculis, magnam Hispanię partem Carthaginensibus recuperauit. In ijs locis annos circiter nouem commoratus, multis Hispaniæ ciuitatibus bello subactis, plerisq; etiam pacta salute atq; impunitate bonorũ in fidem Carthaginensiũ receptis, dignam tandem rebus à se gestis mortem obijt. Siquidem aduersus atrocissimos uiros ac potentissimos populos bellum gerens, & maximis quibusq; periculis intrepidè sese, ac cum summa omniũ admiratione subijciens, extremum uitæ diem morte confecit. Ab urbe con.

Albinus. *Centumalus.*

4 L. POSTHVMIVS II. & CN. FVLVIVS. 524

Sub ijs Coss. ut abbreuiator Liuij in uigesimo scribit, & Orosius lib. quarto, cap. duodecimo: item Eutropius lib. tertio, cap. primo, bellum Illyricis indictũ est, quòd unum ex legatis Teuca regina Illyriorum contra ius gentiũ obtruncasset: ob quam missi Coss. Posthumius cum terrestrib. copijs, Fuluius cum classe ducentarũ nauiũ, plerisq; ciuitatibus captis, reginam cõpulerunt, ut quotannis tributũ Romanis persolueret, ac ab omni Illyrio excederet, paucissimis locis exceptis: & quod maximè ad Græcos attinebat, ut nauigare ei deinceps ultra Lyssum non liceret, nisi cum duobus lembis, atq; ijs inermibus. Descripsit hoc bellum abundè ac diligenter Polybius lib. secundo: sed is Coss. C. Fuluium & A. Posthumium appellat, cum cæteri omnes L. & Gn. uocitent. Florus item lib. secundo, tit. quinto: qui tamen Illyricum Gallico subdit, cum antea gestũ sit, ut clarissimè ex Polybio ac Liuio patet. De hoc præterea bello Appianus in libro qui inscribĩt Illyricus, ubi legati Romanorũ scribuntur fuisse P. Iunius Coruncanus, & T. Coruncanius: qui in Polybio C. & Lucius Coruncani dicuntur. Quibus statuas positas in rostris, scribit Plin. trigesimoquarto, sexto cap. Superius item apud Ruffum Festum de Illyria Teucæ reginæ, est huius mentio facta belli. Sed nemo pulchrius hoc bellum, quàm Polybius in secundo, describit, causas tradens huius transfretationis in Illyrium.

Verrucosus. *Maximus.*

CXXX VIII Q. FABIVS II. & SP. CARBILIVS II. 525

Cur Fabius dictus sit Verrucosus, Plutarchus in Fabio docet. Sed huius cõsulatus Cicero in Catone sic meminit: Nec uerò in armis præstantior, quàm in toga, qui consul iterum Sp. Carbilio collega quiescente, C. Flamminio Tribuno plebis quoad potuit restitit, agrum Picenum & Gallicum uiritim, contra Senatus auctoritatẽ diuidenti. Sub id tempus (quantum licet ex Polybio deprehendere) cum iam Carthaginenses post Hamilcaris interitũ, Hasdrubalem eius socium exercitui præfecissent, incredibili uirtute imperiũ Carthaginensiũ in Hispania adauxerat. Vrbem condiderat, quæ à quibusdam Carthago, ab alijs Noua ciuitas appellãt, ob loci opportunitatẽ, non solum ad res Hispaniæ, uerumetiam Aphricæ cõmodissimam. Romani cum intelligerent uires Carthaginensium usq; adeò in Hispania creuisse, nec eam quidem partem negligendam putauere: sed ignauiam suam accusantes, quòd anteactis temporibus per socordiam quasi dormitantes aboleri in Hispania Carthaginensiũ nomen permiserant, recuperare quod obmissum fuerat decreuerunt. Verùm mouere in præsentia aduersus Carthaginenses bellum nõ audebant, ueriti imminentẽ Romanæ urbi Gallorum multitudinẽ, quorum impetũ indies magis formidabant. Quamobrem componere primùm cum Hasdrubale de rebus Hispaniæ, deinde aggredi Gallos, & utcunq; cessura res esset, subire periculũ statuerũt. Haud dubij, se non solum nõ dominari Italia, sed nec tutò quidem patriam aut proprios penates tenere posse, nisi domitis Gallis. Missis igitur ad Hasdrubalem in Hispaniam legatis, percussum cum Carthaginensibus fœdus fuit. In quo inter cætera cautũ, ne liceret Carthaginensibus Hiberum fluuium cum armis traijcere, per reliquam Hispaniam impunè progredi ualerent. His compositis, mox bellum in Italia contra Gallos mouerunt.

P. VALE-

Ab urbe con. *Flaccus,* *Regulus.*

526 P. VALERIVS, & M. ATTILIVS. 2

Meminit huius Attilij Reguli Plinius libro decimoctauo, capite quinto, ijs uerbis: Attilius Regulus ille Punico bello bis Cos. aiebat, neque fœcundissimis locis insalubrem agrum parandum, neque effœtis saluberrimum. Horum autem Coss. meminit Gellius libro quarto, capite tertio, de diuortio agens Sp. Carbilij, ut paulo superius meminimus: si codex Gellij est emaculatus.

527 L. APVSTIVS, & M. VALERIVS. 3

Ita scribuntur hi Coss. in Casiodori exemplari unico, quod in hunc diem uidi. Cæterùm in opusculo ignoti autoris, hoc loco scribitur, Torquato II. & Flacco II. Hæc ideo adposui, ut si aliquādo integer ad nos remeet Liuius, discernere de ijs ualeamus.

Regulus, *Pappus.*

528 C. ATTILIVS, & L. AEMILIVS. 4

Pappos dixere prisci, flores carduorum. Lucretius:

—Nec plumas auium, papposque uolantes.

Plinius pappum uocari ait, lanuginē deciduam ex fructibus arboris † Congrygiæ. († Coggygriæ)

Pappon Græci anum uocant. Ausonius:

—Pappos, auiasque trementes,

Anteferunt paribus seri noua cura nepotes. Vnde hæc familia cognomen habuerit igitur, examinandum est. Horum Coss. meminit Polybius libro secundo, ubi longa serie omnes Gallorū in Italiam irruptiones diligentissimè describit: quem studiose lector omnino adeas, si Gallorum res gestas scire cupis. Cæterùm cum nunciatum esset Romæ, quo pacto Gallorum circiter quinquaginta milia, equitum bigarumque duo milia in Italiam aduentarent, Romani auxilia à socijs undique conquisiuerunt. Polybius in secundo, & Plinius in tertio, autores sunt, peditum septies centena milia, & septuaginta equitum eo tumultu Romæ, & in cætera Italia conscripta. Liuius trecenta milia fuisse scribit. Libet uerba Plinij subscribere, ex libro tertio, capite decimonono: Super hæc Italia, quæ L. Aemilio Paulo, C. Attilio Regulo Coss. nunciato Gallico tumultu, sola sine externis ullis auxilijs, atque etiam tunc sine Transpadanis, equitum octoginta M. peditum septingenta milia armauit, metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris: sed interdictum id uetere consulto patrum, Italiæ parci iubentum. Cæterùm eo bello missus Aemilius Ariminum, ut hostiū impediret transitum (nam C. Attilius in Sardinia insulanorum motus composuerat) reuersus tamen, ubi Pisis copias exposuit, intellecta Gallorum digressione, quos Aemilius subsequebatur, cum his congressus, fortissimè dimicans occiditur, horrendo ac crudeli prælio. Aemilius uerò tanta uirtute hostes strauit, ac in fugam uertit, ut in eo prælio quadraginta milia Gallorum cæsa Polybius scribat, decem milia capta: inter quos Congolitanus rex fuit, qui uiuus in potestatem Romanorum cum cæteris captiuis uenit. Nam alter rex Gallorū Anerestes, cum in propinquū locum cum paucis quibusdam comitantibus fugisset, non longè pòst, omnes sibi mortē cōsciuere. L. Aemilius consul spolia Romam misit, prædam quorū erat restituit: per Liguriam in Boiorum agros profectus, omnia depopulatur ac deuastat: ditatoque exercitu, Romam reuertitur, Capitolium armis torquibusque aureis ornat, insignemque triumphum ducit. Abbreuiator Liuij in uigesimo huius belli meminit. Orosius libro quarto, capite duodecimo: Eutropius libro tertio, capite primo, hoc bellum copiose describunt: ubi Gallorum natura graphicè depingitur, esse primo impetu maiores uiris, dehinc minores feminis. Lege illic quæ desideras. Florus libro secundo, titulo quarto. Sed nomina ducum Gallorum ponit, quæ alibi non leguntur. Ante omnes tamen Polybius diligentissimè de Gallorum irruptione, libro secundo scripsit. Licet nonnihil etiam Appianus, in eo libro qui Celticus dicitur, sed mancus est & mutilus. Plutar-

Olympiad. chus in Marcello, causas huius belli pulchrè enarrat, scribitq́ post Punici primi belli uix dum sedati uigesimumsecundum annum, primordia incœpisse. Ab urbe con.

Torquatus. Flaccus.

CXXXIX. T. MANLIVS III. & Q. FVLVIVS II. 529

Hos Coss. ut Polybius in secundo scribit, cum ingenti exercitu Romani mittunt in Galliam, in spem adducti, expellẽdi omnino ex Italia Gallos, cum iam Gallorum conatus essent irriti. Hi simul ac prouinciam ingreßi fuere, Boios in deditionem po. Ro. uenire compulerũt. Deinde cum in reliquos Gallos grassari cœpissent, multitudine imbrium, ac subinde pestilentia impediti, desistere coacti sunt. Scribit Orosius libro quarto, capite duodecimo, hos Coss. primos trans Padum Romanas duxisse legiones, interfectaq́ aliquot milia Gallorum narrat.

2 C. FLAMINIVS, & P. FVRIVS PILO. 530

Hi Coss. rursus cum exercitu in Gallos profecti, ut Polybius in secundo scribit, contra Insubres, quorũ quinquaginta circiter milia erant, fortiter strenueq́ pugnarunt. Vocatis enim Cenomanis, qui socij Romanorum erant, cum Abduam amnẽ transijssent, ut illis facultatem ad hostes profugiendi eriperet, Flaminius pontẽ rescindit: superatoq́ primo Gallorum impetu, qui ferox plerunq́ est, uictoriam propria uirtute adeptus est: ingentiq́ captiuorũ multitudine, spolijsq́ onusto exercitu, Romam reuersus est. Meminit huius quoq́ belli Orosius libro quarto, cap. duodecimo, qui contemptis auspicijs Flaminium pugnasse scribit: narratq́ prodigia illa euenisse, de quibus superius ex Europio scripsimus, sub Coss. C. Licinio & P. Cornelio, annis retrorsum tredecim: quòd scilicet in Piceno flumen sanguine fluxerit, cœlum arserit, & tres lunæ apparuerint: ut appareat in alterutro esse errorem. Licet Plin. lib. secundo, capite trigesimosecundo, ea prodigia sub Gn. Domitio & L. Annio facta scribat. Verùm Plutarchus in uita Marcelli, dubium tollit, cum in hæc uerba scribit: Cum Flaminius ac Fuluius (Furius credo legendum) Coss. in Insubres copias haberent, fluuius qui per Picenum agrum labitur, cruore fluxisse uisus est. Tres quoq́ Græcos pẽnes Ariminum apparuisse traditum est. Id quid sit, tres Græcos apparuisse, nescio. Alij certè, tres lunas apparuisse scribunt. Vide ibi, quomodo contra S. C. Flaminius depugnauit, antequam se consulatu abdicauit, ut triumphum assequeretur: quod etiam repetit Liuius in fine libri uigesimiprimi, ubi agit de secundo eius cõsulatu, quem Arimini inijt. Lege Liuium.

Marcellus, Scipio, al. Caluus.

3 M. CLAVDIVS, & CN. CORNELIVS. 531

Hi Coss. teste Polybio in secũdo, mira celeritate exercitũ in prouinciã educũt. quibus Galli, desperata pace, quasi extremum periculum subituri, cum triginta milibus conductis Gessatarũ militibus occurrerũt, Coss. obsiderunt, Acerras & Clastidium obsessum ab Insubribus liberarũt. Initoq́ certamine Galli fusi paßim, profligatiq́ fuere: multi in fluuiũ præcipitati, uorticibusq́ absorpti: magna pars hostiũ cæsa, reliqui uiui capti. Marcellus medio quoq́ conflictu Viridomarũ Gallorũ regem, ut Liuius: aut Britomarũ, ut Plutarchus, obuiũ obtruncat, iacentiq́ opima detrahit spolia, quæ tertia à Romulo, supremaq́ Feretrio sunt Ioui suspensa. quod nescio cur Polybius omisit. Orosius in quarto, Eutropius in tertio, Val. Max. in tertio, de Fortitudine: Florus in secundo, tit. quarto, paßim cæteri enarrarunt. Quinimò & Virgilius in sexto Aeneidos, de hac re sic cecinit:

Aspice ut insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur, uictorq́ uiros supereminet omneis.
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumq́ rebellem,

Tertiaq́

Ab urbe con. Tertiaq; arma patri suspendet capta Quirino. De spolijs his opimis, ac Ioue Pheretrio, plura Seruius: multo plura Plutarchus in uita Marcelli. Postea bellum hoc Gallicum est finitũ: quo nullũ usq; in hunc diem, uel obstinatione animorũ, uel militum audacia, uel atrocitate præliorũ, uel multitudine interfectorũ, uel numero copiarũ, maius fuit in Italia gestum, ac memorabilius. Hic est ille Claudius Marcellus, quinquies qui consul fuit, M. Claudij filius, à Marte cognominatus: in quinto eius consulatu ab Hannibale circumuẽtus ac interfectus: cui nepos Marcellus, qui interijt cum in Aphricam naues traijceret, monumentũ erexit, ut Asconius Pedianus scribit, tali titulo: HIC SITI SVNT MARCELLI TRES, NOVIES COSS. AVVS QVINQVIES, FILIVS SEMEL, NEPOS TER. Vide Plutarchum in eius uita, & iuniorem Plinium titulo quadragesimoquinto.

Asina. Ruffus.

532 P. CORNELIVS, & M. MINVTIVS. 4

Sub ijs Coss. teste Orosio lib. quarto, cap. duodecimo, Histri noui hostes excitati sunt: quibus bellum est illatum, quia Romanorum naues frumento onustas intercepissent. Sed perdomiti à Romanis sunt, licet uictoria Ro. haud incruenta fuit. Meminit & horum Coss. Eutropius libro tertio, capite primo.

Philo. Scæuola.

533 L. VETVRIVS, & C. LVCTATIVS. CXL

His Coss. uia Flaminia munita, & circus factus, qui Flaminius appellatur.

Liuius in trigesimo octauo docet, ut inferius scribemus, uiam Flaminiam à C. Flaminio, qui collega M. Aemilij Lepidi in consulatu fuit, ne ocio milites contabescerent, strauisse. Vnde hoc autem sumpserit Cassiodorus, quod hoc tempore uia Flaminia facta sit, hactenus nusquam legi.

Salinator. Paulus.

534 M. LIVIVS, & L. AEMILIVS. 2

His Coss. Hannibal, Hamilcaris filius, in Hispania bellum mouit.

Huius M. Liuij Salinatoris meminit Cicero in Catone, Plutarchus in Fabio (etsi perperã in omnibus uoluminibus legatẽ M. Lucius, pro M. Liuius) item Liuius in 26. mentionem huius M. Liuij facit, ubi agit de obsidione Tarentinæ arcis, quam ipse præfectus tenebat. Liuius Salinator cognominatus est, quòd legẽ tulit, ne quis salẽ uenderet sine uectigali, cum antea ius esset omnibus uendendi salis. Arbitror legendum in Liuij 22. libro, cum de C. Terentio Varrone & L. Aemilio Coss. scribit, L. Aemilius Paulus, qui cum M. Liuio consul fuerat, & damnatione collegæ & sua propè ambustus euaserat: cum aliàs legatur, M. Lelio. Cæterùm unde cognomen Salinatori Liuio sit inditum, uide Liuium in fine uigesimi noni libri. Vide & Val. Max. de Liuio Salinatore, titulo de Censoria nota: & Suetonium in Tiberio, rubrica tertia. Sed L. Aemilij meminit Polybius in tertio, ijs uerbis: Cum Hannibal omni spe celerius Saguntum cæpisset, & bellum iam non in Hispania tantum, sed prope urbem & per omnem Italiam ardesceret, Romani hoc consilio freti, L. Aemilium in Illyrium cum exercitu misere, qui res eius prouinciæ componeret, anno primo centesimæ & quadragesimæ Olympiadis. Post hoc latè describit, quomodo Aemilius Illyrium subiugauit, & de hoc triumphauit: commemoratq; sex fœdera inter Romanos & Carthaginenses, & legatorum nuncia, & Hannibalis in Italiam ingressum. Horum Coss. ita meminit Plinius libro uigesimonono, capite primo: Cassius Hemina ex antiquis autor est, primum è medicis uenisse Romam Peloponnensem Archagatum, Lysaniæ filium, L. Aemilio, M. Liuio Coss. anno urbis quingentesimo trigesimoquinto: eiq; ius Quiritium datum, & tabernã in Compito Acilio emptam: ob id publicè Vulnerarium fuisse eum tradunt uocatum, mireq; gratum aduentum eius initio, mox à seuitia secandi urendiq; transisse nomen in Carnificem, & in tædium artis.

Olympiad. 3 — Scipio. Longus. — Ab urbe con. 535

P. CORNELIVS, & T. SEMPRONIVS.

Bellum Punicum secundũ.

Sub ijs Coſs. bellum eſt incœptum omnium grauiſsimum, Punicum ſecundum: quod quia eſt ubertim à pluribus conſcriptum, ſuperuacuum cenſeo pluribus hîc immorari. Diligentiſsimè illud deſcripſit Polybius libro tertio: utinam ſupereſſent reliqui. Liuius libro uigeſimo primo ab ur. con. & ſequentibus: Florus lib. ſecundo, tit. ſexto: Plutarchus paſsim in Fabio, in Marcello, in Hannibale (ubi horũ Coſs. etiam meminit) & Scipione. Sed admonendus eſt hîc lector ſomniculoſus, uitam Hannibalis & Scipionis non eſſe ex Plutarcho tantum tralatas, ſed ueluti ab autore Donato collectas & congregatas: quemadmodum uitam Ciceronis conſcripſit Aretinus, non tranſtulit. Sed & hoc bellum deſcripſit etiam Appianus in Libyco, Silius Italicus libris decẽ & ſeptẽ: Oroſius libro quarto, capite decimoquarto, decimoquinto, decimoſexto, decimoſeptimo, & decimooctauo: Eutropius libro tertio, capite ſecundo, tertio, quarto & quinto. Sed illud Flori, quadriennij requies, examine indiget. Ex Coſs. namq; præſcriptis apparet, plures interfuiſſe quàm quatuor annos inter duo bella Punica, cum tres & uiginti uſq; numerentur conſulatus. Et Scipio in oratione ad milites, referente Liuio in uigeſimoprimo, inquit, A' quibus ſtipendium: ut appareat, multo plures interfuiſſe annos quàm quatuor. repetit enim paulo pòſt: Experiri licet utrum alios Carthaginenſes per uiginti annos terra ediderit, an ijdem ſint. Præterea in ſuperiori bello pacis conditiones erant, ut uiginti annis penderent tributa, quæ iam erant exacta. Niſi intelligamus, poſt Punicum primum uix per quatuor annos pacem habuiſſe Romanos, cum porta Iani clauſa eſſet. Nam, ut pleriq; intelligũt, quatuor tantum interfuiſſe annos inter duo Punica. Polybius enim ſcribit in tertio, hoc bellum incœptũ centeſima quadrageſima Olympiade: Solinus, anno ab ur. con. quingẽteſimo trigeſimoquinto: Oroſius, quingenteſimo trigeſimo quarto. Quæ diuerſitas cogit ſubdubitare de fide librorum. Cæterùm ad hiſtoriam redeundo: cum Hannibal poſt expugnatam Sagunthum Alpes penetraſſet, & ad Ticinum amnem caſtra locaſſet, inito certamine cum Romanis, in fugam uertit. Scipio Conſul accepto uulnere, à filio, qui pòſt Aphricanus eſt dictus, ſeruatus eſt. Dehinc ad Trebiam fluuium in altiora loca caſtrametatur. Ad quæ Sempronius collega literis à Senatu miſsis certior factus, ex Sicilia uenit, re illic egregiè geſta. Sed dum aduerſante Scipione, Sempronius cum hoſte manus conſerere feſtinat: eandem cladem apud Trebiam ipſe, quam nuper apud Ticinum Scipio, paſſus eſt. Quæ res maximè urbem in magnũ timorem poſuit. Bellum utrumq; apud Ticinum & Trebiam abũdè Polybius in tertio: Liuius in uigeſimoprimo, qui totus eſt de Hannibalis tranſitu, & quæ hoc cõſulatu geſta ſunt, deſcribũt. Sed etiam Plutarchus in Hannibale & Fabio huius belli meminit: item Florus lib. ſecundo, tit. ſexto. Oroſius pulcherrimè has duas ſtrages cõtrahit in decimũtertium caput, lib. quarti, ubi horum quoq; Coſs. fit mentio: quæ Eutropius lib. tertio imitatur, cap. ſecundo. Sed ibi perperam legitur Sempronius Gracchus, qui Longus cognomento ferebatur: quod omnes atteſtantur autores. Cornelius Tacitus in decimonono hiſtoriæ Auguſtæ, ubi Vitellium deſcribit, horum conſulũ ſic meminit: Hic exitus Cremonam habuit, ducẽteſimo octogeſimoſexto: à primordio ſui condita erat, T. Sempronio & Cornelio cõſulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculũ aduerſus Gallos trans Padum agentes, & ſi qua alia uis per alpes irrueret. Polybius item in tertio, eadem tempeſtate Placentiam atque Cremonam conditas docet: ubi & horum Coſs. fit mentio, & quæ ſub ijs geſta ſunt. Sed originem belli, & argumentum, cur Hannibal hoc bellum ſuſceperit, inuenies in præfatione ſecundæ Decadis apud Liuium, ut nunc uulgo loquimur. Boiorum uerò tumultum in legatos Romanorum ac Triumuiros, cum Hannibal per alpes tranſiret, inuenies in uigeſimoprimo libro: ubi quicquid ijs Coſs. geſtum eſt, latiſsimè ſcribitur.

CN. SER-

Ab urbe con. 536

Geminus.

CN. SERVILIVS, & C. FLAMINIVS II. 4

Priusquam hi Coss. magistratum inirent, uictus est Hannnibal apud Placentiam, qui se per Apenninum in Ethruriam mouit: magnam ibi expertus tempestatis sæuitiam, cum & priori prælio saucius esset, & pòst oculum amitteret. Sed cum Romæ multa accidissent prodigia, quæ Liuius in fine uigesimiprimi libri enarrat, & in principio uigesimisecundi: ac Orosius in quarto, capite decimoquarto: Flaminius contemptis auspicijs, Arimini idibus Martijs inijt consulatum, cum per id tempus Seruilius Romæ consulatum accepisset, & magistratum iniuisset: Flaminius ferocioris ingenij, & moræ impatiens, non expectato collega, apud lacum Thrasimenum nebula & caligine deceptus, ab Hannibale occiditur, & cum eo quindecim milia Romanorum: ut copiosissimè Liuius in principio uigesimisecundi libri scribit: Polybius in tertio, ubi horum quoque Coss. fit mentio: Plutarchus in Fabio, & Hannibale. Clades apud Thrasimenum facta coegit, ut à populo tunc primùm Q. Fabius Maximus Prodictator diceretur, M. Minutius Ruffus magister Equitum: qui cum esset etiam ingenij paulo insolentioris, Fabium Cunctatorem criminabatur, uno aut altero prælio feliciter gesto. Sed cum æquato imperio in discrimen cum Hannibale uenisset, tandem à Fabio liberatus periculis, prudentiam uiri & ore & literis confessus est. In locum Flaminij Consulis, M. Attilius Regulus suffectus est, quem Fabianum Liuius appellat. qui cum Gemino Seruilio Musitano, pòst acceperunt exercitum à Q. Fabio, exacto magistratu: & in hybernaculis maturè munierunt, carpentes agmen Hannibalis, quoties frumentatum exiret. Hanc historiam præter suprà dictos, scribit paucis Florus in secundo, titulo sexto: Orosius libro quarto, capite decimoquarto: Eutropius libro tertio, capite secundo. Horum Coss. meminit Plutarchus in Hannibale, Plinius item iunior titulo quadragesimosecundo, & quadragesimotertio. Silius Italicus hanc pugnam Thrasimenam graphicè describit in quinto Punicorum. Quæ uerò hoc tempore in Hispania gesta sunt, Liuius in uigesimosecundo, & Polybius in tertio elegantissimè describunt: ubi copiosissimè rem omnem inuenies, & quid sub ijs etiam suffectis Coss. factum sit, cum legatis Neapolitanis Romam missis, cum quadraginta aureis pateris: & de speculatore Carthaginensium, qui biennio Romæ fuerat: & de legatis ad Philippum Macedonum, & ad Pineum Illyricorum reges missis: & quo pacto hi Coss. uocati sint ad comitia: & qualis iterum concertatio plebis cum patricijs fuerit, priusquam Terentius Varro Consul crearetur.

Paulus, *Varro.*

L. AEMILIVS II. & C. TERENTIVS. CXLI

537

Alter Consulum Terentius Varro, loco non humili solum, sed etiam sordido natus, patrem lanium habuit, ipse institor mercis: filióque hoc ipso in seruili eius ministerio usus est. Sed iuuenis, ubi ex eo genere pecunia quæstus à patre relicta, animum ad spem liberalioris fortunæ adiecisset, togáque & forum placuere, pro sordidis hominibus proclamando, causisque aduersus rem & famam bonorum, primùm in notitiam populi, deinde ad honorem peruenit: Quæsturáque, & duabus Aedilitatibus, plebeia & curuli, postremò & Prætura perfunctus est. Tandem ad Consulatum peruenit, aura populari adiutus. Et cum temeritate sua, & exercitatione apud exercitum periclitatus esset, aufugissetque, barbam deinceps capillumque submisit: & postea nunquam recumbens cibum cæpit, omnibus honoribus renuncians. Meminit huius Terentij Varronis Valerius Maximus quoque libro primo, de Neglecta religione: & libro tertio, De ijs qui humili loco nati, clari euaserunt.

Olympiad. euaserunt. Cæterùm sub ijs Consulib. ut Polybius in tertio, Liuius in uigesimo secundo memorant, memorabilis illa clades apud Cannas, Apuliæ uicum ignobilem, haud longè ab Aufido fluuio facta est, consulis Terentij temeritate: qua Pub. Aemilius occisus est, & quadraginta milia peditum, cum duobus milibus equitum, & septingentis: tria milia capta, & trecenti equites: ut Liuius scribit, qui uigesimum secundum librum in descriptione cladis Cannensis consumit. ex qua clade Varro consul aufugit: quam cladem omnes penè scriptores luculenter enarrant. Plutarchus in Fabio, & Hannibale: Florus libro secundo, titulo sexto. Sed in eo loco legitur, Adherbalem Bomilcaris ferunt, &c. cum Liuius & Plutarchus in Hannibale, Maharbalem scribant. In Fabio autem Maximo Plutarchus: Barcham Carthaginensem, inquit, ferunt iratum aduersus Hannibalem, dixisse: Vincere scis Hannibal, uictoria uti nescis. Hannibalis autem pater Barcha cognominabatur. Sed quod paulo antè legitur, documenta cladis cruentus aliquandiu Aufidus, pons de cadaueribus iussu ducis factus, in torrente uerò Vergilij, modij duo annulorum Carthaginem missi: alius legit, In terrorem Varronis, uel Seruilij: uel in terrorem uergentis. Ego simpliciter Torrente legendum censeo, non terrore. Silius in fine octaui: Ab urbe con.

— Pons ecce cadentum
Corporibus struitur, tacitusq; cadauera fundit
Aufidus. — & in nono:
At parte in dextra, sinuat qua flexibus undam
Aufidus, & curuo circumerrat gurgite ripas.

Inueni in manuscripto codice, in torrente Vergello. Legendum autem censeo, In torrente uerò Gello. Cuius quidem torrentis meminit Valerius Maximus libro nono, titulo de Crudelitate, cuius uerba hæc sunt: Eorum dux Hannibal, cuius maiore ex patre uirtus sæuitia cōstabat, in flumine Gello corporibus Romanis ponte facto, exercitum transduxit: ut æquè terrestrium scelestum Carthaginensium copiarum egressum terra, quàm maritimarum Neptunus experiretur. Sic enim est legendus Valerius: nec referēdum ad Gelam fluuium Siliciæ, ut Valerij interpres aberrat. Sed ad hunc torrentem, cuius Florus meminit, & Appianus in Libyco, captiuos Hannibal partim fossis obruit, partim fluminibus immersit, per quorum corpora tanquam per pontes ductaret exercitum. Orosius libro quarto, capite decimoquinto, hanc etiam cladem describit: & Eutropius libro tertio, capite tertio. Sed ibi deprauatè legitur P. Terentius Varro, qui C. dicebatur. Aequalis est error apud Orosium. De numero cæsorum, & modijs annulorum, autores diuersi. Stratagemata Hannibalis, quibus usus fuit, lege apud Plutarchum in Hannibale, Valerium Maximum libro septimo de Stratagematibus: Frontinum libro secundo, capite secundo, de loco ad pugnā eligendo, ubi hæc uerba scribit: Apud Cannas cum comperisset Vulturnum amnem ultra reliquorum naturam fluminum, ingentes auras manè perflare, quæ arenarum & pulueris uertices agerent, &c. quæ correspondent uerbis Eutropij. At Liuius Vulturnum uentum appellat, qui campis torridis siccitate nubes pulueris uehit, quem sic ab incolis eius regionis appellari scribit. A' Floro Eurus uocatur, ab oriente flatus. Fluuius uerò iuxta Cannas Aufidus dicitur, non Vulturnus. Vide igitur quàm fœdè lapsus sit Frontinus. Sed hominem fortè decepit, quòd Vulturnus etiam fluuius in finibus Campaniæ, iuxta Casilinum delatus, in eiusdem nominis urbem erumpit: ut Strabo in quinto scribit. Et Plutarchus in Fabio: Hanc urbem, inquit, Alocronus fluuius, quem Vulturnum Romani uocant, per medium fluens diripit. Meminit huius Vulturni fluminis Liuius in uigesimo tertio sæpius: Vulturni uerò uenti, & Aufidi fluminis, in uigesimo secundo, quia in Apulia est. Lucanus item libro secundo, in descriptione montis Apennini, & fluuiorum qui hinc nascuntur, inquit:

Senaq;, & Adriacas qui uerberat Aufidus undas, Pòst paulo subiungit:
Dexteriora petens montis decliuia Tybrim

Vnda

Ab urbe con. Vnda facit, Rutubamque cauum: delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus— E quibus apertè patet, Aufidum esse Apuliæ fluuium, Vulturnum Samnij ac Campaniæ. Quod etiam Ptolemæus libro secundo Cosmographiæ, & tabula sexta Europæ explicat. Sed de Vulturno uento etiam Plutarchus in Hannibale, ubi etiam tradit, Capuam urbem primò Vulturnum appellatam. Verùm cladem hanc Cannensem graphicè Silius Italicus decantat, octauo, nono & decimo libris. Nam quòd alij passim huius stragis meminerunt, & diuus Augustinus in tertio libro Ciuitatis, nono & decimo capite: et Firmianus Lactantius in secundo, capite decimoseptimo, nulla opus est admonitione. Studiosus lector undique hæc colliget. Sed neque numerus annorum inter autores conuenit, cum quidam hanc cladem Cannēsem anno quadragesimo post quingentesimum ur. con. factam scribant, ut Orosius & Eutropius: Polybius anno primo centesimæ quadragesimæ primæ Olympiadis, quòd essent anni quingenti triginta septem. Meminit horum præterea Coss. Plutarchus in Hannibale. Paulus uerò Aemilius filiam reliquit Aemiliam, quæ Scipioni nupsit, & filiū Paulum, cuius uitam diligentissimè Plutarchus scripsit. Plutarchus L. Pauli Consulis sic meminit: Sed L. Pauli aduersa apud Cannas fortuna, prudentiam & fortitudinem eius ostendit. nam postquam collegam suum à consilio dimicandi remouere suadendo non potuit, inuitus licet, pugnæ quidem particeps fuit, fugæ uerò nequaquam particeps: sed autore periculi ac pugnæ fugam arripiente, ipse manens aduersus hostes pugnando interijt. Cæterùm quæ Hannibal post Cannensem cladem egit sub ijs Consulib. & quomodo Campaniam, in qua exercitus suus eneruatus est, occupauit, ac legationem Carthaginem misit: abundè Liuius in uigesimotertio explicat: ubi etiam inuenies, quæ sub id tempus in Hispania per Scipiones gesta sunt. Sed ante omnia studiose lector uideas in uigesimo libro Liuij de bello Punico, orationē Fabij ad L. Aemilium Paulum: & tum facilius temeritatem Varronis cōsulis carpere poteris, & bonitatem laudare Aemilij: dehinc Gn. Lentuli ad Aemilium Paulum, in miserabili clade Cannensi, & Fabij Maximi in re tam trepida consilium: captiuorumque orationes ad Patres Conscriptos, cum Torquati scientia: è quibus disces prudentiam non uulgarem, si animum intenderis. Quo pacto uerò Hannibal post hanc cladem se gesserit in Italia, & quos sibi populos asciuerit, in Campaniaque eius exercitus emollitus fuerit, legatos autem Carthaginem miserit, urbesque quasdam expugnauerit, Liuius in tertio latè explicat.

Gracchus, Maximus.

538 T. SEMPRONIVS, & Q. FABIVS III.

In eo opusculo, quo nomina Consulum designantur incerti autoris, hoc loco scribuntur, Gracchus & Albinus. Id ne quempiam moueat, aut Cassiodorum errasse suspiceretur, animaduertendum est, id quod Liuius scribit in uigesimo tertio, quòd in comitijs designati sunt Consules L. Posthumius III. cognomento Albinus, absens, qui tum Galliam prouinciam obtinebat: & T. Sempronius Gracchus. Sed in Gallia Posthumius cum omni exercitu deletus est, caputque ducis præcisum: quod Boij ouantes templo intulerunt, & caluam auro cælauerunt: in cuius tandem locum Fabium Maximum suffecerunt. Et ideo Liuius & Cassiodorus hos Consules hoc anno ponunt. Sub ijs Consulibus res in Hispania feliciter gestæ à Pub. & Gn. Scipionibus fratribus. In Italia Gracchi Consulis consilio Campani cæsi ad Cumas. Pœni quoque profligati ac fusi in Lucania, bellique Macedonici origo inchoata. Sardi præterea à Manlio cæsi, duces capti. Interea & Samnites se Hannibali coniunxerunt. Cædes Pœnorū ad Nolā quoque facta est. Quæ omnia abundè Liuius in uigesimotertio, ac uigesimoquarto latissimè exequitur: ubi mors Hieronis traditur, & res Sicilienses. Sub ijs & Claudius Marcellus ex proprætore Procōsul designatus, Hannibalis exercitū prelio fudit: primusque post tantas Reip. ruinas spē fecit, Hanibalē posse superari.

Horum

Olympiad. Horum Coss. meminit Orosius libro quarto, capite decimoquinto: Eutropius libro tertio, capite tertio: qui pulchrè ea quæ gesta sunt hoc anno, succinctè enarrat. Liuius autem in tertio explicat, quo pacto Philippi regis Macedonum legatus ad Hannibalem cum quibusdam Carthaginensibus captus sit, & Sempronio Consuli allatus, qui in Campania Cumis res feliciter gessit. Et quo pacto in Sardinia res gestæ sint, quomodo item in Campania, uide lector eruditam Samnitium orationem, & Hannibalis responsum. Vide item Marcelli ad milites orationem ardentem, & frigidam Hannibalis: & quæ hoc gesta sunt consulatu, usque ad quartum librum. *Ab urb. con.*

Verrucosus IIII. *Marcellus.*

3 Q. FABIVS, MAX. & M. CLAVDIVS III.

Priusquam hi Consules designantur, prærogatiua iuniorum iam electi erant T. Octacilius Crassus, & M. Aemilius Regulus. Sed consilio Consulis prioris anni, nequicquam refragante T. Octacilio, Fabius & Marcellus eliguntur. Sub quibus inaudita penè prodigia euenerunt, quæ latissimè Liuius in uigesimoquarto describit libro. ubi Hannibalis ad Auernum sacrificia describuntur, qui Nolam occupare nitebatur. Sed à Marcello prohibitus, magnam suorum stragem uidit, quam Marcellus intulit. quod ijs uerbis significauit Florus in secundo, titulo sexto: Inde Claudio Marcello duce congredi ausus cominus uenit, & pepulit è Campania sua, & ab obsidione Nolæ urbis exclusit. Dehinc Casilinum urbem cæpit. Fabius Samnium depopulatus, multa oppida ui cæpit. Marcellus in Siciliam profectus. Narrat res Siculas illic copiosius Liuius, quomodo Syracusæ sint obsessæ, & quomodo Archimedes frustratus sit Romanorum conatus. Quod & Plutarchus in Fabio, & in Marcello uberrimè prosequitur: quod etiam Eutropius annotauit. Sed illic scriptum est: Quarto anno belli Punici secundi illud factum: quod examine indiget. Sunt & pleraque alia in eodem capite, cum quintus ille annus sit. nam & Orosius testatur, Syracusas captas à Marcello, anno ab ur. con. quingentesimo quadragesimotertio. Sed illud factum est Consulib. Q. Fuluio & App. Claudio. Tribus enim annis obsidebatur urbs ea, prius quam caperetur, ut latissimè in uigesimoquinto Liuius tradit, & paulo inferius recensebimus breuiter. Sub ijs preterea Consulibus & contra Philippum regem susceptum est bellũ, duce Maximo Valerio prætore. Qui Philippus ad Appoloniam est castris exutus. Res insuper in Hispania prosperè eo anno à Scipionibus gestæ sunt, nisi quòd Pub. Cornelius tragula circa femur uulnerabatur. Saguntum quoque recuperatum est. Vide diligenter Plutarchum tum in Fabio, tum in Marcello: & Liuium in uigesimoquarto: ubi multa quæ sub ijs Consulibus acta sunt, copiose scribuntur: quæ si hic repeterentur, fastidium gignerent. 539

Maximi filius. *Gracchus.*

4 Q. FABIVS, & T. SEMPRONIVS II. 540

Horum Consulum meminit Liuius in uigesimoquarto, qui eos scribit designatos ambos absentes. Postquam uerò magistratum inierunt, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius est profectus. Filio obuiam pater profectus, iussus est ab equo descendere: quod patri placuit, quòd cõsulem se sciret agere: ut Valerius, Plutarchus, & Liuius pulchrè describunt. Sub ijs Consulibus Syphax rex Numidiæ factus est amicus populi Romani: quòd Scipiones ex rebus prosperè in Hispania gestis, animum quoque adiecissent ad Aphricam. Tum quæ Hannibal ad Tarentum, & Sempronius in Lucanis fecerit, his Consulibus docet Liuius in uigesimoquinto, à principio: sub quibus & fœdum incendium per duas noctes ac diem unum, urbem deformauit.

Quæ uerò hi Consules in Campania & Italia fecerint, ac Sicilia, latissimè Liuius in quarto, qui diligenter est uidendus.

Olympiad. CXLII.

Ab urbe con. 541

Flaccus, *Pulcher.*

Q. FVLVIVS III. & AP. CLAVDIVS.

His Consulib. ut tradit Liuius in uigesimoquinto, Hannibal per proditionem Tarentum accepit: sola arx in potestate Romanorum permansit, quam frustra & oppugnare, & obsidione cingere tentauit, nihil proficiens. Coss. ambo in Samnio Campanorum agros deuastabant, multosq; hostes cædebant. Sed & bis exercitus Romanorum fœdam passus est cladem ab Hannibale. sed tandem Capua obsessa à duobus Coss. & Claudio Nerone Prætore: in Sicilia quoq; à Marcello Syracusæ captæ sunt, quæ in tertium usq; annum fuernat obsessæ. De qua re in primis uide Plutarchum in Marcello copiosius disserentem. In Hispania uerò, cum ambo Scipiones fratres consilium de opprimendo hoste cogitassent, P. Scipio ab hostibus circumuentus occiditur. Gn. Scipio undetrigesimo die post fratris obitum, octauo anno postquam in Hispaniam uenerat, pariter occisus est. Vnde Florus libro secundo, titulo decimo septimo, sic de ijs breuiter inquit: Prima per Pyrenæum iugum signa Romana P. & Gn. Scipiones intulerunt, prælijsq; ingentibus Hannonem & Hasdrubalem fratrem Hannibalis ceciderūt. Raptaq; erat impetu Hispania, nisi fortissimi uiri in ipsa uictoria sua oppressi, Punica fraude cecidissent, terra mariq; uictores. Sed L. Martij equitis, Septimij filij, opera hostes iterum superati, cæsi profligatiq; sunt. Et ut Liuius scribit, nocte ac die bina castra hostium oppugnata, ad triginta septem milia sunt cæsa. Meminit huius Martij & Valerius Maximus, & Liuius in principio uigesimi sexti. Sunt his Consulib. ludi Apollinares primùm à Prætore urbis facti, ut Liuius in uigesimoquinto indicat.

Centumalus, *Seruilius Galba, F.*

CN. FVLVIVS, & P. SVLPITIVS. 2

542 Sub ijs Consulib. ut Liuius in uigesimosexto tradit, Hannibal, etsi spe arcis Tarentinæ teneretur occupandæ, tamen quia Capua firma tenebatur obsidione, ut eam liberaret, cum exercitu & leui armatura uenit: atrociq; pugna cum Romanis congressus, ex suo exercitu octo milia hominum perdidit, & ex Campanis tria. Suntq; Carthaginensibus adempta quindecim signa, duodeuiginti Campanis. Hannibal, ut obsidionem Campanam dissolueret, ad urbem contendit, Anienem transuectus. Cui Flaccus cum exercitu occurrens, extremam experiri uterque fortunam nitebatur. Sed imber ingens grandine mixtus, utramq; aciem turbauit. Eademq; tempestas postero die eodem loco structas acies diremit, ut Hannibal fateretur, deos sibi immortales fore contrarios. Ob id scribit Florus libro secundo, titulo sexto: ô populum dignum omni fauore & administratione, hominum ac deorum. Compulsus ad ultimos metus, ab incœpto non destitit: & de sua urbe sollicitus, Capuam tamen non amisit: sed parte exercitus sub Appio Consule relicta, parte Flaccum in urbem sequuta, absens simul præsensq; pugnabat. Quid ergo miramur, mouenti castra à tertio lapide Hannibali iterum ipsos deos, id quod nec fateri pudebat, restitisse? Illud igitur nō sub Claudio Appio & Fuluio Flacco gestum est, sed sequentibus Consulib. nam ut Liuius scribit, prioris anni Consulib. prorogatum imperium fuit. Et ita intelligendus erit Florus. Interim Capuani, cum per biennium obsessi & fame macerati essent, tandem uicti sunt: & Fuluius Capuam ingressus, cum iam Vibius Virrius cum uiginti septem Senatoribus exitialem cœnam, qua omnes mortui sunt, accepissent. Vide eius orationem pulchram apud Liuium, in uigesimo sexto. Senatores quinq; & uiginti Cales in custodiam, duodetriginta Theanum missi, de quibus pòst supplicium sumptum est: Campani uenditi, urbs recuperata, & præsidio firmata. Sub ijs præterea Consulib. Publius Cornelius Scipio, Scipionis illius qui in Hispania ceciderat, filius, uiginti quatuor annorum, ante legitimam ætatem suffragio populi imperium Hispaniarum sortitus est. Et Marcellus ex Sicilia ueniens, priusquam urbem ouans iniret, in monte Albano triumphauit. Horum Consulum me-

minis

Olympiad. minit Orosius libro quarto, capite decimosexto. Sed examine indiget, quod scri- Ab urb. con.
bit hunc annum decimum fuisse, postquam Hannibal in Italiam uenerit: cum octa
uus ageretur, secundum Liuium & Caisiodorum. Meminit & Scipionis missi in
Hispaniam Orosius, libro eodem, capite decimoseptimo: Eutropius libro tertio, ca-
pite quinto, qui & horum illic Consulum mentionem facit. Ac Plutarchus in Hanni
bale, & Florus libro secundo, titulo sexto, & titulo decimoseptimo: Appianus in Li-
byco: Plutarchus in Scipione: Silius in tredecimo de clade duorum Scipionum, &
decimoquinto: Val. Max. libro tertio, de Fiducia.

Marcellus, *Leuinus* II.
3 M. CLAVDIVS IIII, & M. VALERIVS. 543

Ante hos Coss. T. Octacilius, & T. Manlius Torquatus, prærogatiua iuniorum eligebantur. Sed postquam Manlius, ut in uigesimosexto Liuius scribit, ualetudinem oculorum excusauit, Claudium tum domita Sicilia fulgentem, & Valerium Leuinum, qui aduersus regem Philippum terra mariq; strenue pugnauit, absentes Coss. crearunt. Vt uerò intelligas, quid sit prærogatiua iuniorum, repete ea quæ Pedianus in secundam Verrinam scribit. Erant enim tribus, quæ dicebantur prærogatiuæ, quæ primæ suffragium ferebant antè iure uocatis. Sed tribus iure uocatæ secundæ erant, quod in his sequente populo, ut sæpe contigit, prerogatiuarum uoluntate iurè omnia complerentur. Hæ enim iure uocatæ ueniebant iussu Consulis, aut tribunorum, in concionem, quò ad suffragia ferenda uocabantur: tamen prius sermo in populo habebatur de dignis ac indignis, & candidatus plerunq; magistratum assequebatur, in quem sermo populi inclinabat. Quicquid igitur suffragijs uniuersalis concionis confirmandum atq; ratificandum est, quamuis id rogati patres decreuerint, prærogatiua senatus dici potest. Talia autem suffragia ferebantur comitijs centuriatis in campo Martio, ubi maiores magistratus legebantur. Nam in curiatis comitijs per lictorem curiatim calabantur, id est, uocabantur, curiæ triginta quinq;: & tunc uiritim suffragia dabantur. De prærogatiua igitur iuniorum Florus libro secundo, titulo sexto, de bello Punico secundo, sic inquit: Quid autem in eligendis magistratibus, quæ centuriarum sapientia, cum iuniores à senioribus consilium de creandis consulibus petiuere? Quem locum mendosum dissimulanter transeunt, qui Florum interpretantur. Cæterùm sub ijs Coss. Aetoli cum Romanis fœdus sanciunt: incendiumq; graue Romæ per diem & noctem continuatum, Campanorum quorundam malicia factum, multa urbis loca deformauit: de quibus supremum acceptum est supplicium. Sub id tempus Campani urbem ingressi, Flaccum frustra criminantur. Et Siculi pariter gratis Marcellum criminantur. Dum inde Marcello Italia, Leuino Sicilia esset decreta, forentq; æraria exhausta: tum patres annulos, bullas aliaq; ornamenta in publicum contulerunt. Et Marcellus in Campaniam profectus, Dasij Salapini opera astutissima Salapiam recuperat. Romana classis ad Sacriportum infeliciter pugnauit. Leuinus in Sicilia Pœnos expugnat, ac insulam pacatam reddit. Scipio in Hispania nouam Carthaginem oppugnat, multasq; res præclaras edidit, & continentiæ maxima insignia. De quibus Plutarchus, Liuius, Valerius Maximus: Gellius libro sexto, octauo capite: Plinius iunior titulo quadragesimonono: Sillius libro decimoquinto, passim cæteri. Marcellus Hannibalis exercitum fudit. Sed G. Syluius stragem insignem passus est. Hic est Marcellus, uir bello clarissimus, teste Plutarcho: qui primus magnitudine quadam animi, Hannibalem docuit posse uinci. Eodem item tempore legati Syphacis, amicitiam à senatu Romano petierunt. Cui & cæteris regibus Ptolemæo ac Cleopatræ munera sunt missa: ut Liuius in uigesimoseptimo docet. Meminit horum Coss. & Orosius libro quarto, capite decimosexto, scribens aurum argentumq; in publicum à Populo Romano collatum passim. Et Florus elegantissimè libro secundo, titulo sexto, huiusce historiæ meminit. De hoc quarto Marcelli consulatu, uide etiam Plutarchum.

Q. FABIVS

Ab urbe con. | Maximus, Verrucosus, Flaccus. | Olympiad.

Q. FABIVS V. ET Q. FVLVIVS IIII. 4

544 Hi Coss. ut Liuius in uigesimoseptimo docet, sortiti prouincias, Fabius Tarentũ, Fuluius in Lucanos ac Brutios profectus est. Marcello prioris anni Cõsuli prorogatum imperium, legionesq́ decretæ. Cum uerò multæ coloniæ & urbes Latini nominis defectionem cogitarent, Coss. aurum uicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus seruabatur, promi placuit. Est autem uicesimarium aurum, collectum ex uicesimis. Dicimus enim uigesimam, tricesimam, quadragesimã, cum tributi, siue pœnæ nomine de quoq; illo numero unũ aufertur: ut ex Tacito, Tranquillo, M. T. ad Atticum colligimus. A. Offilius equestris ordinis, & Cæsaris familiarissimus, qui libros de Iure ciuili plurimos, omnem partem operis fundantes, reliquit, de legibus uicesimæ primus cõscripsit, autore Pomponio de Origine iuris. Sed antequam Coss. proficiscerẽtur, prodigia procurata. Tum uerò Marcellus cum Hannibale congressus, primò infœliciter, dehinc secunda pugna pugnauit, Hannibalemq́ in fugam uertit: quem, ne Marcellus sequeretur, multitudo sauciorum prohibuit. Fabius uerò Consul Tarentum mirabili arte recuperauit: adeò, ut Hannibal diceret: Eadem qua ceperamus arte, Tarentum amisimus. Scipio in Hispania res prosperè gessit, ut Romæ eius iam fama indies cresceret. Marcellus uerò accusatus, se nobilissimè perpurgauit, ut latissimè Liuius docet, & Plutarchus in Marcello & in Fabio. Sed tam Orosius, quàm Eutropius, etiam quæ tũ gesta sunt, paucis delibant. Val. Max. scribit, Aretij repertam tabulã, in qua Q. Fabius Maximus bis Dictator, quinquies Cõsul fuisse annotabatur. quod & Plutarchus in Fabio obseruauit. Hoc tẽpore, ut Florus in secũdo scribit, titulo sexto, Fabius Cunctator & Scutum imperij uocatus est. Marcellus uerò Ensis. Meminit horũ Coss. Plutarchus in Hãnibale. Scribit Plinius in septimo, capite quinquagesimotertio, Q. Fabium Maximum in cõsulatu suo, pridie Cal. Ianuarij obijsse. In cuius locum M. Orellius paucissimarũ horarum consulatũ perijt.

Marcellus, | Crispinus.

M. CLAVDIVS V. ET T. QVINTIVS. CXLIII

545 His Coss. ut Liuius in uigesimoseptimo scribit, cum de Ethruriæ defectione ciuitas sollicita esset, Marcellus Consul eò missus, metu liberauit. Fuit autem is annus belli Punici undecimus, et Marcelli cõsulatus quintus: ut numeretur consulatus, quem uitio creatus non gessit. Incidit in eum annum pestilentia grauis, & prodigia multa, quæ exitiali euentu in capita Consulum uersa sunt. Nam circa Venusiam Marcellus dum improuidè cum Hannibale congreditur, transfixus lancea prolabitur. Crispinus collega, & Marcelli filius, saucij fugiunt. Hannibal potitus corpore Consulis, & annulo, ciuitates quasdã obruere conatus, sed Crispini prouidentia frustratur: qui tamen paulopòst ex uulnere mortuus est, alijs Tarenti, alijs in Campania scribentibus, ut Liuius tradit. Id quod nullo antè bello acciderat, ut duo Coss. sine memorando prælio interfecti, uelut orbam Rempub. relinquerẽt. Meminit horum Coss. Orosius libro quarto, capite decimoseptimo. Eutropius libro tertio, capite quinto, obiter Marcelli meminit: Plutarchus in Marcello copiosissimè. ubi pulchra de eius morte, si uis, leges. Estq; ibi huius epitaphium. Vbi illud quoq; obseruandũ, quòd dum Plutarchus tradit, pulueres eius cadaueris à prædonibus interceptos, citat Corneliũ Nepotem, qui nunc uulgò dicitur Plinius iunior, de Viris illustribus. Quod est euidens argumentũ, sicut nonnulla alia, falsò librũ illum Plinio abscribi. Sed idem Plutarchus in Hannibale, ac Liuius in uigesimoseptimo, qui gesta cõtra Philippum regem commemorat, & bellum Aetolicum describit, atq; Achaicum, meminerunt.

Nero, | Salinator.

C. CLAVDIVS, ET M. LIVIVS II. 2

546 Hic M. Liuius Salinator erat multis annis antè ex cõsulatu, populi iudicio damnatus.

Olympiad. tus. Quam ignominiã adeò ęgrè tulerat, ut & rus migraret, & per multos annos Vrbe careret. Octauo post damnationem anno, M. Claudius Marcellus, M. Valerius Leuinus Coss. reduxerunt in Vrbem, ueste obsoleta, capilloq; & barba prolixa, præseferentem uultu habituq; insignem memoriã ignominiæ acceptæ. Hic Consul cum Liuio factus, apud Metaurum fluuium, Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, ex Hispanijs in Italiam per Alpes uenientem, cum omni exercitu deleuit, cladem q; Cannensem æquauit. Nam quinquaginta sex millia hostium cęsa sunt, capta quinq; millia & quadringenti, cum pręda auri & argenti magna. Ciuium Romanorum, qui capti erant apud hostes, quatuor millia recepta. Caput Hasdrubalis ante castra Hannibalis proiectum. duo Afri soluti, qui acta narrarent. Territus hac clade Hannibal, in extremum angulum Italiæ, Brutios adijt, dicens se fortunam Carthaginis agnoscere, ut Liuius in uigesimoseptimo scribit: & Plutarchus in Hannibale, ubi hi quoq; Coss. nominantur: & Florus libro secũdo, titulo sexto: Valerius in tertio, de Fiducia sui, & lib. 7. de Stratagematibus, scribunt. Silius quoq; Italicus lib. 15. eleganter cecinit: Ab urbe con.

Tum Nero procera sublimia cuspide portans
Ora ducis cæsi, Cannas pensauimus, inquit,
Hannibal, & Trebiam, & Thrasimeni littora tecum
Fraterno capite. i, duplica perfida bella,
Et geminas arcesse acies. Hæc pręmia restant,
Qui tua transmißis optarint Alpibus arma.

Celeritatem uerò qua Tiberius Nero Consul aduenientem ex Hispania Hasdrubalem oppreßit, sic laudat Silius:

—Et penna & fulmine & undis
Hybernis, & Achæmenio uelocior euolat arcu.

De hoc etiam scribit Suetonius in Tiberio, rubrica secunda: Tiberius Nero aduenientem ex Hispania cum ingentibus copijs Asdrubalem, priusquam Hannibali fratri, cõiungeretur, oppreßit. Sed idem eodem libro, rubrica tertia, de M. Liuio Salinatore, altero Consule, sic scribit: Salinator uniuersas tribus in censura notauit leuitatis nomine, quòd cum se post priorem consulatũ mulcta irrogata cõdemnassent, Consulem iterum Censoremq; fecissent. Paulus item Orosius lib. 4. cap. 17. horum Coss. meminit, & huius cladis: ac Eutropius lib. 3. cap. 5. Sed ibi alter Coss. Appius Claudius Nero appellatur, cum Liuio C. Claudius dicatur: ut appareat eundem esse, diuersis tamen prænominibus. Quæ uerò sunt in Hispania à Scipione gesta, clarißimè Liuius à principio uigesimioctaui copiosè edocet, & quæ in Gręcia cũ Philippo rege.

Philo, Metellus.

3 L. VETVRIVS, ET Q. CECILIVS. 547

His Coss. ut Liuius in uigesimooctauo tradit, omnis uis contra Hannibalem decreta. Cumq; ad exercitum uenissent Coss. Lucani in ditionem po. Ro. sine certamine redierunt. Sed cum Hannibale nihil eo anno gestum est, quia Brutiorum urbes sese Romanis dediderunt. Quæ uerò Scipio in Hispania sub ijs Coss. geßit, abundè nimium Liuius explicat: quo pacto scilicet Syphacis, regis Masesylorũ, amicitiam Scipio assequutus est, eodẽ die quo Hasdrubal idem ab Syphace petijsset, eadẽ mensa, eodemq; tecto simul accepti: & quo pacto post morbũ Scipionis Masinissa cum eo conuenerit, in amicitiam po. Ro. susceptus, & seditionem militũ castigarit. Dehinc re felicißimè gesta, uenit Romam, multaq; pondera argenti in ærarium detulit. Quæ omnia item eleganter scribit Plutarchus in Scipione: Orosius quoq; in quarto lib. cap. 17. huius rei breuiter meminit, sic scribẽs: Post hæc anno cõtinuo, inter Hannibalem & Romanos, quies à tumultu bellorũ intercessisse uisa est: quia inquietudo morborũ in castris erat, & grauißima pestilentia utriq; exercitus angebantur. Eutropius uerò lib. 3. cap. 5. horum Coss. mentionem facit. Sed ibi perperam pro L. Veturio, L. Valerius scriptus est. Latißimè res Hispanicas Liuius prosequitur.

P. COR-

Ab urbe con. Olympiad.

Scipio, pòst Africanus, Crassus, Diues. 548

S. CORNELIVS, ET P. LICINIVS.

4 Hi Coss. ut in uigesimooctauo Liuius commemorat, 14. anno Punici belli facti, prouincias extra sortem adierunt. Crassus Brutios: Siciliam 45. die quàm clasis fuerit extrui cœpta. In Brutijs cum Hannibale nihil gestũ est; quia pestilentia utrũq; exercitum molestauit, fames etiam Pœnos. Scipio uerò, ut Liuius in 29. refert, Lælium in Africam ad Masinissam præmisit, ut singula perquireret. Interim in Hispania noui motus exorti: sed bellum postea illic finitum. Sed ante omnia uide duas grauissimas orationes, Q. Fabij Max. & P. Scipionis. An conueniat Africam prouinciã Scipioni dari, lege cum sale. Tum hoc anno in Italia Locri à Romanis recipiuntur. Legati præterea in Asiam missi, ad Idæam matrem inde Romam deportandã. Qui ab Attalo rege comiter sunt accepti, ut Liuius in uigesimonono scribit. Orosius libro quarto, & Eutropius in tertio horum Coss. meminerunt.

Cethegus, Tuditanus.

M. CORNELIVS, ET P. SEMPRONIVS. CXLIIII

549 His Coss. teste Liuio in uigesimonono, Mater deûm ex Pessinunte Romam allata est: quam P. Scipio Nasica, omnium optimus à Senatu iudicatus, excepit, & Claudia Quintia matrona. Ludiq; instituti sunt, qui Megalesia dicuntur. Cæterùm Coss. partiti prouincias, Cornelio Ethruria, Sempronio Brutij euenerũt. Interim Locrenses Romam uenerunt, lamentantes de crudelitate Q. Pleminij Legati, qui captus in carcere obijt. Vide adolescens elegantissimã Locrensium orationem apud Liuium. Scipio uerò ex Sicilia in in Africam traiecit: licet legati Syphacis, qui à fœdere Romanorũ defecit, ob Sophonisbę cõiugis amorem, eum impedire à cõcepto bello conarentur. Cũ Scipio Africã attigisset, euastatis agris, & occiso Hãnone iuniore, Masinissã lętissimè excepit. Cũ quo & Hãnonẽ, Amilcaris filiũ, & mille equites occidit: ut præter Liuiũ Plutarchus etiã docet in Scipione. In Brutijs Sempronius aduersus Hannibalẽ primò infeliciter, tũ prosperè pugnauit, cęsis quatuor millibus Pœnorũ, captis trecentis uiuis. Vnde & Hannibal Crotonẽ exercitũ reduxit. Orosius lib. 4. cap. 17. scribit, Sempronium Consulem cum Hannibale congressum, et uictum, Romam fugisse: in quo cum Liuio, nec cum cæteris conuenit. Quare examinandus. Vide etiam Appianum in Libyco.

Cepio, Geminus.

2 GN. SERVILIVS, ET GN. SERVILIVS. 550

Sextusdecimus Punici belli annus hos Coss. habuit: qui prouincias sortiti, Cepio Brutios, Seruilius Geminus Ethruriã assequutus. Is tamẽ nulla memorabili re in prouincia gesta, patre Gn. Seruilio, & C. Luctatio patruo, ex seruitute post 16. annũ receptis, qui à Boijs capti fuerant, Romam redijt. Alter Consul in Brutijs multas ad se deficientes ciuitates recepit, Hannibalemq; in agro Crotoniensi cęcidit. Quo tempore legati Carthaginensiũ Hannibalẽ ex Italia reuocant: quam fremens gemensq; reliquisse fertur: multisq; Italis occisis, qui in Africã ire abnuerũt. Vocatus erat & frater Hãnibalis Mago, cum quo paulo antè cõgressi Quintilius Varus Prætor, & M. Cornelius Proconsul, insignẽ stragem edidere. Mago saucius, uix dũ superata Sardinia ex uulnere mortuus, amissa classe & nauibus plurimis. In Africa uerò interea Scipio tanq; uigilantissimus imperator, Syphacem regẽ tentauit, ut in fœdere antiquo permaneret cum Romanis. Quod cũ abnegasset, mox incendio flãmisq; eius castra sunt expugnata. Dehinc ipse captus, Hasdrubal fugatus, Cirtha regia urbs capta à Masinissa. Tuneta occupauit Scipio. A' Lælio Syphax cum captiuis multis Romam ductus. Carthaginenses in summa desperatione, legatos pro pace impetrãda Romam mittunt: sed non exauditi, re infecta sine responso dimissi sunt, ut Liuius copiosissimè in libro tricesimo explicat. Historiã abundè narrant, Appianus in Libyco, Plutarchus in Scipione. Delibant Orosius in quarto, Eutropius in tertio.

Olympiad. Geminus, Nero. Ab urbe con.

3 M. AVRELIVS, ET T. CLAVDIVS.

Annus hic insignis fuit incendio ingenti, aquarum multititudine, annonæ uilitate, morte Q. Fabij Maximi, qui duos & quadraginta annos Augur fuit: uir exactæ ætatis, & tanto dignus cognomine, qui cunctando rem restituit, & ante finitum bellum morbo correptus, obijt. Cuius uitam diligentissimè perscripsit Plutarchus. Cum uerò Romani intellexissent Hannibalis in Africam aduentum, uarijs affecti sunt curis, quum grauiorem in sua terra futurum Hannibalem, quàm in aliena fuisset, suspicarentur, ut olim Fabius prædixerat. Erat tum Annibal Adrymetti. Sed cum ad Zama contenderet, præmissos Scipio speculatores iussit captos per castra circunduci, ut omnia uiderent. Inde liberos retro ad Hannibalem dimisit. Quibus rebus non lętior factus Hannibal, in colloquium cum Scipione uenit. Sed cum Hannibal pacem peteret, Scipio abnueret, infecta re digrediūtur. Vide, lector, apud Liuium utriusq; ingeniosissimas orationes. Dehinc cū armis rem transigendam conclusissent, ubi manus conseruerunt, uictores Romani uiginti millia Pœnorum prostrauerunt. par numerus captus est cum signis militaribus. Hannibal fuga elapsus, Adrymettum profugit. Inde uocatus, Carthaginem uenit, sexto ac tricesimo anno postquam puer inde profectus fuerat: pacemq; petendam omnino suasit. Cui cū Gisco aduersaretur, commota turba ad Antiochum regem profugit. Tum Vermina, Syphacis regis filius, pari clade à Romanis est profligatus. Ob id Carthaginenses à Scipione pacis conditiones petere sunt annixi. Quas cum legati Carthaginensium & Romanorū Romam detulissent, maximam in læticiam tota Vrbs effusa, in triduum supplicationes decreuit. Vide historiam copiose apud Liuium libro trigesimo, Plutarchum in Scipione, Appianum in Libyco. Orosius libro quarto, capite decimooctauo: & Eutropius libro tertio, capite quinto, pariter hanc designant. 551

Lentulus, Pætus.

4 CN. CORNELIVS, ET P. AELIVS. 552

His Coss. ut Liuius in fine trigesimi libri scribit, auditi Romæ legati Macedonū, qui auxilia Carthaginensibus, & socijs po. Ro. iniurias intulerant. Quibus cum acrimonia tali responsum est, ut bellum sit subsequutum. Auditi & Carthaginensium legati: quibus responsum est, ut Scipio pacem faceret, ut è re sibi uideretur. Missi quoq; fœciales, qui fœdus percuterent. Naues Carthaginensium quinquaginta incensæ. Scipio triumphans in Vrbem redijt: & primus nomine uictæ à se gentis est nobilitatus, Africanusq; appellatus: ut Plutarchus in Scipione, Appianus in Libyco, abundè describūt. Meminit horum Coss. Orosius libro quarto, capite decimooctauo. Historiam signat Eutropius libro tertio, capite quinto. Sed ibi scribitur, decimonono anno perfectum bellum, cum decimooctauo sit finitum his Coss. Quod incipiebat P. Cornelio Scipione, huius patre, & T. Sempronio Coss. à quibus hucusq; numerantur anni decem & septem. Cum Cornelius Consul in Africam cupiditate honoris, ut in se laudem transferret, plurimū festinaret, Scipio finem bello imposuit. Ideo Liuius 17. anno bellum finitum scribit. Quod etiam ideò facit, ut numerus quadraginta annorum compleatur, quo pax prima cum Carthaginensibus facta est, Q. Luctatio, & A. Manilio Coss. (non Marco, ut corrupti habēt codices) quum primū bellum Punicum finitum est. Post tres hinc & uiginti annos bellum Punicum secūdum est incœptū. Vnde & Orosius lib. 4. cap. 19. Punicum secundum gestum esse annis decem & septem scribit. Et ob id in præfatione trigesimiprimi libri, corruptè legitur, tres & quadraginta annos: tot enim sunt à primo Punico, ad bellum secundum finitum Punicum: cum legendum sit, tres & sexaginta, non quadraginta. Sed numerorum notæ hanc corruptelam fecerunt, quum in aliquibus exemplaribus legatur XL. & in alijs LX. tres anni: quod facit literarum transpositio. Ob id etiam ne satis Floro fiden-

fidendum, qui libro secundo, titulo sexto, de bello Punico secundo scripsit: Post primum bellum Punicum uix quadriennij requies: cum tres et uiginti intercesserint anni, ut etiam superius annotauimus. Appianus in Libyco scribit, hoc bellum finitũ Olympiade quarta & quadragesima, supra centesimam. Cæterũ ut ad historiam redeã, cum ambo Coss. in Gallia essent, ad Ptolemæũ, Aegypti regem, legati missi, qui gratias agerẽt, quòd in fide mansisset, nec hostibus auxilia tulisset. Verùm in Gallia pleriq; Romanorum cęsi sunt à Boijs, ut narrat Liuius in initio 31. libri: ubi de Philippo quædam traduntur. Meminit & horum Coss. Plinius lib.18. cap.18. ijs uerbis: Et in frugibus ostentũ semel, quod equidem inuenerim, accidit, P. Aelio, Gn. Cornelio Coss. quo anno superatus Hannibal. In arboribus tunc nata produntur frumenta.

CXLV

Galba, Cotta.

P. SVLPITIVS, II. ET GN. AVRELIVS.

553 His Coss. ut Liuius scribit lib.31. licet deprauatus sit, qui annus fuit ab urbe condita quingentesimus & quadragesimus, bellum cum rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Carthaginẽsibus datam. Coss. prouincias sortiti, Sulpitius Macedoniam, Aurelius Italiam adeptus est. Sed priusquã Aurelius Vrbem exiret, Galli Insubres, Cenomani, & Boij, duce Hamilcare Pœno ibi relicto, irruptiones in agros proximos fecerunt, & oppida flãmis ac incendio diripuerunt: quos L. Furius Prætor compescuit, multis millibus cæsis ac captis. Et deinceps de his, inuito Consule, triumphauit. Id quod Eutropius lib.4. cap.1. etiam retulit: & Orosius lib.4. cap.19. Cuius uerba ideo subscribam, ut hinc ueritas de numero annorũ extrahatur. Sic aũt scribit: Anno ab Vrbe cond. quingentesimo quadragesimosexto, bellũ Punicũ finitum est: quod gestum est annis 17. Cui Macedonicum continuò successit. Quod Q. Flaminius sortitus est, & cætera. Hic dicit hunc annũ 46. supra quingentesimũ, Liuius quingentesimũ quadragesimũ. Sed neutrũ procedit, etiamsi, ut Orosius tradit, urbs Roma, sexta, nõ septima, ut ferè omnes tradũt, Olympiade sit condita: quia tunc prouenient quingenti quinquaginta sex anni. Si aũt Appiano credendũ est, qui bellum Punicum finitum tradit Olympiade centesima quadragesimaquarta, erit hic annus quingentesimus quinquagesimustertius. Cui supputationi proximè accedit Eutropius lib.4. cap.1. in hæc uerba scribens: Transacto Punico bello, sequutũ est Macedonicum, contra Philippum regem, quinquagesimo & 51. anno ab Vrbe condita: & reliqua quæ sequũtur. ut necesse sit in alterutro aut esse errorẽ, aut malam supputationẽ. Quo pacto uerò Sulpitius Macedoniã sit ingressus, & quæ causæ fuerint Macedonici belli, Philippi successus, Abydenorũ desperatio, & miserabilis casus, & quomodo Philippus Athenienses oppugnare conatus sit, Aetolorumq; consilium, & quæ Sulpitius & sui in Macedonia gesserint, Liuius toto lib.31. exequitur. Sed uide etiam Iustini lib.29. Quod si extaret Appiani Macedonicus, cuius in præfatiõe meminit: aut liber de Græcis, quem in Syrio citat: abundè hęc tractarentur. qui cum non extant, è Liuio sunt ea mutuanda. Meminit illius belli in uniuersum Florus libro secundo, titulo septimo: & Orosius ac Eutropius in libris ac capitibus citatis.

Lentulus, al. * Tribulus.

L. CORNELIVS, ET A. IVLIVS APPVLVS. 2

554 Sic eos Coss. appellat Liuius in trigesimoprimo, in fine. In principio trigesimisecũdi, nisi, quod uereor, sit mendosus codex, P. Lentulus & P. Iulius sæpe scribitur. Et in Plutarcho in uita T. Flaminij P. Villius legitur corruptè, pro Iulio: Publiusq; crebrò nominatur. Et Liuius lib.31. inter Decemuiros pro agris diuidendis P. Iulium nominat. Sortiti prouincias, Italia Lentulo cessit, Iulio Macedonia. Is cũ in Macedoniam uenisset, atrocem militum seditionem compescuit, qui missionem affectabant. Nec tamen quicquam memorabile gessit, cum iam Philippus aliquot oppida subegisset. Alter uerò Consul, cũ C. Bebius Pamphilus apud Gallos Insubres, sex millia & sex-

* P. Villiũ T pulum uocat Liuius lib.1. dec.4.

Olympiad. centos milites amisisset, Vrbe excitus in prouinciam uenit. Vt omnia plena tumultus repperit, multis probris increpatum Prætorem prouincia decedere iussit, & ipse pòst comitiorum causa Romam uenit. His præterea Coss. multa prodigia acciderũt, ut Liuius in 32. scribit. Inter quæ à Sulpitio Proconsule ex Macedonia literas allatas tradit. Quibus inter cætera scriptũ erat, lauream in puppim nauis longè enatã. Quod & Florus lib. 2. tit. 7. annotauit, dicens: Et manifestam uictoriã nata in Prætoria puppi laurus pollicebatur. Vbi quidam Florum castigans, qui scripsit: Primò igitur Leuino Cõsule populus Romanus Ioniũ mare ingressus, & reliqua: censet scribendum, Leuino Prætore, quod Prætoria puppis laurũ habuit: cum in Consulis Sulpitij naui, quę & Prætoria dicitur (ut in castris, Pretoriũ tabernaculũ) laurus nata sit: & ijs illis Coss. Valerius Leuinus sit mortuus. Cui filij P. & M. ludos funebres et gladiatoriũ munus per quatriduũ in foro mortis causa instituerũt. Qui priore anno P. Sulpitio, Gn. Aurelio Coss. Propretor in Macedonia fuit: Leuinus aũt prius bis Cos. fuerit, ut suprà patuit: alterumque cõsulatũ sit adeptus cum M. Marcello, quẽ egregiè aduersus Philippũ regem gesşit terra marique, ut Liuius in 26. fatetur, qui & eo libro gesta contra Philippum memorat. Et Iustinus lib. 29. eum Prætorem cum Attalo rege societatẽ fecisse, ac Græciam euastasse, pluribus scribit. Hoc anno Carthaginenses argentũ in stipendium impositum, primùm Romam aduexerunt. Ab urbe con.

Pætus, *Flaminius.*

3 SEX. AELIVS, ET T. QVINTIVS.

Hi Coss. ut Liuius in 32. scribit, sortiti prouincias, Aelius Italiam, Flaminius Macedoniã sortitus est. In quam cum maturè uenisset, in colloquiũ cum Philippo rege descendit: propositisque postulatis, indignatione adeò Regẽ incendit, ut ęgrè missilibus mittendis temperaret. Cumque re sic infecta discessissent, Flaminius Consul ductu cuiusdam pastoris Philippum ex ualle eiecit, regiaque castra diripuit, & ipsum in fugam compulit. Quas hinc urbes cæpit, & quæ apud Achæos sunt acta, ubertim Liuius 32. explicat: ubi & gesta Galliæ ponuntur, & quemadmodũ seruilis tumultus ac seruorũ coniuratio detecta est. Quomodo uerò Flaminius nondum triginta annorũ sit cõsulatum adeptus, in eius uita Plutarchus copiose disseruit: ubi & huius Cõsulatus mentionẽ facit, & eorum quæ gesta sunt: & Plinius iunior tit. 51. Est aũt ille Quintius Flaminius, filius illius C. Flaminij, qui cecidit bello Punico ad Thrasimenũ lacũ. Sexti Aelij meminit Iureconsulius de Origine iuris, Digestorum primo, si hic est. 555

Cethegus, *Ruffus.*

4 GN. CORNELIVS, ET Q. MINVTIVS.

Hi Coss. ut in trigesimosecundo Liuius testatur, dũ sortiri uellent prouincias, Tribuni impediuerunt, ne Tito Flaminio successor mitteretur. Prorogatũ est igitur imperium, & ambobus Coss. Italia prouincia decreta est. Supplementum Flaminio in Macedoniã missum: & L. Quintius Flaminius, Titi frater, classi præesse iussus. Quo pacto autem iterum Philippus & T. Flaminius congresi colloquiũ habuerint, & socij Romanorũ de pace tractauerint, missique legati Romã responsum receperint, Liuius abundè in 32. docet: & Plutarchus in Flaminio, qui Philippi exercitũ ad Cynocephalas in Thessalia debellatũ scribit, incuriaque Aetolorum effugisse, cui postea pacem dedit, & Græciæ libertatẽ restituit, ut prouerbio soluisse Græciæ cõpedes iactarẽt, ob id Delphis in parmã suã iussit inscribi: –Spartani regis, Tyndareũque genus, 556

Hoc Titus Aeneades summo uos munere donat,

Quo duce libertas oppida Græca tenet.

Quę omnia & Liuius prosequutus est lib. 33. qui nuper Mogũtiæ est repertus. Vtinam & reliqui nobis appareãt. Est & ab ijs Coss. res prosperè in Gallia gesta, ut abundè Liuius 32. fatetur. Plinius lib. 19. cap. 8. Cornelij Cethegi meminit, & inquit: Inuenio mustum rutatũ populo datum à Cornelio Cethego, in consulatu collega Q. Flaminij,

Ab urbe con. minij, comitijs peractis. Vide in 33. Liuiū, quo pacto bellum Syriacū sit incœptū, quę Antiochus cum Rhodijs egerit, quo pacto Attalus rex 72. ætatis suæ anno mortuus sit, nouumq; bellum in Hispania coortū sit. Quæ omnia ubertim Liuius tradit. Olympiad.

Purpurio, Marcellus.

L. FVRIVS, ET M. CLAVDIVS. CXLVI.

557 Hos Coss. Liuius in trigesimotertio ponit. fuit aūt L. Furius Purpurio olim Pretor, ut Liuius in 31. scribit. M. autem Claudius Marcellus, filius erat Marcelli quinquies Consulis, qui postea cum T. Flaminio censuram gessit. Hi Coss. Boios & Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphauit. Quod latè Liuius in trigesimotertio docet. Et Hannibal, ut in fine trigesimitertij latissimè scribit Liuius, frustra in Africa bellum molitus, ob metum Romanorū, qui legatos ad Carthaginensium Senatum de eo miserant, profugus ad Antiochū, regem Syriæ se contulit, bellum contra Romanos parantem. De quo multa apud Plutarchum in Flaminio & in Hannibale. Orosius lib. 4. cap. 19. scribit, Marcellū Consulem in Ethruria à Boijs oppressum, magnam partē exercitus perdidisse. huicq; alterū Consulē Furiū auxilio accessisse, atq; uniuersam Boiorū gentē igni ferroq; uastatam. Eadem Eutropius in 4. cap. 1. Sub ijs Coss. teste Liuio in trigesimotertio literæ à Quintio allatæ sunt, Philippū in Thessalia fusum fugatumq; esse: Macedonumq; legati pacem accipientes auditi, & ad Quintium redire iussi: bellumq; in Hispania quinto pòst anno q simul cum Punico bello finitū. Cōditiones aūt pacis Philippo datę. Et quę tū egerint Bœotij et Aetoli, uidenda sunt apud Liuiū: & quid legati cū Antiocho rege egerint, qui urbes Ptolemæi sibi usurpare annixus, à Romanis est prohibitus. His Coss. primū Triūuiri Epulōes sunt creati.

Flaccus, Cato.

L. VALERIVS, ET M. PORCIVS. 2

558 His Coss. ut Liuius testatur in trigesimoquarto, lex Oppia (quam M. Oppius & T. Romulus uiginti annis tulerant, qua mulieribus aurū & uersicolores uestes erant interdicta) cœpta est abrogari: pro qua multa Cato Consul, multa L. Valerius Tribunus plebis dixere. Tandem abrogata est. Sed illa ipsa materia tribus cultissimis declamationibus iterum à Leonardo Aretino, ut creditur, tractata est. Quas nuper mihi Augustinus Olomucensis, literarum asylum, tradidit edendas, tanquam studiosis omnibus amplexandas ac exosculandas. Cato multa pręclara gessit in Hispania, quę ei decreta erat: ut præter Liuium in trigesimotertio, Plutarchus etiā ubertim perscripsit: & Florus libro secundo, titulo decimoseptimo, uno uerbo complexus est: Cato, inquit, ille Censorius Celtiberos, id est, robur Hispaniæ aliquot prælijs fregit. Valerius Flaccus prosperè in Gallia conflixit cum Boijs: ad quos ipse profectus est. T. uerò Flaminius in Græcia bellum aduersus Lacedæmonios, & tyrannum eorum Nabidem prosperè gessit: data ijs pace qualem ipse uoluit, liberatisq; Argis qui sub ditione tyrāni erant, finiunt bellum. Lege pacis conditiones in Liuio, quas tamen Nabis repudiauerat, & tandem iterum recepit. Lege præterea Plutarchum in Philopœmene & in Flaminio. Sed ibi semper Onabis scribitur, pro Nabis, si est syncerus codex: si fortè articulus ὁ fefellit interpretem. Orosius libro quarto, capite decimonono scribit his Coss. Antiochum regem Syrię bellum contra po. Ro. instruentem, in Europam transijsse ex Asia. Meminit & Oppiæ legis.

Scipio, Longus.

P. CORNELIVS, II. ET T. SEMPRONIVS. 3

559 His Coss. teste Liuio in 34. Italia ambobus Coss. est decreta: licet Scipio Macedoniam affectaret, quòd diceret graue bellum ab Antiocho imminere, quum sua iam sponte in Europam esset transgressus, & Hannibal simulare non cessaret. Tum Scipio à Censoribus princeps Senatorum est electus. Quintusq; Pleminius propter multa Locris admissa scelera, cum ordinasset qui urbem incenderent, in inferiorem

dimissus est carcerē, necatusq;. Sempronius in prouinciam profectus, Boios primū ancipiti marte, tandem insigni strage cæcidit. In Macedonia T. Quintius Romana præsidia è Græcia Brundusium deduxit, aduocato fratre Lucio, cum omni classe: collectisq; captiuis Romanis, qui Punico bello erant uenundati (de quibus multa Plutarchus in Flaminio & Philopœmene) Romamq; ueniens, triduo triumphauit. Demetrium regis Philippi filium, & Armenem Nabidis, obsides cum multis nobilibus captiuis ducens, sequentibus capitibus rasis, qui seruitute exempti fuerant, ut Plutarchus & Liuius disserunt. Fuit autem Sempronius ille, Sempronij illius filius, quem Hannibal magna affectum clade ad flumen Trebiā superauit. Hi Coss. ut in Scipione Plutarchus scribit, primi in spectandis ludis patres à populo secreuerunt. Quam selectionem plebs Romana molestißimè tulit, aduersus Cōsules indignata, quòd honorem Senatorij ordinis extulisse, suum cōtempsisse uisi erant. Quod pœnituisse Scipionem tradunt postea, quòd nouum hunc morem introduxit. Sic sunt Megalesia ludi scenici primùm spectati sequentibus Coss. cum magno populi fastidio, ut latè Liuius explicat: & Cicero elegantißimè meminit in oratione pro L. Cornelio, de Maiestate: ut ex Asconio Pediano discere possumus, qui haud parum multa super hac re commentat': idq; septimo anno, post finitum secundū bellum Punicum, factum asserit. Horum Coss. & Flaminij triumphi meminit Orosius lib. 4. cap. 19. Eutropius lib. 4. cap. 1. Sed mirandū est, cur idem Scipioni adijciat collegam Attilium Glabrionē, quem nemo alius ponit: cum inferius Scipio Nasica & Attilius Glabrio alium consulatum gesserint, ut infrà patebit. Sed consulatus confundit, quia hos Coss. postponit, qui prælocandi erant. Fuerunt autem horum Coss. patres, Coss. primo anno secundi belli Punici, ut Liuius obseruauit.

Merula, *Thermus.*

4 L. CORNELIVS ET Q. MINVTIVS. 560

His Coss. ut scribit Liuius in trigesimoquarto, maximi & grauißimi terræmotus, ut feriæ ob id indictæ sint multæ. Minutius à Liguribus in extremum periculi adductus, & insidijs circumuentus, uix Numidarum industria liberatus est. Legati qui ex uniuersa Gręcia Romam uenerant, auditi sunt. Referuntur inde à Liuio causæ belli cum Antiocho contracti. Auditi enim sunt regis Antiochi legati, & Romanorum legati ad regem remißi: legati insuper à Carthagine aduentare, nunciantes Antiochū bellum parare: Annibale sollicitante, ut exercitum in Italiā traduceret. Vide illic Aristonis Tyri cuiusdam astum: & quo pacto Romani suos legatos uicißim Carthaginem remiserint. In Hispania res feliciter gestæ. Et Ligustici belli pars, ac cędes Boiorum, describuntur à Liuio in principio trigesimiquinti.

Flaminius, *Aenobarbus.*

CLXVII L. QVINTIVS, ET M. DOMITIVS. 561

His Coss. ut Liuius in trigesimoquinto scribit, in Liguribus, quod proximis prioribus Coss. factum, ut Orosius putat, factum est quòd Numidarum opera, Consulis exercitus & castra defensa sunt. Præterea Aetoli contra Romanos, Nabim, Philippum, & Antiochum reges, per legatos sollicitabant, ut exercitus pararent, & iura populi Romani contemnerent, atq; rebellarent. Vide apud Liuium legatorum orationes: & quid Scipio cum Hannibale de præstantia imperatorum disputauerit: & Antiochi regis consultationem de bello suscipiendo. Quæ etiam reperies in principio Appiani, in libro qui inscribitur Syrius, ubi apparatus belli aduersus Antiochum describitur: quē & Liuius describit. Videndus est & trigesimus liber Iustini. De L. Flaminio Plutarchus in Flaminio, & Valerius Maximus.

Gn. Scip. filius, *Glabrio.*

2 P. SCIPIO NASICA, ET M. ATTILIVS. 562

His Coss. designatis, scribente Liuio in trigesimo quinto, Nabis, Lacedęmoniorum rex, Gytheum urbem oppugnat, ut Græcos irritaret contra Romanos. Contra

Ab urbe con. quem Philopœmenes profectus, Achæorum Prætor: quia Nabis ab Aetolis sollicitabatur, qui & Philippum et Antiochum, ad inferendum bellum po. Ro. sollicitabant. Eum deuicit, Lacedæmonasque strauit ac fugauit. Aetoli à Romanis defecerũt: in causaque fuerunt, ut Antiochus accerseretur ad liberandam Græciam, disceptandumque inter Aetolos & Romanos. Tum Demetrias urbs ab Aetolis occupatur, & mirabiliter fraude Nabis obtruncatur. Sed hoc prioribus Coss. factum, tradunt alij: ut latissimè Liuius in trigesimoquinto docet. Sub ijs uerò cum magistratum inijssent, ut in trigesimosexto scribit, Antiochus quamuis Thermopylas, quarum munimine tutior propter dubios belli euentus fieret: tamen cõmisso bello à Cõsule Glabrione superatus, uix cum paucis effugit è prælio, Ephesumque peruenit. Vide hanc descriptionẽ pugnę elegãter apud Plutarchũ in Catone, & Liuium in 36. Scipio cum Boijs prosperè rem gessit, de ijsque triumphauit, uirque optimus à Senatu iudicatur. Aedẽ matris deûm dedicauit. Quæ omnia latissimè Liuius scribit, qui totum librum 36. in hac re consumit, enarrãs urbes deditas & oppugnatas. quæ omnia si huc transferrentur, Chrysippi aceruí nascerentur. Et Iustinus 31. lib. Appianus in Syrio: Florus lib. 2. titulo 8. Eutropius in 4. cap. 1. Orosius lib. 4. cap. 19. Plutarchus in Philopœmene, & Flaminio. In Catone quoque seniore Attilium appellat Aciliũ, si est syncerus codex: Appianus uerò Acinum Manium. Videndus est iunior Plinius titulo 54. qui historiam Antiochi concinnè abbreuiauit. Obserua, candide lector, apud Liuiũ in 26. ubi prodigiorũ meminit, ex libris Sibyllinis fuisse tum institutum ieiunium Cereri: quod quinto quoque anno seruabatur. quod antea apud Romanos hactenus nusquam legi factum. Olympiad.

Scipio Asiaticus.

563 L. CORNELIVS, ET G. LAELIVS. 3

His Coss. ut Liuius latissimè in trigesimoseptimo commemorat, cum prouinciæ essent per sortes locandę, effectum est, ut fauore P. Cornelij Scipionis fratris Cõsulis Græcia & Asia L. Cornelio cederet: cui se legatum profecturum pollicitus est. Profectus igitur ad bellũ aduersus Antiochũ gerendũ, in Asiam primus omniũ Romanorum ducũ traiecit. Aemilius Regillus aduersus regiam classem Antiochi feliciter pugnauit, Rhodijs iuuãtibus. Filius Africani ab Antiocho captus, patri remissus est. Victus dehinc est Antiochus à L. Cornelio Scipione, adiuuante Eumene rege, Attali Pergameni filio. Pax hinc data, ut omnibus prouincijs cis Taurum montem cederet, & alijs plurimis conditionibus: quas in Liuio inuenies, & Appiani Syrio, in Plutarchi Scipione, (ubi hi quoque Consules nominantur) in Iustini libro trigesimoprimo. Vide Florum quoque libro secundo, titulo octauo. Sed ibi animaduertendus est locus in comparatione. (Ne sibi placeant Athenæ, in Antiocho uicimus Xerxẽ, in Aemilio Themistoclem æquauimus) non Alcibiadem legendum: nisi memoria lapsum, alterum pro altero, ut fit sæpe etiam doctissimis, Florum suspicemur. Hoc te edocebit Plutarchus in Themistocle. Aemilius Probus pariter in Themistocle. Orosium libro quarto, capite decimonono: Eutropiũ libro quarto, capite primo, passim alios nõ negligendos censeo. Sub ijs præterea Coss. Attilius Glabrio Romę triũphauit de Antiocho & Aetolis deuictis. Vide apud Liuium crudelem illam pugnam L. Scipionis Cos. cum Antiocho: & legatos ex Asia uenientes Romam. Lege Eumenis regis petitionem & Rhodiorum. dehinc Senatus decretum: & quibus conditionibus pax Antiocho sit data: et deinde triumphum L. Scipionis Coss. qui ob hoc bellum est Asiaticus dictus. In Hispania autem res sunt infeliciter gestę, magno exercitu Romanorum cęso. De L. Cornelio Plinius quoque iunior titulo quinquagesimo tertio. Sed horum Consulum meminit Iulius Obsequens in libello Prodigiorũ: qui quidem libellus imperfectus est & acephalus: sed in quo prodigia quæ sub singulis Coss. acciderũt, enarrat. Hos primùm Coss. L. Cornelium & C. Lęlium describens, sic inquit: L. Scipione & C. Lęlio Coss. Iunonis Lucinæ templum fulmine ictum, ita ut

Olympiad. ut fastigium, ualueque deformarentur. In finitimis pleraque de cœlo icta. Nursiæ sereno nimbi orti: & homines duo exanimati. Tusculi terra pluit. Mula Reate peperit. Supplicatio per decem pueros patrimos matrimos, totidemque uirgines habita. Plinius senior libro Naturalis historiæ trigesimo tertio, capite undecimo, L. Scipionem scribit transtulisse in triumpho argenti cælati pondo milia quadringenta quinquaginta: et uasorum aureorum pondo centum millia: anno Vrbis quingentesimo sexagesimo quinto. Id fortè sequentibus est annis factum, ut paulo infrà uidebis, lector, non hoc anno: ideo te annorum numerus non conturbet. *Ab urbe con.*

Nobilior, *Volso.*

4 M. FVLVIVS, ET GN. MANLIVS. 564

His Coss. teste Liuio in 37. S.C. in Aetolos datum est, ut 15. die Italia excederent: & tanquam hostes sunt iudicati. Aetolia quoque M. Fuluio decreta, Asia Manlio. Eumenes rex Romam uenit cum M. Aurelio Cotta, & legatis Antiochi, cui est ob merita in po. Ro. regnum ampliatum. Est præterea publicum decretum de Asiæ rebus, decem legatis factum. Eodem tempore L. Scipio ad Vrbem uenit: anno ferè posteaquã de rebus à se gestis disseruit in Senatu. Triumphus ei est decretus, quẽ speciosissimũ egit: meruitque à prouincia, ut olim frater, Asiaticus appellari. Et ideo fortè uel sub ijs, uel sequentibus Coss. triumphauit: adeò ut numerus annorum, quem Plinius, ut paulo antè scripsimus, ponit, constare posit. Quo pacto M. Fuluius in Aetoliam profectus, Ambraciã oppugnauerit, eiusque frater ex matre G. Valerius Leuinus opem tulerit, ac quibus cõditionibus pax cũ Aetolis facta sit, Liuius in 38. explicat. Vbi etiam describitur bellum Gallogræcũ, quod alter Consul Gn. Manlius in Gallogræcia gessit. Describuntur & qui sint Gallogræci populi, Tolostobogijque, qui corruptè in Floro Solostagij scribuntur, ac Tectosagi. De quibus etiã est uidendus Strabo lib. 11. Plinius libro quinto, cap. 32. Florus elegantissimè bellum Aetolicum, quod Fuluius gessit, describit libro secundo, titulo nono: & Gallogræcũ titulo undecimo, quod Manlius confecit. Sed ibi sic legendũ: Quamuis in altissimos se montes recepissent, quos Tolostobogij Tectosagique iam insederant. Hæc est uera synceraque lectio, quam cæteri fermè omnes corrumpunt. Fuluij Cõsulis Orosius lib. 4. meminit, cap. 19. Et iunior Plinius, de Viris illustribus, tit lo quinquagesimosecundo, & titulo quinquagesimoquinto. Meminit Manlij & Sextus Festus, ut superius patuit. Videndus est Iustinus libro trigesimosecundo, qui hæc bella etiam paucis perstringit. Corrigenda sunt uerba deprauata in abbreuiatore Liuij libro trigesimooctauo, ubi legitur: Gn. Manlius Consul Collega, Gallogræcos, Aetolos Regios, Totosagios, & Trocinos. Tu uerò lege Gallogrecos, Tolostobogos, Tectosagos & Trocinos. Vide apud Liuium in 38. insigne facinus Orisgontis reguli Gallorum uxoris. Velleius Paterculus tradit, Gn. Manlio Volsone, & Fuluio Nobiliore Coss. Bononiam coloniam deductam, quum prius sub aduentum Hannibalis in Italiam Cremona atque Placentia deductæ essent: ac deinde uacaret Romanis colonias condere, dum Hannibal in Italia esset, cum potius esset miles in bello conquirendus, quàm dimittendus: & post bellum, uires renouandæ potius, quàm spargendæ. De eadem Bononia Liuius in 38.

Messala, *Salinator.*

CXLVIII M. VALERIVS, ET G. LIVIVS. 565

Hi Coss. ut in trigesimooctauo scribit Liuius, sortiti prouincias, Messalę Ligures, Salinatori Gallia obtigit. Nam de Aetolia & Asia nihil mutatum est. Sed prioribus Coss. prorogatum est imperium in annum. Ad Manlium uenerũt legati Gallorum, ut pacis leges dicerẽtur: & ab Ariarathe rege Cappadocum legati, ueniam petentes quòd Antiochũ iuuissent: qui pòst est in amicitiam Romanorum receptus, quod Eumeni regi filiam desponderat. Fœdus dehinc est cum Antiocho cõscriptum. Quod pluribus explicat Liuius. Sed pulchrè subinde narrat, quàm grauissimis muneribus onerati

Ab urbe con. rati Romani fuerant, à Thracibus uerò adorti, et spoliati. Manlius in Thessaliam ue- Olympiad.
niens, Appolloniæ hybernauit. Meminit horum Coss. Iulius Obsequēs, qui libellum scripsit Prodigiorū (sed imperfectus ad nos peruenit & mutilus) his uerbis: M. Messa la & C. Liuio Coss. luce inter horam tertiam & quartam tenebræ ortæ. In Auentino lapidum pluuiæ, nouendiali expiatæ. In Hispania prosperè militatū. Sacrum nouendiale factū, ꝙ in Piceno lapidibus pluit. Ignesq; cœlestes multifariam orti, leui afflatu complurium uestimenta adusserunt. Aedes Iouis Capitolini fulmine icta. In Vmbria semimas duodecim fermè annorum natus, aruspicumq; iussu necatus. Galli qui Alpes transierunt in Italiam, sine prælio eiecti. Vide etiam de his prodigiis Liuium.

Lepidus.

566 M. AEMILIVS, ET C. FLAMINIVS. 2

Hi Coss. ut in trigesimooctauo docet, ambo Ligures sortiti, licet multi intercederent. Fuluius & Manlius prouinciis decedere iussi, & exercitus Romam deducere. Interea Aemilius Consul, qui priuatas habuit cū M. Fuluio Proconsule inimicitias, subornauit accusatores, qui Ambracienses spoliasse eū, & contra fœdus magnā intulisse iniuriam conquererentur. Senatusq; consultum exarsit pro Ambraciensibus, cum Flaminius collega ęgrotaret, qui ei contrarius erat. Supplicatio deinde pro ualetudine populi fuit: quia pestilentia grauis Vrbem & agros uastabat. Profectis deinceps Coss. in prouinciam, Romam uenit Manlius, triumphum petēs ob res à se strenuè gestas. Cui decem legati missi cum Antiocho pacem sanciendam restiterunt: penèq; euicissent, quòd Manlio negatus foret triumphus, nisi cognati amiciq; eius summis conatibus annixi forent, ut pudor malignitatem uinceret, triumphumq; decernerent. Ob id Florus libro secundo, titulo undecimo dixit: An fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos inuisos simulauerit, dubium certè. Negatus est uictori triumphus: quia causam belli non comprobauit Senatus. Tamen Liuius Manlium triumphasse de Gallogræcis, libro trigesimonono, sequentibus Coss. scribit. Sub iis Coss. scribit Liuius latè, quemadmodum stimulante M. Porcio Catone P. Scipioni dies dicta sit, & quomodo in spontaneum profectus sit exilium, Liternum: ubi & mortuus & sepultus est, ut ingratam patriam fugeret. Et quomodo eius frater L. Scipio in carcerem ducendus erat, nisi T. Sempronius Gracchus, cui eius filia postea cessit in uxorem, intercessisset. De qua horrenda inuidia Plutarchus in Scipione, Val. Max. lib. quinto, tit. de Ingratis. Fateor ingenuè, nunquā me posse sine stomacho trigesimumoctauum librum legere (legi autem sæpius & cum gemitu & cum execratione) de Scipionibus fratribus: quorum alter in exilium, alter in carcerem, nisi quidam obstitissent, erat iturus sine omniū noxa. Tandē ualuit inuidia Catonis, quē dicunt sapientem, ego eum perfidissimum, & nulla prudentiæ ueneratione dignū censeo, qui nequiuit ob rempub. & tam præclaras res Scipionum feliciter gestas, priuatum odium supprimere, & suæ inuidiæ moderari. Coss. aūt hi strenuè in Liguria pertinaciā gentis represserunt. Et cum pax Liguribus data esset, uia Flaminia & uia Aemilia, ne milites ocio tabescerent, perfectę sunt. Flaminius enim uictor Ligurū, strauit uiam Flaminiam, ex urbe Roma per Tusciam & Vmbriam, usq; ad Ariminū, teste Strabone in quinto: licet Liuius à Bononia ad Aretium perduxisse scribat. Aemilius aūt à Placentia, ut Flaminiæ cōmitteret, Ariminum perduxit. Triumphusq; M. Fuluio decretus est, ut Liuius in principio trigesiminoni scribit.

Albinus, Philippus.

567 SP. POSTHVMIVS, ET Q. MARTIVS. 3

His Coss. des. ut Liuius libro trigesimonono scribit, Gn. Manlius de Gallogræcis triumphauit: Asiaticasq; illecebras inuexit Romam, primaq; semina futuræ luxuriæ iecit. His præterea Coss. Bacchanalia, nocturna festa, Romam sunt allata: quæ indicio Hispalæ ancillæ detecta sunt, & quæstiones habitæ. Vide igitur apud Liuium

Baccha-

Olympiad. Bacchanalium initia, et scelera sacris admissa, & publica decreta ad ea tollenda. Est et in Hispania Lusitanorum & Celtiberorū cædes sub id tempus fermè facta. Horum Coss. mentionem facit Plinius libro trigesimotertio, cap. 10. Populus Romanus, inquit, stipem spargere cœpit Sp. Posthumio, Q. Martio Coss. Cassiodorus subiungit: Ab urb. con.

His Coss. athletarum certamina primùm à Fuluio sunt edita.

Hoc latè Liuius explicat, qui scribit, M. Fuluium ludos exhibuisse, quos Aetolico bello uouerat, multosq; artifices ex Græcia aduectos: & athletarū certamen tum primò Romanis spectaculo fuisse. Eutropius lib. 4. cap. 1. horū Coss. meminit: scribitq; Fuluium sub ijs Coss. triumphasse. Sed parum sunt deprauata nomina Consulum.

Pulcher, *Tuditanus, Labron.*

4 APPIVS CLAVDIVS, ET M. SEMPRONIVS. 568

Sub his Coss. referente Liuio in trigesimonono, belli Macedonici secundi causæ atq; origines actæ sunt. Referuntur ibi populorum querelæ aduersus Philippum, & legatorum decretum: ac quale Philippi fuerit studium erga Romanos, aduersus Eumenem. Præterea sub his Coss. L. Manlius ex Hispania rediēs, ouationem egit: quia triumphus negabatur. In Apulia seruilis motus fuit, & coniuratio pastorum, quia uias latrocinijs pascuaq; publica infesta habuerant. à Posthumio Prætore deprehensa est, ac mulctata. Fuit insuper hoc anno insignis Hispanorum cædes: Consules in Liguribus uastando agros, ac urendo uicos, hostes deiecerunt.

Pulcher, frater Appij, *Licinius.*

CXLIX. P. CLAVDIVS, ET L. PORCIVS. 569

His Coss. narrante Liuio in trigesimonono, legati qui ad disceptandum inter Philippum & Eumenem reges, Thessalorumq; ciuitates, missi erāt, redierunt Romam: nouaq; legatio est missa, cuius princeps Appius erat, qui Philippo nunciaret, ut ab Achæis abstineret. Sub ijs C. Calphurnius Piso, & L. Quintius Crispinus, de Lusitanis Celtiberisq; triumpharunt. Fuerunt hoc anno Censores, M. Porcius Cato, & L. Valerius Flaccus: qui seuerissimè censuram egerunt, septemq; ex Senatu mouerūt: & in ijs L. Quintium Flaminiū. (de quo in T. Flaminio Plutarchus, et Valerius præter Liuium) L. Scipioni equum ademit. Quàm tristis & aspera hæc censura fuerit, Liuius & Plutarchus in Catone docent: & nonnihil etiam Plinius iunior de Viris illustribus, titulo quadragesimoseptimo. Consules uerò huius anni nec domi, nec militiæ memorabile quicquam egerunt. Præcipuas autem Catonis maioris laudes relege hic apud Liuium: illisq; adiunge laudibus, quas Plinius libro septimo, capite uigesimoseptimo describit: ut interim Plutarchum & alios obmittamus.

Marcellus, *Labeo.*

2 M. CLAVDIVS, ET Q. FABIVS. 570

His Coss, Ligurum prouincia decreta est, teste Liuio libro trigesimonono. Sed priusquā in prouincias proficiscerentur, auditæ transmarinæ legationes, quæ de Philippo conquerebantur, quòd non deducerentur ex Thracia præsidia: & quòd in Bithyniā Prusiæ auxilia missa aduersus Eumenem forent. Fuerat tum in urbe Demetrius, Philippi filius, in cuius gratiam senatus gratum decretum promulgauit. Sed cum in Macedoniam redijsset, uulgusq; Macedonum tanquam iustum patris successorem amplecteretur, licet minor natu esset (nam Perseus ex pellice natus erat) Philippus occulta consilia inijt, quæ Demetrius ignorauit, & belli fomitem nutriuit. Meminit horum Coss. Orosius libro quarto, capite decimonono. Et Iulius Obsequens in libello Prodigiorum sic scribit: M. Claudio, Q. Fabio Labeone Coss. in area Vulcani per biduum, in area Concordię totidem diebus sanguinem pluit. in Sicilia insula noua maritima. Hannibal in Bithynia perijt: Celtiberi subacti. Eadem Liuius in fine trigesiminoni. Sed Cassiodorus subiungit:

His Coss. Hannibal apud Prusiam ueneno perijt.

Fuit

Ab urbe con. Olympiad.

Fuit ad Prusiam regem, teste Liuio in trigesimonono, missus legatus T. Quintius Flaminius, qui Hannibalem repeteret: quem ubi ad se missum Hannibal intellexit, cum nullus esset fugiendi locus, ueneno accepto sese interfecit: ut latissimè Liuius, Plutarchus in Hannibale & in Q. Flaminio, Orosius & Eutropius docent. Mortui sunt eo anno tres clarissimi imperatores, Hannibal, Scipio, & Philopœmenes, teste Liuio. Quod etiam Iustinus libro tricesimosecundo in fine obseruauit, ex Trogo.

Paulus, Pamphilus.

571 L. AEMILIVS, ET GN. BEBIVS. 3

His Coss. ut Liuius in quadragesimo scribit, Ligures, quia nulla erat prouincia, decernebantur sequentibus Consulibus. Sed priusquā proficiscerentur, legationes trāsmarinæ in Senatum sunt introductæ, Eumenis, Pharnacis, Philippi, regum: & Rhodiorum, Achæorum, & Lacedæmoniorum. Interim odia inter fratres Perseum & Demetrium, filios Philippi, orta. In medium prodierunt ex decursione militari Macedonica, ut latè explicat Liuius. Quę odia ueluti semina iacta sunt Macedonici belli, quod cum Perseo gerendum erat. Aegreferebat enim Philippus, regnū suum minui à Romanis, eo quod cogeretur à Thracibus alijsque locis pręsidia deducere. Est res pręterea Ligustica hoc anno feliciter gesta, & similiter Hispanica. Sunt ad hæc disceptationes inter Carthaginenses & Masinissam ortæ. Quemadmodum autē Ligures à L. Paulo sint deuicti, omnium copiose scribit Plutarchus in Paulo. Est autē uulgò passim in Liuianis codicibus Cos. Tamphilus impressus, cum sit scribēdum Pamphilus. Quod Liuius in uigesimoprimo libro, ubi agit de legatis missis ad Hannibalē ad Sagunthū, testatur: Princeps legationis uocabatur Q. Fabius Pāphilus, qui fortè ex eadem familia erat. Sed cum in omnibus codicibus, quos ego hactenus uiderim, Tamphilus falsò scriberetur, uolui monere lectorē. Sed Plinius libro septimo, capite quinquagesimotertio, Gn. Bebium Pamphilum præfectura functum, repētina morte obijsse scribit. ut omnino credam Pamphilum, non Tamphilum, legendum. Iulius autem Obsequens de Prodigijs, si liber est castigatus: L. Aemilio Paulo, inquit, Gn. Bebio Pamphilo Coss. procellosa tempestate strages in Vrbe facta, signa ænea in Capitolio deiecit, signa in Circo maximo cum columnis euertit, fastigia templorum aliquot à culmine abrupta dissipauit. Mulus tripes Reate natus. Aedes Apollinis Caietæ fulmine ictæ. In area Vulcani & Concordiæ sanguinē pluit. Hastæ Martis motæ. Lanuuij simulachrum Iunonis Sospitæ lacrymauit. Pestilentię Libitina non sufficit. Ex Sibyllinis supplicatum, cum sex mensibus non pluisset. Ligures prælio uicti, deletique. Eadem prodigia, licet non omnia, Liuius in quadragesimo prosequitur, sed sub sequentibus Coss. Sed uide Eutropium, qui breuiter omnem historiam Philippi complectitur. At Liuius diligentissimè legendus propter duas orationes fratrum Persei & Demetrij.

Lentulus, Pamphilus.

572 P. CORNELIVS, ET M. BEBIVS. 4

His Coss. quemadmodum Liuius in quadragesimo scribit, tanta pestilentia erat, ut Vrbem, uillas, & agros euastaret: uixque conscribi exercitus posset in Sardiniā, contra defectionem Corsorum. Tantaque fuit siccitas, ut sex menses nunquam pluisse, memoria proditum sit, quam siccitatē inopia frugum subsequuta est. In Macedonia innoxius adolescens Demetrius, regis filius, interficitur, procurante fratre Perseo, ueneno admodum crudeliter, confictis falsis literis, ac pluribus malis suspicionibus. In Liguria primùm castra Romana sunt obsessa. Tandem magna Ligurum facta est cædes. Eodem anno, ut elegāter Liuius scribit, & Val. Max. libro primo, de Seruata religione, repetiuit, in agro L. Petilij scribæ, sub Ianiculo dum cultores altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ inuentæ sunt, operculo plumbeo deuinctæ. Literis latinis græcisque utraque arca inscripta erat. In altera Numam Pompilium, regem Romanum, sepultum esse: quæ aperta, inanis inuenta, sine ullo uestigio corporis humani,

aut ullius rei, per tabem tot spacio annorum omnibus absumptis. In altera libros Numæ Pompilij inesse: quæ aperta, duos habuit fasces inuolutos candelis, cum septenis libris recentissima specie. Septem libri Latini de Iure Pontificio erãt: septẽ Græci, de disciplina sapiẽtię, quæ illius ætatis esse potuit. Hos Q. Petilius, Prætor urbanus, cũ legisset, animaduertissetq; pleraq; esse dissoluendarum religionum, à Senatu impetrauit, ut libri in Comitio cremarentur, precio persoluto domino. Meminit & huius historiæ de libris Pompilij adustis, & horum Coss. Lactantius libro primo, capite uigesimosecũdo: sed omnium copiosissimè Plinius libro decimotertio Naturalis historiæ, capite tredecimo: ubi & hos Coss. nominat, & latissimè de his libris ex Cassio Hemina uerba subscribit. licet ille in agro Gn. Terẽtij scribæ, Liuius uerò & eius abbreuiator, in agro L. Petilij inuentas arcas prodant. Ceterùm in Hispania aliquot secunda prælia acta. Liguribus pax data: de quibus triumphauit L. Aemilius Paulus. Et prima aurata statua M. Attilio Glabrioni in Italia posita est. Ab urbe con.

Albinus, Luscus, Piso.

CL A. POSTHVMIVS ET C. CALPHVRNIVS. 573

Insignis hic annus pestilentia fuit, quæ tertium iam annum urbem Romanã atq; Italiam uastabat. Hæc T. Minutium Prætorem, C. Calphurnium Consulem, ac multos alios illustreis uiros absorpsit. C. Seruilius Pon. Max. Decemuiri, ac Consul, Apollini Aesculapio dona uouere, & Saluti. Sed suspicio ueneficij mox etiam orta est, propter mortem Coss. qui necatus putabatur ab uxore Hostilia, ut eius filius Q. Flaccus in locũ uitrici substitueretur. Dehinc Coss. ambobus, teste Liuio, Ligures à Senatu decreti. Et cum legati à Quintio Fuluio Flacco, qui Hispanijs præerat, missi peterent triumphum Flacco, quòd Celtiberos debellasset, & abductionem seu missionem exercitus, L. Posthumius in ulteriorem, T. Sempronius Gracchus in citeriorem Hispaniam sunt missi, nouusq; exercitus illis datus in supplementum. Sed priusquã hi in prouinciam uenirent, Fuluius Flaccus Proconsul Celtiberos ita cæcidit, ut una clade sterneret decem & septem millia hostium: tria millia uirorum caperet, cũ multis signis militaribus. Ob quas res triumphum meruit, & consulatum in sequentem annum. Priusquam etiam Coss. in Ligures exercitum ductarent, P. Cornelius, & M. Bebius, prioris anni Coss. qui in suo consulatu nihil pręclari gesserant, ante aduentũ Coss. nullum bellum expectantes Ligures oppresserunt, ac duodecim millia hominum in deditionem acceperunt. Dehinc iussu Senatus ad quadraginta millia liberorum capitum cum fœminis puerisq;, publico sumptu traducti sunt in agros Romanorum. Ob id ambobus illis à Senatu triumphus decretus est: quem nullo bello meruerunt: tantum hostes ducti ante currum. Postea Coss. in Ligures profecti sunt, & multos in deditionem acceperunt, & Samnium miserunt. Eodem anno L. Duronius, Prætor Illyrici, Romam reuersus, Gentium regem latrocinij postulauit. Et licet Gentius per legatos suos se purgaret, C. Claudio Pręțori tamen res est commissa: ut Liuius in quadragesimo libro, in appẽdice qui nuper Moguntiæ est repertus, attestatur. ubi etiam mortuorum clarorum uirorum nomina recenset, & qui sint in eorum locũ cooptati. Subiungit etiam, eo anno Cumanis petentibus permissum, ut publicè latinè loquerentur, & præconibus latinè uendendi ius esset. Quod obseruandum duco studiosis, propter contentiones quas Leon. Aretinus, Franciscus Philelphus, Valla, & plerìq; alij doctissimi uiri, inter sese habuere.

Flaccus, Acidinus.

2 Q. FVLVIVS, ET L. MANLIVS. 574

Horum Coss. mentionem facit Liuius in quadragesimo libro nuper reperto: scribens, alterum Coss. Q. Fuluium Flaccum triumphasse de Celtiberis: ac eo anno rogationem latam à L. Iulio Tribuno, ut magistratuum quicũq; eos peterent caperẽtq;

annos scriberent. Unde familiæ nomen inditũ, ut Annales appellarentur. His Coss. eadem prouincia, quę superioribus pari numero exercitus decreta est. Sed priusq; in prouinciã irent, Q. Fuluius ludos, quos Ioui uouit in bello Celtiberico, & ædem Fortunæ equestri dicandã statuit. M. Aemilius Lepidus, Pon. Max. & M. Fuluius Nobilior, illustres uiri, Censores sunt facti: & atroces inter sese inimicitias, rogati à Senatu, deposuerunt: fideliq; inter se concordia Senatum elegerunt, ac censurã egerunt. Gracchus & Posthumius feliciter res in Hispania gesserunt, multis cæsis ac captis, & pluribus oppidis in deditionem receptis. Q. Fuluius Cõsul prosperè cũ Liguribus pugnauit, ac triumphũ meruit. Quæ omnia latissimè Liuius in quadragesimo exequitur. Ubi etiam de morte Philippi, regis Macedonũ, qui mœrore consumptus ex Demetrij filij innocentissimi adolescentis morte, à fratre Perseo sibi per uim illata, multa pulchra traduntur: & quomodo Antigonum substituere in regnum uoluerit, Perseo excluso: qui tamen præuenerat, admonitus à medico Calligene, qui curationi præerat. Lege illic, quæ Antigonus, quæ Bastarnæ moliti sunt, sed frustrà, quũ Perseus regno potiretur, & Antigonum interfici iuberet. Quod & Iustinus libro tricesimosecundo narrat, & Plutarchus in Paulo Aemilio. Meminit horũ Coss. Iulius Obsequens libello de Prodigijs. Sed alterum Cos. C. Manlium appellat, sic scribens: Q. Fuluio, C. Manlio Coss. nimbis continuis in Capitolio signa aliquot deiecta fulmine: Romæ, & circà, plurima decussa. In lectisternio Iouis terræmotu deorũ capita se converterunt. lana cum integumentis, quæ Ioui erant apposita, decidit de mensa. Oleas mures prærroserunt. Quæ Liuius in fine quadragesimi sub sequentibus Coss. ponit, ac alia prodigia sub his Coss. scribit: quæ illic uidere poteris. Sed noster Cassiodorus alterum consulem L. prenominat. in alterutro error est. Plinius quoq; horũ Coss. mentionem facit libro trigesimoquinto, capite tertio, in hæc uerba: Maiorum quidem nostrorum tanta securitas in ea re annotatur, ut L. Manlio, Q. Fuluio Coss. anno Urbis quingentesimo septuagesimoquinto, M. Aufidius, tutelæ Capitolij redemptor, docuerit patres, argenteos esse clypeos, qui pro æreis per aliquot iam lustra assignabantur.

Brutus, Volso.

575 M. IVNIVS, ET GN. MANLIVS. 3

In fine quadragesimi libri Liuius hos Coss. ponit: sed alterum appellat M Attiliũ Volsonẽ, si est codex emaculatus. Sed quæ sub ijs gesta sunt, sequẽti libro nimirũ scripsit: qui desideratur & cũ alijs libris. His Coss. pręterea, ut scribit Iulius Obsequens, incendio circa forum cum plurima essent deusta, ædes Veneris sine ullo uestigio cremata. Vestæ penetralis ignis extinctus. Virgo iussu M. Aemilij Pon. Max. flagro cæsa est. In Hispania & Histria bella prosperè gesta. Paria abbreuiator Liuij annotat quadragesimoprimo libro. Et illud est bellũ Histricũ, quod L. Florus describit eleganter libro secũdo, titulo decimo. Sed qui sint populi Histri, docet Iustinus libro trigesimosecundo. Meminit Histrorũ & Liuius superioribus quoq; libris crebrò, & trigesimonono, & quadragesimo. Utinam dies ille felicissimus illucescat, quo cæteri Liuiani libri è tenebris se proruant. Pereat, si quis bibliotaphus habet eos carceri mãcipatos. Memini olim Petrum Paschalicum Venetum, cum apud Diuũ Maximilianum Oratorem ageret, emerendi fauoris gratia, me tum astante, sese omnes Liuij libros à se in Gallijs repertos, ꝓpediẽ titulo Cæsaris Maximiliani edituros. Sed inferos iam petijt nugator ille, & pientissimo Principi imposuit, dum sibi gloriã arrogaret. Vos precor, rogo & obtestor posteri, ac posthumi, si quid uel totius operis uel opus integrum nacti fueritis, in commune studiosorũ commodum edatis, ut mei illi Coss. splendidiores posthac possint ab omnibus illustrari.

Gracchus, Pulcher.

576 T. SEMPRONIVS, ET C. CLAVDIVS. 4

Hic est ille T. Sempronius Gracchus, qui Celtiberos uictos in deditionẽ accepit. Quod

Olympiad. Ab urbe con.

Quod in fine quadragesimi libri Liuij nuper reperti latè explicat, licet dubio procul in libris sequentibus, qui desiderãtur, multo plura de hoc scripserit: & quo pacto monimentum operum suorũ, Gracchorum oppidũ in Hispania constituerit. Cuius etiã meminit abbreuiator libro quadragesimoprimo: Orosius libro quarto, capite decimo. Claudium uerò Pulchrũ illũ esse puto, cuius Florus meminit de bello Histrico, in secundo, & Appium Pulchrum appellat. Nisi fortè Appius consularis uir, cũ Gn. Manlio tanquam legatus aut Proconsul missus ei successerit. De Graccho uerò sic Florus libro secũdo, titulo decimoseptimo: Gracchus, pater ille Gracchorũ, eosdem centũ & quinquaginta urbiũ euersione mulctauit. Abbreuiator Liuij, quadragesimoprimo: T. Sempronius Gracchus Proconsul Celtiberos uictos in deditionem accepit, monimentũque operum suorũ, Gracchorũ oppidũ in Hispania constituit. Vnde autẽ sint dicti Gracchi, M. Varro docet: quod mater illius qui primus est dictus Gracchus, duodecim menses filium gestauit. Quare quod legitimum parturitionis tempus supergressa sit, cumque diutius, quàm sit grauidarũ mulierum mos, gesserit partum, Gracchũ à gestando nominarunt. Alij rursus Gracchũ loquacem interpretantur, & tumultuantem: quẽadmodum graculus, auis tumultuatrix & obstrepera est. Sed cũ Græci cũ aspiratione scribant, & Quintilianus nõ improbet, nescio cur tantopere sit de h disputandum, an hæc aspiratio sit ei uoculæ adiungenda, nec ne.

Leuinus, *Spado.*

CLI. CN. CORNELIVS, ET Q. PETILIVS

Horum Coss. sic meminit Iulius Obsequens: Cũ immolassent uictimas Consules, iecur extabuit. Cornelius ex monte Albano rediens, membris captus, ad aquas Cumanas mortuus. Petilius contra Ligures dimicans, occisus est. Sed hunc, nisi sit error codicis, uocat L. Petiliũ. Fortè is est Q. Petilius, de quo suprà scripsimus, qui Prætor urbanus existens, libros Numæ combusit. 577

Aemilius, *Scæuola.*

2 M. LEPIDVS, ET Q. MVTIVS.

De his Coss. Iulius Obsequens hæc prodidit: Graui pestilentia hominũ boũque cadauera, nõ sufficiente Libitina, cũ iam iacerẽt, ulterius nõ apparuit: Celtiberi deleti. Paulus uerò Orosius libro quarto, capite decimonono: His Coss. inquit, Basternarũ gẽs ferocissima, autore Persa Philippi filio, prædarũ spe sollicitata, & trãseundi Histri fluminis facultate, sine ulla pugna, uel aliquo hoste deleta est. Nã tunc fortè Danubius, qui & Hister, crassa glacie superstratus, pedestrẽ transitũ facilè patiebat. Itaque cũ improuidè toto & maximo simul agmine inæstimabilis hominũ ac equorũ multitudo trãsiret, enormitate ponderis & cõcussione gradientiũ cõcrepãs gelu, & glacialis crusta dissiluit: uniuersumque agmen, quod diu sustinuerat, medijs gurgitibus tandẽ & cõminuta destituit, atque eadẽ rursus fragmẽtis impediẽtibus superducta submersit. Pauci ex omni populo per utrãque ripã uix cõcisis euasere uisceribus. Et hæc fortè fuerunt initia belli Macedonici secũdi. De quibus abbreuiator in quadragesimoprimo scribit, & Plutarchus in Paulo Aemilio. 578

3 SP. POSTHVMIVS, ET Q. MVTIVS.

In opusculo Coss. quod Paulo Orosio attribuit, hoc loco scriptũ est, Paulo & Scęuola. Ceterùm quid sit gestũ sub ijs priuatim, nõ inuenio. Certũ est tamen, sub hoc tẽpus Perseũ sollicitasse Carthaginenses, & multas Græciæ urbes, aduersus Romanos. Verùm qui reges auxilio fuerint Perseo, quàm Romanis, Eutropius docet libro quarto, capite primo. Plinius libro secundo Naturalis historiæ, capite trigesimo primo horũ Coss. mentionẽ facit, sic scribens: licet alterius Consulis nomen sit uariatum. Inquit autẽ: Trinos soles antiqui sępius uidere, sicut Sp. Posthumio, Q. Minutio Coss. & cętera quæ sequuntur. nisi sit alius cõsulatus paulo inferius, ubi ponuntur SP. Posthumius, & M. Minutius. Pono hęc in disputationem, ne quid temerè innouem. 579

L. POST-

Ab urbe con. Olymp.

Albinus, *Lænas.*

L. POSTHVMIVS, ET M. POPILIVS. 4

580 Hic est ille Popilius, qui post hoc tempus bello Macedonico ad Antiochũ legatus missus est, ut omnes attestãtur historici. De quo Velleius sic scribit: Cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympicũ inchoauit, tum regẽ Syrię Ptolemęũ Alexandrię obsideret, missus est ad eũ legatus M. Popilius Lænas, qui iuberet incœpto desistere: mandataq; exposuit. Et regẽ se deliberaturũ dicentem, circumscripsit uirgula: iussitq; prius responsum reddere, q̃ egrederet, finito harenæ circulo. Sic cogitationẽ regiam Romana disiecit constantia, obeditumq; imperio. Sed aliquanto post hæc facta sunt.

Lænas, *Ligo.*

C. POPILIVS. ET P. AELIVS. CLII.

581 Subscribe lector quid memoratu dignum inuenies post me: ego temerè nihil uolui ignarus adijcere.

Crassus, *Longinus.*

P. LICINIVS, ET C. CASSIVS. 2

582 His Coss. ut Orosius scribit libro quarto, capite decimonono, Macedonicũ bellũ gestũ est: meritò inter maxima bella referendũ. Nã inter auxilia Romanorũ primũ erat tota Italia: deinde Ptolemæus rex Aegypti, & Ariarathes Cappadocię, Eumenes Asiæ, & Masinissa Numidiæ: Persen autem Macedones secuti sunt, Thraces cũ rege Cote, & uniuersi cũ rege Gentio Illyrij. Aduenienti Crasso Perses occurrit: cõmissoq; prælio, miserabiliter uicti fugere Romani. Sequenti pugna penè pari clade partis utriusq; discessum est. Et, ut Eutropius in quarto scribit, Romani quanq; superati, pacẽ regi dare petenti noluerunt, nisi sese cũ uniuerso regno dederet. Abbreuiator tamen Liuij libro quadragesimosecũdo, tradit, P. Liciniũ Crassum, cui Macedonia decreta erat, equestribus prælijs in Thessalia cũ Perseo felici euentu pugnasse. Vide diligenter Plutarchũ in Paulo Aemilio, Iustinũ in trigesimotertio: Florũ libro secũdo, titulo duodecimo. Horum Coss. meminit Plinius libro septimo, capite quarto. Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus, P. Licinio Crasso, C. Casio Longino Coss. C. Asinij puerũ factũ ex uirgine sub parentibus: iussuq; aruspicum deportatũ in insulam desertam. Vbi hoc quoq; notandum, quòd ferè omnes libri habent Casini. Sed sic legendum est ex Gellio libro nono, capite quarto.

Mancinus, *Serranus.*

A. HOSTILIVS, ET A. ATTILIVS, 3

583 Auguror sub id tẽpus in Hispania res feliciter gestas. Nã in quadragesimotertio abbreuiatore Liuij scribitur: Motus qui in Hispania factus erat ab Olonico, ipso interempto, cõsedit. Florus libro secundo, titulo decimoseptimo latius. Tota certaminũ moles cũ Lusitanis fuit & Numantinis: nec immeritò: q̃ppe solis gentiũ duces cõtigerũt. fuisset & cũ omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli oppressus esset, summæ uir astutię & audacię, si recessisset Salondicus: qui hastã argenteam quatiens uelut cœlo missam, uaticinanti similis omniũ in se mentes cõuerterat. Sed cũ pari temeritate sub nocte castra Consulis adijsset, iuxta tentorium ipsum pilo uigilis exceptus est. Vbi obseruandum, Salondicum dici à Floro, qui Olonicus aliàs dicitur: ut suspicanda sit menda.

Philippus, *Cepio.*

L. MARTIVS, ET Q. SERVILIVS. 4

584 Abbreuiator in quadragesimoquarto Liuij, appellat Philippum C. Martiũ, qui per saltus scilicet penetrauit in Macedoniã, cõpluresq; urbes occupauit. Cuius & Florus meminit libro secundo, titulo duodecimo. Nam Martio Philippo Cõsule, eam prouinciam ingressus po. Ro. exploratis diligenter accessibus per Astrudem paludem, per acerbos dubiosq; tumulos, illa quæ uolucribus quoq; uidebantur inuia, accessit: regemq; securum, & nil tale metuentem, subita belli irruptione terruit. Cuius tanta

trepidatio, fuit ut pecuniam omnem in mare iusserit immergi, ne periret: classem cremari, ne incenderetur.

Paulus, *Crassus.*

CLIII L. AEMILIVS, II. ET C. LICINIVS.

Alterum hunc consulatū Paulus accepit inuitus, iam sexagenarius, sed ualido corpore. Cui mox Macedonia decreta. Ad quam cum exercitu profectus, à Brūdusio Ionium mare transgressus, Corcyrā applicuit. Quinta die Delphis sacrificium perfecit. 585
Quinq; diebus copias ex Macedonia accepit: lustratoq; exercitu, rem adortus, quindecima die pòst bellū confecit: Macedoniā subegit, Perseū regem cū liberis cæpit, ciuitates liberas esse iusit, dimidium tributum sustulit, ac preciosissimū triumphū tribus diebus continuis egit. Vnde Plinius libro Naturalis historiæ trigesimotertio, capite tertio inquit: Intulit Aemilius Paulus Perseo Macedonico rege deuicto, prædā pondo trium milliū. à quo tempore Po. Ro. tributū pendere desijt, ut Plutarchus annotat, usq; ad Hircij & Pansæ consulatum. Quę si pulcherrima serie agnoscere lector singula eius belli uolueris (nā Posidonius qui huic bello interfuit, & pluribus libris explicuit, iamdudum iactura temporis perijt) Plutarchum in Aemilio: Iustinū libro trigesimotertio, Florū, Orosium, Eutropiū legito diligenter: & accuratè Pliniū quoq; iuniorem, titulo quinquagesimosexto. Sed Plutarchus omnium copiosissimè in Paulo describit, quid in primo, quid hoc secundo consulatu egerit. Abbreuiator Liuij in quadragesimoquarto inquit: Anteq; confligeret (de Paulo sic scribens) dixit exercitui, ne miraretur q; luna nocte proxima defectura esset. Quod Plinius etiam annotauit libro secundo Historiæ naturalis, capite duodecimo: & paulo inferius recensebimus. Plutarchus autē describit sacra, quę tum Paulus in eclipsi lunæ fecit. Vide insuper in abbreuiatore Liuij, sub id tempus Gentium, Illyricorū regem captum, cum uxore, liberis, & propinquis, Romam missum. Velleius Paterculus in fragmentata Ro. hist. libro primo sic tradit hoc bellū: Biennio, inquit, adeò uaria fortuna cū Coss. conflixerat, ut plerunq; superior Perseus fuerit, magnamq; partem Græciæ in societatem suam perduxerit. Quibus Rhodij quoq; fidelissimi antè Romanis, tum dubia fide speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse uisi sunt. Et rex Eumenes in eo bello medius fuit animo: neq; fratris initijs, neq; suæ respondit consuetudini. Tum S.P.Q.R. L. Aemilium Paulum, qui & Prætor & Cos. triumphauerat, uirū in tantum laudandum, in quantum uirtus intelligi potest, Cos. creauit, filium eius Pauli qui ad Cannas quàm tergiuersanter perniciosam Reip. pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat. Is Perseum ingenti prælio apud urbem nomine Pydnam, in Macedonia fusum fugatumq; castris exuit: deletisq; eius copijs, destitutū omni spe, coëgit è Macedonia profugere. Quam ille linquens, in insulam Samothraciam profugit, templiq; se religioni supplicem credidit. Ad eum Octauius Prętor, qui classi pręerat, peruenit: & ratione magis q; ui persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paulus maximū nobilissimumq; regē in triumpho duxit. Quo anno & Octauij Pr. naualis & Anicij, regem Illyriorum Gentium, ante currum agentium, triumphi fuere cerebres. Paulo pòst subiungit: L. autem Paulo magnæ uictoriæ compote, quatuor filij fuere: ex ijs duos natu maiores, unū P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maiestate præter spem nominis uigoremq; eloquentiæ retinenti, in adoptionē dederat: alterum Fabio Maximo, duos minores natu prætextatos, quo tempore uictoriam adeptus est, habuit. Is cum in concione extra Vrbem more maiorum ante triumphi diem, ordinem suorum actorum cōmemoraret, deos immortales precatus est, ut si quis eorum inuideret operibus ac fortunæ suæ, in ipsum potius sæuirent, q; in Rempub. Quę uox ueluti oraculo emissa, magna parte eum spoliauit sanguinis sui. Nam alterum ex suis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi, alterum pòst pauciores amisit dies.

Q. AELIVS

Ab urbe con. *Penno.* *Olympiad.* 2

586 Q. AELIVS PAETVS, ET M. IVNIVS.

Horum Coss. meminit Iulius Obsequens, sed alterum appellat Q. Aemilium Pe-tum, alterum M. Iulium, si liber est castigatus. Scribit autem sub ijs Coss. reges, Illyriorum Gentium, & Macedoniæ Persen deuictos. Romę aliquot sacra prophanaq́; loca cœlo tacta. Anagniæ terra pluit. Lanuuij fax ardẽs in cœlo uisa. Calatiæ in agro publico per triduũ & per duas noctes sanguis manauit. Est autem, ut puto, hoc tẽpore insigne illud bellum gestum, quod Florus libro secundo, titulo decimotertio describit, quo Gentius, rex Illyricorum, cũ rebellasset, à C. Anitio Prætore uictus, in deditionem cum uxore & liberis ac propinquis Romam est ductus. Quod in quadragesimoquarto libro scribit abbreuiator Liuij. Sed ibi deprauatè scriptũ est Licinio, pro L. Anitio: cuius consulatus inferius patebit. de quo & Plutarchus in Aemilio, & Appianus in Illyrico: ubi hoc bellum describitur abundè. Eutropius libro quarto, capite primo, prænomine corrupto uocat C. Anitium: ubi plura de Gentio rege perscribit. Ceterùm an sub ijs Coss. legati missi sint Antiocho, ut in quadragesimoquinto libro Liuius annotat: & Prusias, Nicomedes, Eumenes reges Romã uenerint, ut in quadragesimosexto Liuij abbreuiator commemorat: incertum est, cum Liuio caremus. Sed ex abbreuiatore colligitur hoc anno factum.

Marcellus. *Gallus.*

587 M. CLAVDIVS, II. ET G. SVLPITIVS.

In Cassiodoro scribebatũ M. Mamercus. Sed ex Liuio deprehẽdi & Iulio Obsequẽte, legendũ fore (sed hi quoq́; nõ menda carent) M. Marcellum. licet & idem Iulius alterum consulem P. Sulpitium, quẽ omnes alij C. uocant, dixerit. Sic enim scribit: M. Marcello, P. Sulpitio Coss. in Campania multis locis terra pluit. In Pręnestino cruẽti ceciderunt imbres. Veienti lana ex arboribus nata. Tarracinæ in æde Mineruæ, mulieres tres quæ operatæ sedebant, fulmine exanimatæ. Ad locum Libitinæ in statua equestri ænea, ex ore & pede aqua manauit. Diu Galli Ligures deleti. Comitia cum ambitiosissimè fierent, & ob hoc senatus in Capitolio haberetur, miluus uolans mustellam raptam de cella Iouis in medio consessu patrum misit. Sub idem tempus ædes Salutis de cœlo tacta. In colle Quirinali sanguis terra manauit. Lanuuij fax in cœlo nocte conspecta. Fulmine pleraq́; discussa. Casini & sol per aliquot horas noctis uisus. Theani Sidicini puer cum quatuor manibus, & totidẽ pedibus, natus. Vrbe strata, pax domi forisq́; fuit. Sed ut abbreuiator in quadragesimosexto scribit, Claudius Marcellus Alpinos Gallos, Sulpitius Ligures subegit. Horum Coss. meminit Plinius secundo Naturalis historiæ, capite duodecimo, in hæc uerba: At rationẽ quidem defectus utriusq́; primus Romani generis in uulgus extulit Sulpitius Gallus, qui Consul cum M. Marcello fuit. Sed tum Tribunus militum, sollicitudine exercitu liberato, pridie q́; Perses rex superatus à Paulo est, in concionẽ ab imperatore productus ad prædicendam eclipsim. mox & composito uolumine: &c. Et quia incidimus in Plinium, corrige in hoc capite deprauatissimam literã, ac sic lege: Viri ingentes, supraq́; mortalium naturam tantorum numinũ lege deprehensa, & misera hominum mẽte, absoluta in defectibus stellarum scelera & mortem aliquam siderum pauentes. Quo in metu fuisse Stesichori aut Pindari uatum sublimia ora, (deliquio solis & in luna ueneficia arguente mortalitate, & ob id crepitu dissono auxiliãte) palàm prodidissent. Quo pauore, &c. Omnes aliæ lectiones sunt cassæ & friuolæ, absque intellectu: etsi frustrà profiteãtur quidam, tanq́; omnia sese narraturos.

Torquatus.

GN. OCTAVIVS, ET T. MANLIVS. 4

588 Iulius Obsequens scribit, his Coss. pestilentia fameq́; ita laboratum esse Romæ, ut

ex Sibyllinis populus circa compita sacellaq; operaturus sederit. In æde Penatiũ ualuas sua spõte adapertas, & lupos Exquilijs, & in colle Quirinali meridie apparuisse, & agitatos fuisse: sed Vrbe lustrata, nihil triste accidit. Is est Gn. Octauius, qui Prętor prius in bello Macedonico classi præerat: ac Perseo ratione magis q̃ ui persuasit, ut se Romanorum fidei cõmitteret. Is cum postea triumpharet, nemo eius triumphum interpellauit: sicut pleriq; Pauli triumphum impedire annixi sunt. Ab urbe con.

Torquatus, Longinus.

CLIIII. A. MANLIVS, ET Q. CASSIVS.

Hos nimirũ Liuius in quadragesimosexto descripsit. Verùm quid ipsi gesserint, diuinare non licet: quoniam abbreuiator in eo libro multa commemorat illo tempore gesta cum Eumene, Ptolemæo, Ariarathe, & Antiocho regibus: sed sub quibus Coss. incertũ est. Si tamẽ diuinare licet, ut ex Velleio Paterculo discimus, circa id tẽpus post uictum captumq; Perseum, qui quadriennium pòst in libera custodia Albæ decessit: Pseudophilippus, à mendacio simulatæ originis appellatus, qui se Philippum, regiæq; stirpis ferebat, cum esset ultimæ, armis occupata Macedonia: assumptis regni insignibus, breui temeritatis pœnas dedit. Quippe Metellus prior, cui ex uirtute Macedonici nomen inditum erat, præclara uictoria ipsum gentemq; superauit, & imnani etiam Achæos rebellare incipientes fudit acie. 589

Gracchus, Hemus, Talua.

2 T. SEMPRONIVS, II. ET M. IVVENCIVS.

Meminit horum Coss. Iulius Obsequens, qui plurima & horrenda recenset prodigia, quę his Coss. acciderunt: Capuæ scilicet solem noctu uisum, & Pisauri, Cęre porcum humanis manibus & pedibus natum. Et pueros quadrupedes & quadrumanes natos. In Stellati agro ueruecum de grege partem exanimatam. Tarracinæ pueros tergeminos natos. Concij hominem ex speculo acie orta combustum. Formijs duos soles interdiu uisos. Cœlum arsisse. Gabijs lacte pluisse. Fulmine pleraq; decussa in Palatio. In templum Victoriæ cygnum illapsum, per manus capientium effugisse. Priuerni puellam sine manu natam. In Cephalenia turbam in cœlo canere uisam. Procellosa tempestate tecta diruta, stragesq; agrorum factas, crebrò fulminasse. Fuit autem is T. Sempronius Gracchus, pater T. & C. Gracchorum. Cui quanq̃ duobus consulatibus, duobusq; triumphis, & insuper censuræ gloria, magna dignitas aderat, plus tamen ex uirtutibus, q̃ magistratibus, dignitatis assequutus fuit. Vxorem habuit Corneliam, Scipionis Africani filiam, ex qua duodecim filios reliquit, ut Plutarchus pulcherrimè indicat. Vide de hoc Sempronio Graccho Pliniũ iuniorem, titulo quinquagesimoseptimo. Plinius in libro septimo, capite quinquagesimo tertio tradit, M. Iuuencium Taluam Consulem, cum sacrificaret, expirasse. Val. Max. libro nono, de Morte non uulgari: M. Iuuencius Talua, collega Tiberij Gracchi Consulis iterum, cum in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis literis, decretas ei à Senatu supplicationes nunciãtibus, intento illas animo legens, caligine orta ante foculum collapsus, mortuus humi iacuit. 590

Nasica, Siculus.

3 P. SCIPIO, ET GN. MARTIVS.

Iulius Obsequens horum Consulũ meminit: pluraq; sub ijs prodigia accidisse scribit. Ac Gn. Octauiũ legatum in Syria, per Lysiam, tutorẽ Antiochi pueri, in gymnasio occisum. Huius Antiochi abbreuiator Liuij in quadragesimosexto meminit. Prodigia autem quę Obsequens narrat, hæc sunt: P. Scipione Nasica, & Gn. Martio Coss. Anagniæ cœlum nocte arsit, fulmine pleraq; decussa. Frusinone bos loquutus. Reate mulus tripes natus. 591

Valerius, Strabo.

4 M. MESSALA, ET C. FANNIVS.

Horum Coss. meminit Suetonius de claris Rhetoribus in præfatione, in hæc 592

uerba:

Ab urbe con. uerba: C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss. M Pomponius Prætor Senatum consuluit, quòd uerba facta sunt de philosophis & rhetoribus. De ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius Prætor animaduerteret curaretq;, ut si ei è Repub. fideq; sua uideretur, uti Romæ ne essent. De eisdē interiecto temporis Gn. Domitius Aenobarbus, L. Licinius Crassus Censores ita edixerunt: Renunciatum est nobis, esse homines qui nouū genus disciplinæ instituerunt, iuuentus ad quos in ludum conueniat: eos sibi nomen imposuisse, latinè scilicet Rhetores: ibi homines adolescentulos totos dies desidere: & maiores nostri, quæ liberos discere, & quos in ludos intrare uellent, instituerūt. Hæc noua, quę præter cōsuetudinē ac morē maiorū fuerūt, neq; placēt, neq; recta uidenī. Quapropter & ijs qui eos ludos habēt, & ijs qui eò uenire consueuerunt, uidetur faciundū, ut ostendamus nostrā sententiā uobis nō placere. Vnde & Cornelius Tacitus in dialogo Oratorū, reprehendens peruersum ordinē docēdi, inquit: At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenam scholasticorū, qui Rhetores uocantur: quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse maioribus nostris, ex eo manifestū, q M. Crasso & Domitio Censoribus, cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiæ iussi sunt. Huius Fannij meminit Plinius libro decimo, capite quinquagesimo, his uerbis: Gallinas saginare Deliaci cœpere. Hoc primū antiquis cœnarū inter dictis exceptum inuenio iam lege C. Fannij Cos. undecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid uolucrum proponeretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis. Hunc arbitror esse Fannium Cōsulem, qui cum legatis Romæ Iudæorū pacem & amicitias fecit, & ueterem societatem renouauit, ut Iosephus scribit tredecimo Antiquitatum, capite decimosexto.

Gallus, Cethegus.

L. ANITIVS, ET M. CORNELIVS. CLV.

593 Pontinas Paludes à Cornelio Cethego Consule, cui ea prouincia euenerat, siccatas, abbreuiator ex quadragesimosexto Liuij colligit, agrumq; ex ijs factum. L. autē Anitius Gentium Illyriorum regem deuicit.

Dolabella, Nobilior.

GN. CORNELIVS, ET M. FVLVIVS. 2

594 Inquire lector, quid huic lacunæ inseras: ego nihil nihil inuenire potui memoratu dignum.

Lepidus, Lænas.

A. AEMILIVS, ET C. POMPILIVS II. 3

595 Horum Coss. meminit Censorinus in libello de Die natali, ubi explicat ludos Seculares. Diffiniens quid sit seculum, sic scribit: Sed nostri maiores, quòd natura seculū quantū esset, exploratum non habebant, ciuile ad certū annorum modulum, annorū centum statuere. Testis est Piso, in cuius annali septimo sic scriptū est: Roma condita anno quingentesimo quinquagesimo, seculum accipit his Coss. (subaudi P. Valerio Publicola IIII. & T. Lucretio II. Coss. sub ijs enim primi fuerunt ludi Seculares: de quibus non ambigitur. Secundi autē Seculares ludi, ob corruptum & uitiatū exemplar Censorini, non satis certè constant: nec tertij. De quartis inferius certiora paulisper. Ob id uerba Censorini quæ sequuntur, uix à quopiam intelliguntur, ita sunt deprauata) qui proximi sunt Coss. M. Aemilius, M. filius Lepidus, C. Pōpilius absens. De hinc reddit rationem huius numeri centenarij. Vide illic. Meminit horum & Plinius libro trigesimoquarto, capite sexto, his uerbis: L. Piso prodidit, M. Aemilio & C. Pompilio II. Coss. à Censoribus P. Cornelio Scipione, & M. Popilio, statuas circa forum, eorum qui magistratus gesserant, sublatas omnes, præter eas quæ populi aut Senatus sententia statutæ essent.

His Coss. metalla in Macedonia instituta.

De Macedonia & eius partibus ac nominibus, si semel uis omnia rectè intelligere, adi Strabonem in septimo.

SEX.

Cæsar, *Horestes.*

4 SEX. IVLIVS, ET L. AVRELIVS.

Plinius libro trigesimotertio Naturalis historiæ, capite tertio, horum Coss. in hæc uerba meminit: Auri in ærario pop. Ro. fuere, Sex. Iulio, L. Aurelio Coss. septē annis ante bellū Punicū tertium, pondo septingenta uigintisex, argenti nonaginta duo millia: & extra numerū, treceti & septuaginta quinq; millia. Sed hi numeri adeò corrupti sunt, ut ridiculū foret credere, ærariū Romanū fuisse tam inops. Ob id in antiquo exēplari legit: Auri in ærario pop. Ro. fuere, Sex Iulio, L. Aurelio Coss. septem annis ante bellū Punicū tertiū, pondo sedecies octingenti, & decē argenti, XXII. Septuaginta, & in numerato LXII. octoginta quinq; & quadringenta. 596

Figulus.

CLVI. L. LENTVLVS, ET C. MARTIVS.

Horum Coss. meminit Iulius Obsequens, qui multa prodigia sub ijs accidisse scribit, ac Dalmatas Scordis superatos. Procellosa scilicet tempestate in Capitolio ędē Iouis, & circà, quassatā. Pontis maximi tectū cum columnis in Tiberim deiectū. In circo Flaminio porticū inter ędem Iunonis reginę, & Fortunæ tactam: & circà edificia pleraq; dissipata. Taurū, ad immolationē cū duceretur, ob hæc ipsa corruisse. Abbreuiator libro quadragesimoseptimo inquit: Gn. Martius Consul aduersum Dalmatas parum prospere primū, postea feliciter pugnauit. Cum quibus bello cōfligendi causa fuit, q Illyrios pop. Ro. socios uastauerant. Hoc bellum sic describit Appianus in Illyrico: Dalmatæ Illyriorū diuersa natio, Illyrios Romanis obsequentes inuaserant, & legatos Romanorū eam ob causam ad eos uenientes minimè admiserūt. Quā ob rem uident Romani aduersus illos sumpsisse arma, M. Figulo Cōsule ducente. Athi Figulo q primū inferente copias, custodias aggressi, superarunt, easq; ab exercitu in campū pepulerunt, ita ut ad Naronē usq; fluuiū fuga peruenerint. Verùm ijdē retrouertère gradum. Iam enim instabat hiems. Figulus ratus eos inoppinè aggredi posse, discurrētes undiq; ad eius impetū ex oppidis offendēs, in fugā uertit: donec ad Vrbē Delminiū, à qua Dalmatarū nomen illis inditū, terga dare cōpulit. Cum nihil ex impetu aduersus munitā urbē conari, neq; machinas ob altitudinē adhibere posset, ad alias excursiones se cōuertit. Destitutis omnibus, & inhospitis, ob insultus in Delminium factos, ipse bicubitas sudes pice ac sulphure stupaq; cōponens, ex catapultis in Delminium iacit. Quæ ab impetu succensæ, & lampadarum uice per inane uolitantes, quęcunq; attigissent, igne corripiebant. Ita multa à flammis absumuntur. Eoq; modo finis belli à Figulo Dalmatis imponitur. 597

Nasica, *Marcellus.*

2 P. SCIPIO II. M. CLAVDIVS.

Abbreuiator Liuij quadragesimo septimo libro scribit, Illyricam gentem à Cornelio Scipione Nasica Consule perdomitam. 598

3 L. POSTHVMIVS, ET Q. OPIMIVS.

De ijs Coss. Iulius Obsequens hæc scribit: In prouinciā proficiscens Posthumius Cōsul, cū immolaret, in plurimis uictimis caput in iocinore nō inuenit: profectusq;, post diē septimū æger Romā relatus, expirauit. Consę arma uolare in cœlo uisa. Fulmine pleraq; decussa. A' Gallis & Lusitanis Romani per arma grauiter uexati. Abbreuiator Liuij libro quadragesimoseptimo: Q. Opimius Consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Antipolim & Niceam uastabant, subegit. 599

Nobilior, *Fusus.*

4 Q. FVLVIVS, ET T. ANNIVS. 600

Hi primi Coss. Calendis Ianuarijs magistratum inierūt, propter subitum Celtiberiæ bellum.

Abbreuiator Liuij lib. quadragesimoseptimo: Cōsules anno quingētesimo nonagesimooctauo ab Vrbe condita, magistratū peractis comitijs insequentis anni Coss. creatis inire cœperunt. Mutandi comitia causa fuit, q Hispani rebellabant.

Ab urbe cond. Marcellus, Flaccus.

M. CLAVDIVS III. ET L. VALERIVS.

601 His Coss. ut Iulius scribit, turbinis ui in campo columna ante ædem Iouis decussa cum signo aurato. Cumq; aruspices respondissent, magistratuum & sacerdotum interitũ fore, omnes magistratu se protinus abdicauerunt, quòd Ariciæ lapidibus pluerat: ita supplicatio habita, quòd Romæ multis locis species togarum uisæ appropinquantium oculos eludebant. In Lusitania uariè, in Gallia prosperè pugnatum. Abbreuiator Liuij libro quadragesimooctauo, recenset semina tertij Punici belli sub id tempus iacta. Sub quibus tamen Coss. quia Liuium non uidi, diuinare nolo. Amisit sub id tempus filium M. Cato: & Andriscus, qui se Persei filium ementiebatur, hoc tempore Romam est missus. Qui qualem fabulam ipse de se finxit, in quadragesimonono abbreuiator explicat. De ueneficijs quoq; quæsitum. Publia & Licinia, nobiles fœminæ, quæ uiros suos necasse insimulabantur, cognita causa, cum Prætori prædes uadesq; dedissent, cognatorum decreto necatæ sunt. De M. Claudio Marcello sic scribit Cicero in oratione contra L. Pisonẽ: M. Marcellus, qui ter Cõsul fuit, summa uirtute, pietate, gloria militari, perijt in mari: qui tamen ob uirtutem gloriæ laudẽ uiuit. Fuit autem M. Marcelli nepos, eius qui Punico bello secundo Syracusas uicit, & quinq; consulatus adeptus est. Hic autem perijt naufragio ad ipsam Africam, paulo ante cœptum Punicum bellum tertium, ut Pedianus scribit. Idem cum statuas sibi, ac patri itemq; auo poneret, in monumentis aui sui, ad honoris ac uirtutis decorem, subscripsit: Hi Marcelli nouies Coss. auus quinquies, pater semel. Itaq; neq; mentiatus est, & apud imperitiones patris sui splendorem auxit.

Lucullus, Albinus.

L. LICINIVS, ET A. POSTHVMIVS. 2

602 His Coss. teste Orosio libro quarto, capite uigesimo, cum omnes Romanos ingens Celtiberorum metus inuasisset, & ex omnibus non esset qui ire in Hispaniam uel miles uel legatus auderet, P. Scipio, qui postea Africanus est dictus, ultrò sese militaturum in Hispaniam obtulit: cum tamen in Macedoniam sorte iam deputatus esset. Itaq; profectus in Hispaniam, magnas strages hominum dedit: sæpius etiam militis quàm ducis officio usus. Nam & Barbarum prouocantem singulariter cõgressus occidit. Sergius autem Galba Prætor à Lusitanis magno prælio uictus est: uniuersoq; exercitu amisso, ipse cum paucis uix elapsus, euasit. Hoc tempore Censores theatrum lapideum in Vrbe construi censuerunt. Quod, ne tunc fieret, grauissima oratione Scipio Nasica dissuasit. Hæc eadem Eutropius libro quarto, capite secundo. Quæ omnia Liuius quadragesimooctauo libro complexus est, ut ex abbreuiatore colligitur. L. Licinius Lucullus, A. Posthumius Albinus Coss. cum delectum seuerè agerent, nec quenquam gratia dimitterent, à Tribunis plebis, qui pro amicis suis uacationem impetrare non potuerunt, in carcerem coniecti sunt. Hispaniense bellum cum parum prosperè aliquoties gestum, ita confudisset ciuitatem Romanã, ut ne hi quidem inuenirentur, qui aut Tribunum exciperent, aut legati ire uellent, P. Cornelius Aemilianus processit: & se excepturum militiæ genus, quodcunq; imperatum esset, professus est. Quo exemplo ad militandi studium omnes incitauit. L. Lucullus Cos. qui Claudio Marcello successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos cum uideretur, Vacceos, Cantabros, & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Aemilianus, L. Pauli filius, Africani nepos & adoptiuus, prouocatorem barbarum Tribunus militum occidit, & in expugnatione captæ Vrbis maius multo etiam periculum adijt. Nam murum primus omnium transcendit. Subdubito etiam, an sub ijs, an sequentibus Coss. Carthaginenses aduersum fœdus Masinissæ bellum intulerint, uictiq; ab eo sint, agente iam nonagesimumsecundũ annum, & sine pulpamine mandere & gustare cibũ solito, unde Romanũ bellũ meruerũt, quia, ut Appianus in Libyco scribit, fœdera inter

utrosq; icta, per annos quinquaginta mansere, quo potissimum tempore Carthago floruit. Hucusq; autẽ tot anni numerantur. Orosius enim hos Coss. scribit factos anno ab Vrbe condita sexingentesimo. Id quod etiam Eutropius fatetur. Ab Vrb. con.

Flaminius, Balbus.

3 T. QVINTVS, ET M. ACILIVS. 604

Arbitror sub his Coss. Carthaginensibus bellum indictum, quòd cõtra fœdus naues haberent, & extra fines exercitum duxissent: & q eius filium Culussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum minimè recepissent: quemadmodum ex quadragesimonono Liuij abbreuiator obseruauit. ubi etiam ponitur consultatio de bello aduersus Carthaginẽses suscipiẽdo: & discordia M. Catonis & Scipionis Nasicæ, de qua uide Plutarchum in uita Catonis senioris, in fine. Vide præterea Plinium libro decimoquinto Naturalis historię, cap. decimooctauo.

Censorinus, Duellius, al. Manilius.

4 L. MARCIVS, ET M. MANLIVS. 605

His Coss. exortum est insigne illud Punicum bellum tertium, quod Liuius quadragesimonono, quinquagesimo, & quinquagesimoprimo libris explicuit, si extarent: & Appianus in libro cui titulus est Libycus, qui horũ Coss. meminit: Florus in secundo libro, titulo quintodecimo, ubi hi quoq; Coss. nominantur, cum serie rerũ gestarũ: apud Paulum item Orosium libro quarto, capite uigesimoprimo: atq; Eutropium libro quarto, capite tertio. Vterq; Carthaginis sitũ describit, & quid sub ijs Coss. gestum sit: sed pulchrius Appianus, apud quem ordine ista leges quæ quadriẽnio acta. nam & priori anno sunt huius belli semina iacta. In immẽsum opus cresceret, si singula subscriberẽ: satis sit digito indicare, ubi ea inuenias, candide lector. Velleius Paterculus horum Coss. sic meminit: Ante trienniũ quàm Carthago deleretur, M. Cato perpetuus diruendæ eius auctor, L. Censorino, M. Manlio Coss. mortem obijt. Sed de causis itẽ belli, uide quę Plinius libro decimoquinto Naturalis historiæ scribat. Capite decimooctauo, & decimonono, Carthaginis meminit. Abbreuiator autem Liuij inquit: Tertij belli Punici initium altero & sexcentesimo anno ab Vrbe condita (quod ego intelligo superiori cõsulatu Licinij & Posthumij factũ, dum Carthaginenses Masinissæ bellum inferrẽt) intra quintum annum, quàm erat cœptum, consummatũ omnino est. Plinius item libro uigesimosecundo, capite sexto, Manilij Consulis meminit, sic scribens: Aemilianum quoq; Scipionem Varro autor est donatum obsidionali in Africa Manilio Consule, cohortibus seruatis, totidemq; ad seruandas eas eductis. In abbreuiatore Liuij uterq; Consul nominatur, & ipsorum res gestæ. Sub ijs Coss. ut Liuius in quadragesimonono scribebat, Diti patri ludi Seculares ad Tarentum, ex pręcepto librorũ Sibyllinorum facti: qui anno primo primi Punici belli, quingentesimo & altero anno ab Vrbe condita, facti erãt. Sed hoc quoque eget examine. Nam neq; apud Liuij abbreuiatorem (quandoquidem hoc loco deficit ipse autor) neque apud Censorinũ, qui de Secularibus ludis egit diligẽtissimè, inuenies primo anno primi belli Punici esse actos ludos Seculares, sed anno eius belli fermè sedecimo: hoc est, anno Vr. con. quingentesimoquarto, P. Claudio Pulchro, L. Iunio Paulo Coss. A' quorum consulatu in hunc præsentem numerantur centũ anni: cum hic sit sexingentesimusquartus annus, quo Solinus tertium Punicum bellum dicit incœptum: non sexingentesimo altero anno, ut Orosius & Eutropius putant. Sed audiamus Censorinum de ijs ludis scribentem sic in libello Natalitio: De quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias enim & Varro & Liuius, relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manlio Coss. post Romam conditam anno sexingentesimosecũdo. At Piso Censorinus, & Gn. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore uiuebat, post annum factos tertium scribũt, Gn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Coss. idem anno sexingentesimoquinto. In Quindecimuirorum autem cõmentarijs notantur sub annis sexingentis uigintisex ab Vr. con. Aemilio

Ab urbe milio Lepido, L. Aurelio Horeste Coss. ut intrà patebit. Erūt igitur numeri castigan *Olympiad.*
con. di, qui pasim in omnibus exemplaribus sunt corrupti, hoc modo dicto.

Piso.

605 SP. POSTHVMIVS, ET L. CALPHVRNIVS. CLVIII

In opusculo Coss. Orosij hoc loco Coss. nomina scribuntur, MAGNO, ET CESO-
NIANO. si fortè ita cognominati hi Coss. Quorum & Iulius Obsequēs mentionem
in libello Prodigiorum facit, sic scribens: Sp. Posthumio, L. Pisone Coss. uasto incen
dio Romæ, cum regia quoq; ureretur, sacrariū, & ex duabus altera laurus ex medijs
ignibus inuiolata est, & erunt. Pseudophilippus deuictus. De quo Liuius libro quin-
quagesimo: Ex his Calphurnius missus in Africā cum L. Mancino præfecto classis,
Carthaginenses acri obsidione cinxerunt. licet ex Mancini temeritate pęnè clades
Romanis accidisset ingens, si non Scipio prouidisset, ut latè Appianus describit. Est
igitur Florus examinandus, qui scribit: Mancino deinde Consule, terra mariq; ferue
bat obsidio. cum Mancinus pręfectus classis fuerit, nō Consul, teste Appiano. Memi
nit autem & Calphurnij Pisonis Cos. Appianus in Libyco, & Mancini classis præ-
fecti; & quid hoc consulatu gestum sit in Libya, pulchre explicat.

Aemilianus, *Drusus.*

606 P. AFRICANVS, ET C. LIVIVS. 2

Hic P. Scipio in familiam Corneliam, cum P. Aemilij esset, adoptatus, & hinc Ae
milianus dictus, cum ædilitatem peteret, Consul est à populo dictus. Quoniā per an-
nos Consulem fieri minimè liceret, cum maximo certamine suffragantis legis, & re-
pugnantibus aliquantulum patribus, legibus solutus, & Consul creatus est: ut Appia
nus, & abbreuiator Liuij in quinquagesimo libro, attestantur. Hic est à deuicta po-
stea Carthagine, more aui sui, Africanus dictus. De quo Cato dicere solebat, teste
Plutarcho, illud Homericum: Iste sapit solus, reliqui uelut umbra uagātur. Nam Pau
lus Aemilius, teste Plutarcho, ex quatuor filijs, formæ insignis, egregiæ indolis, duos
iure adoptionis in Corneliam Fabiamq; gentem sibi ipse denegauit, duos ei fortuna
abstulit: ut mirandum sit quo pacto Appianus ausus sit scribere, hunc filiū fuisse Sci-
pionis ab Antiocho captum, & libertate donatum. Cui omnes alij historici contrarij
sunt. quandoquidem P. Scipio Scipionis Aemiliani auus fuit genere, cum eius filius
hunc adoptasset, ut ex Plutarcho & Cicerone liquet. Quomodo autem iste Scipio tu
tor factus sit filiorum Masinissę, & quomodo urbem Carthaginem cæperit, & euer-
terit, & de ea triūphauerit, Appianus abundè in Libyco, et abbreuiator Liuij in quin
quagesimoprimo. Meminit & horū Coss. Iulius Obsequens in libello Prodigiorum:
sed alterum Consulem Lælium appellat, non Liuium (ut in alterutro appareat esse
menda) sic scribēs: P. Africano & C. Lælio Coss. Amiterni puer tribus pedibus, una
manu, natus. Romę, & circà, fulmine pleraq; icta. Cęre sanguinis riui terra fluxerūt,
& nocte cœlum ac terra ardere uisum. Frusinone aurum sacrum mures adroserunt.
Lanuuij inter horam tertiam & quintam duo discolores circuli solem cinxerunt: ru-
bente alter, alter candida linea. Stella arsit per dies trigintaduos. Et cum obsideretur
Carthago in captiuos Romanorum per Hasdrubalem barbaro more sęuitum. Mox
Carthago per Aemilianum diruta. Meminit aūt & horum Coss. Appianus in Liby
co: & ordine, quid sub ijs gestum sit, enarrat: in primis quomodo Scipio consulatum
adeptus sit contra leges, cum ædilitatē peteret. Velleius Paterculus de Scipione hæc
tradit: Sub idem tempus magis quia uolebant Romani quicquam de Carthaginen-
sibus dicebatur credere, quàm quia credenda afferebantur, statuit Senatus Carthagi
nem excindere. Ita eodem tempore P. Scipio Aemilianus, uir auitis P. Africani, pa-
ternisq; L. Pauli uirtutibus simillimus, omnibus belli ac togę dotibus, ingenijq; ac stu
diorum eminentissimus seculi sui: qui nihil in uita non laudandum & fecit, & dixit,
ac sensit, quem Paulo genitum, adoptatum à Scipione Africani filio diximus. Aedi-

Olympiad. litatem petens, Cõsul creatus est. Bellum Carthagini iam ante biennium à prioribus Ab urbe con.
Coss. inlatum, maiore ui intulit, cum antè in Hispania murali corona, in Africa obsidionali donatus esset: in Hispania uerò etiam ex prouocatione ipse immodicus uirium immanis magnitudinis hostem interemisset: eamq; urbem magis inuidia imperij, quàm ullius eius temporis noxę inuisam Romano nomini, funditus sustulit. Fecitq; uirtutis suæ monumentum, quod fuerat aui eius clementiæ. Sed attende quid subiungat libro secundo: Potentiæ, inquit, Romanorum prior Scipio uiam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. quippe remoto Carthaginis metu, sublataq; imperij æmula, non gradu, sed præcipiti cursu à uirtute descitũ, ad uitia transcursum. Vetus disciplina deserta, noua inducta. In somnum à uigilijs, ab armis ad uoluptates, à negocijs in ocium conuersa ciuitas. T. Scipio Nasica in Capitolio porticus, tum Metellus in Circo, Gn. Octauius multo amœnissimã moliti sunt: publicamq; munificentiam sequuta priuata luxuria est.

Lentulus, Achaicus.

3 CN. CORNELIVS, ET L. MVMMIVS. 607

His Coss. teste Orosio libro quarto, capite uigesimosecundo, P. Scipio superioris anni Cõsul, delere Carthaginem suprema sorte molitus, Cothonem ingreditur. Vbi dum sex continuis diebus ac noctibus pugnatur, ultima Carthaginensis desperatio traxit ad deditionem, petentes, ut quos belli clades reliquos fecisset, saltem seruire liceat. Vrbs ipsa decem & septem diebus cõtinuis arsit, miserumq; spectaculum de uarietate conditionis humanæ uictoribus suis præbuit, omni murali lapide in puluerẽ comminuto, anno septingentesimo quo condita est. Ita quarto anno, postquam cœptum fuit bellum Punicum tertium, exterminatum est. Quod graphicè descriptum leges apud Appianum in Libyco. Meminit horum Coss. Velleius Paterculus in hæc uerba (quæ tamen in numeris auguror esse deprauata, ut ferè ubiq; sunt) Carthago diruta est, cum stetisset annis DCLXVIII. abhinc annos CCLXXVII. Gn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coss. Hunc finem habuit Romani imperij Carthago æmula, cum qua bellare maiores nostri cœpere Claudio & Fuluio Coss. ante annos CCXCVI, quàm tu M. Vinici consulatum inires. Ita per annos CXV, & bellum inter eos populos & belli præparatio, & infida pax fuit. Neq; se Roma iam terrarũ orbe superato, securam sperauit fore, si nomen usq; stantis maneret Carthaginis: adeò odium ex certaminibus ortum, ultra metum durat, & ne in uictis quidem deponitur: neq; antè inuisum esse desijt, q̃ esse desijt. Est & eodem anno sub ijs Coss. teste Orosio lib. 5. cap. 1. Corinthus, Achaiæ urbs potẽtissima, euersa, duce Mummio, qui de ea triũphauit, & Corinthia uasa cum multis signis in Vrbem intulit. Quod bellũ uulgò Achaicum dicitur, pulchreq; describitur à Iustino lib. 34. & L. Floro lib. 2. titulo 16. Sed ibi scribit Metellus Consul, quem Orosius & Eutropius lib. 4. cap. 3. Prætorem, non Consulem appellant: & historiam ipsam pulchrè & breuiter enarrant, quomodo Corinthus sit destructa, & æs inde Corinthiũ, & uasa Corinthia dicta. Verùm Orosius hunc annum sexingentesimumsextũ uocat, cũ sit sexingentesimusseptimus. Similis penè error est in abbreuiatore Liuij lib. 52. ubi hoc bellum continetur. Hic perperam scriptũ est, Ad Isthmum à L. Manlio Consule uictus est, cum L. Mummio scribi debet. Velleius Paterculus sic de hoc bello scribit: Vniuersa deinde instincta in bellum Achaia, cũ pars magna Metelli Macedonici uirtute, armisq; fracta erat, maximè Corinthijs in arma cum grauibus etiã in Romanos contumelijs instigantibus, destinatus ei bello gerendo Cos. Mummius. Subiungit paulo pòst: L. Mummius Corinthum post annos DCCCCLII. quàm ab Alete Hippotis filio erat cõdita, funditus eruit. Dehinc comparat Scipionem Mummio, dicẽs: Vterq; Imperator, deuictæ à se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus. Nec quisquam ex nouis hominibus prior Mummio cognomen uirtute partum uindicauit. Diuersi imperatoribus mores, diuersa fuere studia. Quippe Scipio tam elegans liberaliũ studiorum, omnisq;

doctrinæ

doctrinæ & autor & admirator fuit, ut Polybium, Panætiumq́, præcellenteis ingenio uiros, domi militiæq́ secum habuerit. Neq; enim quisquā hoc Scipione elegantius interualla negotiorum ocio dispunxit, semperq́ & belli & pacis seruijt artibus. Semper inter arma ac studia uersatus, & corpus periculis, & animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici cōducentibus, si eas perdidissent, nouas eos reddituros. quanquam satius fuerat pro Rep. manere adhuc rudem Corinthiorū intellectum, q̄ in tantum ea intelligi: neq; dubiū quin hac prudentia, illa imprudentia decori publico fuerit conuenientior. Sunt eodem penè tempore tres triumphi acti. Africanus de Carthagine, Mummius de Corintho, Q. Cæcilius Metellus de Andrisco (qui Pseudophilippus dicebatur uulgò) triumphauit. De quo abbreuiator Liuij lib. 50. Florus lib. 2. titulo decimoquarto, hoc bellum describit, & Macedonicum tertium appellat: à quo Q. Cęcilius Metellus, qui tunc Prætor hoc confecit, Macedonicus dictus est: autore Plinio iuniore de Viris illustribus, titulo sexagesimoprimo. Est hoc in loco admirandum, incidere tantam diuersitatem inter autores illustreis. Appianus in fine Libyci tradit, triumphum Africani & Mummij centesima & sexagesima Olympiade factum. Sed timeo translatoris indiligentiam, quæ toto opere sentitur. Plinius lib. 34. cap. 2. scribit excisam Corinthum anno tertio centesimæ Olympiadis sextæq́ & quinquagesimæ, qui fuit urbis Romæ sexcentesimus octauus: quod minimè procedit. Nam si de centum & quinquaginta sex Olympiadibus sex ante conditam Vrbem sustuleris, ut debes, remanebunt centum & quinquaginta Olympiades. Hæ constituēt annos sexingentos, non amplius. Verior est apud Eusebiū supputatio hoc loco, qui scribit, q Olympiadis centesimæ quinquagesimæoctauæ, anno tertio, Carthago in ditionem Romanorū per Scipionem redigatur, habens à conditione sui annos sexingentos sexagintaocto: ut uerò alij affirmant, septingentos quadragintaocto. Quod licet Liuio sit contrarium, uero tamen est propinquius. Sed parem diuersitatem autorum tradit Orosius quoq; de bello Achaico, de numero occisorum, inter Claudium historicum, Valerium Antiatem, & Polybiū. Hi si extarent, errores huiusmodi facile tollerentur. Si tamen consulatus Cassiodori, ut credo, bene procedunt, erit hic annus Vrbis cond. sexingentesimusseptimus: qui erit tertius annus Olympiadis cētesimæ quinquagesimæoctauę. Ideo calculus Plinij uno anno deficit. Sed Olympiades non sunt iustè annotatæ. Nā & Solinus rectè tradit, hoc tertium Punicum bellum sexingentesimoquarto, non altero, inchoatum: & intra quatuor annos confectum, omnes produnt. Erit itaq; sexingentesimusseptimus hic annus. Illud addendum censeo, quod Plutarchus in Mario scribit, L. Memmij (Sic enim Gręci hunc appellant) qui Corinthum deleuit: tertium nomen dicere non possumus. Nam Achaicus huic, ut Africanus Scipioni, ut Metello Numidicus, ex re gesta, agnomen fuit. Vbi pulchra quædam leges de nominibus Romanorum. Meminit horum Cōsulum Censorinus de Die natali, ubi de ludis Secularibus agit, ut paulo antè scripsimus.

Aemilianus, *Mancinus.*

608 Q. FABIVS MAXIMVS, ET L. HOSTILIVS. 4

Iste est Fabius Maximus Aemilianus, Pauli Aemilij filius, quē pater in familiam Fabiam adoptandum dedit, ut Plutarchus testatur. Mancinus autem is est, qui pręfectus classis bello Punico tertio fuit. Quid hoc anno gestum, quia Liuium nō habeo, temerarij scriptoris infamiā incidere nolo. Hoc constat, Fabium Consulem magnam partem Lusitaniæ recuperasse, multis urbibus recuperatis.

Galba, *Cotta.*

609 SER. SVLPITIVS, ET L. AVRELIVS. CLIX

Per hæc tempora motus Syriæ, & bella inter reges Demetrium & Ptolemęum gesta,

Olympiad. sta, nimirum facta sunt. Cæterùm sub quibus Coss. nihil certi habeo. De his Coss. ab breuiator Liuij libro quinquagesimosecundo: Orosius libro quinto, capite secundo. De Viriato Lusitano pastore, & latrone, multa pulchra breuiter scribit, quæ nõ sunt aspernanda, & huic loco conueniunt, Velleius Paterculus libro secundo: Triste, inquit, deinde & contumeliosum bellum in Hispania, duce latronum Viriato, sequutum est. Quod ita uaria fortuna gestum est, ut sæpius Romanorum gereretur aduersa. De his Coss. Val. Max. libro sexto, titulo de Grauiter dictis & factis, sic scribens: Idem Seruius Sulpitius Galba & Aurelius Coss. cum in Senatu contenderent, uter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter P.C. dissensio esset, omnibus, quónam eius sententia inclinaretur, expectantibus: Neutrum, inquit Scipio, mihi placet: alter nihil habet, alteri nihil est satis: æquè malam licentis imperij magistram iudicans inopiam, atque auariciam. Quo dicto ut neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit. Horum atque sequentium Coss. sic meminit Iulius Frontinus de Aquæductibus: Anno ab Vrb. con. sexingentesimooctauo, Ser. Sulpitio Galba, L. Aurelio Cotta Coss. cum Appiæ Aniensisque ductus uetustate quassati, priuatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est à Senatu negocium M. Titio, qui tum Prætor inter ciues & peregrinos ius dicebat, eorum ductuum reficiendorum & uindicandorum. Et quoniam incrementum urbis exigere uidebatur ampliorem modum aquæ, eidem mandatũ à Senatu est, ut curaret, quatenus alias aquas posset, in Vrbem perduceret. Ampliores ductus Reipub. causa III. miliario fabrorum duxit, cui ab autore Martiæ nomen est. Legimus apud Fenestellam, in hæc opera Marco decretũ sextertiûm mille & octingentos. Sed quoniam ad consummandũ negotium non sufficiebat, statuit præturã in alterum annum prorogatã. Eodem tempore Decemuiri dum alijs ex causis Sibyllinos libros inspiciunt, inuenisse dicuntur, nõ esse aquam Martiã, sed Anienem. De hoc non constantius traditur, in Capitolium perduci. De eaque re in Senatu uerba faciente Lepido pro collega, actũ Appio Claudio, Q. Cæcilio Coss. Eademque post annum decimũ à L. retractata, C. Lælio, Q. Seruilio Coss. Sed utroque tempore uicisse gratiam Q. Martij Regis, atque ita esse in Capitoliũ aquam perductã. Vbi lector animaduerte et numerorum et propriorum esse lapsum. Hi enim Coss. ut mox apparebit, quinto anno, nõ decimo fuerũt: alterque Gn. Seruilius Cepio ab alijs. *Ab urbe con.*

Pulcher, *Macedonicus.*

2 AP. CLAVDIVS, ET Q. METELLVS. 610

Appius Claudius, ut ex quinquagesimotertio Liuij discimus, Salassos gentem Alpinam domuit. Et ut Orosius lib. 5. cap. 2. scribit, ubi horum Coss. mentio fit, aduersus Salassos Gallos congressus, & primùm uictus, decem millia militum perdidit: reparata pugna, quinque millia hostium occidit. Sed cum iuxta legem, qua constitutum erat, ut quisquis quinque millia hostium peremisset, triumphandi haberet potestatem: iste quoque cum triumphum expectasset, propter damna uerò superiora non impetrauisset, infami impudẽtia atque ambitione usus, priuatim cum tribus triumphauit. Horum Coss. meminit quoque Iulius Obsequens, licet alterum cõsulem P. prænominet: quod errorem esse puto. Qui scribit, sub ijs Amiterni puerũ tribus pedibus natum. Cauræ sanguinis riuos è terra fluxisse: & cũ à Salassis illata clades esset Romanis, Decemuiros pronunciasse, quod inuenirent in Sibyllinis; quoties bellum Gallis illaturi essent, sacrificari in eorum finibus oportere. Vide de hoc Appio Claudio Plutarchum in uita Gracchorum. Sed de Q. Metello sic abbreuiator Liuij libro quinquagesimotertio: Q. Cæcilius Metellus Proconsul Celtiberos cæcîdit. à Q. Fabio Consule pars maxima Lusitaniæ, expugnatis urbibus, recepta est. Florus libro secundo, titulo decimoseptimo: Metellus ille qui ex Macedonia cognomen meruerat, & Celtibericus fieri, cũ & Cantabriam memorabili cæpisset exemplo, & Versobrigis maiori gloria pepercit. De Metello sic Velleius Paterculus, libro secundo: Paucis ante Iunium Brutum

annis,

annis, qui Hispanos uicit, tam seuerũ illius Q. Macedonici in ijs gentibus imperium fuit, ut cum urbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias, eódem protinus subire iuberet, facientibusque omnibus in procinctu testamenta, uelut ad certã mortem eundum foret: non deterritus proposito, perseuerantia ducis quem moriturum miserat, militem uictorem recepit. Tantum effecit mixtus timori pudor, spesque desperatione quęsita. Hęc ille. Sed in primo libro suæ historiæ fragmentatæ inquit: Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus quæ fuere circundatę duabus ædibus sine inscriptione positis, quę nunc Octauię porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectarent, hodieque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia detulit. Cuius turmæ hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse à Lysippo, singulari talium autore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque ijs interponeret. Hic idem primus omnium Romæ ædem ex marmore in ijs ipsis monumentis molitus, uel magnificentiæ uel luxuriæ princeps fuit. Vix ullius gentis, ordinis, hominem inueneris, cuius felicitatem fortunæ Metelli compares. Nam præter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, & principale in repub. fastigium, extenuatumque uitæ spacium, & acreis innocenteisque pro repub. cum inimicis contentiones, quatuor filios sustulit: omneis adultæ ætatis uidit, omneis reliquit superstites & honoratissimos. mortui eius lectum pro Rostris sustulerunt quatuor filij, unus consularis & censorius, alter consularis, tertius Cos. quartus candidatus consulatus: quem honorem adeptus est. Hoc est nimirũ magis felicitatis de uita migrare, quàm mori. Sed de illo superius aliquoties.

Metellus, *Seruilianus.*

611 L. CAECILIVS, ET Q. FABIVS MAX. 3

His Coss. ut Iulius Obsequẽs docet, & Orosius libro quinto testatur, capite secundo, fames & pestilentia cum essent, per Decemuiros supplicatum. Lunæ androgynus natus, præcepto aruspicũ in mare deportatus. Tanta fuit Lunẽsibus pestilentia, ut iacẽtibus in publicũ passim cadaueribus, qui funerarẽt defuerint. Itaque magnæ domus uacuæ uiuis, plenæ mortuis remanserunt. largissimæ introrsum hæreditates, & nulli penitus hæredes. Deinde non solum in urbe uiuendi, sed etiam appropinquandi ad urbem negabatur facultas. tam sæui per totam urbem tabescentium sub tectis, atque in stratis suis cadauerum fœtores exhalabant. In Macedonia exercitus Romanus prælio uexatus, quia alter Pseudophilippus, ut abbreuiator Liuij in quinquagesimotertio docet, in Macedonia à L. Tremellio Quæstore cũ exercitu cæsus est. Aduersus Viriatum dubiè dimicauit pop. Rom. Nam, ut Orosius docet, Fabius Consul contra Lusitanos & Viriatum dimicans, Bacciam oppidum, quod Viriatus obsidebat, depulsis hostibus liberauit: & in deditionem, cum plurimis alijs, castellum recepit. Quingentis etiam principibus eorum, quos societate inuitatos deditionis iure susceperat, manus præcîdit. Licet Cicero Lælio hanc uictoriam tribuat, ut inferius patebit. De Fabio sic Velleius Paterculus: Metellus uirtute ac seueritate facti, at Fabius Aemilianus, Pauli exemplo, disciplinæ in Hispania fuit clarissimus.

Cepio, *Nepos.*

612 CN. SERVILIVS, ET Q. POMPEIVS. 4

Hic Q. Pompeius Consul, ut abbreuiator Liuij quinquagesimoquarto libro docet, in Hispania Termestinos subegit. Cum eisdem quidem & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit. ob id Eutropius libro quarto, capite tertio: Q. Pompeius, inquit, Consul à Numantinis, quæ ciuitas Hispaniæ est opulentissima, superatus, pacem ignobilem fecit. Velleius Paterculus libro secundo, huius Pompeij sic meminit:

Olympiad. nit: Numantia urbs nunquam X. milibus plura propriæ iuuentutis armauit. Sed uel ferocia ingenij, uel inscitia nostrorum ducum, uel fortunæ indulgentia, cùm alios duces, tum Pompeium, magni nominis uirum, ad turpissima deduxit fœdera. Hic primus è Pompeijs Cos. fuit. Nec minus turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium Cos. Sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum uerecundia: quippe non recusando perduxit huc, ut per feciales nudus, ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus: quem illi se recipere negauerunt, sicut quondam Caudini fecerũt dicentes, publicam uiolationem fidei non debere unius lui sanguine. Orosius libro quinto, capite secũdo: Pompeius Numantinorum fines ingressus, accepta maxima clade discessit: non solummodo exercitu penè omni profligato, uerumetiam plurimis nobilium, qui eius militiæ aderãt, interemptis. Viriatus cum iam quatuordecim annos Romanos duces atq; exercitus protriuisset, à proditoribus, consilio Seruilij Cepionis, est interemptus, & ab exercitu eius nobilissimè tumulatus. Deinde cum interfectores eius præmium à Cepione, ut scribit Eutropius (non Scipione, nam hoc nomen ibi corruptum est) peterent, responsum est, nunquam Romanis placuisse, imperatores à suis militibus interfici. Et ideo inquit Orosius: In hoc solo Romanis circa eum fortiter agentibus, quòd percussores eius indignos præmio iudicarunt. Hinc Velleius Paterculus inquit: Sed interempto Viriato fraude magis quàm uirtute Seruilij Cepionis, Numantinum grauius exarsit bellum. Sed quis ille fuerit Viriatus, & quot Romanos duces occiderit, abbreuiator Liuij libro quinquagesimosecundo, & L. Florus libro secundo, titulo decimoseptimo, præter Eutropium & Orosium, abundè explicant. De hoc Viriato Lusitano iunior Plinius, de Viris illustribus, titulo septuagesimoprimo. Val. Max. libro nono, capite de Perfidia, sed ibi Consul Q. Seruilius Cepio dicitur. Meminit & huius Viriati Cicero in secundo Officiorum, alios fortassis sequutus annales, sic de eo scribẽs: Viriatus Lusitanus, cui quidem exercitus nostri imperatoresq; cesserunt: quem C. Lælius, is qui sapiens usurpatur, Prætor fregit ac comminuit: ferocitatemq; eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. In Bruto quoq; hanc laudem Lælio attribuit Cicero, dicens: Viriati bello egregium fuisse Lælium repperi. Et ideo auguror sequenti consulatu Viriatum esse sub Gneo Cepione & G. Lælio superatum. Et hunc Q. Seruilium potius dici debere, non Gn. literarum prænominum confusio hanc confusionem parit. Silius Italicus quoq; huius Viriati meminit in tertio Punicorum. Iustinus uerò libro quadragesimoquarto, hoc est ultimo, Viriatum decem tantum annos fatigasse uaria uictoria Romanos scribit. Liuij uerò abbreuiator, uirum ac ducem maximum Viriatum appellat, per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superiorem fuisse. De Pompeio item tradit Velleius alio quodam loco, hæc scribẽs: Seu duæ, seu tres Pompeiorum fuere familiæ. primus eius nominis, ante annos ferè CLXVIII, quàm Pompeius cum Gn. Seruilio Cos. fuit.

CLX CN. [Q.] CEPIO SERVILIVS, ET G. LAELIVS. 613

Horum Coss. meminit Iulius Obsequens libello Prodigiorum, qui scribit sub ijs Coss. Præneste, & in Cephalenia, signa de cœlo descendisse uisa. Item mons Aetna ignibus abundauit. Prodigium maioribus hostijs quadraginta expiatum. Annus pacatus fuit, Viriato uicto. Horum Coss. mentionem fecit Iulius Frontinus de Aquæductibus, ubi de Martia aqua in Vrbem atq; in Capitolium introducta loquitur. Sed alterum Cos. Q. Seruilium, non Gneum prænomine appellat: quod & ego credo. Alioqui hic esset II. Gn. Cepionis cõsulatus. Sed quàm facilis sit lapsus in proprijs, cuiuis mediocriter erudito manifestum est.

2 CN. PISO, ET POPILIVS LAENAS.

Huius M. Popilij sic meminit abbreuiator quinquagesimoquinto: M. Popilius à 614

Numan-

Numantinis, cum quibus pacem factam, Senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusq; est.

Nasica, Brutus.

P. SCIPIO, ET DECIMVS IVNIVS. 3

615 P. Cornelio Nasicæ cognomen Serapion fuit, ab irridente Curiatio Trib. pleb.
impositum, ut abbreuiator Liuij quinquagesimoquinto explicat. Sed ijs Coss. dele-
ctum habentibus, in conspectu tyronum res saluberrimi exempli facta est. Nam
C. Matienus accusatus est apud Tribb. pleb. quòd exercitũ in Hispania deseruisset:
damnatusq; sub furca, diu uirgis cæsus est, & sestertio uenit. Tribb. pleb. quia nõ im-
petrarunt, ut sibi denos, quos uellent, milites eximere liceret, Coss. in carcerem mitti
iusserunt. Meminit horũ Coss. Cicero tertio de Legibus: Quid iuris bonis uiris Tib.
Gracchi tribuinatus reliquit: etsi quinquennio ante Decimum Brutum & P. Scipio
nem Coss. quos, & quantos uiros homo omniũ infimus & sordidissimus Tribunus
plebis C. Curiatius in uincula coniecit: quod antè factum non erat. Iunius Brutus
Cos. in Hispania ijs qui sub Viriato militauerant, agros oppidumq; dedit, quod Va-
lentia uocatum est. M. Popilius à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus ir
ritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusq; est. Iunius Brutus præterea, ut eodem
loco scribitur, Lusitaniam urbium expugnationibus usq; ad Oceanum perdomuit:
& cum fluuium Obliuionum transire nollent, raptum signifero signum ipse transtu-
lit: & sic, ut transgrederetur, persuasit. Velleius Paterculus huius Bruti meminit, præ
nomine tamen deprauato. Ante, inquit, tempus excisæ Numantiæ præclara in Hi-
spania militia Decimi Bruti fuit: (sic enim legendum) qui penetratis omnibus Hi-
spaniæ gentibus, ingenti ui hominũ urbiumq; potitus numero, aditis quæ uix erant,
Gallecij cognomen meruit. Florus libro secundo, titulo decimoseptimo: Decimus
Brutus aliquando latius Gallecios Lusitanosq;, omnis Galatiæ populos, formida-
tumq; militibus flumen Obliuionis, peragratoq; uictor Oceani litore, non prius si-
gna conuertit, quàm cadentem in maria solẽ, obrutumq; aquis ignem, nõ sine quo-
dam sacrilegij metu & horrore deprehendit. Est autem hic fluuius Obliuionis Le-
thes appellatus, à Ptolemæo Limius dictus, causa nominis, ut ait Strabo in tertio, q
cum Galli atq; Turduli socijs ad id flumen armis peruenissent, eo traiecto, seditione
orta dissidentes, eorumq; duce extincto, obliti quòd in Hispanos mouerant bellum,
iuxta flumen resedere. Lucanus in nono:

Quam iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
Infernis, ut fama trahens, obliuia uenis. Silius:
Inferni populis referens obliuia Lethes.

Porcina, Lepidus, Mancinus.

M. AEMILIVS, ET C. HOSTILIVS. 4

616 His Coss. ut Iulius Obsequens scribit, cum Lanuuij auspicarentur, pulli è cauea
in syluam Laurentinam euolarunt, neq; inuenti sunt. Præneste fax ardens in cœlo
uisa, sereno intonuit. Tarracinæ M. Claudius Prætor in naue fulmine conflagrauit.
Lacus Fucinus per multa millia passuum inundauit. In Græcostasi & Comitio san-
guine fluxit. Hostilius Mancinus Consul in portu Herculis cum conscenderet na-
uem, petens Numantiam, uox improuisè audita, Mane Mancine. Cumq; egressus,
postea nauem Genuæ conscendisset, anguis in naui inuentus, è manibus effugit.
Ipse Consul deuictus, mox Numantinis deditus. Orosius qui horum Coss. meminit
libro quarto, capite secundo: Mancinus Cõsul, inquit, postquam à Popilio apud Nu
mantiam suscepit exercitum, adeò prælia infeliciter cuncta gessit, atq; in id suprema
perductus desperatione est, ut turpissimum fœdus cum ijsdem Numantinis facere
cogeretur: quamuis & Pompeius iam aliud æquè infame fœdus cum ijsdem Numan

Olympiad. tinis paulo antè pepigisset. Senatus dissoluit fœdus, & Mancinum tradi præcipit Numantinis: qui nudato corpore, manibus post tergum reuinctis, ante portas Numantiæ est expositus. Ibi usque in noctem manens, à suis desertus, ab hostibus autem non receptus, lachrymabile utrisque spectaculum præbuit. Repete ea ex Paterculo quæ superius annotaui in consulatu Cn. Seruilij & C. Hostilij Mancini. Eadem penè Eutropius libro quarto, capite tertio: abbreuiator Liuij libro quinquagesimoquinto, & quinquagesimosexto. Val. Max. libro primo, capite de Prodigijs: Plinius iunior de Viris illustribus, titulo quinquagesimonono. Sed ibi perperam, A. Hostilius, pro C. Hostilio, scriptum est. Sed Consul fuit. Vide tertium caput quarti libri Orosij de hoc Mancino: & Florum libro secundo, titulo decimooctauo: Plutarchum in Gracchorum uita: & Plinium seniorem libro trigesimoquinto, capite quarto. Ab urbe con.

Pilo, Sarranus.

CLXI P. FVRIVS, ET SEX. ATTILIVS. 617

Commemorat horrenda prodigia sub his Coss. Iulius Obsequens, in hæc uerba: Rhegium penè totum incendio cõsumptum, sine ullo humanæ fraudis aut negligentiæ uestigio. Puer ex ancilla quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, duplici obscœno natus. Puteolis in aquis calidis riui manarunt sanguine. Fulmine pleraque deiecta. Aruspicum iussu puer crematus, cinisque eius in mare deiectus. Ab Achæis exercitus Romanus cæsus. Hoc loco animaduertendum, Eusebium in Chronicis scribere, L. Actium tragœdiarum scriptorem clarum per hæc tempora fuisse: quem natum tradit Mancino & Sarrano Coss. parentibus libertinis, & seni Pacuuio Tarenti sua scripta recitasse, &cæt. Quem imitatus est Petrus Crinitus libro primo de poetis, qui plura adijcit de hoc L. Actio tragico poeta. Sed cum hi Coss. nusquam simul legantur (priori enim anno C. Hostilius Mancinus Cos. fuit, sed collegam habuit, M. Aemilium Lepidum: hoc anno Sextus Attilius Cõsul fuit, sed collega eius P. Furius Pilo erat) ideo examinandus est liber Eusebij. Adhæc attribuit hæc Olympiadi centesimæ sexagesimæ, in qua Q. Fabius Maximus, L. Hostilius Mancinus Coss. fuerant, & alij. Sed mox in Olympiade centesima sexagesima prima, scribit bellum seruile ortum in Sicilia: quod proximo anno factum, nemo dubitat. Iccirco hæc sine errore transire nequeunt.

Flaccus, Piso.

2 SER. FVLVIVS, ET Q. CALPHVRNIVS. 618

Sub his Coss. narrat Iulius Obsequẽs, & Paulus Orosius libro quarto, capite quarto, admiranda prodigia accidisse: quæ illic in utrisque leges: longum enim esset omnia subscribere. Hinc in Sicilia bellum seruile ortum est: quod adeò graue & atrox multitudine seruorum tunc ad arma instructorum, & magnitudine uirium fuit, ut Coss. quoque terruerit. Nam septuaginta millia seruorum conspirantium fuisse, duce Euno Syro, & Cleone seruis referuntur. excepta urbe Messana, quæ seruos liberaliter habitos in pace continuit. De quo inferius uberius dicetur, ex illustrissimis auctoribus. Fuluius Flaccus Cõsul Vardeos in Illyrico subegit, ut abbreuiator Liuij quinquagesimosexto libro scribit. Huic Fuluio Consuli bellum mandatum est. Subiungit Cassiodorus post Coss. hæc uerba:

His Coss. Aemilianus Scipio ob Numantinum bellum, cum candidatus non esset, Consul creatur.

Cum initio ducum, bellum Numantinum, non sine publico pudore duraret, delatus est ultrò Scipioni Africano à S.P.Q.Ro. consulatus. Quem cum ille capere, ob legem quæ uetabat quenquam intra decem annos iterum Consulem fieri licere, minimè uellet, sicuti priori cõsulatu, legibus est solutus: ut abbreuiator Liuij libro quinquagesimosexto scribit. Si extaret uita Scipionis illius apud Plutarchum, & hæc & alia pulchriora haberemus.

P. AFRI-

Ab urbe con. 619

P. AFRICANVS, ET G. FVLVIVS.

Horum Coss. meminit Iulius Obsequens, qui multa narrat sub ijs euenisse prodigia Coss. Quæ omnino legenda sunt lectori studioso. Ceterùm is Africanus missus in Hispaniam ad euertendam Numantiam, qualiter corruptum exercitum luxuria reformauerit, priusquam hostes debellaret, docent abundè Florus libro secundo, titulo decimooctauo, de bello Numantino: Val. Max. libro secũdo, titulo de Disciplina militari: Liuij abbreuiator libro quinquagesimoseptimo: Orosius libro quinto, capite quinto: Eutropius libro quarto, capite tertio: iunior item Plinius titulo quinquagesimooctauo, de Viris illustribus. Quemadmodum autem Scipio Numantiam obsiderit, & fame confecerit, in summamq́ue demum desperationem redegerit, ut se per uices trucidarint, abbreuiator Liuij quinquagesimonono docuit: in quo scribit, captã urbem à Scipione, deletam quartodecimo anno post deletam Carthaginem, ac de ea pòst triumphasse. Quod annis aliquot pòst accidit, ut liquet. Cum uerò in Hispania Scipio esset, Romæ à Tiberio Sempronio Graccho seditio orta est, in qua occisus fuit: quam Liuius quinquagesimooctauo libro longè lateq́ue exequutus est, & Plutarchus in Gracchis, & Appianus primo Ciuilium. Velleius Paterculus: P. Scipio Africanus Aemilianus, qui Carthaginem deleuerat, post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum Consul, missusq́ue in Hispaniam, fortunæ uirtutiq́ue expertæ in Africa, respondit in Hispania: & intra annũ ac tres menses quàm eò uenerat, circundatam operibus Numantiam, excisamq́ue æquauit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariori urbium excidio, nomen suum perpetuæ cõmendauit memoriç: quippe excisa Carthagine ac Numantia, ab alterius nos metu, alterius uindicauit contumelijs. Hic eum interroganti Tribuno Carbone, quid de Tiberij Gracchi cçde sentiret, respondit: Si is occupandæ Reipub. animum habuisset, iure cæsum. Et cum omnis concio acclamasset: Hostium, inquit, armatorum toties clamore non territus, quî possum uestro moueri, quorum nouerca est Italia? Reuersus in Vrbem intra breue tempus M. Aquilio, C. Sempronio Coss. abhinc annos CL. post duos cõsulatus, duosq́ue triumphos, & bis excisos terrores Reipub. manè in lectulo repertus est mortuus: ita ut quædam elisarum faucium in ceruice reperirentur notæ. De tanti uiri morte nulla est habita quæstio: eiusq́ue corpus uelato capite elatum est, cuius opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput: seu fatalem, ut plures: seu conflatam insidijs, ut aliqui prodidere memoriæ, mortẽ obijt. Vitam certè dignissimam egit, quæ nullius ad id tempus præterquam auito fulgore uinceretur. Decessit anno fermè LVI. De quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatũ eius in quem creatus est anno XXXVI. ita dubitare desinet. Florus libro tertio, titulo decimoquarto de seditione Tiberij Gracchi: Plinius de Viris illustribus, titulo sexagesimoquarto: sed Gracchum occisum sequentibus Coss. docet. Gellius item libro secundo, capite decimotertio: & Valerius Maximus in primo de Auspicijs, mortis Gracchi meminerunt: sed clarius, quo tempore occisus sit, sub Mutio scilicet Scæuola, sequentis anni Consule, libro tertio de Fortitudine. Nonnihil etiã idem libro septimo, titulo de Sapienter dictis & factis. Vide Paulum Orosium libro quinto, capite sexto & septimo: Eutropium libro quarto, capite tertio. De Attalo Valer. Max. libro quinto, de Gratis: Abbreuiator libro quinquagesimooctauo. Sed audi quç Plinius libro trigesimotertio scribat, capite undecimo: Eadem Asia domita multo etiam grauius afflixit mores, inutiliorq́ue uictoria illa hæreditas Attalo rege mortuo fuit. Tum enim hæc emendi Romæ in auctionibus regis uerecundia exempta est, urbis anno sexingentesimo uigesimosexto, medijs quinquagesimoseptimo annis, erudita ciuitate amare etiam, & non solummodo admirari opulentiam externam: immenso & Achaicæ uictoriæ momento ad impellendos mores: quæ & ipsa hoc interuallo, anno Vrbis sexingentesimooctauo, Parthica signa et tabulas pictas in uexit, ne quid deesset, pariterq́ue

luxuria

Olympiad. luxuria nata est, & Carthago sublata, ita cōgruentibus fatis, ut liberet amplecti uitia, & liceret peccare ex dignatione. Numeri amiorum, ut in plerisq; alijs, egent examine. Præterea seruilis contagio in Sicilia multos latè prouincias infecit. Nam & Minturnis 450. serui in crucem acti. Sinuessæ ad quatuor millia seruorum à Q. Metello & Gn. Cornelio Cepione oppressa sunt. In metallis quoq; Atheniensium idem tumultus seruilis Heraclito Prætore discussus est. Sic & apud Delon serui tumultum excitarunt, ut Orosius lib. 5. docet, cap. 7. Velleius tradit, sub P. Africano, Numantino bello, Lucilij nomen celebre fuisse, ac equitem sub eo militasse: quo quidem tempore iuuenis adhuc Iugurtha, ac Marius sub eodem Africano militantes, in ijsdem castris didicere, quæ postea in contrarijs facerent. Historiarum autem scriptor iam tum Sisenna erat iuuenis: sed opus belli ciuilis, Sullaniq;, post aliquot annos ab eo seniore editū est. Vetustior Sisenna fuit Celius, ęqualis Sisennę, Rutilius, Claudiusq; Quadrigarius, & Valerius Antias. Sanè non ignoremus, eadem ætate fuisse Pomponiū sensibus celebrem, uerbis rudem, & nouitate inuenti à se operis commendabilem. Abundon.

Scæuola, *Piso.*

4 Q. MVTIVS, ET L. CALPHVRNIVS. 620

Sub his Coss. Gracchana prior seditio fuit sedata, & Tiberius occisus. Nā Mutius Consul nihil uolebat ui agere contra Gracchum. Quandoquidem, ut Plutarchus in Gracchorum uita scribit, cum Gracchus legem ferre aggrederetur, prēstantissimorū uirorum consilium adhibuit: itner quos Crassus Pontifex Maximus, & Mutius Scæuola iurisconsultus, qui per id tempus Cōsul erat, & Appius Claudius socer, fuerunt. Mutij Scæuolæ iurisperiti crebra mentio apud Ciceronem. Piso Consul succesit Fuluio, prioris anni Consuli. In Sicilia Mamercū oppidum expugnauit: ubi octo millia fugitiuorum interfecit, & patibulo affixit, ut Orosius in quinto, capite septimo scribit. Sed neq; illud obmittendum, quod Plinius tradit libro tricesimotertio, capite secundo, his uerbis: Iudicum autem appellatione separari ordinem equestrem, primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam Senatus. mox ea debellata, autoritas nominis uario seditionum euentu circa publicanos substitit, & aliquandiu tertiæ uires publicani fuere. Obserua, studiose lector, quæ Velleius scribit in secundo libro, in hæc uerba: Immanem deditio Mancini, ciuitatis mouit dissensionem. Quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi clarissimi atq; eminentissimi uiri filius, P. Africani ex filia nepos, quo Quæstore & autore id fœdus ictum erat, nunc grauiter ferens aliquid à se factum infirmari, nunc similis uel iudicij uel pœnæ metuens discrimen, Trib. pl. creatus, uir alioqui uita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus: tantis deniq; adornatus uirtutibus, quantas & perfecta & natura & industria, mortalis conditio recipit: P. Mutio Scæuola & L. Carphurnio Coss. abhinc CLXII. annos desciuit à bonis: pollicitusq; toti Italiæ ciuitatem, simul etiam promulgatis agrarijs legibus, omnibus statum concupiscentibus, summis ima miscuit, & in præruptum ac præceps periculum adduxit Rempub. Octauioq; collegæ pro bono publico stanti, imperium abrogauit. Triumuiros agris diuidendis, colonijsq; deducendis, creauit, se socerumq; suum Consularem, Appium, & Gracchum fratrem admodum iuuenem. Tum P. Scipio Nasica, eius qui optimus uir à senatu iudicatus erat, nepos, eius qui Cēsor porticus in Capitolio fecerat, filius, pronepos aūt Gn. Scipionis celeberrimi uiri, P. Africani patruus, priuatusq; et togatus cū esset, consobrinus Tiberij Gracchi, patriā cognationi præferens, & quodcūq; publicè salutare non esset, priuatim alienū existimās. Ob eas uirtutes primus omniū absens Pontifex Maximus factus, cū data lęuo brachio togę lacinio ex superiori parte Capitolij summis gradibus insistens, hortatus est, Qui saluā uellent Remp. se sequerēt. Tū optimates Senatus, atq; equestris ordinis pars melior et maior, & intacta perniciosis cōsilijs plebs, irruere in Gracchū stantē in area cū cateruis suis, & cōcientem

penè

pene totius Italiæ frequentiam, is fugiens decurrensque cliuo Capitolino, fragmine subsellij ictus, uitam quam gloriosissimè degere potuerat, immatura morte finiuit. Hoc initium in Vrbe Roma ciuilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. Inde ius ui obrutum: potentiorque habitus prior. discordiæque ciuium antè à conditionibus seruari solitæ, ferro dijudicatæ; bellaque non causis inita, sed prout merces fuit.

Lenas, Rutilius.

621 P. POPILIVS, ET P. SVLPITIVS. CLXII

Abbreuiator Liuij lib. 59. scribit, P. Attiliũ, quem debebant Rutiliũ dicere (nam error est librariorum, in Sicilia cum fugitiuis pugnasse. Priori libro similis menda inest. A. Antoniũ enim scribit contra Gracchum in Senatu perorasse. Tu lege T. Annium, non Antonium, ex Plutarcho in uita Gracchorũ. De hoc Rutilio scribit Orosius lib. 5. cap. 7. ꝙ Taurominium & Aetnam, firmissima fugitiuorũ refugia, bello receperit: ubi amplius ꝙ uiginti millia seruorum trucidata referuntur. Lege paria (licet tempora non distinguat) apud Eutropium lib. 4. cap. 3. Vide de his Coss. Val. Max. lib. 4. titulo de Amicitia, quibus mandatum erat à Senatu, ut in eos animaduerterẽt, qui cum Graccho consensissent in lege agraria ferenda. In 13. Epistolarum Cicero ad Atticum meminit L. Popilij & P. Rutilij Coss. si codex est emaculatus: quos esse hos iudico. Horum item Consulum meminit Velleius Paterculus in hæc uerba: Eadem Rutilium Popiliumque, qui Coss. asperrimè in Tiberij Gracchi amicos sæuierant, postea iudiciorum publicorum meritò oppresit inuidia.

Mutianus, Licinius, Flaccus.

622 P. CRASSVS, ET L. VALERIVS.

Sub his Coss. Aristonicus, regis Eumenis filius ex pellice Ephesia, citharistriæ filia, Asiam occupauit, cum testamento Attali regis legata po. Ro. libera esse deberet. Aduersus eum P. Licinius Crassus Consul, cum idem pon. Max. esset, quod nunquã antea factũ erat, extra Italiã profectus, prælio est uictus & captus ab hoste: qui nominis Romani memor, mori maluit, quàm ad Aristonicum perduci. præclusaque omni alia ad mortem uia, uirga qua equum regebat, abducentium uni oculum excussit, à quo in ultionem cõtinuò obtruncatus est. Caput Aristonico delatum, corpus Smyrnæ sepultũ. De hoc Liuius libro quinquagesimonono, Iustinus libro trigesimosexto. Velleius Paterculus huius historiæ sic meminit: Interim dum hæc in Italia geruntur, Aristonicus, qui mortuo rege Attalo, à quo Asia po. Ro. hæreditati relicta erat, ut relicta postea est à Nicomede Bithynia, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam occupauerat. Is uictus à M. Perpenna, ductusque in triumpho. Sed Aquilio capite pœnas dedit, cum initio belli Crassum Mutianum, uirum iuris scientissimum, decedentem ex Asia proconsulem interemisset. Vbi Crassus Proconsul, sicut à Floro Prætor nominatur. Florus enim libro secundo, titulo uigesimo, P. Crassum Pretorem dicit, qui omnibus alijs Consul dicitur, & fuit: nisi sequenti anno, quod Iulius Obsequens tradit, fuerit cæsus, quo Prætor esse potuit sequentibus Coss. De Crasso Val. Max. libro tertio, titulo de Fortitudine: Orosius libro quinto, capite octauo, qui numerat hunc annum sexingentesimum uigesimumsecundum rectè: Eutropius libro quarto, capite tertio. Strabo quoque libro decimoquarto huius Crasi & sequentium Coss. Perpennæ & Aquilij meminit, Aristonicique regis. Sed illic legitur Manlius Aquilius, pro M. Aquilio. Et quia huc faciunt, ipsius uerba Strabonis subscribamus: Post Smyrnã Leucæ oppidulum, quod Aristonicus post Attali Philometoris obitum ad defectionem perduxit: qui putans se ex regia esse stirpe, imperium sibi uendicare cogitauit. Quare ab eo excidit circa Cumanum agrum, ab Ephesis nauali prælio superatus. Ascendens in mediterraneam, hominum inopum ac seruorum ad libertatem uocatorum, quos Heliopolitanos appellabat, tumultuariã manum congregauit. Primumque Thyatira

Olympiad. Thyatira aggressus est, deinde capta Apollonide, alia castella capiebat. Sed non diu restitit. Nam continuò ciuitates exercitum miserunt. Nicomedes quoq; Bithynius, & Cappadocum reges, auxiliũ tulere. Postea quinq; legati à Romanis missi. Deinde exercitus & Consul P. Crassus, deinde M. Perpenna: qui capto Aristonico, & Romã misso, bellum absoluit. Aristonicus ipse in carcere mortuus est. Perpenna morbo absumptus. Crassus, cum quidam eum apud Leucas adorirentur, in prȩlio occubuit. Postea M. Aquilius Consul cum decem legatis missus, prouinciã in eam gubernationis formam perduxit, quæ adhuc perdurat. *Ab urb. con.*

Lentulus, *Nepos.*

3 APPIVS CLAVDIVS, ET M. PERPENNA. 623

Horum Consulum meminit Iulius Obsequẽs, qui multa prodigia sub ijs accidisse narrat. Perpẽna audita morte Crassi, raptim in Asiam peruolat. Aristonicum recenti uictoria feriantem, improuiso bello adortus, nudatum omnibus copijs in fugã uertit, dehinc ad deditionem coegit. Perpenna Consul apud Pergamum correptus morbo, diem obijt. Aristonicus ductus Romam, in carcere strangulatus est. Vide Iustinũ lib. 36. Florum lib. 2. titulo 20. Orosium lib. 5. cap. 8. Eutropium lib. 4. cap. 3. Abbreuiator Liuij libro quinquagesimonono scribit, tum primùm utrumq; ex plebe Censores factos, Q. Pompeiũ & Q. Metellum: qui censuit, ut uxores omnino liberorum creandorũ causa omnes ducere cogerẽtur. Cuius oratio in Augusti tempora usq; durauit, & cuius uerba etiam Gellius citat. Eodem tempore Ptolemæus rex ab Alexandria pulsus. Antiochus à Parthis oppressus interijt. Meminit Perpennæ Plinius libro septimo, capite quadragesimooctauo, sic scribens: M. Perpenna, & nuper L. Volusius Saturninus, omnium quos in consulatu sententiam rogauerant, superstites fuere. Perpẽna septem reliquit ex ijs quos Censor legerat. Vixit annos nonagintaocto. Qua in re & illud annotare succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo Senator nullus moreretur. Cum Flaccus & Albinus Censores lustrum condidere usq; ad proximos Censores, ab anno Vrbis quingentesimo septuagesimonono. Neq; illud transeundum, quod grãmaticum est, Perpennam eum uocari, qui larido deditus sit: quo nomine caro salsa intelligitur, teste Macrobio. Iulius autem Obsequens cum prodigia narrat quæ his Coss. euenerunt, scribit hoc tempore Asiam Attali testamento Romanis legatam: quod multo antè accidit. Vide Obsequentem.

Tuditanus, *Acilius.* *Aquilinus.*

4 C. SEMPRONIVS, ET M. AQVILIVS. 624

His Coss. ut Orosius libro quinto, capite octauo docet, P. Scipio Africanus uit in lecto mortuus repertus, quòd insectaretur grauiter rogationem Gn. Carbonis Trib. pleb. quam tulit, ut plebeij quoties libitum esset, eundem Tribunum sæpius reficere liceret. Cum Africanus dixisset, uideri sibi Tiberium Gracchum iure cæsum, qui ocium ciuitatis perniciosis rogationibus corrũperet, ut Gn. Carbo exagitare ausus esset. Quæ uox multitudinis studium ab eo uehemẽter alienauit. Creditur à Sempronia uxore, sorore Gracchorũ, ueneno clàm necatus. Repete ea de morte Scipionis, quæ ex Velleio in eius proximo consulatu excerpsimus, ubi horum Coss. fit mentio. Aquilius, teste Floro lib. 2. titulo 20. Asiatici belli reliquias confecit, mixtis ueneno fontibus, ut latè illic scribitur. Abbreuiator Liuij libro quinquagesimonono scribit: C. Sempronium Consulem contra Iapygas primò malè rem gesisse: mox uictoria cladem acceptã emendauit uirtute Decimi Iunij Bruti, eius qui Lusitaniam subegerat. Hinc Appianus primo Ciuilium, Consulem Tuditanum (qui Turdianus credo corruptè ab eo appellatur) in Illyrios ad bellum profectus scribitur, cum iudex electus esset ad decernendum, an Lex Gracchi, quam Scipio non contempsit, bene lata uideretur. Vide illic de morte Scipionis uarias opiniones.

CN. OCTA-

Ab urbe con.

Ruffus.

CN. OCTAVIVS, ET T. ANNIVS.

625 Hunc puto fuisse T. Anniū, de quo Plutarchus in Gracchis scribit, qui immodestè nimis contra Tiberium Gracchum loquutus est in Senatu. Et in abbreuiatore Liuij perperam dicitur Antonius Cōsul. Per hæc tēpora bella inter Antiochū regem Syriæ, & Phraartem Parthorum regem gesta sunt. Et res turbidæ Aegyptiorum. Ptolemæus enim Euergetes dictus, ob nimiam crudelitatem suis inuisus, incensa à pop. Ro. regia, clàm in Cyprum profugit: & cum sorori eius Cleopatræ, quam, eius filia uirgine per uim compressa, & in marimonium ducta, repudiauerat, regnum à populo datum esset, infensus, filium quem ex ea habebat, in Cypro occidit, caputq; eius & manus & pedes matri misit.

Rulla.

L. CASSIVS, ET L. CINNA. 2

626 Lector quære quod huic subijcias lacunæ. Ego inuenire nil potui, nisi quòd L. Cassius sequenti tertio anno Censor fuit.

Lepidus. Horestes.

M. AEMILIVS, ET L. AVRELIVS. 3

627 Horum Coss. meminit Censorinus de Die natali, ubi de ludis Secularibus scribit quartis, secundum commentarios Quindecimuirorū: & in libello Prodigiorū Iulius Obsequens. Et Paulus Orosius libro quinto, capite nono, scribit sub his Aetnam uasto tremore concussam, exundasse ignes globis, rupesq; uicinas adustas dissoluisse, piscesq; exanimatos supernatantes excoxisse: pluresq; homines suffocasse, qui non diffugerint. Vide alia prodigia apud Iuliū Obsequentē. Abbreuiator Liuij libro sexagesimo, scribit Aurelium Consulē Sardos subegisse. Plutarchus in uita Gracchorum, scribit Horestem Consulem in Sardiniā nauigasse, eiusq; Quęstorem fuisse C. Gracchum, Tiberij fratrem. Ibi multa de hoc Consule.

Hypseus. Flaccus.

M. PLAVTIVS, ET M. FVLVIVS. 4

628 Meminit horum Coss. Iulius Obsequēs, qui multa sub his Coss. euenisse prodigia narrat. Et Orosius libro quinto, capite decimo, pestilentiā maximā in Africa natā ex multitudine locustarū, copiose describit. Quam & abbreuiator Liuij in sexagesimo designat: & Eutropius libro quarto, capite tertio M. Plautij Hypsei (quē Iulius Obsequens corruptè puto P. Plautiū uocat) meminit. Florus libro tertio, titulo decimonono, de bello seruili in hæc uerba: Capta sunt castra Prætorum: nec nominare ipsos pudet, castra Manilij, Lentuli, Pisonis, Hypsei. Corruptè itē in Orosio Iseus dicit. Sub ijs Iulius Obsequens prodit Fregellas, quæ aduersus Romanos coniurarant, dirutas: & Ligures Sallyes trucidatos. Fortè id quod abbreuiator libro sexagesimo scribit: Fuluius Flaccus primus omniū transalpinos Ligures bello domuit. L. Opimius Prætor, Fregellanos qui defecerūt, in deditionē accepit: Fregellas diruit. Fuluius Flaccus is est, qui Triumuir pro partiendis agris præ cæteris est operari uisus, magnumq; incitamentū seditionū præbuit, ut Appianus in primo Ciuiliū scribit. Hic consulatū gerens, primùm retulit de admittendis in ciuitatē Italis, deq; iure honorū illis cōcedendo. Quod cū impetrari nō potuisset, irati Itali Romanis, duce T. Afranio, bellū intulerunt. Quorū partes cū Ethrusci quoq; sequi cōstituissent, dubitantes Romani, ne tantam belli molem sustinere nō possent, eos præoccupauerunt. Sic Ethrusci priores in Vrbē asciti. Demū cū aliquādiu cū Italis belligeratū esset, multaq; incōmoda ultrò citroq; illata, tandē pax secuta est: & Itali quoq; ciues Romani facti sunt. Sed hæc pòst acta sunt. De his Coss. hęc tradit Iulius Frōtinus libello de Aquęductibus, sed pleraq; illic sunt corrupta: Gn. Seruilius Cepio, & L. Cassius Longinus, qui Rulla appellatus, Censores, anno post Vr. con. sexingentesimo uigesimoseptimo, M. Plautio Hi-

 sapone, Fuluio Flacco Coss. aquam quæ uocatur Tepida, ex agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Romam & in Capitolium adducendam curauerunt. Anno enim uno diuersus est à nostra supputatione.

CLXIIII

C. Sextius, Caluinus.

C. CASSIVS, ET SEX. DOMITIVS. 629

Sic hos Coss. appellat Eutropius libro quarto, capite quarto. Caßiodorus Consulē alterum C. Sextium appellat, Iulius Obsequens C. Sextilium. Sub ijs, inquit, in Græcostasi lacte pluit. Fulmine Crotone grex ouium cum cane & tribus pastoribus exanimatus. Saturæ uitulus biceps natus. tumultus in Vrbe fuit, Graccho leges ferente. Quo pacto treis tulerit perniciosas leges, frumentariam, agrariam & iudiciariam, uide abbreuiatorem Liuij libro sexagesimo, Appianum libro Ciuilium bellorū primo, Plutarchum in uita Gracchorū: Florum libro tertio, titulo decimoquinto. Eutropius scribit libro quarto, capite quadragesimo: Anno sexcentesimo uigesimoseptimo ab Vrb. con. C. Caßius Longinus, & Sex. Domitius Caluinus Coss. Gallis transalpinis bellum intulerunt, & Arbennorum tunc nobilißimæ ciuitati, atq; eorum regi Bituito, infinitamq; multitudinem iuxta Rhodanum fluuium interfecerunt. Deniq; cum Bituitus paucitatem Romanorum uix ad escam canibus, quos in agmine habebat, sufficere posse iactaret, & ipse centum octoginta millia armatorum haberet, conserta pugna à Romanis superatus est. Ex cuius exercitu partim in bello, partim submersi in ponte, quem sibi iunctis nauibus supra Rhodanum extruxerant, centum quinquaginta millia perierunt. Prēda ex torquibus Gallorum ingens perlata est. Bituitus sese Domitio dedidit, atq; ab eo Romam deductus est, magnaq; gloria Coss. ambo triumpharunt. Meminit horum Coss. Velleius Paterculus his uerbis: Caßio Longino & Sextio Caluino, qui Sallyes apud Aquas, quę ab eo Sextiæ appellātur, deuicit, Coss. Fabrateria deducta est, abhinc annos fermè CLVII. Et post annum Scylacium, Mineruium, Tarentum, Neptunia, Carthago, quæ in Africa prima extra Italiam colonia condita est.

2

Metellus, Apelles, Flaminius.

Q. CAECILIVS, ET T. QVINTIVS. 630

Sub his Coss. Carthago in Africa à Scipione euersa, iussa est restitui: deductis eò ciuium Romanorū familijs, quæ eam incolerent. C. Gracchus ipse Triumuir, coloniā deduxit. Sed quę in metando limites prodigia acciderint, uide Plutarchum in Gracchis, Appianū in primo Ciuilium. Orosius libro quinto, capite undecimo: Eutropius libro quarto capite tertio, horum Coss. meminerunt. Sed Eutropius hos Coss. prioribus præponit: siue error sit autoris, siue librarij. Narratq; Carthaginem esse reparatā annis duobus & uiginti euolutis, postq; à Scipione fuit euersa. Sed uide q; corrupti sint numeri apud Orosium, qui sic scribit: Anno ab Vrb. con. sexingentesimo tricesimoseptimo, L. Cęcilio Metello, & Q. Tito Flaminio Coss. Carthago in Africa restitui iussa, uigesimo & secundo demū anno quo fuerat euersa, deductis ciuium Romanorum familijs, quæ eam incolerent, &c. cum hic sit annus uigesimustertius ab euersa Carthagine, & ab Vr. con. sexingentesimus uigesimus. Abbreuiator Liuij libro sexagesimo scribit, Q. Metellum Consulem aduersus Baleares insulas profectum, quas Græci Gymnesias appellant, quia ęstatem nudi exigant: aut Baleares, à teli misfsu, dictas: aut à Baleo, Herculis comite ibi relicto, cum ad Geryonem nauigaret. Sed plura de his insulis apud Diodorum Siculum libro sexto, titulo sexto: Strabonem libro tertio: Pliniū libro tertio Naturalis historiæ, capite quinto. Hinc est illud bellū appellatum à Floro Balearicum. Et hic Q. Metellus, Macedonici filius, Balearicus libro tertio, titulo octauo appellatus est. Perperam in Eutropio hic L. Metellus dicitur, cum ab omnibus Q. dicatur. licet Orosius etiam L. appellet: qui Gracchanam seditionem hoc anno excitatam prodit: quam pluribus etiam describit undecimo capite

quinti

Ab urbe con. quinti libri. Vbi etiam de bello Allobrogum, & Balearibus insulis, quædam referuntur.

Aenobarbus.

631 CN. DOMITIVS, ET C. FANNIVS. 3

C.Fannium ad consulatum, pro eo intercedens euexit, cum ipse Trib. pleb. secundùm crearet C.Gracchus, teste Plutarcho in uita Gracchorũ, ut promulgãdis legibus animos plebis in sese conuerteret. Senatus ueritus Gracchi potentiã, Liuiũ Drusum contra eum suscitauit. De quo multa Plutarchus. Sed de M.Liuio Druso titulo sexagesimosexto Florus: Gn.Domitius contra Allobroges ad oppidum Vindaliũ multũ feliciter pugnauit. Quibus bellum inferendum causa fuit, quòd Teutomalium Saliorium regem fugientem recepissent, & omni ope iuuissent: quodq; Heduorum agros sociorum pop.Rom. uastauissent. Nam C.Sextius gentem Saliorum paulo antè deuicerat, ut abbreuiator Liuij in sexagesimoprimo libro ostendit. Describit hoc bellum eleganter L.Florus libro tertio, capite secundo, de bello Allobrogico. Orosius libro quinto, capite undecimo, addit, hostes, hostiumq; equos, noua forma elephantorum cõterritos diffugisse, ac uiginti millia Allobrogum cæsa, & tria millia capta. Iulius Obsequens horũ Coss. meminit, qui multa prodigia sub ijs euenisse scribit: subiungitq;, Sallyes & Allobroges deuictos. Sed cogitandum censeo, ne aut hic, aut in Plinio, alterius Consulis nomen sit corruptũ. In secundo enim Naturalis historiæ libro, capite trigesimosecundo, sic scribit: Lunæ quoq; trinæ ut Cn. Domitio, C.F. L.Annio Coss. apparuere: quos pleriq; appellauerunt soles nocturnos. Iulius autem Obsequens in Gallia tres soles & tres lunas uisas ostẽdit, sub Domitio & C. Fannio. nisi alij sint diuersi ab his, quos non inuenio. Additq; Cassiodorus:

His Coss. C. Sextius oppidum ædificauit, in quo Aquæ Sextiæ in Gallijs.

Abbreuiator Liuij in sexagesimoprimo: Sextius coloniam Aquas Sestias condidit, ob aquarum copiam, & calidis & frigidis fontibus, atq; à nomine suo ita appellatas. Meminit & Velleius Paterculus in sua historia.

L. OPIMIVS, ET Q. FABIVS MAXIMVS. 4

632 Horum Coss. meminit Iulius Obsequens libro Prodigiorum. Sub his occisus est in Auentino monte C. Gracchus & Fuluius Flaccus socius eius, his uocatis ex S. C. à L. Opimio Consule. Seriem rei gestæ uide copiosissimè apud Plutarchum in Gracchorum uita, apud Appianum in primo Ciuilium, apud Florum in tertio. Orosius quoq; eius rei meminit in quinto, capite undecimo: Plinius iunior titulo sexagesimoquinto. Salustius in Iugurtha: L. Opimius homo clarus, & tamen in Senatu potens, qui Coss. C. Graccho, M. Fuluio Flacco interfectis, acerrimè uictoriam nobilitatis in plebem exercuerat, princeps legationis pòst fuit ad Iugurtham. Non grauaris lector ex Velleio Paterculo totam historiam discere graphicè in hanc formam scribentem: Decem interpositis annis, qui Tib. Gracchum, idem C. fratrem eius occupauit furor, tam uirtutibus eius omnibus, q; huic errori similem ingenio etiam, eloquentiaq; longè præstantiorem. Qui cum summa quiete animi ciuitatis princeps esse posset, uel uindicatione fraternæ mortis gratia, uel præmuniendę regalis potentiæ, eiusdem exemplo tribunatum ingressus, longè maiora & acriora repetens, dabat ciuitatem omnibus Italicis, extẽdebat eam penè usq; ad Alpeis: diuidebat agros, uetabat quenquam ciuem plus quingentis iugeribus habere. Quod aliquando lege Licinia cautum erat, noua constituebat portoria, nouis colonis replebat prouincias, iudicia à Senatu transferebat ad equites. Frumentũ plebi dari instituerat: nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum deniq; in eodem statu relinquebat: quin alterum etiam continuauit tribunatum. Hunc L. Opimius Cos. qui prætor Fregellas

Olympiad. exciderat, persequutus armis, unaque Fuluium Flaccum consularem ac triumphalem uirum, æquè praua cupientem quę C. Gracchus, in locum T. fratris III uir, nominauerat, eum socium regalis assumpserat potentiæ, morte afficit. Id unum nefariè ab Opimio proditũ, quod capitis non dicam Gracchi, sed ciuis Romani precium se daturum, idque auro repensurum proposuit. Flaccus in Auentino armatus ad pugnam ciens, cũ filio maiore iugulatus est. Gracchus profugiens, cũ iam cõprehenderetur ab his quos Opimius miserat, ceruicẽ Euporo seruo præbuit: qui nõ segnius seipsum interemit, quàm domino succurrerat. Quo die singularis Pomponij equitis Romani in Gracchum fides fuit, qui more Coclitis sustentatis in ponte hostibus, eius gladio se transfixit. Vt Tiberij Gracchi antea corpus, ita Caij mira crudelitate uictorum in Tiberim deiectum est. Hunc Tib. Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes, uiua adhuc matre Cornelia, Africani filia, uiri optimis ingenijs malè usi, uitæ mortisque habuere exitum. Qui si ciuilem dignitatis concupissent modum, quicquid tumultuando gestierant quietis obtulisset Respub. Huic atrocitati adiectum scelus unicum. quippe iuuenis specie excellens, nec dum duodeuicesimum transgressus annum, immunisque delictorum paternorũ, Fuluij Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miserat, ab Opimio interemptus est. quem cum aruspex Tuscus amicus flentem in uincula duci uidisset, Quin tu hoc potius, inquit, facis? protinusque illiso capite in pontem lapideum ianuæ carceris, effusoque cerebro, expirauit. Crudelesque mox quæstiones in amicos clientesque Gracchorum habitæ sunt. Sed Opimium uirum alioqui sanctum & grauem, damnatum postea iudicio publico, memoria ipsius sæuitiæ, nulla ciuilis prosequuta est misericordia. Hic est Opimius, à quo Cos. celeberrimum Opimiani uici nomẽ, quod iam nullum esse, spacio annorum colligi potest: cum ab eo ad te M. Vinnici Cos. anni CLI (uide ne uini potius quàm uici sit illic legẽdum) factum Opimij, quòd inimicitiarum quæsita erat ultio, minor sequuta auctoritas: & uisa ultio priuato odio magis quàm publicæ uindictæ data. Parce lector, quod tanta attuli. satis nunc de Opimio Consule. Alter uerò Cos. Q. Fabius Maximus, Pauli nepos, aduersus Allobroges & Bituitũ Aruernorum regem feliciter pugnauit. Ex Bituiti exercitu cæsa hominum millia centum uiginti. Et cum ipse ad satisfaciendum Senatui Romam profectus esset, Albæ custodiendus datus est: quia contra pacem uidebatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Cõgentiatus, filius eius, comprehensus, Romã mitteretur. Allobroges in deditionẽ accepti: ut abbreuiator docet sexagesimoprimo libro. Meminit huius Fabij & Florus libro tertio, titulo secundo. Et Plinius in septimo, capite quinquagesimo: Q. Fabius Maximus Cos. apud flumen Isaram prælio commisso aduersus Allobrogum regem, Aruernorumque gentes, ad VI. Idus Augustas centum triginta millibus perduellium cæsis, febri quartana liberatus est in acie. Miror, cur Eutropius Bituitum à Domitio Caluino, ut superius patuit, superatũ scribat, cũ aliter à Liuio narreť. Vide Orosiũ libro quinto, capite decimotertio, qui hanc historiã Gallorũ reijcit in annum Vrb. con. sexingentesimum uigesimumoctauum. L. Opimij meminit Cicero in oratione contra L. Pisonem, in hęc uerba: L. Opimius eiectus est à patria, is qui Prætor & Cõsul maximis Rempub. periculis liberarat. Nõ in eo cui facta est iniuria, sed in his qui fecerunt, sceleris & conscientiæ pœna permansit. Notum est enim, teste Q. Asconio, Opimium in prætura Fregellas cæpisse: quo pacto uisus est cæteros quoque nominis Latini socios malè animatos repressisse: eundemque in consulatu Fuluium Flaccum consularem, & C. Gracchum tribunitium, oppressisse, ob quam inuidiam postea iudicio circumuentus est, & in exilium actus. Plinius horum Coss. sic meminit libro secundo, capite uigesimonono: Circa solem arcus apparuit L. Opimio III. Q. Fabio II. Coss. Et L. Opimij Consulis meminit libro decimoquarto, capite quarto: natalem tunc Vrbis asserens fuisse sexingentesimum trigesimumquartum, si notæ sunt integræ. Plinius hic ingeniose Opimij Consulis mentionem faciens, uinum Opimianum miris laudibus celebrat: Abu... con.

Alicui

Alicui anno, inquit, fuit omnium generum bonitas, L. Opimio Consule, cum C. Gracchus tribunus plebis seditionibus agitatis interemptus, ea cœli temperies fulsit, quam cocturam uocant, solis opere, natali Vrbis sexcentesimo trigesimoquarto. Durantq; adhuc uina ducentis ferè annis, iam in speciem redacta mellis asperi. Ad hoc alludit Satyricus: Ille capillato diffusum Cõsule potat. & Lucanus in quarto: Nobilis ignoto diffusus Consule bacchus. Est enim id diffundere ex dolijs, in amphoras uel cados transmittere, uel de uase in uas trãsferre: quod aliàs & elutriare dicitur, & trãsuasare, & detrullare, ut apud ueteres autores legimus. Plinius libro eodem, capite decimoquarto: Apothecas fuisse, & diffundi solita uina, anno sexingentesimo tricesimoquarto Vrbis, apparet indubitato Opimiani uini argumento, iam intelligente suum bonum Italia. nondum tamen ista genera in claritate erant. Itaq; tunc omnia genita, unũ habent Consulis nomen. Duobus annis numeri nostris non respondent.

Balbus.

P. MANLIVS, ET C. PAPIRIVS. CLXV

633 Nec quid certi his Coss. gestum sit, habeo, lector candide: tu id quod ego feci, inquire sedulò, & subscribe.

Metellus, Cotta.

L. CAECILIVS, ET L. AVRELIVS. 2

634 Iulius Obsequens scribit sub his Coss. androgynum in agro Romano annorum octo inuentum, & in mare deportatum: ac uirgines ternouenas in Vrbe cecinisse. Sed longam concertationem Cottæ Consulis cum G. Mario, Tribuno plebis, qui legem de ambitione suffragiorum ferebat, ac Consulibus carcerem minatus est, uide apud Plutarchum in Mario diligenter.

Cato, Rex.

M. PORCIVS, ET Q. MARTIVS. 3

635 Meminit horum consulum Iulius Obsequens, qui multa tradit accidisse sub ijs prodigia, sic scribens: M. Catone, & Q. Martio Coss. Catone Cõsule immolante exta tabuerunt, caput iocinoris inuentum nõ est. lacte pluit. terra cum mugitu tremuit. examen apum in foro consedit. Sacrificium ex Sibyllinis. Mentionem horum quoq; facit Plinius libro secundo, capite trigesimoprimo: Trinos soles antiqui sæpius uidere, sicut Q. Martio, M. Porcio Coss. Eutropius scribit, sub ijs Narbonem in Gallia coloniam deductam, anno urbis sexcentesimo & trigesimotertio: cum trigesimo quinto sit scribendum. Velleius Paterculus: Narbo Martius in Gallia, Porcio Martioq; Coss. abhinc annos circiter CLIII deducta colonia est. Ita scribit in primo libro. Sed in secundo eadem repetit, ac subiungit: Mandetur deinde memoriæ seueritas iudiciorum: quippe Cos. Cato consularis M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarũ ex Macedonia damnatus, cum lis eius IIII aestimaretur. Adeò illi uiri magis uoluntatem peccandi intuebantur, quàm modum factaq; ad consiliũ dirigebant. & quid: non in quantum admissum foret, æstimabant. Abbreuiator Liuij sexagesimosecundo libro tradit, Q. Martium Cõsulem Sarnios gentem Alpinam expugnauisse. Quod & Orosius repetiuit libro quinto, capite tertiodecimo: Q. Martius Consul Gallorum gentem sub radice Alpium sitam, bello aggressus est: qui cum se Romanis copijs circumseptos uiderent, belloq; impares fore intelligerent, occisis coniugibus & liberis, in flammas se proiecerunt. Qui uerò præoccupantibus Romanis peragendæ tunc mortis suæ copiam non habuerant, captiq; fuerant, alij ferro, alij suspendio, alij abnegato cibo sese consumpserunt. Nullusq; omnino uel paruulus superfuit, qui seruientis conditionem uitæ amore tolerauit.

Diadumenus, Metellus, Scæuola.

4 L. CAECILIVS, ET Q. MVTIVS. 636

Eutropius libro quarto, capite quarto scribit, sub ijs de Dalmatia triumphatum esse. Vnde Appianus in Illyrico sic scribit: Sequenti tempore Cæcilius Metellus consulatum adeptus, nihil delinquentibus Dalmatis, triumphandi libidine bellũ ex decreto intulit: à quibus amicè susceptus, in Salone, eorum urbe transegit hyemem. Postremò Romam delatus, nulla ex causa triumphauit. Horum Coss. item meminit Iulius Obsequens, qui multa narrat sub his accidisse prodigia. Sed pro Q. Mutio L. Aurelium Cõsulem scribit sic in hæc uerba: L. Cęcilio, L. Aurelio Coss. fulmine Romę, & circà, pleraq; tacta. Præneste lacte pluit. Hastæ Martis motæ in regia. Priuerni terra septem iugerum spacio in cauerna desedit. Saturniæ androgynus annorũ decem inuentus, & mari demersus. Virgines uigintiseptem Vrbem carmine lustrauerunt. Reliquum anni in pace fuit.

Geta, Eburnus.

CLXVI. C. LICINIVS, ET Q. MAXIMVS. 637

Subscribe lector, quid his & sequentibus Consulibus factum sit, si fortunatior me libros, qui me fugerunt, adeptus fueris.

2 M. METELLVS, ET M. SCAVRVS. 638

His Coss. L. Metellus, & Cn. Domitius Censores, artem ludicram ex Vrbe remouerũt, præter Latinũ tibicinẽ cũ cantore, & ludum Calanum.

Abbreuiator Liuij libro sexagesimosecundo, scribit hos Censores, duos & triginta Senatu amouisse. Vtinam extaret Liuius integer, ut agnoscere liceret, an hic, uel alius Domitius censuram, uel postea cum Crasso gessisset, à Val. Max. libro nono, titulo de Luxuria celebratam. Quam Plinius trigesimosexto, capite tertio repetit; & decimoseptimo, capite primo. Sed si anni Vrbis conditæ rectè numerantur, tunc hæc censura postea facta est, ut infrà annotabimus. Nominum enim similitudo, si anni non correspondent, parit confusionem.

Balbus, Saloninus.

3 M. ACILIVS, ET C. PORCIVS CATO. 639

Scribit Iulius Obsequens, q sub his Coss. Pompeius Eluinus, eques Romanus, à ludis Romanis cum reuerteretur, in agro Stellati, filia eius uirgo equo insidẽs, fulmine icta, exanimataq;, uestimento deducto in inguinibus exerta lingua per inferiores locos, ut ignis ad os emicuerit. Responsum, infamiam uirginibus & equestri ordini portendi, quia equi ornamenta dispersa erant. Tres uno tempore uirgines Vestales nobilissimæ, cum aliquot equitibus Romanis, incesti pœnas subierunt. Aedes Veneri Verticordiæ facta. Vide Asceniũ Pedianum super oratione Tullij, quã habuit pro Milone de iudicio harũ trium uirginũ: quarũ una corruptè illic uocatur Maceria, cũ Martia scribendũ sit, & intelliges reconditum Ciceronis locum. Hæ tres uirgines in abbreuiatore Liuij libro sexagesimotertio nominantur, Aemilia, Licinia, & Martia. Vbi etiã legitur q Cato Porcius Consul, in Thracia malè aduersus Scordiscos pugnauit. Quod significantius exprimit L. Florus libro tertio, capite quarto, de bello Thracio. Eutropius libro quarto, capite quinto, horũ Coss. meminit, & illius belli: reijcitq; in annum Vr. con. sexingentesimũ trigesimumquintũ, cum sit trigesimusnonus. Sed idem illud prodigium de uirgine fulmine tacta, ac de uirginibus cõstupratis, lege Orosium libro quinto, capite decimoquarto. Sed equitem illum appellat L. Aeliũ: ut appareat, in alterutro esse errorẽ. Meminit & eius prodigij Eutropius libro quarto in fine quinti capitis. Horũ consulũ meminit Plinius libro secundo, capite quinquagesimo sexto: Præter hæc inferiore cœlo relatum in monumenta est, lacte & sanguine pluisse M. Acilio, & C. Porcio Coss.

Caprarius, Metellus, Carbo.

640 C. CAECILIVS, ET CN. PAPYRIVS. 4

Horum Coss. meminit Plinius libro secūdo Naturalis historiæ, capite tricesimotertio: Lumē de cœlo noctu uisum est C. Cæcilio, Cn. Papyrio Coss. & sæpe aliàs, ut diei species noctu luceret. Sub his Coss. ut Iulius Obsequens prodit, Albanus mons nocte ardere uisus. Aedicula & signū de cœlo tacta. Ara Salutis interrupta. Terra in Lucanis & Priuernati latè hiauit. In Gallia cœlum ardere uisum. Cimbri Teutoniq; Alpes transgressi, fœdam stragem Romanorū sociorumq; fecerunt. Ob id abbreuiator Liuij libro sexagesimotertio: Cimbri, inquit, gens uaga, populabundi in Illyrium uenerunt. ab ijs Papyrius Carbo Cōsul cū exercitu fusus est. Sub his item Coss. ut Eutropius libro quarto attestatur, capite quinto, duo Metelli fratres codē die, alterū ex Thracia, ex Sardinia alterū triumphū egerūt. Nunciatūq; est Romæ, Cimbros è Gallia in Italiā transijsse. Velleius Paterculus: Circa eadē tēpora M. & L. Metelli fratres uno die triūpharunt. Tum Cimbri & Teutoni transcendêre Rhenū, multis mox nostris suisq; cladibus nobiles. De his sic scribit Cor. Tacitus in Germaniæ descriptione: Sexcentesimū & quadragesimū annū Vrbs nostra agebat, cū primū Cimbrorum audita sunt arma, Cęcilio Metello, ac Papyrio Carbone Coss. ex quo si ad alterū Imperatoris Traiani consulatū cōputemus, ducenti fermè & decē anni colligūtur. Tam diu Germania uincitur: medio tam longi æui spacio multa inuicem dāna. Non Samnis, nō Pœni, non Hispaniæ Galliæ uæ urbes, ne Parthi quidem sepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorū libertas. Quid enim aliud nobis q̃ cædē Crassi, amisso & ipso Pacoro, infra Ventidiū deiectus oriens obiecerit? At Germani Carbone & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoq; Manlio fusis uel captis, quinq; simul consularis exercitus pop. Ro. Varū, tresq; cū eo legiones etiā Cæsari abstulerunt. Nec impunè C. Marius in Italia, Diuus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibriū uersæ. Inde ociū, donec occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorum expugnatis legionum hybernis, etiam Gallias affectauere: ac rursus pulsi, inde proximis temporibus triumphati magis, quàm uicti sunt.

Drusus,

641 M. LIVIVS, ET L. PISO CESONIANVS. CLXVI

Abbreuiator libro sexagesimo tertio: Liuius Drusus Cos. aduersus Scordiscos, gētem à Gallis oriūdam, in Thracia feliciter pugnauit, magnūq; honorē tulit. Meminit huius & Florus libro tertio, titulo quarto, de bello Thracio. Suetonius in Tiberio, rubrica tertia tradit, primum Drusum ab hostium duce Drauso uel Druso, Germanorum uel Gallorum, cominus trucidato, sibi posterisq; suis cognomen inuenisse.

Nasica, Bestia.

642 P. SCIPIO, ET L. CALPHVRNIVS. 2

His Coss. maxima pars Vrbis, ut Iulius Obsequens scribit, exusta, cū æde Matris magnæ. Lacte per triduum pluit, hostijsq; expiatum maioribus. Iugurthinum bellū exortū. Quod Calphurnius Consul Bestia gerere iussus, ac pacem cū Iugurtha iniussu populi & Senatus fecit, ut in sexagesimoquarto Liuij continetur. Id quomodo, aut qua serie sit gestum, peculiari opere C. Salustius Crispus descripsit, qui horū Consulū mentionem facit: Scipioniq; sorte Italiam, Calphurnio Numidiā euenisse scribit. Florus libro tertio, titulo primo: Orosius libro quinto, capite decimoquarto, qui tradit hos Coss. fuisse anno ab Vrb. con. sexingentesimo trigesimoquinto, cum alius numerus certè proueniat: Eutropius libro quarto, capite quinto: nonnihil etiā Plutarchus, nunc in Sylla, nunc in Mario. Velleiusq; Paterculus in secūdo libro suæ historiæ hoc bellum latissimè prosequitur, qui aspernandus non est.

Albinus, Ruffus.

3 SP. POSTHVMIVS, ET M. MINVTIVS. Aburb. con.

Sub his Coss. A. Posthumius Consulis frater ac legatus, infeliciter prælio aduersus Iugurtham gesto conflixit, pacemq́ etiam multum ignominiosam adiecit. Quã quidem minimè esse seruandam, Senatus censuit, ut sexagesimoquarto libro Liuius refert: & Florus libro tertio, titulo primo: Orosius in quinto, capite decimoquarto: Eutropius in quarto, capite quinto: ante omnes uerò copiosissimè Salustius in Iugurthino, ubi horum quoq; fit mentio Coss. M. uero Minutiũ Ruffum hunc esse puto, qui Thraces toto uastauit Hebro, ut Florus libro tertio scribit, titulo quarto: sed tũ Procõsul, ut abbreuiator Liuij in sexagesimoquinto libro notat: & Eutropius libro quarto, capite quinto, qui tradit à Minutio Ruffo in Macedonia Scordiscos & Triballos uictos. Velleius Paterculus: Per eadem tempora clarus eius Minutij, qui Porticus quæ hodieq; celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit. Superius admonui hos Coss. esse animaduertendos, ubi citaui Plinium ex secundo libro, capite tricesimoprimo, qui scribit tres soles uisos Sp. Posthumio, Q. Minutio Coss. 643

Metellus, Numidicus. Syllanus.

4 Q. CAECILIVS, ET M. IVNIVS.

Q. Metellus Consul duobus prælijs Iugurtham fudit, & uniuersam Numidiam uastauit, ut in Liuij sexagesimoquinto libro patet, Salustio, Floro, Orosio atq; Eutropio: ac de Iugurtha triumphauit, ac Numidicus dictus est, Plinio de Viris illustribus titulo sexagesimosecũdo. Velleius de Cęcilio hæc tradit: Vt Domitiæ familiæ, ita Cęciliæ notanda claritudo est: quippe intra XII fermè annos huius temporis Coss. fuere Metelli, & Censores, & triumpharunt amplius XII. ut appareat quemadmodũ urbiũ imperiorumq́, ita gentiũ nunc florere fortunã, nunc senescere, nunc interire. M. Iunius Syllanus alter Cõsul aduersum Cimbros infeliciter pugnauit, ut abbreuiator notat: quia legatis Cimbrorũ sedem & agros, in quibus persisterent, postulantibus, Senatus negauit. Cuius & Florus meminit libro tertio, titulo tertio: & Eutropius libro quarto, capite quinto. Cęterùm si Cimbrorũ originẽ inuestigare uolueris, lege quæ Plutarchus in Mario scribit. q; si ad latinos uenisset uita Metelli Numidici, quam Plutarchus scripsit, multa quæ latent, nobis forent cognita. Horum Coss. meminit Cicero in oratione de Maiestate, pro L. Cornelio, ut Pedianus testatur, qui multas leges scribit sub his latas, quas Iunias appellat: ac M. Iunium Syluium uocat, si est castigatus codex ille fragmentatus. Plinius in secundo Naturalis historiæ, capite quinquagesimonono, tradit, quòd armorum crepitus, & tubæ sonitus Cimbricis bellis auditi sint crebro & prius, & postea. 644

CLXVIII Sulpitius, Scaurus, Hortensius.

SER. GALBA, ET M. AVRELIVS.

Horum Coss. meminit Iulius Obsequens libello Prodigiorum: qui multa recenset sub ijs euenisse prodigia. Inter cætera inquit: Puella, integris omnibus membris, puer à parte priore aluo aperto, ita ut nudum intestinum consp iceretur. Idem posteriore natura solidus natus, qui uoce missa expirauit. Contra Iugurtham prosperè est dimicatum. Cæterùm de M. Aemilio Scauro Plinius iunior titulo septuagesimosecundo: & Plinius senior libro secundo, capite quinquagesimosexto, sic scribens: Magna obseruationis huius uanitas, tacta Iunonis æde, Romæ deprehensa est M. Scauro Consule, qui mox princeps fuit. De Seruio uerò Galba unde dictus sit, audi quæ Tranquillus scribit in Galba, rubrica tertia: Qui primus, inquit, Sulpitiorum cognomen Galbæ tulit, cur aut, unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quòd oppidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus succenderit. Alij quòd in diuturna ualetudine galbeo, id est remedijs lana inuolutis assiduè uteretur. Nonnulli, quòd præpinguis fuerit uisus, quem Galbam Galli uocant: 645

uel

uel contrà, φ tam exilis, quàm sunt animalia quæ in esculis nascuntur, appellantur gal bæ. Galbeum uerò, siue calbeum, ueteres armillas appellant, quibus utuntur triumphantes, quibusq; ob uirtutem donantur milites. Galbeum enim, ornamenti genus Festus appellat. Galbana, uestimenta delicatorum uirorum, taxat Iuuenalis:

Cærulea indutus scutulata & galbana rasa.

Inde Martialis galbanatum uocat. & galbini mores, molles & supini appellantur. Et tunica galbina Vopisco appellatur à colore lurido. & galbeus, passeris nomen luteis pennulis. Germanos credo hodie hunc colorem sua patria lingua appellare gelb, cor ruptè, à galbeo. Familiam autem illustrauit Sergius Galba consularis, suorum tempo rum eloquentissimus, quem tradunt Hispaniam ex prætura obtinentem, triginta Lu sitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli causam extitisse. Cuius sępe Ci cero meminit in 1. de Oratore, & in Bruto. Velleius Paterculus: Eodem temporum tractu nituerunt oratores, Scipio Aemilianus, Læliusq;, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papyrius. Nec prætereundus Metellus Numidicus, & Scaurus, & ante omnes Crassus, & M. Antonius. Quorum ætati ingenijsq; successere, C. Cæsar, Strabo, P. Sulpitius. Namq; Mutius iuris sciētia, φ ppria eloquētia celebrior fuit.

Longinus, *Arpinas.*

646 L. CASSIVS, ET G. MARIVS. 2

L. Casius Cōsul à Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui à ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites qui ex ea clade superfuerant, obsidibus datis, & dimidia omniū rerum parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt. Abbreuiator Liuij libro sexagesimoquinto, cuius & Cæsar primo libro Cōmentariorum Gallicorū meminit. Orosius libro quinto, capite decimoquar to addit, L. Pisonem, uirum consularem, legatū Casij Cos. interfectum: G. Publiū, alterum legatum, ne residua exercitus portio, quæ in castra cōfugerat, deleretur, obsides & dimidiam partem rerum omniū, Tigurinis turpissimo fœdere dedisse: Romā reuersum, à Cęlio Tribuno plebis die dicta, in exilium egisse. A' Gaio uerò Mario al tero Consule, Iugurtha pulsus ex Numidia, auxilio Bochi Maurorum regis adiutus: tandem uinctus & traditus est Mario. In qua re præcipua opera L. Cornelij Syllæ Quæstoris Marius usus fuit. Abbreuiator Liuij libro sexagesimosexto. Sed quo pacto G. Marius Arpinas nouus homo consulatū sit adeptus, & qua arte Iugurthā strauerit, uide Salustium omnia abundè perscribentem: Plutarchum in Mario, & Sylla: Florum libro tertio: Orosium libro quinto, capite decimoquarto: Eutropium libro quarto, capite quinto: Pliniū iuniorem titulo sexagesimoseptimo. Horū Coss. meminit Plinius libro decimo, capite decimotertio: Sed alterius Cos. nomen uitiatum est. Pro L. Casio enim scriptum est, L. Crasso. Verba eius hæc sunt: Inauspicata est & incendiaria auis, propter quā sæpenumero lustratā Vrbem in Annalibus inuenimus: sicut L. Casio, G. Mario Coss. Quo anno & bubone uiso lustrata est. Iulius Obsequens scribit, bubonem extra Vrbem uisum G. Mario & C. Flacco Coss. qui erat alter consulatus Marij. De Mario Velleius sic scribit: G. Marius natus equestri loco, hirtus atq; horridus, uitaq; sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, insatiabilis, impotens, immodicus glorię, semperq; inquietus. Hic per publicanos, aliosq; in Africa negotiantes criminatus Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, & naturalem nobilitatis superbiam, immorandiq; in imperijs cupiditatem, effecit, ut cum commeatu petito Romam uenisset, Cos. crearetur: belliq; penè patrati à Metello, qui bis Iugurthā acie fuderat, summa cōmitteret sibi. Metelli tamē & triumphus fuit clarissimus, & meritum: uirtutiq; cognomen Numidici inditum.

Cepio, *Sarranus.*

647 Q. SERVILIVS, ET C. ATTILIVS. 3

Horum Coss. meminit Iulius Obsequens: sed manifestarius in eo libello est error.

error, duos enim consulatus pro uno ponit, Q. scilicet Seruilij Cepionis, & Attilij Sarrani: tum Publij Sarrani, & C. Attilij, cum unicus tantũ fuerit cõsulatus. Narratis autem plurimis prodigijs, quæ hoc tempore acciderunt, subiungit in fine (per quod significatur unus fuisse consulatus) per Cepionem Consulem senatorum & equitum iudicia communicata. Cætera in pace fuerunt. Id etiam Casiodorus: *Abusive con.*

His Coss. per Seruilium Cepionem Cos. iudicia equitibus & senatoribus communicata sunt.

Hæc postea lex Seruilia dicta fuit, ut Q. Pedianus testatur super oratione Tullij pro M. Scauro, ubi multa de hoc Seruilio. Sub his item Coss. natus dicitur Arpini M. Tullius Cicero, ut Eutropius tradit: qui fortè ex Eusebio mutuatus eadem uerba, sic scribit: Olympiade centesima sexagesimaoctaua M. Tullius Cicero Arpini nascitur, matre Heluia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorũ genere. Sed Plutarchus eius uitam copiose, & Aretinus simul ubertim latinè, descripsere. Ponit Eutropius in principio quinti libri, M. Manliũ & Q. Cepionem Coss. qui bello Cimbrorũ interfecti sunt: quos Orosius in quintodecimo capite quinti libri Proconsules appellat, si codex est emaculatus: reijcitq; in annum Vr. con. sexingentesimum quadragesimũsecundum. Et abbreuiator Liuij pariter sexagesimoseptimo libro, qui eos bis castris exutos scribit ab hostibus: ac secundum populi Romani iussionem, Cepionis, cuius temeritate clades accepta erat, bona publicata: eiq; primo post regem Tarquiniũ imperiũ abrogatũ. Sub quibus tamen Coss. & M. Aurelius Scaurus Cos. legatus à Cimbris captus, & à Bolo rege occisus, & Procõsules tot millia militũ perdiderint, ob deperditas Liuij historias, non satis constat. Florus libro tertio, titulo tertio regm Beleũ appellat, qui postea sub Mario in acie dimicans impigre, nec inultus occubuit. Legendi sunt tamen diligenter Eutropius & Orosius. Meminit horum Coss. Velleius, ubi de morte Cn. Pompeij Magni agit: Sub C. Cæsare, P. Seruilio Coss. facta, cum duode sexagesimum annum tunc ageret. Vt suspicandum sit, circa id tempus hunc natum, cũ tot numerãtur anni ab hoc ad illorum consulatũ, felici semper annorũ digestione.

4 P. RVTILIVS, *Ruffus,* ET G. MANLIVS. *Maximus.* 648

Iulius Obsequens alterum Consulem P. Attilium, alterum Cornelium Manlium uocat, si non est corruptus, ut uereor, libellus. De his tamen hæc prodit: Trebulæ, Mutuscæ anteq; ludi committerentur, canente tibicine, angues nigri aram circunderũt: desinente cantare, delapsi: postero die exorti, à populo lapidibus enecati. Foribus templi adapertis, simulacrum Martis ligneum stans capite inuentum. A' Lusitanis exercitus Romanus cæsus.

CLXIX G. MARIVS II. ET C. FLACCVS. *Fimbria.* 649

Ob metum Cimbrici belli, ut latissimè Plutarchus docet, fuit Mario consulatus ultrò delatus, & per plures annos continuatus, quod hactenus nulli cõtigit, legibusq; solutus. Narrat Iulius Obsequens multa prodigia, quæ his Coss. euenere: quæ illic uidere poteris. Suspicor aut sub ijs, aut sequentibus Coss. G. Maniliũ & Q. Cepionem Proconsules, tũ aduersus Cimbros, Teutones, Tigurinos & Ambronas crudelissimã illam cladem passos, quam describit Orosius libro 5. capite 15. Iudica lector: nam diuinare coniecturis nonnunq; licet. Tradit tamen Iulius Obsequens, quòd his Coss. Cimbri Alpes transgressi, per Hispaniã uastatã iunxerũt se Teutonis. Vide etiã Florum titulo tertio libri tertij. In hoc secundo consulatu Marij, L. Sylla fuit Consulis legatus, ac Tectosagorũ ducem Copillum cæpit, teste Plutarcho. Asconius Pedianus super oratione Tullij de Maiestate, horum Coss. meminit, sub quibus scribit L. Cassium, L. Longinum, Tribunos plebis plures leges, ad minuẽdam nobilitatis potentiam, tradidisse. In quibus & hæc fuit, ut quem populus damnasset, cui'ue imperium abrogasset, in Senatu non esset. Quod fecit propter simultates quas cum Q. Cæcilio

Ab urbe con. | Olympiad.

habuerat, qui paulo antè Consul fuerat, & cui populus, quia malè aduersus Cimbros rem gesserat, imperiũ abrogauit. Sub his præterea Coss. Cornelius magno sententiarum numero absolutus est, ut idem Asconius fatetur in fine huius orationis. Deniq; lex tabellaria, quæ & Cassia dicitur, sub his Coss. lata est à Cassio Longino, qua populus per tabellam suffragium ferebat: cum prius non uiritim, sed per curias conuocatus, magistratus crearet: & quod pluribus uisum esset curijs, ad Senatum referebatur, hoc est, cauebat non uoce, sed puncto debere fieri suffragia. Quæ antiqui nõ scripto, ut postea, in cistam tabellas suas conijcientes, easq; candidati cui fauebant insculptas literas habentes, sed puncto in tabellam facto notabant. Quod M. Tullius pro Plancio ostẽdit: & Horatius in Arte poetica tetigit, Omne tulit punctum, id est omnium tribuum suffragium habuit. Nam tribus conuocatæ, per tabellam ferebant suffragia: quibus latis, sortitio fiebat. Præco renunciabat quem tribus creassent. Auctores habeo Varronem in Re rustica, & Ciceronem pro Plancio. De hoc Marij altero consulatu sic Velleius: Designatus iterũ Cos. in Vrbem reuersus, secundi consulatus initio Cal. Ian. Bochum regem in triumpho duxit. Dehinc effusa immanis uis Germanorũ gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Cepionem Manliumq; Coss. & antè Carbonem Syllanumq; fudissent fugassentq; in Gallijs, & exuissent exercitu, Scaurumq; Aurelium Coss. & alios celeberrimi nominis uiros trucidassent, Populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem quàm Marium est ratus.

Horestes.

C. MARIVS III. ET L. AVRELIVS. 2

650 Huius consulatus meminit sic Plinius libro secũdo, capite quinquagesimonono: Tertio uerò consulatu Marij ab Amerinis & Tudertibus spectata arma cœlestia ab ortu occasuq; inter se concurrentia, pulsisq; ab occasu erant. Et libro tricesimotertio, capite primo sic: Triumphauit de Iugurtha C. Marius. Aureum annulũ non ante tertium consulatum sumpsisse traditur. Tertiũ hunc consulatũ Mario collatũ scribit Plutarchus, q; Treboniũ coronauerit, qui C. Lucium ex sorore nepotem ob turpem in se amorẽ occiderit. Lege uitam Marij. In hoc tertio consulatu L. Sylla fuit Tribunus militum, & Marsos, populosissimam gentem, ad Rom. pop. amicitiam societatemq; perduxit. Tradit Orosius libro quinto, capite decimoquinto, quòd ijsdem temporibus Q. Fabius Maximum filium suum adolescentem ruri relegatum, cum duobus seruis parricidij ministris interfecit, ipsosq; continuò seruos in preciũ sceleris manumisit. Die dicta Gn. Pompeio accusante damnatus est. De tertio Marij Consulatu sic Velleius: Tertius in apparatu belli cõsumptus, quo anno Gn. Domitius Trib. pl. legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet.

Catulus.

C. MARIVS IIII. ET Q. LVCTATIVS. 3

651 Quartum Mario consulatũ pop. Ro. dedit, persuasione L. Saturnini, qui magnus in populo princeps erat: licet eum recusaret, tanquam non indigeret, fugiendorum laborum gratia, ut Plutarchus scribit. in quo tamen consulatu summa ui, ut in sexagesimooctauo libro Liuij abbreuiator narrat, oppugnata à Teutonis & Ambronibus castra defendit. Duobus inde prælijs circa Aquas Sextias eos hostes deleuit. In quibus cæsa traduntur ducenta millia, capta nonaginta. Velleius sic tradit: Quarto Consulatu trans Alpeis circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit, amplius CL. millia hostium priore ac postero die ab eo trucidatis, gensq; excisa Teutonum. Ordinem uerò illius conflictus lege apud Plutarchum: Florum in tertio, de bello Cimbrico: Orosium libro quinto, capite decimoquinto: Eutropium libro quinto, capite primo. Sed ibi corrige, ducem eorum Teutobochum alijs dici, qui ibi Teutomodus dicitur. Multaq; prodigia accidisse sub his Consulibus, apud Iulium Obsequentem leges, & admiranda. Qui tradit, his Coss. piratas in Sicilia à Romanis deletos,

deletos, Teutonas à Mario trucidatos, Lusitanos deuictos, Hispaniam ulteriorem & Cimbros deletos. Meminit horum Coss. & Plinius libro uigesimosecundo, capite sexto, de coronis scribens.

4 C. MARIVS V. ET M. AQVILIVS. 652

Hic quintus consulatus absenti Mario datus est: oblatusq́ ei triumphus, quem distulit, donec Cimbros uinceret. Cimbri repulso ab Alpibus fugatoq́ Q. Catulo Proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen Athesim (quod Athisonē uocat Plutarchi interpres) castellum editum insederat, reliqueratq́: ubi uirtute sua explicata, fugientem Proconsulem exercitumq́ prosequuti, in Italiam traiecissent, iunctis eiusdem Catuli & G. Marij exercitibus, prælio uicti sunt. Ab eis Marius totius ciuitatis consensu receptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno cōtentus fuit: ab omnibusq́ acclamatum est, ab eo Rempub. conseruatam: tertiusq́ appellatus Romę conditor, ut latißimè Plutarchus docet. Liuius sexagesimooctauo, Florus, Orosius, Eutropius. Velleius: Quinto consulatu Marius citra Alpeis in campis quibus nomē erat Raudis ipse Cos. & Procos. Q. Luctatius Catulus fortunatißimo decertauere prælio. cæsa ac capta amplius, c̄. hominū. Hac uictoria uidetur meruisse Marius, ne eius nati Rempub. pœniteret, ac bona malis repensa esse. M. Aquilius Cos. scribitur in abbreuiatore libro sexagesimonono, in Sicilia bellum seruile concitatum confecisse: cuius & Florus meminit libro tertio, titulo decimonono. De M. Aquilio Liuius quoq́ sequenti libro. De strage Cimbrorum, & mulierum præsertim, uide Orosium libro quinto, capite decimoquinto. Eusebius in Chronicis, Olympiade cētesima septuagesima: G. Marius quinquies Cos. iuxta Eridanum Cimbros superans, pòst de ijs cum Catulo triumphauit. Animaduerte lector, si uerba hæc sint castigata.

Flaccus.

CLXX C. MARIVS VI. ET L. VALERIVS. 653

Sextum hunc consulatum Marius emit, per tribus argentū circūferens, & suffragia emens. Antea enim preterq́ Valerio Coruino nemini tot consulatus po. Ro. cō tulit. Valerio autem utebatur ministro potius, q̄ collega, ut Metellum Numidicum, cui infensus erat, Vrbe eijceret, atq́ in exilium ageret, ob Luciū Apuleium Saturninum, legem agrariā per uim ferentem: qui Tribunus plebis seditiosus, paulo pòst captus, & à Capitolio digrediens, fustibus cæsus, saxisq́ interfectus est. Propter cuius mortē pòst C. Rabirius à Labieno accusatus, à Cicerone Consule defenditur oratione quæ adhuc extat: in qua & horum Coss. fit mentio. Et Asconius Pedianus super oratione Tullij in L. Pisonem, hos singulari quodā loco designat. Ceterùm de hac Apuleiana seditione uidendi erunt, Liuius libro sexagesimonono, Plutarchus in Mario: Florus libro tertio, titulo decimosexto: Orosius libro quinto, capite decimosexto. Sed ibi hæc uerba scribuntur, quæ menda non carent: Anno ab Vr. con. sexingentesimoquinto, post Cimbricum & Teutonicum bellum, & quintū Marij consulatū, quo status imperij Romani iure conseruatus iudicatur, consulatu sexto eiusdem C. Marij ita labefactatus est, ut penè usq́ ad extremum intestina clade conciderit. Lege deinceps originem seditionis breuiter. Inibi autem numerorum notæ sunt deprauatæ. Sed de hac etiam Appianus primo libro Bellorum ciuilium: Plinius iunior de Viris illustribus, titulo sexagesimoseptimo, in Mario seniore: sed titulo septuagesimotertio plenius de L. Apuleio Saturnino. Valerius Maximus libro tertio, titulo de Fortitudine, huius seditionis ac consulatus meminit: paßim alibi. Meminit & horum Coss. Iulius Obsequens, qui his Coss. tradit fugitiuos in Sicilia prælijs trucidatos. Meminit præterea horum Coss. Cicero in prima inuectiua in Catilinā: & Plinius libro secūdo, capite trigesimoquarto: licet illic nomina sint parū uariata: Clypeus ardēs ab occasu ad ortum scintillans transcurrit solis occasum, L. Valerio, Cn. Mario Coss. Censeo C. Marium legendum. Velleius Paterculus quoque horum mentionem

Olympiad.

Ab urbe con. Coss.faciens,tradit Eporediam in Baciennis coloniam deductã,Mario VI. Valerioq;
Flacco Coss.Sed in secundo libro inquit: Sextus consulatus ueluti præmiũ ei merito-
rum datus.Non tamen huius consulatus fraudetur gloria, quo Seruilij Glauciæ, Sa-
turniniq; Apuleij furorem cõtinuatis honoribus Rempublicam lacerantium,& gla-
dijs quoq; & cæde comitia discutientium, Cos. armis compescuit,hominesq; exitia-
biles in Hostilia curia morte mulctauit.

Albinus.

M. ANTONIVS, ET A. POSTHVMIVS. 2

654 Hic M.Antonius,ut septuagesimo libro abbreuiator Liuij scribit,pro M. Aquilio
repetundarum accusato perorauit,tunicam à pectore eius discidit, ut honestas cicatri
ces ostenderet: quibus conspectis,absolutus est.Scribit Iulius Obsequens,inter cętera
prodigia,quæ multa enumerat, q; Sextius Trib.pleb. de agris diuidendis populo, cũ
repugnantibus collegis pertinaciter legem ferret,corui duo numero in alto uolantes
ita pugnauerunt supra concionem, ut rostris unguibusq; lacerarentur. Aruspices sa-
cra Apollinis litanda,& de lege quæ ferebatur supersedendum pronunciarunt.Sub-
ditq;, in Lusitania prosperè à Romanis pugnatum, & rebellãtes Lusitanos subactos.
Horum Coss.sic meminit Plinius libro octauo,capite septimo: Romæ pugnasse ele-
phantos,Fenestella tradit, primũ omnium in Circo Claudij Pulchri ædilitate curuli,
M.Antonio,A.Posthumio Coss. anno Vrbis sexcẽtesimo quinquagesimo quinto.
fortè quinquagesimoquarto legendum.

Iunius.

Q. METELLVS, ET T. DIDIVS. 3

655 Horum Coss.meminit Iulius Obsequens, qui multa prodit euenisse prodigia sub
ijs: subiungitq;,Hispanos pluribus prelijs deuictos.Fuit autẽ is Metellus,Balearici fi-
lius,ac Macedonici nepos, quem C. Curio accusauit. Metellus autem moriens, filiũ
suum Q.Metellum Nepotem cognominatum petijt, ut Curionem accusatorẽ suum
accusaret. Quod iureiurando se facturum promisit.Et Curionem reum dehinc fecit.
Postea inter eos pactio interuenit.Hoc apud Asconium Pedianum reperies super o-
ratione Tullij pro Cornelio,de Maiestate,qui horum ibi Coss.mentionem facit.

Lentulus, *Crassus.*

CN. CORNELIVS, ET P. LICINIVS. 4

656 Sub his item meminit Iulius Obsequens plura euenisse prodigia.Ac tandẽ subiun
git,Celtiberos,Medos,Dardanos subactos.Plinius horum Coss.sic meminit libro tri
gesimo, capite primo: Sexingentesimoquinquagesimo septimo demum anno Vr-
bis, Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss.senatusconsultum factum est,ne
homo immolaretur: palamq; in tempus siluit sacri prodigiosi celebratio.

Aenobarbus, *Longinus.*

CN. DOMITIVS, ET C. CASSIVS. CLXXI

657 Iulius Obsequens horum Coss. mentionem facit,prodigiaq; multa sub ijs facta cõ
memorat.Ac tandẽ addit,Ptolemæum regem Aegypti Cyrenis mortuum, S.P.Q.
R. hæredem reliquisse. Abbreuiator Liuij libro septuagesimo: Ptolemæus Cyrena-
rum rex,cui cognomentum Appionis fuit,mortuus po. Rom. hæredem reliquit: &
eius regni ciuitates Senatus liberas esse iussit. Plutarchus in Aemilio tradit eum pri-
mum Aenobarbũ dictum, qui Castori & Polluci non credidit narrantibus uictoriã
factam in Macedonia: cui cũ demulsissent barbam, ex nigra in fuscam mutata est.Et
hinc postea Aenobarbi cognomen tulit L.Domitius Aenobarbus, à quo familia to-
ta cognomentum sortita est, septem consulatibus insignita, triumpho censuraq; du-
plici, & inter patricios allecta, ut Suetonius in Nerone ab initio narrat. Nec ulla

unquam prænomina habuit, preterquam Gnei & Lucij. Primum enim, secundum ac tertium Aenobarborũ, Lucios: rursus sequentes tres ex ordine, Gneos: reliquos uicißim tum Lucios, tum Gneos fuisse constat. Puto hinc posse corrigi locum Velleij, ubi sine dubio pro ae dictione uti, VI. numerale non scribendum censeo, quòd cum Suetonio concordet. Velleij uerba hæc sunt: Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quędam, & ut clarißima, ita arctata numero felicitas, uti VI. ante hunc nobilißimę simplicitatis iuuenem Cn. Domitium, fuere: singulis omnino parentibus geniti: sed omnes ad consulatum, sacerdotiaq́, ad triumphi autem penè omnes peruenerant insignia. Hic autem Domitius, teste Asconio, cum esset Trib. pleb. iratus M. Scauro fuit, quòd eum in Augurum collegium non cooptauerũt. Diem ei dixit ad populum, & mulctam irrogauit, quòd eius opera, sacra multa pop. Rom. diminuta esse diceret. Crimini dabat, sacra publica pop. Rom. deûm penatium, quæ Lanuuij fuerunt, opera eius minus rectè casteq́ fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus. Hic Cn. Domitius est atauus Neronis Cæsaris. de quo eandem scribens historiam Suetonius in Nerone, Rubrica secunda sic inquit: Cn. Domitius in tribunatu Pontificibus offensior, quòd alium quàm se in patris sui locum cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum à collegis ad populum transtulit. Ac in consulatu Allobrogibus Aruernisq́ superatis, elephanto per prouinciam inuectus est, turba militum quasi inter solennia triumphi prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus Orator, Non esse mirandum, quòd æneam barbam haberet, cui os ferreum & cor plumbeum esset. Hic est ille Domitius qui est celebratus in sua censura, quam cum Crasso gesßit, à Valerio Maximo libro nono, titulo de Luxuria. Ahenobarbus con.

His Coss. Ptolemæus Aegypti rex Cyrenis mortuus, S.P.Q.R. hæredem reliquit.

Idem Eusebius, à quo Caßiodorus mutuauit, & cæteri ferè omnes historici.

Licinius, Mutius.

2 P. CRASSVS, ET Q. SCAEVOLA. 658

Horum Coss. Iulius Obsequens meminit. Sed præter prodigia quæ multa commemorat, nihil aliud historiarum scribit. Fuerunt autem, P. Licinius Crassus, eximius orator: Scæuola, summus orator & iurisconsultus: qui in hoc consulatu legem de gerendis in sua ciuitate socijs tulerunt. Cum summa cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro ciuibus Romanis se gereret, necessaria lex uisa est, ut in suæ quisque ciuitatis ius redigeretur. Verùm ea lege ita alienati sunt animi principũ Italicorum, ut ea uel maxima causa belli Italici, quod post trienniũ exortum est, fuerit. Asconius Pedianus in oratione de Maiestate: Fuit autem Q. Mutius Scæuola, P. filius, & L. Crasßi socer, princeps Romæ, in ædilitate sua leonum simul plurium pugnam dedit. Et primùm collega Crasso in consulatu, & iterum cum L. Cæcilio Metello, cum uterq́ de Dalmatis triumphauit, Pontifex maximus, Romanorum unus & ingenio & industria pręstantißimus. Nam fuit orator ac iurisconsultus insignis, qui Ciceronem in iure ciuili instituit. Vnde meritò eum uocat primo de Oratore omniũ doctißimum, & disciplina iuris ciuilis eruditißimum, & ingenio prudentiaq́ acutißimum, & oratione maximè limatum, subtilem: atq́ iurisperitorum eloquentißimum, eloquentium iuris peritißimum. Plura in libro de Claris oratoribus. Hunc Marius filius interfici iußit, & in Tiberim deijci. Alius fuit Scæuola iurisconsultus, teste Capitolino, cuius auctoritate & periculo Antoninus philosophus semper iura dictauit: & sub eo Papinianus & Seuerus iureconsulti profeßi sunt, ut inferius uidebimus.

Aenobarbus.

3 C. CAELIVS, ET L. DOMITIVS. 659

Iulius Obsequens primum Cõsulem appellat C. Lælium, ut appareat in alterutro esse

Ab urbe con. esse errorem: multaq; admiranda scribit sub ijs facta prodigia. Quorum quædam libet subscribere: reliqua in ipso autore inuenies. Puella biceps, quadrupes, quadrimana, gemina fœminea natura, mortua nata. Fæsulis ingẽs multitudo inter sepulchra, lugubri ueste, pallida facie, interdiu ambulare gregatim uisa. Per Nasicam Hispaniæ principes, qui rebellabant, supplicio cõsumpti, urbibus dirutis. Asconius item Pedianus super oratione Tullij pro Cornelio, de Maiestate, meminit cuiusdã S.C. facti sub his Coss. C. Cælio & Cn. Domitio: sic enim alterum appellat Consulem.

Flaccus. 4

660 C. VALERIVS, ET M. HERENNIVS.

Sub his Coss. Iulius Obsequens iterum plura describit prodigia: Herennioq; Cõsuli bis immolanti tradit semper caput iocinoris defuisse: sed lustratione prospere expiatum, totum annum domi forisq; tranquillum fuisse. Meminit & horum Coss. Plinius libro decimonono, capite tertio, de laserpitio scribens: Quo minus omittendum uidetur, Valerio, M. Herennio Coss. Cyrenis aducta Romam publice laserpitij pondo XXX.

Pulcher. CLXXII

661 C. CLAVDIVS, ET M. PERPENNA.

Narrat Iulius Obsequens multa prodigia, quæ his Coss. euenerunt, quòd scilicet bubo in æde Fortunę equestris comprehensus, inter manus expirauit. Fęsulis fremitus terræ auditus. Puer ex ancilla natus sine foramine naturæ, quo humor emittitur. Mulier duplici natura inuenta. Fax in cœlo uisa. Bos loquuta. Examen apum in culmine priuatæ domus cõsedit. Volaterris sanguinis riuus manauit. Romæ lacte pluit. Aretij duo androgyni inuenti. Pullus gallinaceus quadrupes natus. Fulmine pleraque icta. Supplicatio fuit. Populus Cereri & Proserpinæ stipẽ tulit. Virgines uiginti septem carmen canentes, Vrbem lustrauerunt. Subnectitq; in fine: Medorũ in Macedonia gens prouinciam cruente uastauit. Scribit Plinius in septimo, capite quadragesimooctauo, M. Perpennam & L. Saturninum, omnium quos in consulatu sententiam rogauerunt, superstites fuisse.

Philippus, Cæsar. 2

662 L. MARTIVS, ET SEX. IVLIVS.

Sub his Coss. horrenda prodigia euenerunt, quæ bellum sociale antecesserunt: ut Iulius Obsequens latissime narrat: & Paulus Orosius quinto libro, capite decimoseptimo. Est autem sociale appellatum, & Marsicum. Sociale, quoniam omne Latium atq; Picenum, & Ethruria omnis atq; Campania, postremò Italia contra matrem ac parentem suã Romã consurrexerunt. Marsicum uerò, quoniam à Marsis rebellandi suscitatum fuerat initium: qui receptaculum fecerunt Corfinium, Pelignorũ metropolim: & creatis imperatoribus biẽnio aduersus Romanos, donec in ciuitatẽ Romanam pariter uocarenĩ, belligerarũt, ut scribit Strabo in quinto. Suscitauit autem illud bellũ M. Liuius Drusus Tribunus plebis, cũ Latinos omnes spe libertatis attraxisset, ut leges agrarias frumentariasq; ferret: & item legem iudicialem, ut æqua forent iudicia penes Senatum, & ordinem equestrem. Cum uerò promissa præstare non posset, defectionem Italici cœperunt. Et Drusus, tanquam autor socialis belli, domi occisus est. Velleius Paterculus huius rei sic meminit: Deinde interiectis paucis annis, tribunatum inijt M. Liuius Drusus, uir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoq;, quàm fortuna usus. Qui cum Senatui priscum restituere cuperet decus, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem (quippe eã potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cũ in multos clarissimos ac innocentissimos uiros sæuissent, tum P. Rutilium, uirum non seculi sui, sed omnis æui optimũ, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu ciuitatis damnauerant) in

ijs ipsis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit aduersarium, non intelligentẽ, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, ueluti inescandæ, inliciendæꝗ multitudinis causa fieri, ut minoribus præceptis, maiora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta collegarum, ꝗ eius optime ab ipso cogitata, Senatus probaret magis: & honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret: iniurias, quæ ab alijs intendebantur, æquo animo reciperet: & huius summæ gloriæ inuideret, illorum modicã ferret. Tum conuersus Drusi animus, quando bene cœpta malè cedebãt, ad dandam ciuitatem Italię. Quod cum moliens reuertisset è foro, immẽsa illa & incognita (quæ eum semper comitabatur) cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit. Sed cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium mœrentiumꝗ frequentiam, effudit uocem conuenientissimam conscientiæ suæ. Ecquando ne (inquit) propinqui amiciꝗ similem mei ciuem habebit Respublica? Hũc finem clarissimus iuuenis uitæ habuit: cuius morum minimè obmittatur argumentum. Cum ædificaret domum in Palatio, in eo loco ubi est quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statelij Sisennæ est: promitteretꝗ ei architectus, ita se eam ędificaturum, ut libera à conspectu, immunisꝗ ab omnibus hominibus esset, neꝗ quisquam in eam despicere posset: Tu uerò, inquit, si quid in te artis est, ita compone meam domum, ut quicquid agam, ab omnibus perspici posit. Mors Drusi iampridem tumescens bellum excitauit Italicũ. Quod bellũ Liuius septuagesimoprimo, & sequentibus quinꝗ libris explicauit: Florus libro tertio, titulo decimooctauo pulchrè complexus: Appianus in primo Ciuilium: Eutropius libro quinto, capite primo, qui hoc bellũ accidisse scribit anno Vrb. con. sexingentesimo quinquagesimooctauo, in quatuor annis lapsus, Orosius uerò sexingentesimo quinquagesimonono, tribus annis deceptus, si non numerorum notæ sunt deprauatæ. Vterꝗ latè hoc bellum exequitur. Plinius libro tricesimotertio Naturalis historiæ, capite primo, tradit originem socialis belli, & exitia rerum prouenisse, ex inimicitijs inter Cepionem & Drusum, ob annulum in auctione nauali uenditum. Quomodo uerò Q. Seruilius Procos. in oppido Asculo cum ciuibus Romanis sit occisus, & Seruilius Galba à Lucanis comprehensus, in septuagesimosecundo Liuij, & apud Appianum, inuenies. Meminit Coss. Asconius Pedianus super oratione Ciceronis quæ inscribitur, Pro Cornelio, de Maiestate. Sed eadem oratio non extat. Plinius libro secundo, capite octogesimoquinto, his Coss. refert in agro Mutinensi duos montes inter se concurrisse, crepitu maximo assultantes recedentesꝗ: flammasꝗ ac fumum prodijsse, &c. anno ante Sociale bellum. Idem libro tricesimotertio, capite tertio, inquit: In ærario publico, Sexto Iulio, L. Martio Consulibus, hoc est belli socialis initio, octingenta quadraginta sex auri pondo fuisse. Sed in antiquo Plinij exemplo legitur, Auri sedecim M. argenti octingenta, uigintinouem. Et hæc est uerior lectio.

P. *Lupus.*

3 L. CAESAR, ET G. RVTILIVS. 663

Appianus in primo Ciuilium, Sex. Iulium Cæsarem, & P. Rutilium Lupum hos Coss. uocat. Sed error est ex confusione superioris consulatus. Quod tum ex Liuio, tum ex alijs cognoscere poteris. Sed & Iulius Obsequens, qui horum Coss. meminit, alterum Coss. Rutilium P. appellat, non G. ut erratum quoque esse in Cassiodoro deprehendatur. A' Picentibus Romani barbaro more excruciati, ubiꝗ in Latio clades accensa. Cum P. Rutilius Cos. parum prosperè contra Marsos pugnasset, & in prælio cecidisset, G. Marius legatus eius meliore euentu cum hostibus conflixit, ut in septuagesimotertio Liuius asserit: & Appianus, Orosius, Florus, ac Eutropius attestantur. Iulius Obsequens scribit, Rutilium Lupum spretis religionibus, cum in extis caput non inuenisset iocinoris, amisso exercitu, in prælio occisus est. L. uerò Cæsar

Coss.

Ab urbe con. *Olympiad.*

Coss. feliciter contra Samnites pugnauit. Ob eam uictoriam Romæ saga posita sunt. G. Marius prælio Marsos fudit, Gn. Pompeius Picentes, ut in septuagesimoquarto Liuij patet. Velleius Paterculus horum Coss. mentionem faciens, scribit: L. Cæsare & P. Rutilio Coss. (sic enim est legendum, non Pompeio) abhinc annos CXX cum bellum Italicum in uniuersa Italia, ab Asculanis ortum esset (quippe Seruium Prætorem, Fonteiumq; legatum occiderant) ac deinde à Marsis exceptum, in omnes pene trasset regiones, arma aduersus Romanos cæpit. Quorum ut fortuna atrox, ita causa fuit iustissima. Petebant enim eam ciuitatem, cuius imperium armis tuebātur per omneis annos atq; omnia bella: duplici numero se militum equitumq; fungi: neq; in eius ciuitatis ius recipi, quæ per eos in idipsum peruenisset fastigium, per quod homines eiusdem & gentis & sanguinis externos alienosq; fastidire posset. Id bellum amplius CCC. M. iuuentutis Italicæ abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cn. Pompeius, Cn. Pompeij Magni pater: Caius Marius, de quo prædiximus: L. Sulla, anno antè prætura functus: Q. Metellus, Numidici filius, qui meritum cognomen Pij erat consequutus: quippe expulsum ciuitate L. Saturnino Tribuno plebis, quòd solus in leges eius iurare noluerat, pietate sua, autoritate Senatus, consensu Reip. restituit patrem. Nec triumphis honoribusq;, quàm aut causa exilij, aut exilio, aut reditu, clarior fuit Numidicus. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Popedius, Herius Asinius, Iusteius Cato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilius. Neq; ego uerecundia domestici sanguinis gloriæ quicquam, dum uerum refero, subtraham: quippe multum Minatij Magij atauí mei Asculanensis tribuendum est memoriæ: qui nepos Decij Magij, Campanorum principis, celeberrimi & fidelissimi uiri, tantam hoc bello Romanis præstitit fidem, ut cum legione quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Cosamq; occuparet. Cuius de uirtutibus Hortensius in Annalibus suis retulit. Appianus uerò particulatim hoc bellum describens, qui sub singulis Coss. militauerint, ac strenuè pugnauerint, explicat. Illic uide que desideras, & passim, quomodo Cepio à Q. Pompilio circumuentus, interemptus sit. Horum Coss. meminit & Plinius libro secundo Naturalis historiæ, capite tricesimo: Circulus rubri coloris apparuit L. Iulio, P. Rutilio Coss. Illud pręterea annotandum ex Asconio Pediano, super Oratione Tullij pro M. Scauro, duos Iulios Cæsares fratres fuisse, qui postea à satellitibus Marij sunt occisi cum Antonio, cū P. Crassus eundem casum sua manu præuenisset, ut inferius dicemus. Ex quibus fratribus L. & Cos. & Prætor fuit: C. ædilitius quidem occisus est. Quomodo autem cum contentione consulatum adeptus sit Cæsar, Pedianus pluribus docet. Idem inter primos sui temporis oratores & tragicus poeta bonus. Huius enim sunt tragœdiæ quæ inscribuntur Iulij.

Strabo, *Cato.*

664 CN. POMPEIVS, ET L. PORCIVS. 4

Gn. Pompeius, Magni Pompeij parens, Consul Marsos acie uicit. Cum ære alieno oppressa esset ciuitas, A. Sempronius Asellius Prætor, quoniam secundū debitores ius dicebat, in foro occisus est, ut in septuagesimoquarto Liuius ostendit, & Appianus primo Ciuiliū. L. Porcius Consul rebus prosperè gestis, fusisq; aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. L. Sylla Hirpinos domuit, Samnites fudit, aliquot populos recepit: quantisq; raró quisq; ante consulatū rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus, ut in septuagesimoquinto abbreuiator Liuij explicat. Orosius libro quinto, capite decimoseptimo, eleganter explicat quæ sub his Coss. gesta sunt: confusius Eutropius: Florus, ut assolet, perstringit: Appianus copiose singula. Sed alterum Consulem, Cornelium Catonem uocat perperam. Plura quæ sub his Coss. in Macedonia à Thracibus per Mithridatem cum Ariobarzane Cappadoce, & Nicomede Bithynio gesta sunt, explicauit Liuius septuagesimosexto

 libro,

Olympiad. libro, si extaret. Velleius Paterculus sic de hac re scribit: Tam uaria atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per bienniũ continuò duo Romani Coss. Rutilius, ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderenť, exercitus pop. Rom. multis in locis funderenť, utque ad saga iretur, diuque in eo habitu manereť. Caput imperij sui legerant Corfiniũ, quod appellarunt Italicam. paulatim deinde recipiendo in ciuitatem, qui arma aut non caeperant, aut deposuerant, maturius uires refectae sunt, Põpeio Sullaque & Mario fluentem procumbentemque Rempub. pop. Rom. restituentibus. Horum Coss. Asconius super oratione de Maiestate sic meminit: M. Plautius Syllanus Trib. plebis, Cn. Pompeio Strabone, & L. Porcio Catone Coss. secundo anno belli Italici, cũ equester ordo in iudicijs damnaretur, legem tulit, adiuuantibus nobilibus, quae eam uim habuit, ut singulae tribus ex eo numero quinos denos suffragio crearent, quae eo anno iudicarent. Ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidã ex ipsa plebe. Quod Cicero in ea oratione explicat. Tradit etiam Asconius, Transpadanos populos, annitente Pompeio Strabone, ius Latij petijsse: & tum lex data, qua & ipsi iura latinitatis recentiora consequuti sunt, hoc est ius petendi magistratus, & eadem quae Itali habuerant. Plinius in tertio Naturalis historiae, capite quinto, huius consulatus meminit: sed alterum nomen suspicor deprauatum. Nam nusquam inuenio Cn. Pompeium habuisse collegam Carbonem. Habuit quidem M. Crassum bis, habuit & Q. Metellum Scipionem collegas: sed nunquam Carbonem. Verba Plinij haec sunt: In Campano autem agro Stabiae oppidum usque ad Cn. Pompeium & L. Carbonem Coss. à pridie Cal. Maij, quo die Sylla legatus bello sociali illud deleuit, quod nunc in uillas abijt. Arbitror omnino pro L. Carbone L. Catonem legendum: quia tempora conueniunt. Neque hoc puto transeundum, quod Plinius libro decimoseptimo, capite primo scribit, & sub id tempus uel propè gestum est, duobus annis in quaestionem relictis. Nobilissimarum, inquit, gentium ambo Crassus & Domitius censuram post consulatum simul gessere, anno conditae Vrbis sexcentesimo sexagesimosecundo, frequentem iurgijs propter dissimilitudinem morum. Tunc Cn. Domitius, ut erat uehemens natura, praeterea accensus odio, quod ex aemulatione auidissimum est, grauiter increpuit, tanti Censorem habitare, pro domo eius millia nummorum identidẽ promittens. At Crassus ut praesens ingenio semper, & faceto lepôre solers, concedere se respondit, exceptis sex arboribus, ac ne uno quidem denario, si adimerentur, emptam uolente Domitio. Crassus, Vtrùm ne igitur ego sum, inquit, quaeso Domiti exemplo graui & ab ipsa mea censura notandus, qui in domo, quae mihi haereditate obuenit, comiter habitem: an tu, qui sex arbores aestimes? Eae fuere loti, patula ramorum opacitate lasciuae. Vide Valerium Maximum libro nono, titulo de Luxuria, eadem recensentem.

Abur. be con.

Sulla, Ruffus.

CLXXIII L. CORNELIVS, ET Q. POMPONIVS. 665

His Coss. horrendum illud ciuile bellum, quod Marianum dicitur, exarsit, cum enim aduersantibus Coss. P. Sulpitius Trib. pleb. autore C. Mario perniciosas leges promulgasset, & Marium ducem aduersus Mithridatem regem creasset, Pompeijque Consulis filium, generum Syllae, in foro occidisset: L. Sylla Cos. cum exercitu in Vrbem uenit, & aduersus factionem Sulpitij & Marij in ipsa Vrbe pugnauit. Sulpitius in uilla quadam repertus occisus est. Marius in paludibus Minturnensium latitans, extractus, & carceri datus, è custodia elapsus, in Africam ad Marium filium fugit. Q. Pompeius Cos. ad capiendum à Gn. Pompeio Proconsule exercitũ profectus, eius consilio occisus est. Caeterùm quia perlongum ac difficile illud bellũ fuit, quod Liuius septuagesimoseptimo, & pluribus sequẽtibus libris, explicauit, qui tamẽ perditi sunt: ex Appiano, primo Ciuilium: Floro libro tertio, titulo uigesimoprimo: Plutarcho, in Sylla atque Mario: ex Orosii tandem libro quinto, capite decimooctauo: atque ex Eutropio, libro quinto, illud perdiscendum est. Vterque annò ab Vrb. con. sexingentesimo sexagesi-

mo sexagesi-

Ab urbe con. mo sexagesimosecundo illud bellum cōmotum scribunt (licet paucis annis discrepāt à uera supputatione) nondum finito sociali bello, quo etiā Mithridaticum cœptum est. Sed pluribus passim locis de hoc & Val. Max. & Lucanus poeta. Plinius item iunior, titulo septuagesimoquinto, de Sylla scribit: cuius uitā atq; mores elegantissimè Plutarchus depinxit. Mithridates rex sub id tempus Asiam occupauit. Proconsulē & legatum Aquilium in uincula coniecit: & quicquid ciuium Romanorū in Asia reperit, uno die trucidauit, ut Liuius septuagesimooctauo libro cōmemorat. Velleius Paterculus sic horū Coss. meminit: Finito ex maxima parte, nisi quę Nolani belli manebant reliquiæ, Italico bello (quo quidem Romani uictis afflictisq; ipsi exarmati, q̃ integris uniuersis ciuitatē dare maluerunt) consulatum inierunt Q. Pompeius, & L. Cornelius Sulla: uir qui neq; ad finem uictoriæ satis laudari, neq; post uictoriā abundè uituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus à Cornelio Ruffino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cū familiæ eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullā petēdi consulatū cogitationē habere uideretur. Deinde post pręturam illustratus bello Italico, & antè in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat: ex successu animum sumpsit, petensq; consulatū, penè omniū ciuiū suffragijs Cos. factus est: sed eū honorem undequinquagesimo ætatis suę anno assequutus est. Per ea tēpora Mithridates Ponticus rex, uir neq; dicendus, neq; silēdus sine cura, bello acerrimus, uirtute eximius, aliquando fortuna, animo semper maximus, cōsilijs dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia, necatisq; in ea omnibus ciuibus R. quos quidem eadem die atq; hora, redditis ciuitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorum interimi iusserat. Prosequitur dehinc latissimè quæ Rhodij Mitylenij egerunt. De M. Aquilio, de P. Sulpitio, de Mario, & quæ ad Nolam acta sunt, multa, in fine subiungit: Hoc primùm anno sanguine Cos. Romani militis imbutæ manus sunt. Quippe Pompeius, collega Syllæ, ad exercitum Gn. Pompeij Proconsulis seditione, sed quam dux excitauerat, interfectus est. Sed extat Appiani liber Mithridaticus dictus, quo omnia hæc continentur, quæ pluribus libris Liuius est exequutus: Florus libro tertio, titulo quinto perstringit: passim alij, Plutarchus, Orosius, Eutropius, Val. Max. Plinius iunior. Multa prodigia hoc bello præcesserunt, quæ Iulius Obsequens scribit, quæ negligenda non sunt. Orosius illud seorsum libro sexto, capite primo prosequit, secundo, & tertio, sequentibus. Meminit horū Coss. Asconius Pedianus in oratione Cornelij de Maiestate. Sed cū Quintilianus in primo dicat, doctorē subtilem origines nominum scrutaturū, unde Sullę dicti sint: possunt uideri Sullæ nuncupati à sylo naso, est enim sylus nasus, sursum uersus & repandus. Ex habitu enim corporis Syllas dici, sicut Burrhos, Plancos, & Scauros existimauit. Macrobus uerò ait, Corneliū Ruffum, cum esset unus ex Decēuiris Sibyllinis, cognominatum esse Sibyllam: qui mox, corrupto uocabulo, primus Sylla cœpit uocitari, à quo cæteri deinde. Plutarchus quoque ex corporis habitu denominationes ritè imponi scribit, ut Silli, Nigri, Ruffi, Cæci & Clodij dicuntur. Suidas Syllam per y græcum scribi docet.

Cinna.

666 L. CORNELIVS, ET GN. OCTAVIVS. 2

His Coss. crudelissimæ cædes in Vrbe factę sunt. Nam dissidētibus inter se Coss. Cinna à Cn. Octauio pulsus Vrbe, in eius locum L. Cornelium Merulam flaminem Dialem substituit. Cinna, collecto exercitu, ac reuocatisq; exulibus, cum quatuor exercitibus, quos Cinna & Marius, Carbo & Sertorius ductabant, euastatis multis oppidis ac uillis, Vrbem ingrediuntur. Obuios quosque trucidant, aduersæ factionis caput Octauij obtruncant, atque ante Rostra affigunt. Item & caput M. Antonij oratoris, & plurium aliorum. Nam & C. Cæsar, L. filius, in penatibus suis unà cum fratre L. Iulio Cæsare, fuit interfectus, eiúsque caput pro Rostris positum. Cicero in tertio de Oratore eius meminit. Neque uerò non longè ab eo C. Iulij

Olympiad. caput, hospitis Ethrusci scelere proditum, cum L. Iulij fratris capite iacuit. Hic fuit facetissimus orator, qui disputat de risu ac facetijs apud Ciceronem in secundo de Oratore: cuius & in Bruto meminit: & Diuus Augustinus in tertio Ciuitatis diuinę. Vnde & Suetonius in Caligula, obseruatũ scribit tres Cæsares, quibus C. prenomen fuit, ferro perijsse. Hunc scilicet temporibus Cinnanis, C. Iulium Cęsarem, & C. Caligulã Cæsarem. Præterea in hac clade Syllæ amicos atque necessarios interficiunt, domum euertunt, ac bona publicant: fugatis uxore ac liberis, ipsum hostem iudicant. Nam interim Sylla in Asia summa uirtute aduersus Mithridatem pugnauit, captis Athenis, & pluribus alijs locis. Dehinc cũ dies Merulæ Consuli dicta esset, atq; Catulo Luctatio, Merula uenas sibi incidit. Catulus carbonibus incẽsis, in cubiculo illicito & humido seipsum sponte suffocauit. P. Crassus, pater M. Crassi qui apud Parthos perijt, ne in manus incideret inimicorũ, seipsum interemit, ut Cicero pro M. Scauro scribit. Tum sine ullis comitijs in sequẽtem annum se ipsos Cinna & Marius Coss. crearunt. Quę omnia Liuius septuagesimonono ac octogesimo libris complexus est. Tu uerò Appianum latissime in primo Ciuilium hanc rem describentem perlege: necnon L. Florum libro tertio ingeniosissimè comprehendentem, quæ his Coss. gesta sunt, titulo uigesimoprimo, ubi hos quoque Coss. nominat: passim Plutarchus in Mario, Orosius, & Eutropius in quinto, horum Coss. meminerũt: & Plutarchus in Sertorio, ubi hoc bellum pulchrè etiam describitur. Velleius de hoc consulatu hæc prodit: Non erat Mario Sulpitioq; Cinna temperatior. Itaque cum ita ciuitas Italiæ data esset, ut in octo tribus contribuerentur noui ciues, ne potentia eorum & multitudo, ueterum ciuium dignitatem frangeret, plusq; possent recepti in beneficium, q; autores beneficij: Cinna in omnibus tribubus eos se distributurũ pollicitus est. Quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiã in Vrbem acciuerat. E qua pulsus, collegę optimatiumq; uiribus, cum in Campaniam tenderet, ex autoritate Senatus, consulatus ei abrogatus est: suffectusq; in eius locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis. Hæc iniuria homine q; eximio dignior fuit. Tum Cinna corruptis primò Centurionibus ac Tribunis, mox etiã spe largitionis militibus, fretus ingẽti numero nouorũ ciuiũ, è quorũ delectu CCC amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleuerat. Opus erat partibus, autoritate, gratia, cuius augendæ C. Mariũ cum filio de exilio reuocauit, quiq; cum ijs pulsi erant. Dum bellum autẽ infert patriæ Cinna, Cn. Pompeius, Magni pater, cuius pręclara opera bello Marsico, præcipuè circa Picenũ agrum usa erat Respub. quiq; Asculum cæperat, circa quam urbem cum in multis alijs regionibus exercitus dispersi forent quinq; & LXX ciuium Romanorũ, amplius LX Italicorum una die conflixerant: frustratus spe continuandi consulatus, ita se dubium mediumq; partibus præstitit, ut omnia ex proprio usu ageret, tẽporibusq; insidiari uideretur, & hinc atq; illinc, unde spes maior affulsisset potentiæ, se exercitumq; deflecteret. Sed ad ultimum magno atrociq; prælio cum Cinna conflixit. Et cum utrumq; exercitum uelut parum bello exhaustum laceraret, pestilentia Pompeius decessit. Cuius interitus uoluptas amissorum aut gladio, aut morbo, ciuium penè damno repensata est. Pop. Ro. quam uiuo iracundia debuerat, in corpus mortui cõtulit. Cinna & Marius, haud incruentis utrinq; certaminibus editis, Vrbem occupauerunt. Sed prior ingressus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit. Mox C. Marius pestifero ciuibus suis reditu intrauit mœnia. Nihil illa uictoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset sequuta. Addit deinde, quomodo Octauius Cos. sit interfectus, quomodo Merula, quomodo M. Antonius, princeps ciuitatis atq; eloquentiæ: quomodo Q. Catulus. Tandẽ subiungit: Omnia erant pręcipitia in Rẽpub. Nec tamẽ adhuc quisq; inueniebat, qui bona ciuis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoq; accessit, ut sæuitiæ causam auaricia præberet, & modus culpæ ex pecuniæ modo cõstitueretur: & qui fuisset locuples, fieret innocens, sui quisq; periculi merces foret: nec quicquam uideretur turpe, quod esset quæstuosum.

Ab urb. con.

L. CORNE-

Ab urbe con. Cinna. 3

667 L. CORNELIVS II. ET C. MARIVS VII.

Hic est primus Romanorum C. Marius, qui septimum gessit consulatum: quē cū Cal. Ianuarij iniret de more, Sex. Liciniū, q̄ & ipsi & Vrbi affuturas calamitates prædixerat coniectura, de saxo præcipitē deiecit. At cū acciperet L. Syllā cōfecto Mithridatico bello in Italiā redire, animi mœrore & continuis uigilijs exhaustus, Idibus Ianuarijs, decimoseptimo die septimi consulatus, anno ætatis sexagesimooctauo, mortuus est: uir, dubium, an bello melior, an pace perniciosior: qui Rempub. penè armis euastauit, ut Plutarchus in Mario, & Liuius libro octuagesimo, scribunt. In cuius locum L. Valerius Flaccus substitutus, ac Syllæ successor missus, propter auaritiam inuisus exercitui suo, à G. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est, & imperiū ad Fimbriā translatū: ut narrat abbreuiator Liuij libro octogesimosecundo. Qui in sequenti quoq; libro scribit, sæpius copias Mithridatis ab eo fusas ac fugatas, magnā parte Asiæ recuperasse. Meminit & horū Coss. Iulius Obsequens, qui & prodigia & res sub ijs gestas delibat. Sed coniuncti illic sunt duo consulatus ab impressoribus, qui sunt distinguendi: alioqui fiet cōfusio. Vide studiose lector ibi de Pompeio sidere afflato. Pro pleniori autē intellectu lege Appianū, Florū, Orosium, Eutropiū. Plinius libro undecimo, capite quadragesimoquinto, huius C. Marij sic meminit: C. Mariū, qui septies Cōsul fuit, stantem sibi extrahi passum unū hominē, Oppius autor est. & in decimooctauo, capite sexto. De hoc consulatu sic scribit Velleius Paterculus: Secūdum deinde consulatū Cinna, & septimum Marius, in priorū dedecus inijt. Cuius initio, morbo oppressus, decessit: uir in bello hostibus, in ocio ciuibus infestissimus, quietisq; impatientissimus. In huius locū suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis autor, quæ creditoribus quadrantem solui iusserat. Cuius facti merita eum pœna intra biennium consequuta est. Dominante in Italia Cinna, maior pars nobilitatis ad Syllam in Achaiam, & deinde pòst in Asiam profugit. Sylla interim cum Mithridatis præfectis circa Athenas Bœotiamq; & Macedoniam ita dimicauit, ut & Athenas reciperet, & plurimo circa multipliceis Pirei portus munitiones labore expleto, amplius c̄ c̄ hostium interficeret, nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ à Sylla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum ueri uetustatisq; ignarus est. Adeò enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper & in omni re, quicquid sincera fide gereretur, id Romani Attica fieri prædicarent. Cęterùm tum oppresi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, & animos extra mœnia, corpora necessitati seruientes intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sylla, parentem ante omnia, supplicémque Mithridatem inuenit. Quem multa cum pecunia, ac parte nauium, Asia, omnibúsque alijs prouincijs, quas armis occupauerat, decedere coegit: captiuos recepit: in perfugas, noxiosq; animaduertit: paternis, id est Ponticis finibus, contētum esse iussit. Describit deinde C. Flauij Fimbriæ mortem, & quomodo P. Lænas Sex. Licinium, quem Lucillium ipse uocat, interemerit.

Cinna. Carbo.

668 L. CORNELIVS, III. ET CN. PAPIRIVS. 4

His Coss. à seipsis per biennium creatis, cum bellum contra Syllam pararent, effectum quidem est per L. Valerium Flaccum, principem Senatus, & eos qui concordię studebant, ut legati ad Syllam de pace mitterentur: ut octogesimotertio libro scribit Liuius. Appianus scribit, Cinnam & Carbonem per uniuersam Italiam nonnullos misisse, qui pecunias, frumentum, & exercitus pararent: diuites cum omni substantia assumerent, ex urbibus nouos ciues excitarent, naues summa celeritate in Siciliam deducerent, quę maritimam tutarentur oram. Denique nihil omissum est, quod ad apparatū belli pauore & celeritate indigeret. Velleius Paterculus; Sylla cōpositis transmarinis

Olympiad. transmarinis rebus, cum ad eum primum omnium Romanorũ legati Parthorũ uenissent, & in ijs quidam magi ex notis corporis respõdissent, cœlestem eius uitam & memoriam futuram, reuectus in Italiam, haud plura XXX armatorum millia, aduersum CC amplius hostium exposuit Brundusii. Vix quicquam in Syllæ operibus clarius duxerim, quàm quòd cum per trienniũ Cinnanæ Marianæq; partes Italiam obsiderent, neq; inlaturum se bellum ijs, dissimulauit: nec quod erat in manibus, omisit: existimauitq; antè frangendum hostem, quàm ulciscendum ciuem: pulsoq; externo metu, ubi quod alienum esset uicisset, superaret quod erat domesticum. Cæterũ Cn. Papirium Carbonem Plinius libro septimo, capite decimosexto, prodidit cum dentibus natum, ut olim M. Curium, qui ob id Dentatus cognominatus est. Abus con.

CLXXIIII *Cinna, Carbo.*

L. CORNELIVS IIII. ET CN. PAPYRIVS II. 669

Cum se iterum refecissent Coss. hi duo, Senatus autem legatos Syllæ misisset, qui conciliationem agerent: Cinnæ autem & collegæ edixisset, ne delectus ullos in eum facerent, quod ab ijs promissum est: absentibus interim legatis, ulterius se Coss. esse recusarunt, ne ob proxima futura comitia redire cogerentur. Deinde omnem Italiã peragrantes, exercitus parabant: quos in Liburniam, uelut eo in loco Syllæ occursuri, per mare mittebant. Pars prospera nauigatione usi, pars naufragio disiecti, in patriam rediere. Reliqui terrore perculsi, in Liburniam nauigare recusarunt. Quos cũ inuitos cogere Cinna niteretur, lapidibus & exertis ensibus in ipso consulatu est iugulatus. Vide Plutarchum in Pompeio, & Appianum. Carbo solus consulatum gessit. Inuitus & minis coactus in Vrbem ueniens, cum aruspicibus tantum egit, ut ad æstiuas cõuersiones comitia differrentur. Interea Sylla ad Brundusium uenerat, ad quẽ diuerterunt, Cæcilius Metellus Pius, Cn. Pompeius Magnus, Cethegus: cum quibus postea in Italiam & Vrbem migrauit. Nam in Asia iam pacem cum Mithridate fecit, ita ut ijs cederet prouincijs, Asia, Bithynia, Cappadocia: ut in octogesimosecũdo Liuius, in Mithridatico Appianus, in Sylla Plutarchus scribunt, ubi fœdera Syllæ & Mithridatis regis continentur. Velleius: Ante aduentum L. Syllæ, Cinna seditione orta ab exercitu interemptus est: uir, dignior qui arbitrio uictorũ moreretur, quàm iracundia militum. De quo uerè dici potest, ausum eum, quæ nemo auderet bonus: perfecisse, quæ à nullo nisi fortissimo perfici possent: & fuisse eum in consultando temerarium, in exequendo uirum. Carbo nullo suffecto collega, solus toto anno Cos. fuit. Putares Syllam uenisse in Italiam non belli uindicem, sed pacis autorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamq; cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium, perduxit in Campaniam, tentauitq; iustis legibus & æquis conditionibus bellum componere. Sed ijs quibus & pessima & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim indies Syllæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque, sanctissimoq;. Vide Orosium libro sexto, capite decimooctauo, & duobus sequentibus, de crudelitate Syllæ. Vnde Casiodorus subiungit:

His Coss. Asiam in quadraginta quatuor regiones Sulla distribuit.

2 *Asiaticus, Balbus.*

L. SCIPIO, ET C. NORBANVS. 670

Horum Coss. Plutarchus in Sylla meminit, Appianus in primo Ciuilium: Florus libro tertio, titulo uigesimoprimo. Et Iulius Obsequens in libello de Prodigijs: qui pleraque horrenda enarrat sub his Coss. euenisse portenta. Quæ etiam Appianus commemorat. L. Sulla post quintum penè annum uictor in Italiam reuersus, magno terrori fuit inimicis, qui primum Norbanum Cos. deuicit haud longè à Capua. Inde etiam ad Scipionẽ se conuertit: & ante præliũ, totum eius exercitũ sine sanguine in deditionẽ accepit. Scipio, cũ interimi posset, dimissus est, ut Liuius octogesimoquinto

Ab urbe con. simoquinto explicat. Velleius huius consulatus sic meminit: Felici deinde circa Capuam euentu Scipionem Norbanumq; Coss. superat Sylla. Quorum Norbanus acie uictus. Scipio ab exercitu suo desertus ac proditus, inuiolatus à Sylla dimissus est. Adeò enim Sylla dissimilis fuit bellator ac uictor, ut dũ uincit, iustissimo lenior, post uictoriã audito fuerit crudelior. Meminit & huius Plutarchus in Pompeio pulchrè, & in Sertorio: & Eutropius libro quinto, capite secundo repetit. Scribit Appianus, cum his etiam Coss. Carbonem æquè consulatu usum, cum illud bellũ initium suscepit Olympiade quarta & septuagesima supra centesimam. Per triennium inde propagatum est. Quo ordine uerò singula à Sylla gesta sunt in Italia, Appianus clarè ostendit. Per ea tempora Romæ Capitolium igne conflagrauit. Quod opus nonnulli Carbonis esse dicebant, alij Coss. alij Syllæ. Veritas tamen incerta est. Nihilominus Capitolium quod sub regibus per quatercentos & ultra annos conditum fuit, igne correptum est. Cuius causa uniuersos latuit. Ideo subiungit Cassiodorus:

His Coss. Capitolium custodum negligentia concrematur.

Iulius Obsequens: Aeditui incuria Capitoliũ una nocte conflagrauit. Plutarchus in Sylla scribit, seruum Pontij numine à Bellona se missum iactitantẽ, ut belli potentiam atq; uictoriam nunciaret: quod si non maturaret, Capitolium incendio periret. Quod & pridie Nonis Quintilibus, quo die prædictũ ab homine fuerat, euenit. Sed Cornelius Tacitus in decimonono Historiæ Augustæ, ut sunt nunc libri distincti, de incensione Capitolij multa q; elegantissimè scribit, ubi & horum Coss. facit mentionem: & quomodo sub Vitellio sit incensum, pulcherrimè explicat. Vide lector studiose, & huc transfer, quæ de Capitolio Tacitus annotauit. Dionysius Halicarnasseus libro quarto Antiquitatum, uitam scribens Tarquinij Superbi, ubi de libris Sibyllinis agit, sic loquitur: Hęc itaq; oracula permansere usq; ad bellum Marsicum sub terra posita, in templo Capitolini Iouis, in arca lapidea, ab hominibus decem custodita. Post centesimam autem & septuagesimam tertiam Olympiaden, incenso templo, siue ex insidijs, ut aliqui putant, siue casu, simul cum alijs deo repositis ista quoque correpta sunt igni.

Carbo, *Gratidianus.*

671 CN. PAPIRIVS III. ET C. MARIVS. 3

Hic Marius ab Appiano dicitur fuisse illius Clarionis Marij affinis atq; cognatus: à Floro frater Marij, & iuuenis Marius: à Liuio libro octogesimo sexto, C. Marij filius, & ante uigesimum annum per uim Cos. creatus: cum Appianus scribat eum septimum & uigesimum nondum egressum annum, Consulem factũ: quem L. Sylla circa Præneste ad Sacriportum castris exuit, in fugamq; uertit, ac in Prænestinam urbem receptum obsedit, ut octogesimoseptimo libro Liuius, ac Plutarchus & Appianus abundè docẽt. Carbonisq; exercitus à Metello superatur. Hinc Romam Sylla ingreditur, seditiosis quibuscunq; arripientibus fugam, eorum substantias in commune detulit, ac publicè uenundari mandauit. Deinde ordinata Repub. Clusiũ ad residua belli profectus est, ubi æquo marte cũ Carbone decertauit, nocte pugnam dirimente. Et cũ Carbo collegæ Mario subuenire uellet obsesso, prohibitus est à Põpeio. Albinouanus deinceps præmissa crudelitate in Carbonis Prætores, ad Syllã defecit. Norbanus Rhodum confugit, Carbo in Libyã. Tum Samnites cum suis ducibus ad urbem properant, ut eam intercipiant uiris uacuam: quos Sylla repulit, multosq; iugulauit. Dicuntur quinquaginta millia cæsa, capta octo millia. Dedidere se Pręnestini. Marius sese interfecit, cuius caput ante Rostrum positum est. Pompeius Carbonem persequutus, cathenis deuinxit, & caput ad Syllam misit. Serie qua id gestum est, uide Plutarchum in Pompeio. Velleius Paterculus horum Coss. in secundo libro suæ historiæ meminit, sic scribens: Interea Coss. Carbo III. & G. Marius, Marij septies Consulis filius, annos natus XXVI, uir animi magis quàm æui paterni,

Olympiad. paterni, multa fortiterq; molitus, neq; usquam inferior nomine Consulis, apud Sacriportum pulsus à Sylla acie, Præneste, quod antè natura munitũ, præsidijsq; firmauerat, se exercitũq; contulit. Subdit postea: Dũ ad Sacriportũ dimicat, Damasippus Prętor Domitiũ Scæuolã etiã Pon. Max. & diuini humaniq; iuris autorẽ celeberrimũ, & C. Carbonẽ prætoriũ Cos. fratrem, & Antistium ædilitiũ, ueluti fauentes Syllæ partibus, in curia Hostilia trucidauit. Narrat deinde, quomodo Antistij uxor seipsam interfecerit: & quomodo Pontius Telesinus ad portã Collinam dimicauerit cũ periculo Reip. quũ uociferaret eruendã delendãq; Vrbẽ: adijciens, nunq; defuturos raptores Italicę libertatis lupos, nisi sylua, in quã refugere solẽt, esset excisa. Postera dehinc die semianimis repertus est, uictoris magis q̃ morientis cultũ præferens: cuius abscissum caput ferri gestariq; circa Præneste Sylla iussit. Tũ demũ desperatis rebus suis C. Marius adolescens, per cuniculos, qui miro opere fabricati in diuersas agrorũ partes fuerunt, conatus erũpere, cũ foramine è terra emersisset, à dispositis in idipsum interemptus est. Sunt qui sua manu, sunt qui concurrentẽ mutuis ictibus cũ minore fratre Telesino unà obsesso & erũpente, occubuisse prodiderint. Vtcũq; cecidit, hodie tanta patris imagine non obscurat eius memoria. De quo iuuene quid existimauerit Sylla, in promptu est. Occiso enim demũ eo, Felicis nomen assumpsit: quod quidẽ usurpasset iustissimè, si eundẽ & uincendi & uiuendi finẽ habuisset. Vide dehinc ludos Syllanæ uictorię institutos, & quomodo se Dictatorem creauerit, & tabulã proscriptionis inuenerit. Sylla enim tum in Vrbe summa crudelitate in optimates ciuesq; deseuit. Quod animus meminisse horret, dictuq; refugit. Eusebius Olympiade centesima septuagesimaquinta: Sylla Romam obtinuit, & post bienniũ moritur. Puto esse uitiatũ exemplar, & sequenti anno id factum. Sed leuis est error unius anni. Imago deinceps ex auro sibi ante Rostra posita est, in qua Felix, faustus ac uenustus inscribebat. Tum tabula proscriptionis crudelissimè primũ in Vrbe est uisa, cum Samnites in Circo & inter ouilia mactari triduo immissis militibus fecit, captos è Repub. esse dicẽs, ne Samnites quidẽ ullo pacto consisterent. Quod pulcherrimè Strabo in fine quinti Geographiæ explicauit, de Samnitibus agens: & Liuius libro octogesimonono. Et hoc est quod Appianus in pręfatione Historię suæ dixit: Vltimi Samnites erãt, qui Ioniũ incolunt, & magno difficiliq; bello per annos octoginta conflictati sunt. Quo pacto deinde monarchiam obtinuerit, ac Dictator factus, cum uigintiquatuor fascibus more regio in publicũ processerit, ac Reipub. statum reformauerit, tribunitiam potestatem sustulerit, Pontificum augurumq; collegia auxerit, omneq; ius sustulerit, Liuius libro octogesimonono descripsit: abundè Appianus primo Ciuilium: Florus libro tertio, titulo uigesimoprimo, ubi & horũ Coss. fit mentio: Orosius libro quinto, capite secundo, passim alij. Adde hæc quoq;, M. Mariũ Gratidianum, siue is, siue alius fuerit, hominem popularem & bis Prætorem obtruncatum à Catilina, eiusq; caput circumlatũ in Vrbe, qui arcta necessitudine contingebat Ciceronẽ, ut Asconius Pedianus notat in oratione Tullij quam in toga candida habuit. Horum item Coss. meminit Plinius libro septimo, capite quadragesimooctauo: Valeria Copiola Emboliaria reducta est in scenam Cn. Pompeio, Q. Sulpitio Coss. ludis pro salute diui Augusti uotiuis, annum centesimum & quartum agens: quæ perducta fuerat tyrocinio à M. Pompeio Aedili plebis, C. Mario, Cn. Carbone Coss. ante annos nonaginta unum. Et à Magno Pompeio, magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta. Et iterum eodem libro, capite quadragesimonono: C. Mario, Cn. Carbone III. Coss. ad quintum Cal. Iunias, M. Cælius Ruffus, & Cornelius Licinius Caluus, eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed dispari euentu. Et libro trigesimotertio C. Marij sic meminit, capite primo: Eadem post annos trecentos & septem, quod ex Capitolinæ ædis incendio cæterisq; omnibus delubris C. Marius filius Pręneste detulerat, tredecim millia pondo, sub eo titulo in triumpho transtulit Sylla.

Ab urb. con.

M. SYLLI-

Ab urbe con. | Olympiad.

Decola, *Ortulius, secundum Appianū, si est codex emaculatus.*

672 M. SYLVIVS, ET CN. DOLABELLA. 4

His Coss, ut ex Appiano colligimus, Sylla Dictator imperiose ac uiolēter regnās, trecētos ex ordine equestri in Senatum, qui tot cædibus exhaustus erat, elegit, ac seruos plures ciues creauit. Tum Q. Lucretium Offellam, cuius & Liuius meminit, consulatum contra suam uoluntatem petere ausum, interimi in foro iussit: quòd in equestri ordine cum adhuc esset, & priusquam Prætor ac Quæstor extitisset, consulatum inire deprecaretur. Asconius Pedianus scribit hunc à L. Bellieno occisum, quem Cicero auunculum fuisse Catilinæ cōmemorat. Qui etiam M. Sylium Syllanum appellat. Triumphum deinde ex Mithridatico bello egit. Alexandrū deinde regem Aegyptiorum ex decreto Alexandrinis præesse uoluit, quem tamen post decem & nouem dies interfecerunt. Et quanquam Sylla Dictatura fungeretur, sub dissimulatione tamen specimen quoddā democraticæ tenuit politiæ: ac denuò cum Metello, qui Pius cognominabatur, consulatū iniit, exemplo Cæsarum sequentiū, qui nonnunquam consulatū & ipsi assumpsere, ut patebit: non indecorū existimantes, cū maiore dignitate unà consulatum gerere. Quod & Plinius in Panegyrico ad Traianum docet.

Sulla, *Metellus, Pius.*

673 L. CORNELIVS, ET Q. CAECILIVS. CLXXV

Quid sit gestum hoc anno, his Coss. planè nō liquet, cum ex Appiano nihil deprehendamus. Nisi fortè illa sint quę Liuius 89. perscripsit, quo pacto scilicet Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum, & Hiericam regem Numidarum (quem Plutarchus in Pompeio Hiarbam, Orosius Hiercam uocant) bellum molientes uictos interemerit. & uix uigintiquatuor natus annos, eques triūphauit: quod adhuc nemini contigerat: et Sylla quoque Magnus cognominatus est. Quod postea sibi semper nomen permansit, ut Plutarchus docet: & Plinius in 7. cap. 26. Et quomodo Norbanus in Rhodo deprehensus, sese occiderit: & quomodo Nolā in Samnio receperit, ut superius scripsimus: hæc ueluti incerta affero, donec sese nobis integer, si modò adhuc est in orbe, Liuius offerat. Velleius enim: Sub aduentum, inquit, L. Syllæ Gn. Pompeius, Cn. Pompeij filius, quem magnificentissimas res in Senatu gessisse bello Marsico prædiximus, XXIII. annos natus, priuatis ut opibus, ita consilijs magna ausus, magnificeque conata exequutus. Ad uindicandā restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat, cōtraxit exercitum. Postea eius uitā describens pluribus, subiungit: Metellus & Pompeius ex Hispanis triumpharūt. Sed Pompeius hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus ante diem quàm consulatum iniret, curru Vrbem inuectus est. Cæterùm, ut Appianus scribit, sequenti anno, quo Syllæ populus obsequeretur, consulatum eundem ut gereret, deprecatus est. Cui aduersatus Sylla, Isauricū & Pulchrū Coss. designat. Sed Metellus ille alter Consul, Numidici filius fuit: & quòd precibus ac lachrymis assiduis patrē ab exilio reuocasset, Pius est cognominatus. De quo iunior Plinius titulo 63.

Seruilius, *Pulcher.*
Isauricus,

674 P. CORNELIVS, ET APPIVS CLAVDIVS. 2

Admirandum certè est, quod Plutarchus & Appianus tradunt, quòd L. Sylla hac tempestate nemine cogente, sponte Dictaturam, præstantissimā dignitatū omnium, deposuerit, & priuatus in publicum prodijt, qui centum & plura hominū millia confecerat, tot domesticos hostes occiderat, senatores nonaginta, Consules quinque supra decem, equestris ordinis ad duo millia & sexcentos: alios deinde expulisset, quorum bona publicauerat: quosdā insepultos proiecerat, urbes & mœnia disiecerat. Ausus tamen est ideo se Dictaturam deposuisse, ut eorum quæ fecisset, si quis exigeret, reddere sciret rationē. Ab uno adolescente conuicijs lacessitus, dixisse fertur: Adolescēs

Olympiad. is docebit, ne quis deinceps Dictaturam spontè ponat. Tanta patientia adolescentis pertulit insolentiã. Cumas deinde se cõtulit, uenationi deditus, priuatã uitam agens, donec phthiriasi morbo periclitaretur: felicißimus ad omnia usq; in finem, tantũ prosperitatis, quantũ concupiuerat, nactus, sexagesimo anno exacto, è uita discessit. Horum Coss. meminit Orosius lib. 5. cap. 21. ubi numerus occisorũ bello Italico sociali et Syllano ciuili ingẽs explicatur. Iulius Obsequẽs tradit centena millia hominũ cõsumpta Italico atq; ciuili bello. Eutropius uerò tradit bellũ Italicũ, quod & sociale dictũ est, & ciuile, quę ambo tractata sunt per annos decem, consumpsisse ultra centũ quinquaginta millia hominum, uiros cõsulares 23. prætorios 7. ædilitios sexaginta, Senatores ferè treccẽtos. De Appio Claudio sic Eutropius lib. 6. Ad Macedoniam missus est Appius Claudius post consulatum. leuia prælia habuit contra uarias gentes, quæ Rhodopen incolũt, atq; ibi morbo mortuus est. Eadem Orosius lib. 5. cap. 22. latius. De altero uerò Consule sic Eutropius: Ad Ciliciam & Pamphyliã missus est pòst Seruilius, uir strenuus, qui primus Romanorũ in Isauriam iter fecit, & reuertens triumphum accepit, & nomen Isaurici meruit. Latius de illo Orosius lib. 5. cap. 23.

Ab urbe con.

3 *Lepidus,* *Catulus.*

M. AEMILIVS, ET Q. LVCTATIVS. 675

Plutarchus in Sylla atq; Pompeio, scribit Lepidũ auxilio atq; intercessione Pompeij creatum Consulẽ. Quod Sylla certè iniquißimè tulit, dicens: Vide, ô adolescens, ne nimium læteris: ualidiorem enim aduersarium tibi constituisti. Ob id inito magistratu Coss. inter se dissidere cœperunt. Lepidus enim Cos. Syllæ acta rescindere tentauit. Cui cum aduersaretur Catulus, Italia pulsus est: & in Sardinia frustra bellũ molitus, perijt. Quod bellum ciuile sub Lepido Liuius nonagesimo libro, Florus libro tertio, titulo 23. ubi hos quoq; Coss. nominat: Appianus in primo Ciuiliũ, Plutarchus in Pompeio, Orosius lib. 5. cap. 21. Eutropius in fine libri quinti, descripsere. Est itaq; his Coss. licet plurimum reluctaretur Lepidus, qui Marianæ factionis erat, Catulo & Pompeio annitentibus, Syllæ corpus per Italiam in Vrbem lectica aurea regium in morem illatum, & in campo Martio sepultũ. Cuius funeris pompam latè Appianus describit. Quomodo aũt Lepidus ex morbo distillationis perijt, ut Appianus: ut uerò Plutarchus, ꝙ intellexerat uxorem adulterã, ex utrisq; disce. Eutropius lib. 6. à principio, sub his Coss. quatuor noua bella exarsisse scribit. Vnũ in Hispania, aliud in Ciliciã, tertiũ in Macedonia, quartum in Dalmatia. Idem Orosius lib. 5. cap. 21. Sed hec quatuor bella exorta scribit anno ab Vrb. con. sexingentesimo septuagesimotertio, cum aliter supputatio nostra eueniat. Primũ Sertorianũ dictum Floro; lib. 3. titulo 22. Liuius lib. nonagesimoprimo, nonagesimosecundo, et cęteris. Appianus in 1. Ciuil. Cæterùm ut quicquid studiosis esse acceptum dinoscimus, afferamus, de Lepido scribit Plinius in septimo, capite duodecimo (quod & Solinus in Polyhistore repetit) in Lepidorũ gente tres intermisso ordine fuisse, obducto membrana oculo genitos. In trigesimo uerò sexto libro, capite sexto, huius consulatus meminit, in hæc uerba: Deniq; M. Lepidus Catuli in consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit magna reprehensione. Is fuit Cos. anno Vrbis sexingẽtesimo sexagesimosexto. Eusebius in id penè tempus etiam Lepidũ reijcit, qui hostem iudicatũ publicè scribit, Olympiade centesima septuagesimaquinta. Meminit huius consulatus Plinius libro tricesimosexto, capite decimoquinto, ubi de pulchritudine domus Lepidi scribit. Sed libro trigesimoquinto, capite tertio horum Coss. sic meminit: Post Appium Claudium, M. Aemilius collega in consulatu Q. Luctatij, non in basilica modò Aemilia, uerùm & domi suæ posuit. Id quoq; Martio exemplo. Scutis enim qualibus apud Troiam pugnatũ est, cõtinebantur imagines, unde & nomen habuere clypeorum, non ut peruersa grãmaticorum subtilitas uoluit, à cluendo. Origo plena uirtutis, faciem reddi in scuto cuiusq; qui fuerit usus illo. Et libro 10. cap. 21. Inuenitur in Annalibus, in Ariminensi agro, M. Lepido, Q. Catulo Coss. in uilla Ga

lerij

lerij loquutum gallinaceum, semel, quod equidem sciam. Item lib.36.cap.15. M. Lepido, Q. Catulo Coss. ut constat inter diligentissimos autores, domus pulchrior non fuit Romę, quam Lepidi ipsius. At hercule intra annos trigintaquinque eadem centesimū locum non obtinuit. Catulo non solum nos latini, sed etiam Græci ipsi, ut Cicero refert, solēt suæ linguæ subtilitatē elegantiamque cōcedere. Epigrāmata lusisse, autor est Gellius, qui Catuli uersus adducit: Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotimū.

Mamercus, Lepidus, *Iulianus.* 4

676 M. AEMILIVS, ET D. BRVTVS.

Sub his Coss. ut tradit Iulius Obsequens, Didius Lælius, legatus Pompeij, cui prodigium Romæ erat factū, in lecto uxoris duo angues conspecti, in diuersumque lapsi, proximè Pompeio in castris sedenti accipiter super caput accesserat. In Hispania aduersus Sertorium inter pabulatores occisus est. Fuit sub his Coss. D. Bruto & M. Lepido, ut Asconius testatur in oratione de Maiestate, Cn. Domitius Trib. pleb. qui M. Syllanum quinquennio antè Consulem apud populum accusauit, quòd aduersus Cimbros rem malè gesserat, atque iniussu populi fuisset principium calamitatum, quas eo bello populus accepisset: ac de eo tabellam quoque edidit. Sed plenissimè Syllanus absolutus est, Nam duæ solæ tribus, Sergia & Quirina, damnauerunt.

Scribonius. CLXXVI

677 CN. OCTAVIVS, ET C. CVRIO.

His Coss. referente Iulio, Reate terræmotu ædes sacræ in oppido agrisque commotæ. Saxa, quibus forum stratum erat, discussa. Pontes interrupti. Ripę labentis fluminis in aquam prouolutæ. Fremitus inferni exauditi, & post paucos dies quæ concussa, corruerūt. Saxum uiuum quum prouolueretur, in præcipiti rupe immobile stetit. A' Sertorio in Hispania exercitus Romani cæsi. Aduersus Medos uariè dimicatum. Nonagesimoprimo libro tradit Liuius, Gn. Pompeium, Quæstorem adhuc, cum imperio consulari aduersus Sertoriū missum. Et sequenti libro docet ipsum dubio euentu cum Sertorio pugnasse: Calagurijque obsessum, multa damna obsidentibus tulisse. Plinius lib.2. Naturalis historiæ, cap.35. Scintillam è stella cadere, & augeri terræ appropinquantem: ac postquā in lunę magnitudinem facta sit, illuxisse ceu nubilo diei. Dein cum in cœlū se reciperet, lampadem factam. Semel unquā proditur, Cn. Octauio, C. Scribonio Coss. Vidit hoc Licinius Syllanus Proconsul cū comitatu suo. Hic Scribonius, ut Orosius & Eutropius attestantur, Appio Claudio successor in Macedoniā missus, Dardanos uicit, & usque ad Danubiū penetrauit, triumphumque meruit, & intra trienniū finem bello dedit. Superius in Ruffo Sexto eius fecimus mentionē.

Cotta. 2

678 L. OCTAVIVS, ET C. AVRELIVS.

Sub his Coss. scribit Iulius Obsequēs, Sertorio in Hispania exercitum ducenti, tale prodigium esse factū, scuta equitum parte exteriore iaculaque & pectora equorum cruenta uisa. Quod prosperum sibi interpretatus est Sertorius: quia exteriora hostili sanguine maculari solent. Continua ei prælia cum successu fuerunt. (de quibus Plutarchus, Appianus & Liuius) Cyzicum Mithridates cum oppugnaret, Aristagoræ quæ in summo magistratu erat, Proserpina in quiete uisa est dicere aduersus tibicines, se tibicinem cōparasse: quod & Plutarchus in Lucullo recenset. Postero die turres hostium uento disiectæ sunt, Ad immolandū bos sacra iniussa de montibus per hostium classem adnatauit, seque ad aras percutiendam obtulit. Quod pariter & Plutarchus in Lucullo scribit. Fuit aūt, ut obiter id interseram, Aurelia familia ex Sabinis oriunda, à Sole, cui peculiariter Romę sacra faciebat, dicta. Antiquitùs uerò Auselij, ut Valesij, Papisij, pro Aurelij, Valerij, Papirij appellati. Cotta aūt dici uidetur ab ira, quam Græci κόττον uocant. Et hoc est quod inquit Quintilianus, Grāmaticum scrutaturū origines nominū, unde Scipiones & Cottæ & Serrani dicantur. C. aūt Cotta

Olympiad. magnus orator habitus, & compar in ea gloria P. Sulpitio & C. Cæsari. Cuius sæpe Cicero meminit. Tres aũt fuere fratres, C. Cotta, & M. Cota, & L. Cotta: qui lege sua, iudicia inter tres ordines cõmunicauit, Senatũ, Equites, Tribunos ærarios: adeptiq; sunt omnes consulatũ. De ijs Asconius Pedianus super oratione Ciceronis, quam habuit pro Cornelio, de Maiestate. In oratione contra Pisonem Tullius C. Cottæ meminit: cui cũ decretus triũphus esset, mortuus est ante diẽ triũphi, cũ cicatrix uulneris eius, quod ante plures annos in prælio acceperat, rescissa esset: ut inquit Asconius. Aburb. con. Cotta.

3 L. LVCVLLVS, ET M. AVRELIVS.

Hic est ille Lucullus Græcè & Latinè eruditißimus, cui cõmentaria rerũ suarũ inscripsit L. Sylla, à quo & tutor filij sui testamento institutus: uir omnino clarißimus, cuius uitam ac mores diligentißimè perscripsit Plutarchus: qui hũc Consulẽ declaratum cum M. Cotta scribit circa centesimam & septuagesimamsextam Olympiaden. Eusebius Olympiade centesima septuagesimasexta: L. Lucullus primus Imperator appellatus est, uicta Armenia, Mesopotamia & Nisibi cum fratre regis capta. Plinius itẽ iunior de Viris illustribus huius meminit, titulo 74. Liuius uerò nonagesimotertio libro scribit, M. Cottam Consulẽ ad Chalcedoniã prælio à rege uictũ Mithridate. (Nam rex fœdere cũ Sertorio icto, bellũ po. Ro. intulit secundũ: rexq; postea à Pompeio & Metello uictus) & ut contra Sertoriũ egerunt, qui omnibus belli militiæq; artibus par fuit. quos etiam ab obsidione Calagurij oppidi depulsos, coegit diuersas regiones petere, Metellũ ulteriorem Hispaniã, Pompeiũ Galliã. L. uerò Lucullus Consul aduersus Mithridatem equestribus prælijs feliciter pugnauit, & expeditiones aliquas prosperè fecit: poscentesq; pugnam milites, à seditione inhibuit: ut Liuius libro 94. Appianus in Mithridatico, Florus lib. 3. titulo 5. attestãtur. Hic L. Lucullus Consul, ut Plinius 36. cap. 6. docet, nomẽ marmori Luculleo dedit. Horũ præterea Coss. meminit Eutropius lib. 6. cap. 2. qui his Coss. mortuum scribit Nicomedẽ, regem Bithyniæ, qui testamento pop. Ro. hæredem fecit. Quod anno factum scribit ab Vrbe con. sexingentesimo septuagesimosexto. error trium annorũ. De hoc Nicomede Liuius nonagesimotertio. Eutropius tradit utrumq; Cõsulũ diuersam habuisse fortunã contra Mithridatem, Cottam ab eo uictum: Lucullum uicisse apud Cyzicum: unaq; hyeme & æstate à Lucullo centũ ferè millia hominũ regis extincta esse. Haud ab re censeo, priora quinq; capita sexti libri Orosij hoc loco esse relegenda, in quorũ altero capite insignis error omniũ codices deprauauit: qui eliminãdus est. Ibi sic legitur de Mithridate fugato: Tunc etiam Fannius, qui se Mithridati iunxerat, & Metrophanes regius Prætor, à Mamerco uicti, cum duobus millibus equitũ in Mœsiam profugerunt. Atq; inde in Niconiã digreßi, in colles camposq; & in heremos inciderunt. Vbi non solum montes usti, uel saxa quasi quadam fuligine obfuscata cernuntur: uerùm etiam campi ambusti solo squalidi per quinquaginta passuum, sine ullo ignis uel fornacis indicio, & pendulo in profundum cinere putres iacent. Tribus etiam locis torridę uoragines ostenduntur, quas Græci Physias uocant, in quibus diu aberrarũt, &c. Quæsiui diu, ubinam loci esset illa Niconia, quam nunquã inuenire potui. Tandem me Strabo docuit in tertiodecimo Geographiæ libro, non Niconiã, sed Mæoniam fore legendum. Eius uerba subscribam, quoniã hunc locũ clarius interpretantur: Post hæc est regio, quæ exusta dicitur, quingentorũ stadiorum longitudine, latitudine quadringentorũ, siue ea Mysia siue Mæonia nominanda sit: nam utroq; modo dicitur. Ea tota arboribus caret, præter uitem quæ exustum uinũ fert, ita elegãs ut nulli cedat. Summa camporũ facies cinerulenta est, montana, petrosa & nigra, tanquã ex adustione quadam. Quidam putant hoc ex crebro fulminũ atq; fulgurũ ictu contingere. Nec dubitant, quæ de Typhone dicuntur, hoc in loco fabulari. Xanthus scribit Armiũ quendã horum locorũ regem fuisse. Sed nequaq; uerisimile est, tantam regionem propter eiusmodi causas ex toto deflagrare: sed potius propter ignem subterraneum,

679

neum, cuius ortus nunc defecerunt Monstrātur tamen fossæ tres, quas Folles uocāt.
hæ inter se ad stadia quadraginta distant. Imminent colles asperi, quos par est eiflatis
seminibus esse accumulatos. Ex his disce, Mæoniā, non Niconiam legendū: facilis e-
nim fuit lapsus literarū. Strabo Folles appellat, Orosius Physias: & ita Græcè φῦσα, uc
sicula aut follis appellatur, Sub id tempus, teste Plutarcho, cū Pompeius Senatui scri-
psisset, Nisi mitteret pecuniam, relicta Hispania atq; Sertorio, omnes in Italiam co-
pias se reducturū: Lucullus effecit ut pecunia sibi mitteretur, ne se Consule remearet
in Vrbem, ipse uerò ad Mithridaticum mitteretur bellum. Quod pulchrè Plutarchus
& Appianus describunt. Item Deiotarus, Gallogræciæ tetrarches, præfectos Mithri
datis circa id tempus bellum in Phrygia mouentes cæcîdit.

Licinius, Varro. 4

680 M. LVCVLLVS, ET C. CASSIVS.

His Coss. quatuor & septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli Barciati pro
fugerunt: & congregata seruorum & ergastulorū multitudine, Chryso, Oenomao &
Spartaco ducibus bello excitato, Claudiū Pulchrū legatū, & P. Varenū Prætorē præ
lio uicerunt. Liuius lib. 95. Natumq; hinc est bellū quod Spartacū dicitur. Quod Flo
rus lib. 3. titulo 20. Appianus in primo Ciuiliū, Plutarchus in Crasso: Orosius lib. 5. ca.
24. qui horū Coss. meminit, quos reijcit in annū Vr. con. 689. Sed Eutropius lib. 6.
cap. 2. Anno, inquit, Vr. con. 678. (utriusq; numerus est satis uitiosus) Macedoniam
prouinciā M. Licinius Lucullus accepit, cōsobrinus eius qui cōtra Mithridatem bel-
lum gerebat. Dehinc bellum gladiatoriū ac seruile describit, ubi nomina ducū ualde
deprauata legunt: qui tamen ducebātur, Spartacus, Chrysus, & Oenomaus. Quod
quidē bellū à pluribus describitur, et passim cæteri huius meminerūt: Val. Max. Fron
tinus, Claudianus. Lucullus interea ad Cyzicū urbem exercitū Mithridatis fame fer-
roq; deleuit: pulsumq; à Bithynia regē, uarijs belli ac naufragiorū casibus fractū coe-
git in Pontū profugere. Velleius: Dum Sertorianū in Hispania bellū geritur, LXIIII.
fugitiui è ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gla-
dijs, primò Vesuuiū montē petiere. Mox crescente indies multitudine, grauibus ua-
rijsq; casibus affecere Italiam. Quorum numerus in tantum adoleuit, ut qua ultimò
dimicauere acie XL. CCC. hominum se Romano exercitui opposuerint. Huius pa-
trati gloria penes M. Crassum fuit, mox Reipublicæ omnium principem.

Publicola, CLXXVI

681 L. GELLIVS, ET CN. LENTVLVS.

Cum Clodius, P. Vatinius, Furius, Cossinius, infeliciter contra fugitiuos pugnas-
sent, tanq; ad maximū ac difficillimū bellū Coss. ambos proficisci, Patres decreuere.
E quibus Gellius, ut Plutarchus in Crasso scribit, parū cautè in hostes ruens, cum plu
rimum Germanorū uiribus fideret, è quibus maxima pars exercitus cōstabat, omnes
ferè copias amisit. Lētulus uerò alter Coss. circūducta exercitus parte, medios hostes
clausisse putabat: uerùm illi à tergo Coss. adorti, cōmissa pugna legatos superarūt, &
castra simul cū omnib. impedimentis cæpere. Inde ad Alpes, ut statuerunt, proficisci
cōtendunt. Quibus uenientibus, Cassius, qui circa Padū orā Galliæ cū exercitu Præ
tor obtinebat, obuiā profectus est: ac pugna cōmissa, pluribus è Romanis interfectis,
Cassius ipse uix euasit incolumis. Scripsit de his et Liuius lib. 96. et Appianus primo
Ciuiliū: sed Coss. nō nominat. Orosius ult. cap. lib. 5. hos Coss. nominat, et copiosè de
hoc bello fugitiuorū & gladiatorū scribit. Sub id tēpus aut sequentibus Coss. Q. Ser
torius à M. Antonio & M. Perpēna, & alijs cōiuratis in cōuiuio interfectus est, octa-
uo ducatus sui anno: magnus dux, & aduersus duos imperatores, Pompeiū & Me-
tellū, sæpe par, aut frequentior uictor, ad ultimū desertus & proditus, ut Liuius prodi
dit. Corrige quendā locū deprauatū Eutropij lib. 6. cap. 1. ubi sic scribit: 18. anno Ser-
torius per suos occisus est, & finis ei bello datus est per Gn. Pompeiū adolescentē, &
Q. Metellū Piū, etc. Tu uerò lege, Octauo demū anno, etc. Egerūt hi Coss. post annos
aliquot asperā censurā, qua 64. Senatu amouerūt, Inter quos & C. Antonius fuit, qui

Olympiad. postea collega Ciceronis in cõsulatu fuit, ut Asconius testatur super oratione Cicero- Ab urbe con.
nis in toga cãdida. Huius L. Gellij meminit Cicero in oratione in L. Pisonẽ. Honori-
ficè amborum Coss. fit mentio à Plutarcho in Crasso. Velleius: Tum M. Perpẽna prę-
torius è proscriptis, gentis clarioris quàm animi, Sertorium inter cœnam Etoscę in-
teremit, Romanisq; certam uictoriam, partibus suis excidium, sibi turpißimam mor-
tem peßimo autorauit facinore.

Horestes, Lentulus.

2 CN. AVFIDIVS, ET P. CORNELIVS. 682

Horum Coss. meminit Eutropius lib. 6. cap. 3. qui scribit, duo tantũ grauia bella his Coss. imperio Romano fuisse: Mithridaticũ scilicet, & Macedonicũ. Quæ duo bella duo Luculli gesserant: L. Lucullus Mithridaticũ, & M. Lucullus Macedonicũ. Quæ bella quomodo sint gesta, breuiter & pulchrè Eutropius docet: reijcitq; hos Coss. in annũ 631. Vrb. con. Suntq; in eo loco Coss. nomina manca. Itẽ suspicor his Coss. (Id quod Appianus 1. Ciuiliũ, et Liuius 97. libro prodidere) factũ, scilicet quòd M. Licinius Crassus Prętor cũ parte fugitiuorũ, quę ex Gallis Germanisq; cõstabat, feliciter pugnauit, cæsis inimicorũ XXXV. & duce eorum Granico, cũ Spartaco deinde bellauit: cæsus cum millibus quadraginta. Quod latè in Plutarcho in Crassi uita inuenies. De quo bello M. Crassus in Vrbẽ ueniens, ouationẽ egit, sed laurea coronatus: cũ aliàs myrtea uterentur corona, ut in 15. Naturalis historiæ Plinius docuit, cap. 22. Nam Eutropio teste, bellum illud triennio finitum est.

Crassus, Magnus.

3 M. LICINIVS, ET CN. POMPEIVS. 683

Facta est amicitia in hoc consulatu Crassi & Pompeij, quorũ uterq; graues simultates contra alterũ gerebat, quòd M. Crassus senior Pompeio honores, quibus indies crescebat, inuidit, Pompeius Crassi diuitijs. Sed tandẽ populi uicti precibus cõciliati sunt, ut pluribus Appianus in fine primi Ciuiliũ, et Plutarchus in Crasso et Pompeio narrat. Post tamẽ initũ consulatũ iterũ graues inter eos emersere dissensiones. Apud Patres enim potentior erat Crassus, sed apud plebẽ Pompeius. Coss. itaq; facti, sicut Pompeius anteq; gestaret quæsturã, ex equite Romano. Tribunitiã potestatẽ restituerunt. Iudicia quoq; per M. Aureliũ Cottam Prætorẽ ad equites Romanos translata sunt, ut Liuius 97. scribit. Velleius: Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui, ad equites, Sylla ab illis ad Senatum transtulerant, æqualiter inter utrumq; ordinẽ partitus est: ut Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit. Legem enim iudiciariã tulit Aurelius Cotta Prętor, qua cõmunicata sunt iudicia Senatui et equitibus Romanis & Tribunis ęrarijs. Rursus Pompeio & Crasso iterum Coss. hæc iterum lex promulgata, ut amplißimo ex censu centurijs, aliterq; antea lecti iudices, tamen æquè ex illis tribus ordinibus res iudicarent, ut innuit Cicero in oratione cõtra L. Pisonem: & Plutarchus in Pompeio, qui eius uitã atq; mores elegantißimè descripsit, ut Crassi. A' quo utriusq; gesta mutuare studiosus lector facilè poterit. Lege etiã quæ Velleius de Pompeio tradit: Cuius uiri, inquit, magnitudo multorũ uoluminũ instar exigit. Sed operis modus paucis eum enarrare iubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ, forma excellens, nõ ea qua flos cõmendatur ætatis, sed ex dignitate constantiaq; in illam cõueniens amplitudinẽ fortunamq; eius ad ultimam uitæ comitata est diem. Innocẽtia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius: potentiæq; quæ honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidißimus: dux bello peritißimus: ciuis in toga (nisi ubi uereretur ne quẽ haberet parem) modestißimus. In accipienda satisfactione facillimus, potentia sua nunq; aut rarò, ad impotentiam usus: amicitiarum tenax: in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelißimus. Penè omniũ uotorum expers. Et reliqua quę sequuntur relege. Arbitror quoq; sub id tempus Mithridatem desperatione rerũ suarum coactum, ad Tigranem Armeniæ regem confugisse. Horum Coss. meminit Salustius quoq; in Catilinario, scribens sub his tribunitiã potestatem restitutam. Velleius: Hoc

consulatu

Ab urbe con. consulatu Pompeius tribunitiam potestatem restituit, cuius Sulla imaginem in iure reliquerat. Pòst subiungit: Conuerterat Gn. Pompeij persona totum in se terrarum orbem, & per omnia maiore ui habebatur. Qui cum Coss. per quam laudabiliter iurasset se in nullã prouinciam ex eo magistratu iturum, idq; seruasset: post biennium A. Gabinius Trib. legem tulit, ut cum belli more, non latriciniorũ, orbem classibus, iã non furtiuis expeditionibus piratæ terrerent, quasdamq; etiã Italiæ urbes diripuissent, Cn. Pompeius ad eos opprimẽdos mitteretur: essetq; ei imperiũ æquũ in omnibus prouincijs, cum Procos. usq; ad 50. miliariũ à mari. Quo Senatuscos. penè totius terrarũ orbis imperiũ uni uiro deferebatur. Sed tamẽ idẽ hoc ante bienniũ in M. Antonij Prætura decretũ erat. Dissuadebãt optimates, sed cõsilia impetu uicta sunt. Sub his præterea Coss. C. Verres perfunctus quæstura, à Cicerone est accusatus, & orationes Verrinę sunt dictæ. Tradit Eusebius in Chronicis, Virgiliũ Maronẽ in pago qui Andes dicitur, haud procul à Mantua, natum Pompeio ac Crasso Consulibus.

Creticus, Nepos. Q. METELLVS, ET Q. HORTENSIVS. 4

684 Horum Coss. M. Tullius meminit in secunda Verrina crebrò. Fuerunt autem, teste Pediano, ea tempestate tres Metelli: Q. Metellus Consul, L. Metellus Siciliæ Prætor, M. Metellus iudex in Vrbe constitutus de pecunijs repetundis. Sub id tempus L. Metellus Prætor in Sicilia aduersus piratas prosperè rem gessit, ut Liuius 98. habet. Iosephus refert in hunc cõsulatum Q. Metelli & Q. Hortensij, bellum plusquam ciuile: nempe fraternum inter Aristobolum & Hircanũ, circum Olympiadem centesimam octogesimamtertiã. sed hic est error annorum. Et sub ijs Coss. templũ Iouis in Capitolio, quod incendio consumptum erat, refectum à Q. Catulo dedicatum est. Hinc subiungit Cassiodorus:

His Coss. à Catulo reparatum dedicatumq; Capitolium est.

Huius Catuli Luctatij nomen inter tanta Cęsarũ opera usq; ad Vitellium mansit, auctore Tacito ac Plutarcho. Hinc Martialis dixit: Sic laudãt Catuli Iulia templa patres. Suetonius in Cæsare scribit, primo Pręturæ die Q. Catulum de refectione Capitolij ad disquisitionẽ populi uocatũ à Cæsare, ut in alium transferret: sed prohibitus, non potuit. Cicero in oratione de signis testis est, Capitoliũ non solum per Catulum dedicatum, sed etiam magnificentius esse restitutum q̃ antea fuit. aitq; Capitoliũ clarissimum & pulcherrimũ Catuli monumentum esse, cuius nominis ęterna memoria simul cũ templo conseruatur. Et inde etiam Capitolinus dictus est, quòd curator fuit restituendi Capitolij: quod Tarquinius Priscus rex bello Sabino ædificaturũ se uouerat, ieceratq; fundamentũ: Tarquinius aũt Superbus, capta Pometia, ex hostiũ spolijs extruxit: expulso Tarquinio, Horatius Puluillus Cõsul dedicauit: interiecto deinde quadringentorũ & quindecim annorum spacio, igni cõsumptum est. Refectionis curam uictor Sylla suscepit, neq; tamen dedicauit. hoc est solum eius felicitati negatum. Galba imperator, qui Neroni successit, ut Plutarchus, Tacitus & Suetonius in Galba scribunt, necessitudine Catulo coniunctũ, & hinc gloriatum fuisse scribũt. Velleius dignã memoriã Q. Catuli censet, qui cum dissuaderet legem pro Cn. Pompeio latam ab A. Gabinio, dixissetq; esse quidem pręclarum uirum Gn. Pompeium, sed nimium iam liberè Reip. imperaret, neq; omnia in uno reponenda: adiecissetq;, Si quid huic acciderit, quem in eius locum substitueris? Succlamauit uniuersa cõcio, Te Q. Catule. Tum ille uictus consensu omnium, et tam honorifico ciuitatis testimonio, è cõcione discessit. Hic hominis uerecundiam, populi iusticiam mirari libet: huius, quòd non ultrà contendit: plebis, quòd dissuadentem & aduersarium uoluntatis suæ uero testimonio fraudare noluit. Tranquillus in Augusto prodit, quòd Q. Catulus post dedicatum Capitoliũ duabus continuis noctibus somniauit: prima, Iouem opt. max. prætextatis cõpluribus circa aram ludentibus unum secreuisse, atq; in eius sinum

Olympiad. sinum signum Reip. quod manu gestaret, reposuisse: atque in sequenti animaduertisse in gremio Capitolini Iouis eundẽ puerũ: quem cum detrahi iussisset, prohibitũ monitu dei, tanque is ad tutelã Reip. educaret. Ac die proximo obuiũ sibi Augustũ, quũ incognitũ alias haberet, & non sine admiratione contuitus, simillimũ dixit puero de quo somniasset. Si uolueris, studiose lector, de cõsecratione & ædificatione tẽpli Capitolini plura legere, quæ te iuuabũt mirũ, adito Plutarchũ in Publicola, & lętaberis, ubi copiose inuenies quæ desideras. His Coss. ut scribit Asconius Pedianus, triũphauit M. Piso de Hispania, teste Cicerone contra L. Pisonem. Fuit autem & P. Piso eisdem temporibus quibus Cicero: sed tanto ætate maior, ut adolescentulũ Ciceronem pater ad eum deduceret, quòd in eo esset quædam uitæ similitudo, & multæ erant literæ, oratorque frequentior habitus est. Ab urbe con.

CLXXVIII L. METELLVS, ET Q. MARTIVS.

Arbitror circa id tẽpus Q. Cæciliũ Metellũ Proconsulẽ, quod 99. libro Liuius abundè scripsit, Gnoson & Lyctiũ & Cydoniã, & alias plurimas ciuitates expugnasse in Creta insula: bellumque Creticũ cõfecisse, quod eo libro fuit à Liuio perscriptũ. Hoc elegãter Florus 3. lib. tit. 7. descripsit. Eutropius lib. 6. cap. 4. sic de illo inquit: Ad bellum Creticũ missus est Cęcilius Metellus, qui ingentibus pręlijs intra trienniũ omnẽ prouinciã cæpit, appellatusque est Creticus: deque insula triũphauit. Ob id Velleius Paterculus per id tempus scribit à Q. Metello Cretã in po. Ro. potestatẽ redactã. Et subiungit: Sed & Luculli & Metelli triũphũ, cùm ipsorũ singularis uirtus, tũ etiã inuidia Põpeij apud optimũ quẽque fecit fauorabiliorẽ. Cretenses aũt, ut Val. Max. lib. 7. cap. de Necessitate scribit, in obsidione Metelli, ad ultimã usque penuriã cõpulsi, sua iumentorumque urina sitim torserũt. Quia dum uinci timẽt, id passi sunt quod eos ne uictor quidẽ pati coegisset. De hoc Metello Plutarchus in Põpeio multa. Nã eodẽ penè tẽpore bellũ Piraticũ fuit, quo cõmerciũ annonæ interclusum fuit. Ad quod Pompeius ire iussus, lege ad populũ lata per A. Gabiniũ, ut superius ex Velleio scripsimus, intra 40. diem toto mari eos expulit. Bello cũ ijs in Cilicia cõfecto, acceptis uerò in deditionẽ piratis, agros & urbes dedit: ut abbreuiator Liuij lib. 99. scribit. Velleius sic de piratico bello: At Gn. Pompeius multis & præclaris uiris in id bellũ assumptis, descriptoque in omnes recessus maris præsidio nauiũ, breui inexuperabili manu terrarũ orbẽ liberauit. Prædonesque per multa à multis locis uictos circa Ciliciã aggressus, fudit ac fugauit. Et quo maturius bellũ tam latè diffusum cõficeret, reliquias eorũ cõtractas in urbibus, remotoque mari loco, in certa sede cõstituit. Sed illud bellũ elegãtissimè descripsit Florus lib. 3. titulo 6. abundè Appianus in Mithridatico, copiose Plutarchus in Põpeio. Sed animaduerte lector, quod Tullius in oratione in L. Pisonẽ (de quo inferius plura) meminit duorũ Coss. L. Luselli & G. Marij, quos Q. Asconius Pedianus super eadẽ oratione scribens, L. Iuliũ & G. Mariũ appellat. Sub quibus collegia & magistri collegiorũ sublati sunt, qui ludos faciebãt. Quos P. Clodius dehinc nouẽ annis in consulatu L. Pisonis restituit. hos auguror ego illos fuisse, & nomina in alterutro autore corrupta. Perpende diligenti examine singula. Lege autem Ciceronis in L. Pisonem uehementem orationem, & admiraberis quæ scribo. 685

2 C. PISO CALPHVRNIVS, ET M. GLABRIO.

Hunc puto esse Pisonem, qui ira atque inuidia stimulabatur contra Pompeiũ, ut Plutarchus in Pompeio scribit: eique apparatũ naualẽ soluit, milites que stipendijs liberauit. Vnde Pompeius classe ad Brundusiũ missa, per Ethruriam Romã accedit. Cui tanta multitudo à mœnibus Vrbis effusa obuiã est, tantaque facta lætitia post finitũ piraticũ bellũ, ut fermè Piso cõsulatu sese abdicasset. Sed hoc uetuit Pompeius paulo pòst (etsi sub quibus id Coss. factũ sit, planè mihi nõ constet) Manilius Trib. pleb. ut idem Plutarchus testatur, rogationẽ tulit, uti quotquot loca in prouincia Lucullus obtinebat, ea omnia Pompeio obuenirent, cũ omnibus illis copijs: præterea Bithynia, cui tum Glabrio præerat, accepta, aduersus Mithridatẽ regem atque Tigranẽ dux belligerendi 686

Pompeius

Pompeius declararetur. Et illud est quod Liuius lib. 100. scribit: Gn. Manilius Trib. pleb. indignatione maxima nobilitatis legẽ tulit, ut Põpeio bellũ Mithridaticũ mandaretur. Pro hac lege Manilia dixit Cicero tũ Prętor elegantissimã illam orationẽ de laudibus Gn. Pompeij, quæ in ordine adhuc prima orationum familiariũ extat. Hic C. Calphurnius Piso Cos. legẽ Calphurniã de ambitu tulerat, in qua præter alias pœnas, pecuniaria quoq; pœna adiecta erat, ut Asconius testatur super oratione Ciceronis de Maiestate. Velleius Paterculus: Cum esset in fine bellũ piraticũ, cum & L. Lucullus (qui ante septem annos ex S. C. sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasq; ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridatẽ sæpe multis locis fuderat, egregia Cyzicũ liberarat uictoria, Tigranẽ regũ maximũ in Armenia uicerat, ultimãq; bello manum penè magis noluerat imponere, quàm non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis & bello penè inuictus, pecuniæ expellebatur cupidine) idem bellũ adhuc administraret, Manilius Trib. pl. semper uenalis, & alienæ minister potentiæ, legem tulit, ut bellũ Mithridaticũ per Gn. Pompeiũ administraretur. Accepta ea, magnisq; certatũ inter imperatores iurgijs, cum Pompeius Lucullo infamiã pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatã cupiditatẽ imperij obijceret, neuterq; ab eo quod arguebatur mentitus, argui posset. Nã neq; Pompeius, ut primũ Remp. aggressus est, quenq; animo parẽ tulit: & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. Neq; eo uiro quisquam aut alia omnia minus, aut gloriã magis concupijt: in appetendis honoribus immodicus, in gerendis uerecundissimus, ut qui eos ut libentissimè iniret, ita finiret æquo animo: & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret. Et Lucullus summus alioqui uir, profusę huius in ædificijs conuictibusq; & apparatibus luxuriæ primus autor fuit. Quem ob iniectas mari moles, & receptum suffosis montibus mare, haud infacetè Magnus Pompeius Xerxen togatum uocare assueuerat.

pompeius

687 CN. LEPIDVS, ET L. TORQVATVS. 3

Sic nominãtur Cassiodoro. Sed Asconius Pedianus eos appellat (si hi ijdem sunt) L. Cottam & L. Torquatũ. Sub quibus Cicero orationẽ dixit pro Cornelio de Maiestate, quę iactura temporũ perdita est. Qui quidẽ Cornelius Quęstor Gn. Pompeij fuerat, deinde Trib. pl. C. Pisone Cos. Hinc alienatus à Senatu, ex causa quã plurib. Asconius recenset. L. Cottæ & L. Torquati Coss. meminit Cicero in 3. Inuectiuarũ in Catilinã, ubi prodigia plura recẽset, quæ ante coniurationẽ Catilinæ apparuerũt, quę à Iulio Obsequẽte sub C. Antonio et Cicerone uisa scribunt. Sed corruptus est et mancus libellus ille: uterq; lector uidendus est. Scribit Cornelius Nepos in uita Pomponij Attici, ipsum Pomponiũ L. Cotta & L. Torquato Coss. ab Athenis Romã remigrasse. Quantũ uerò ex Asconio deprehendimus, ante L. Cottã & L. Torquatum Tullus. Coss. fuerant.

688 M. LEPIDVS, ET L. VOLCATIVS. 4

Quo anno Prætor Cicero fuit, & reum duo fratres Cominij lege Cornelia de Maiestate Cornelium fecerũt, & Cicero pro eo hinc orauit: & ut Pedianus in oratione, quã in Toga candida habuit Cicero, quæ item perijt, testatur. Sub his Coss. Catilina ex Africa prouincia decedẽs, petiturus consulatũ, à legatis Afris repetundarũ accusatus est: quare à petitione destitit. Sub his præterea Coss. ut ex eadem oratione Ciceronis & ex Salustij Catilinario deprehendimus, prima cõiuratio contra Senatũ facta fuit à Catilina & Gn. Pisone, qui in Hispania perijt, anteq; in lucẽ erumperet. Ob id P. Sylla & P. Antronius cum consulatũ peterent, ambitus damnati, in eorũ locũ creati sunt L. Cotta & L. Torquatus, quos, teste Salustio, Catilina & Antonius Cal. Ianuarij parabãt in Capitolio interficere, nisi res fuisset intercepta. Et ob id abbreuiator Liuij lib. 101. scribit: Cõiuratio eorum qui in petitione cõsulatus ambitus damnati erãt, facta de interficiendis Coss. oppressa est. Suetonius in Iulio, rubrica nona, meminit horũ Coss. Sed pro P. hic scriptũ est, L. Antronio. Sed pro illo P. Sylla tandẽ Cicero orauit oratione pulcherrima, quæ extat. Verùm ut quicquid quod summa elucubra-

Olympiad. tione inuestigauerim, studiosis utile afferam: post hos Coss. in opusculo quod Paulo Orosio ascribitur, scribuntur nomina Coss. qui desunt in hoc Caßiodori exemplari: quos etiam subiunxi, ut nihil scilicet sciens obmittam. Sic autem scriptum est ibi, ut usque ad consulatum Ciceronis, & hos & sequentes ponam: Ab urbe con.

Lepido	& Tullo.
Sulla	& Pæto.
Cæsare	& Turino.
Cicerone	& Antonio.

In Caßiodori uerò exemplari post Lepidum & Torquatum, omißis Sylla & Pæto, ponuntur hi:

CLXXIX *Iulius,* L. CAESAR, ET *Figulus.* Q. MARTIVS.

Cæterùm quid sub singulis gestum est, non satis ob iacturã Liuij constat. quanquam facili coniectura assequi possumus, per hæc tempora Pompeiũ ad gerendũ bellum aduersus Mithridatem profectũ, cum rege Parthorum Phraarte amicitiam renouasse: equestri prælio Mithridatẽ uicisse, ac in fugam compulisse ultra Bosporum: Tigranẽ in deditionem accepisse, & ea quæ Plutarchus in Pompeio ac Lucullo prodidit, & in Mithridatico scribit facta. Quæ Liuius complexus fuit centesimo libro, & duobus sequentibus. Sed ut ad Coss. iterũ redeam, Salustius in Catilinario hos Coss. nominat: Sub quibus Calendis Iunij Catilina cõiuratores suos cõuocat, eosque magnis præmijs ad coniurationem cohortatur. Quorum Cicero & in oratione pro P. Sylla, & in alijs pluribus meminit. In ea oratiõe sic: Primũ Cincius, iudices, L. Iulio, G. Figulo Coss. profectus est aliquanto ante furorem Catilinæ. Sub his item Coss. L. Cæsare & Figulo, teste Pediano, M. Cicero orationẽ habuit in toga candida, post annum quam pro Cornelio dixerat, qua competitores à se repulit, quos sex habuit in petitione consulatus: duos patricios, P. Sulpitium Galbam, & L. Sergium Catilinã: quatuor plebeios, ex quibus duos nobiles, C. Antoniũ, M. Antonij oratoris filium, L. Caßium Longinũ: duos, qui tamen non primi ex familijs suis magistratũ adepti erant, Q. Cornificiũ & C. Licinium Sacerdotem: uiri nulla improbitate notati. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit. Cæteri cõpetitores modestè se gessere. Caßius post paucos menses in coniuratione Catilinæ repertus. Catilina & Antonius quanquam infamis eorum uita erat, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronẽ consulatu deijcerent, adiutoribus usi firmißimis, M. Crasso & C. Cæsare, qui Ciceroni refragabantur, quòd eius indies ciuilem crescere dignitatem animaduertebant. Contra hos duos itaque competitores in Senatu Cicero habuit orationem, quæ in Toga candida inscribitur (sed perdita est) qua in eos acerrimè inuectus est, ut lege ambitus, qui tum augebatur, damnarentur. Sic iterum reiectus est à cõsulatu Catilina. Et hinc scribit abbreuiator Liuij libro centesimosecũdo: Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo Prætore & Cethego & pluribus coniurauit de cæde Coss. & Senatus, incendijs Vrbis, opprimenda Repub. exercitu quoque in Ethruria comparato. Scribit præterea Cicero ad Atticum primo epistolarum, sub his Coss. se filiolo auctum, salua Terentia: & cogitare suum competitorem Catilinam se derisurũ. Ex his omnibus, ut anacephalæosim Consulum breuem faciam, coniectare licet, hoc pacto atque ea serie fuisse Coss. licet illud examini acriori eruditißimorum semper subijciam. Nam temerè asserere nil per insolentiam uolo, ut nunc sequuntur: 689

C. Piso	& M. Glabrio 686.
M. Lepidus	& L. Volcatius Tullus 687.
L. Cotta	& L. Torquatus 688.
L. Cæsar	& C. Figulus 689.
M. Cicero	& C. Antonius 690.

Ab urbe con. Ex illis enim Coss. Cicero aliquos nominat in secunda Philippica, qua in M. Antonium ardentissimè inuectus est, & propter quam etiam, teste Iuuenale, interfectus est. Eius uerba aũt hæc sunt: Non placet Antonio consulatus meus: at placuit P. Seruilio, ut cum primum nominẽ ex illius temporis consularibus, qui proximè est mortuus. Placuit L. Catulo, cuius singularis semper in hac Repub. uiuet auctoritas. Placuit duobus Lucullis, Lucio & Marco: Q. Hortensio, C. Curioni, C. Pisoni, M. Glabrioni (sic enim est legendum in Cicerone, non Labeoni, ut ferè omnes habent codices) L. Volcatio, C. Figulo, D. Syllano, L. Murænæ, qui tunc erant Coss. designati, et cætera quæ sequuntur. Plinius libro octauo, quinquagesimotertio capite: Acquè facilis mixtura cum fero, qualiter natos antiqui hibridas sues uocabant semiferos: ad homines quoꝙ, ut in C. Antonium, Ciceronis in consulatu collegã, appellatione translata. Sed nõ omittendũ censeo, quod idem Plinius lib. 33. cap. 2. scribit: M. Cicero stabiliuit equestre nomen in consulatu suo, ei Senatum concilians: ex eo se ordine prouectum esse celebrans, & eius uires peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore planè hoc tertium corpus in Repub. factũ est: cœpitꝙ adijci, Senatuiꝙ populoꝙ Romano, equester ordo, qua de causa & nunc post populũ scribitur, quia nouissimè cœptus est adijci. Studiosi nihil obmittere per inertiam debẽt. Ideo consulo hic, ut etiam Q. Ciceronis libellum ad M. Tullium fratrem legant de Petitione consulatus. Olympiad.

Cicero,

690 M. TVLLIVS, ET C. ANTONIVS. 2

Sub his Coss. ut Orosius in sexto scribit, capite quinto, Cn. Pompeius, accepto occisi Mithridatis nuncio, Syriam & Phœnicem bello aggressus, Ityreos, Arabasꝙ primùm perdomuit: urbemꝙ earum quam nominant Petram cæpit. Hinc Iudæos subegit, & fanum eorum in Hierosolyma, inuiolatum ante id tempus, cæpit: ut centesimoprimo libro Liuius scripsit: in Mithridatico Appianus, in Pompeio Plutarchus. Velleius aũt sic: Dum in Vrbe Italiaꝙ de seditione Catilinæ Coss. agerent, Gn. Pompeius memorabile aduersus Mithridatem, qui post Luculli profectionẽ magnas noui exercitus uires reparauerat, bellum gessit. At rex fusus fugatusꝙ, & omnibus exutus copijs, Armeniã Tigranemꝙ socerũ petit, regem eius temporis, nisi quia Luculli armis erat infractus, potentissimũ. Simul itaꝙ duos prosequutus Pompeius, intrauit Armeniam. Prior filius Tigranis, sed discors patri, peruenit ad Pompeium. Mox ipse supplex & præsens, regnumꝙ ditioni eius permisit: præfatus neminẽ alium, neꝙ Romanum, neꝙ ullius gentis uirum futurum fuisse, cuius se societati cõmissurus foret, ꝙ̃ Gn. Pompeium. Proinde omnem sibi uel aduersam uel secundam, cuius autor ille esset, fortunam tolerabilem futuram. Non esse turpe ab eo uinci, quem uincere esset nefas: neꝙ ei inhonestè aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulisset. Seruatus regi honos imperij, sed multato ingẽti pecunia: quæ omnis, sicut Pompeio moris erat, redacta in Quæstoris potestatẽ, ac publicis descripta literis. Syria, aliæꝙ quas occupauerant prouinciæ, ereptæ, & aliæ restitutæ: pop. Ro. Syria tum primùm facta est stipendaria. Iosephus decimoquarto Antiquitatum, & primo libro belli Iudaici. Sed in decimoquarto Antiquitatũ, capite octauo, horum fit Coss. mentio, in hæc uerba: Nam cum capta ciuitas fuisset tertio mense ieiuniorum, centesima septuagesima Olympiade, C. Antonio, M. Tullio Cicerone Coss. hostes templũ ingressi, cunctos peremerunt, qui sacrificijs occupati, nullatenus sacra ruperunt, &c. Non est prætereundus locus Orosij in primo capite libri sexti, qui scribit, Mithridaticum bellum per quadraginta annos deductum. Nam sexingentesimo (inquit) anno ab Vr. con. quo etiam ciuile bellum cœperat inardescere. Consulatu autem Ciceronis & Antonij, ut uerbis poetæ optimi loquar, barbarico uix consummata ueneno est. Sed in his temporibus triginta gerendi belli anni inueniuntur. Qualiter autem quadraginta à plerisꝙ dicti sint, non facilè discernitur. Eodẽ tamen libro, capite sexto hos Coss. ponit anno Vrb. con. 99. qui numerus deprauatus est. Quoniam mox sequenti capite 7.

eodem

Olympiad. eodem libro, consulatum C. Cæsaris & L. Bibuli, qui quartus est ab hoc, reijcit in annum sexingentesimum nonagesimumquartũ. Iccirco superfluit in priori denarius unus, ut & Eutropius fatetur, qui annum hunc ponit sexingentesimum octogesimumnonum: & tradit, Mithridatem quadraginta annos contra Romanos bellũ habuisse. Si numerabis consulatus à L. Cornelio Sylla, & Q. Pompeio Ruffo, ad consulatum Ciceronis & Antonij, inuenies annos uigintisex. Cæteri ponunt triginta annos, quos tamen ex consulatibus non supputabis. Alij id uideant. Hoc addendum, quod Eusebius Catilinariam seditionem, quæ hoc anno quoq; acta est, Olympiadi centesimæ septuagesimænonę adscribit: quæ supputatio ueritati est propinquior. Iccirco apud Iosephum puto deesse unum uerbum: & legendum, Centesima septuagesimanona Olympiade. In Orosio libro sexto, capite primo, duplex error. Nam neq; quadraginta annos bellũ Mithridaticũ est actum, neq; sexingentesimo incœptum. In eiusdem sexto capite deest uerbum sexingentesimo, & abundat nono: cum hic sit annus Vrb. con. & hoc bellum Mithridaticum non sit ultra trigintasex annos productum. Et hæc est uera calculatio. Sed dubio procul notæ numerorum hunc errorem pepererunt. Sub id tempus eruta est coniuratio Catilinæ, prouidentia M. Tullij Ciceronis. Quæ quo pacto sopita atq; extincta sit, peculiari opere Salustius explicauit, quod Catilinarium dicitur, & extat: præterea quatuor elegantißimis inuectiuis enarratur à Cicerone scriptis, & quadam artificiosa Porcij Latronis declamatione. Appianus insuper in secundo libro Ciuilium abundè describit. Florus ingeniose perstringit libro quarto, titulo primo: qui horum quoq; Coss. mentionem facit. Plutarchus paßim in Cicerone atq; Cæsare. Meminit horum Coss. & huius coniurationis Eutropius libro sexto, capite quarto: & Iulius Obsequẽs, qui prodigia scribit. Quantus honor Ciceroni sit ob hoc datus, quòd pater Patriæ est dictus, Pomponius Atticus testatur, qui librum Græcè scriptum de consulatu Ciceronis edidit, teste Cor. Nepote: cuius Cicero meminit in secundo ad Atticum libro epistolarum: Plinius in septimo Naturalis historiæ, capite trigesimo. Plutarchus, Appianus, Salustius, poetæ Lucanus atq; Iuuenalis, paßim alij idem declarant. Vide Plutarchum quoq; in Catone iuniore. Id prætereundum non est, quòd Plinius libro nono Naturalis historiæ, capite trigesimonono, ubi de purpura agit, scribit Lentulum Spintherem Aedilem fuisse, ac dibapha, id est, bis tincta usum, Vrb. con. anno septingentesimo, Cicerone Cos. Sed numerorum notæ corruptæ sunt, ut sæpe testatus sum, ideoq; nullibi respondent. Velleij Paterculi uerba nullo piaculo obmittenda censeo, qui sic scribit: Per hęc tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, uir nouitatis nobilißimę, & ut uita clarus, ita ingenio maximus: qui effecit, ne quorũ arma uiceramus, eorum ingenio uinceremur. Cos. Sergij Catilinæ, Lentuliq; & Cethegi & aliorum utriusq; ordinis uirorum coniurationem, singulari uirtute, constantia, uigilia, curaq; eripuit. Catilina metu consularis imperij Vrbe pulsus est. Lentulus consularis & Prætor iterum, Cethegusq;, & alij clari nominis uiri, autore Senatu, iussu Cos. in carcere necati sunt. Ille Senatus dies, quo hæc acta sunt, uirtutẽ M. Catonis iã multis in rebus perspicuã atq; prænitẽtẽ altißimè illuminauit. Hic genitus proauo M. Catone, principe illo familiæ Porciæ, homo uirtuti simillimus, & per omnia ingenio dijs q̃ hominibus propior: qui nunquam rectè fecit, ut facere uideretur, sed quia aliter facere non poterat: cuiq; id solum uisum est rationem habere, quod haberet iusticiæ. Omnibus humanis uitijs immunis: semper fortunã in sua potestate habuit. Hic Tr. pl. designatus, adhuc admodum adolescens, cum alij suaderent, ut per municipia Lentulus coniuratiq; custodirentur, penè inter ultimos interrogatus sententiam, tanta ui animi atq; ingenij inuectus est in coniurationem, & ardore oris orationem omniũ lenitatem suadentium, societate consilij suspectam fecit. Sic impendentia ex ruinis incendijsq; urbis, & commutatione status publici pericula exposuit. Ita consilij uirtutem amplificauit, ut uniuersus Senatus in eos, quos pręsaid diximus, censeret: maiorq; pars ordinis eius

Ab urbe con.

Catonem

Ab urbe con. Catonem prosequerentur domum. At Catilina non segnius uota obijt, quàm sceleris conandi consilia inierat. quippe fortissimè dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, supplicio reddidit. In hoc consulatu Rullus legem ægrariam promulgauit, teste Plinio: cuius Rulli pater, P. Seruilius, solidum aprum in epulis apposuit. His præterea Coss. teste Suetonio in Augusto, rubrica quinta, natus est Augustus nono Calendas Octobris, paulo ante ortum solis. Et cum de coniuratione ageretur in curia, & Octauius ob uxoris puerperium serius affuisset, nota ac uulgata res est, P. Nigidium comperta morę causa, ut horam quoqꝫ partus accepit, affirmasse dominum terrarum natum Octauio. Et hinc Velleius in sua historia scripsit: Cōsulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus. Natus eo anno diuus Augustus abhinc annos LXXXII. omnibus omnium gentium uiris magnitudine sua inducturus caliginem. Fuit autem C. Octauius pater Augusti, qui ex prætura Macedoniā sortitus, residuam Spartaci & Catilinę manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere deleuit. Negocio sibi in Senatu extra ordinem dato, ac Bessis & Thracibus magno prælio fusis, socios humanissimè tractauit, ut Suetonius & Cicero attestātur. De quo Velleius sic scribit: Fuit C. Octauius ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia, grauis, sanctus, innocens, diues. Hic Prætor inter nobilissimos creatus, primo loco cum ei dignatio Iulia genitam Acciam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniā, appellatusqꝫ in eā imperator. Decedēs ad petitionē consulatus, obijt, prętextato relicto filio: quē C. Cæsar, maior eius auunculus, educatum apud Philippum uitricum dilexit ut suum: natumqꝫ annos XVIII. Hispaniensis militię, assequutum se postea, comitem habuit: nunquam aut alio usum hospitio quàm suo, aut alio uectum uehiculo: pontificatusqꝫ sacerdotio puerum honorauit. Et peractis bellis ciuilibus, ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolem iuuenis, Apolloniam eum in studia miserat, mox belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Olympiad.

Syllanus,

691 D. IVNIVS, ET L. MVRENA. 3

Hic est ille Syllanus, qui proximo anno Consul designatus, teste Salustio censuit coniuratos ultimo supplicio afficiendos esse. Sed Cæsare orante, ut Suetonius in Iulio scribit, rubrica decimaquarta, coactus est suam sententiā lenius interpretari, quia immutare non licuit. Et Eutropius libro sexto, capite quarto, horū Coss. meminit: scribitqꝫ quòd his Coss. Metellus de Creta triumphauit, Pompeius de bello Piratico & Mithridatico. Nulla unquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante currum eius, filij Mithridatis & Tigranis, & Aristobolus rex Iudæorum. prælata ingens pecunia, aurum atqꝫ argentum infinitum. De cuius triumphi pompa uide Plutarchum in Pompeio: licet Plinius in sequentes Coss. reijciat. Abbreuiator Liuij Pompeium triumphasse de liberis Mithridatis & Tigranis, libro cētesimotertio prodidit: sed nescio sub quibus. Horum Coss. meminit Plutarchus in Catone iuniore, qui scribit Catonem Trib. pl. iureiurando testatum fuisse (quia comitia cōsularia uenalia uiderat) sese quicunqꝫ largitionem faceret, ei diem esse dicturum. Excepit tamen Syllanū, qui sororem eius Seruiliam habebat propter necessitudinem. L. Murenā ambitus accusauit, quòd per largitionem obtinuisset, ut cum Syllano Consul designaretur. Quem cum Cicero Cos. defenderet, multumqꝫ risum iudicibus iniecisset: Cato ridēs quoqꝫ dixit, Dij boni quàm ridiculum Consulē habemus. Murena absolutus, omnia in consulatu ex Catonis uoluntate gessit. Lege orationem Tullij pro L. Murena elegantissimam & artificiosissimam, cuius iam his ex scriptis argumentum tenes.

Calphurnianus, *Messala.*

692 M. PVPIVS, ET M. VALERIVS. 4

M. Pupij mentionem facit Cicero in longa illa oratione quæ inscribitur, Pro domo sua, ad Pontifices.

Olympiad. His Coss. Catilina in agro Pistoriẽsi à C. Antonio bello peremptus est. *Ab urbe con.*

Liuius libro centesimotertio, Catilinam à C. Antonio Proconsule cum exercitu cæsum esse scribit. Quod & Salust. in fine Catilinarij facit belli. Eutropius in 6. ca. 4. Catilinã prælio uictum scribit sexingentesimononagesimo anno, Vrb. con. ubi duorum annorum est quæstio. Cæsar primo Conmentariorũ belli Gallici, ubi de Orgentorige Heluetiorum rege scribit exordia belli, meminit Coss. M. Messalæ & P. Pisonis: ut in alterutro menda appareat. licet nonnulli L. Pisonem habeant. Plinius lib. 7. cap. 26. sic horum Coss. meminit, ubi de laudibus Magni Pompeij scribit: Triumphi uerò, quem duxit ad tertium Calendas Octobris, M. Messala, M. Pisone Coss. præfatio hæc fuit: Cum oram maritimam à prædonibus liberasset, & imperium maris po. Ro. restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudęis, Albanis, Hiberia, insula Creta, Bastarnis: & super hęc de regibus Mithridate ac Tigrane triumphauit. Vbi id notandũ, quòd alter Coss. nunc Piso, nunc L. Piso, nunc M. Piso à diuersis appellatur. Sed de M. atq; P. Pisone Asconius consulendus est, super oratione Tullij contra L. Pisonem. Cicero tamen libro primo epistolarum ad Atticum, describens quomodo P. Clodius muliebri ueste in domo Cęsaris, dum sacrificaretur, deprehensus sit, bis horũ meminit Coss. duabus epistolis, M. Messalæ, & M. Pisonis. E quibus epistolis omnibus uelim historiã huius temporis ac res gestas omneis intelligas, studiose lector. De triumpho Pompeij repete ea quæ ex Velleio in Sexto Ruffo superius annotaui. Sed idem subiungit: Absente Gn. Pompeio T. Ampius & T. Laberius Trib. pleb. legem tulerunt, ut scilicet ludis Circensibus corona aurea & omni cultu triumphantium uteretur: scenicis autem prætexta, coronaq; aurea. Id ille non plus q̃ semel, & hoc sanè nimium fuit, usurpare sustinuit. Huius uiri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, ut primus ex Africa, iterũ ex Europa, tertiò ex Asia triumpharet. Et quot partes terrarũ orbis sunt, totidem faceret monumenta uictoriæ suæ. Nunquam eminentia inuidia carent. Itaq; & Lucullus, memor tamen acceptæ iniuriæ, & Metellus Creticus non iniustè querens (quippe ornamentum triumphi eius, captiuos duces Pompeius subduxerat) & cum ijs pars optimatiũ refragabatur, ne aut promissa ciuitatibus à Pompeio, aut benemeritis præmia ad arbitrium eius persoluerentur. Iulius Obsequens libello Prodigiorum sic meminit Catilinæ subacti: Cũ in agro Pistoriensi Catilinã deuicisset Antonius, laureatos fasces in prouinciam tulit: ibi à Dardanis oppressus, amisso exercitu profugit. Apparuit eum hostibus portendisse uictoriam, cum ad eos laurum uictricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere. Meminit horũ præterea Coss. Plinius in 8. lib. cap. 36. Annalibus notatũ est, M. Pisone M. Messala Coss. ad 14. Calendas Octobris, Domitium Aenobarbum, Aedilem curulem, ursos Numidicos centum, & totidem uenatores Aethiopas in Circo dedisse. Et lib. 37. cap. 2. iterum repetit: Ergo tertio triumpho quẽ de piratis, Asia, Ponto, gentibusq; & regibus in septimo operis huius uolumine indicatis, M. Pisone, M. Messala Coss. pridie Calendas Octobris die natalis sui egit, transtulit alueum cum tesseris lusorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor. Et reliqua quæ sequuntur.

Lapsus uidetur Cuspinianus, non obseruans Obsequentem Marci Ciceronis cum Antonio consulatum bis posuisse, & errore in capite 60. Marcũ Cæsonem, pro Cicerone scripsisse. Spectant igitur hæc Obsequentis uerba ad annum ab Vrbe cõdita 690.

Celer,

Q. METELLVS, ET L. AFRANIVS.

Horum Coss. meminit Iulius Obsequẽs in hæc uerba: Die toto antè sereno, circa 693

CLXXX horam undecimã nox se intendit. deinde restitutus fulgor, turbinis ui tecta deiecta, ponte sublapso homines in Tiberim præcipitati. In agris pleræq; arbores euersæ radicitus. Lusitani Gallœci deuicti, id quod Plutarchus in Cæsare scribit et Appianus. Abbreuiator Liuij lib. 303. scribit C. Cęsarẽ Lusitanos subegisse, eoq; cõsulatus candidato & captante Remp. inuadere, conspirationem inter tres principes ciuitatis factam, Gn. Pompeium, M. Crassum & P. Cæsarem. Quod latius in secundo Ciuilium

Appianus

Appianus describit, Tricipitiumque appellat. Sub id tēpus P. Clodius accusatus, quòd in mulieris habitu sacrariū ingressus, in quo uirū intrare nefas erat: cumque intrasset, uxorem Cæsaris Pompeiam stuprauisset, absolutus. De qua re Seneca 16. lib. Epistolarum ad Lucillium: Cicero in epistolis ad Atticum sæpe: Suetonius in Iulio, rubrica sexta: sed lucidissimè Plutarchus in Cæsare Dictatore: nonnihil etiam Aretinus in uita Ciceronis. Ex hac re, quòd Cicero testimoniū in P. Clodiū dixerat, natus est furor Clodianus. Nā & Clodius legibus preuaricatis, à C. Fonteio adoptatus est, & ad plebem transijt, ut Trib. pleb. factus se ulcisceretur de Cicerone. Vide orationem Tullij quæ inscribitur, Pro domo sua, ad Pontifices: ubi de his rebus, ac de iure adoptionis, pulchra leges. Asconius item Pedianus in oratione in L. Pisonē Q. Metelli Cos. mentionem facit, dicens: Ante bienniū quàm restituerentur collegia, Q. Metellus Celer Cos. magister ludorū ludos Compitalitios facere prohibuerat. Horum item Coss. Florus meminit lib. 4. titulo 2. causas ciuilis belli pulcherrimè enarrans: & Cicero lib. 1. epistolarum ad Atticum res gestas huius temporis graphicè describens, ex quo mutuanda sunt, quæ desideras. Horū Coss. meminit Plinius lib. 2. cap. 69. Cornelius Nepos de Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranij in cōsulatu collegæ, sed tum Gallis Proconsuli, Indos à rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercij causa nauigantes tempestatibus essent in Germaniam abrepti.

Cæsar, *Bibulus.* 2

694 C. IVLIVS, ET M. CALPHVRNIVS.

Cum Iulius Cæsar ulteriorem Hispaniam tenuisset, & iam ad triumphū Romam festinaret, quo tempore comitia erant edicta: multumque laborasset, ut legibus solueretur, absentique sibi liceret cōsulatum petere: cui cum multi obstarent, ne Senatu excluderetur, coactus est triumphū dimittere: ut Suetonius Tranquillus, Appianus secundo Ciuilium, Plutarchus attestantur. Cum uerò duos haberet consulatus competitores, M. Bibulum ac L. Luceiū, cum Luceio pactus, quoniā ditissimus erat, ut cōmuni nomine per centurias nummos pronūciaret. Qua re cognita, optimates M. Bibulum dederunt collegam Cæsari: ne si concordē collegam haberet in summo magistratu, omnia auderet. Tum Crassum Pompeio conciliauit: ac cum utroque societatē inijt, ne quid ageretur in Rep. quod displicuisset ulli è tribus. Tum leges agrariæ à Cæsare Cōsule latę sunt, cū maxima cōtentione, inuito Senatu, & collega Bibulo: quē è foro obnūciantē armis expulit, coegitque ut domo abditus latêret, ipse solus ad arbitriū omnia in Rep. administraret. Vnde quidā iocātes dixere, res gestas nō Cęsare et Bibulo Coss. sed Iulio et Cęsare, bis eūdē nominātes. De qua re mox hi uersus circūlati sunt:

Non Bibulo nuper quicquam, sed Cæsare factum est:
Nam Bibulo fieri Consule, nil memini.

Cæterùm quæ in hoc consulatu Cęsar gessit, uide apud Appianum in secundo Ciuilium, qui alterū Cōsulem ineptè P. Bibulū uocat: Plutarchū in Iulio: Tranquillum in Cæsare Dictatore, rubrica uigesima, copiosè describentē acta consulatus Cæsaris. Horum Coss. item meminere Orosius lib. 6. cap. 6. qui scribit, lege Vatinia Cęsari Galliæ treis prouincias cum legionibus septem datas in quinquenniū: & Eutropius lib. 6. cap. 5. qui ambo occasionem nacti, Cæsaris Iulij res gestas complectuntur. Sed numeri annorum apud Orosium sunt integri, quod mirum est, qui hunc annum sexingentesimum & nonagesimūquartum uocat: alter nonagesimūoctauum supra centesimū ponit, in quatuor annis lapsus. Sed & Florus lib. 4. titulo 2. perstringit eadem quæ Plutarchus & Tranquillus latissimè explicant. Lege tum Plutarchū quoque in Catone iuniore de his Coss. pulchra, quæ alibi non inuenies, & in Pompeio. Item facit Tullius horum Coss. mentionem in longa illa epistola primi libri ad Lentulum. In primo Cōmentariorum scribit Cęsar se Cōsule Ariouistū regem Germanorum, amicitiam pop. Ro. petijsse, & assequutum. Cuius & Liuius in centesimoquarto meminit. Quanquā aūt luculenter Plutarchus, concinnè Suetonius Cæsaris uitam perscripserint,

Olympiad. scripserint, omnino tamen studiosis uidendus est Velleius Paterculus, qui eius originem ac res bene gestas ad hunc usque scribit consulatum. quæ penitus sunt pro rebus hac ætate gestis necessariò adducenda. Tandem subiungit: In hoc consulatu Cæsar legẽ tulit, ut ager Campanus plebi diuideret, suasore legis Pompeio, ita circiter XX. ciuiũ eo deducta, & ius ab his restitutũ post annos circiter CLII. quàm bello Punico ab Romanis Capua in formã præfecturæ redacta erat. Bibulus collega Cæsaris cũ actiones eius magis uellet impedire, quàm posset, maiore parte anni domi se tenuit: quo facto, dũ augere uult inuidiã collegæ, auxit potẽtiã. Tũ Cæsari decretæ in quinquẽniũ Galliæ. Ab urbe con.

3 L. PISO CALPVRNIVS, ET A. GABINIVS.

695

Tertullianus in Apologetico, cap. 6. Piso & Gabinius Coss. nõ utique Christiani euersis etiã deorũ aris abdicauerunt, turpiũ & ociosarum superstitionũ uitia cohibentes: hisque uos restitutis summã maiestatẽ cõtulistis. Huius L. Pisonis Calphurniã filiã Cæsar in uxorem acceperat, quoniã sibi erat successurus in consulatu: cuius suffragio, atque Gn. Pompeij, cui item & filiã suam Iuliam uxorem dederat, Galliã prouinciã obtinuit. Quam ob rem Cato exclamauit, nuptiarũ lenocinio Remp. labefactari, ut Appianus, Plutarchus & Tranquillus docent. Sunt deinceps Vatinius & P. Clodius cognomine Pulcher, qui infamiæ notã in mulierũ celebritate subierat, Tribuni declarati. Cæsar nõ prius in expeditionẽ profectus dicitur, teste Plutarcho, quàm Ciceronem & Clodiũ, turbulẽtis inter se altercationibus irritasset. Vnde Abbreuiator Liuij lib. 103. scribit: M. Cicero, lege à P. Clodio Tribuno plebis lata, quia indemnatos ciues necauisset, in exilium missus est. Hinc scribit Casiodorus:

His Coss. Clodij rogatione Cicero in exilium est profectus.

Vide de hac re Appianũ 2. Ciuiliũ lib. Plutarchũ in Cæsare & Tullio: inprimis orationem Ciceronis illius, quæ inscribitur Pro domo sua, ubi quoque Coss. horũ crebra est & multiplex mentio: ac illius quæ in Vatiniũ testem inscribitur: item de Aruspicũ responsis, in Clodiũ: item de sortiendis prouincijs cõsularibus. Sed omnino uidenda est oratio quã ad equites dixit, pridie quàm in exiliũ iret Cicero, si modò sua esse credi debet. Cæterùm penitus uidenda est oratio Ciceronis, quam in L. Pisonẽ habuit, ubi omnia eius gesta exprobrat. De A. Gabinio Plutarchus in Antonio, et Liuius lib. 105. plura. Sed & horũ Coss. mentionẽ Cæsar facit, 1. libro Cõmentariorũ belli Gallici. Et Plutarchus in Catone iuniore, qui alterũ Cos. Gabiniũ Paulum appellat: quẽ in Pompeio, ubi horũ quoque mentio fit, egregiũ adulatorẽ Pompeij uocat. Scribit præterea Asconius Pedianus super oratione Tullij pro Milone, III. Idus Sextiles his Coss. cũ Pompeius in Senatũ uenisset, seruo P. Clodij sicam excidisse, quæ ad Gabiniũ Consulem delata est: & dictũ, seruo imperatũ à P. Clodio, ut Pompeius occideretur, quod notat in ea oratione Cicero. Per id tempus P. Clodius homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi, neque faciendi ullũ, nisi quem uellet, nosset modum, malorũ propositorum exequutor acerrimus, infamis etiã sororis stupro, et actus incesti reus ob initũ inter religiosissima P. R. sacra adulteriũ: cum graues inimicitias cũ M. Cicerone exerceret, & à patribus ad plebẽ transisset, legem in tribunatu tulit, qui ciuem Romanũ damnatũ interemisset, ei aqua & igni interdiceretur. Cuius uerbis etsi nõ nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Ita uir optimè meritus de Rep. conseruatæ patriæ precium calamitatẽ exilij tulit. Non caruerunt suspicione oppresi Ciceronis Cæsar & Pompeius. Hoc sibi cõtraxisse uidebatur Cicero, quòd inter XX. uiros diuidendo agro Campano esse noluisset. Idẽ intra bienniũ secura Gn. Pompeij cura, uerùm & cupito interitu, uotisque Italiæ ac decretis Senatus, uirtute atque actione Annij Milonis Trib. pl. dignitati patriæque restitutus est. Neque post Numidici exilium aut reditum, quisquam aut expulsus inuidiosius, aut receptus est lætius. Cuius domus quàm infestè à Clodio deiecta erat, tam speciose à Senatu restituta est.

P. LEN-

Spinter, Nepos.

Ab urbe con. 696 P. LENTVLVS, ET Q. METELLVS.

Horum Coss. crebra mentio in oratione Tullij quæ inscribitur contra L. Pisonem.

His Coss. propter ciuiles discordias per se de exilio Cicero reuocatur.

Abbreuiator Liuij lib. 104. M. Cicero Pompeio inter alios orante, & T. Annio Milone Trib. pleb. ingenti gaudio Senatus ac uniuersæ Italiæ ab exilio reductus est. Appianus in secundo Ciuiliū: Cum Clodius Pompeio se aduersum præstaret, Pompeius Milonem, qui cum Clodio consulatum postulabat, ad spem concitat, & in Clodiū illi pollicet, reditumq; Ciceroni ex decreto iubet decernere. Sic Cicero ob Pompeium Vrbe eiectus, ab eodem domum restitutus est, 16. post expulsionem exacto mense. Domus illi ac cætera publicis impēsis instaurata sunt. Plutarchus in Pompeio narrat, quòd cū Cicero in extremo periculo Pompeij orasset auxiliū, coràm uenire haud passus, uestibulo clauso, postico egressus est: sed tandē eū reuocauit. Sed & Aretinus in uita Ciceronis hæc omnia latè exequitur. Videndæ tamen sunt potissimum duæ luculentissimæ orationes quas Cicero post reditū habuit & ad Senatores & ad Quirites: primaq; epistola ad Pomponiū Atticū, lib. 4. totusq; is liber, qui historiam omnē continet. Sub id tempus Cęsar Ambianos, Suessiones, Viromanduos, Atrebates Bolgarum populos prælio deuictos, in deditionē accepit. Neruios oppressit, atq; deleuit, ut in 104. lib. Liuius prodidit: Cæsar uerò in Cōmentariorū libris tribus prioribus elegantissimè scripsit. Florus, ut solet, acutissimè perstringit lib. 3. titulo 10. Plutarchus in Cæsare & Suetonius abundè omnia narrant. Ex quibus sustulit Orosius, quod scribit lib. 6. cap. 6. 7. 8. & 9. & Eutropius lib. 6. cap. 5. Si integer esset Celticus Appiani, possemus et aliqua hic inuestigare. Eodem tempore Cato in Cyprū nauigauit, lege lata de redigēda in prouinciæ formā Cyprū, & publicanda pecunia regia, ut Liuius 104. & Plutarchus in Catone iuniore prodiderunt. Quo honore affectus sit Cato, præter Plutarchū Val. Max. quoq; cōmemorat lib. 8. titulo, Quæ cuiq; magnifica contigerunt. Historia hæc item ab Appiano in secundo Ciuiliū enarratur de Catone & rege Cyprio. Florus lib. 3. titulo 9. elegantissimè perstrinxit. Meminit & Ammianus Marcellinus lib. decimoquarto: & Lucanus obiter in tertio Pharsaliæ libro,

Quod Cato longinqua uexit super æquora Cypro.

Sed & de hac re Dion consulendus est: & Velleius Paterculus, ut in Sexto Ruffo docuimus. Horū Coss. mentionē facit Plinius lib. 7. cap. 12. de similitudine, ubi litera deprauata, sic emendatius est legenda: Sicut Spinter Secundanus Retiariusq; Pamphili collegio Lentuli & Metelli Coss. in quo perquā informe fortuitū hoc fuit, duorum simul Coss. in scena imagines cerni. Qui infortunè legunt, sint infortunati ingenio semper. Q. Asconius Pedianus præterea in Miloniana oratione sic de his Coss. scribit: L. Cæcilius Ruffus fuit Prætor P. Lētulo Spintere, Q. Metello Nepote Coss. quo anno Cicero restitutus est. Is cū faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonę caritate, tumultuata est, ut omnes qui in theatro spectādi causa cōsederant, pellerentur. Ad hunc Lentulū scripsit Cicero primū librū Epistolarū familiariū. nā in hoc consulatu Ptolemæus rex Alexādrinus Romā uenit: qui cū esset P. R. amicus, Senatus datus petijt reduci. Post hūc cōsulatū Cilicia prouincia Lentulo demandata est, unde petijt à se regē reduci. Quia hinc facilis erat in Aegyptum transitus.

Marcellinus, Philippus.

697 GN. LENTVLVS, ET L. MARTIVS. CLXXXI

Hic est ille L. Martius, cuius filiam Martiam, Porcius Cato post diuortiū Attilię in uxorem accepit. Quam deinde impregnatā Q. Hortensio clarissimo uiro concessit, atq; sponsalia fecit: postq; à Catone filiā Porciam Bibulo nuptam assequi nō potuit, ut refert Plutarchus. Hic igitur Cos. tūc erat, cū Cato è Cypro rediret: & uterq; Consul,

Olympiad. sul, ob eximias uirtutes Catonis, cum uniuerso Senatu decreuere Catoni præturã extra ordinẽ, & ludos inspicere ueste purpurea: quæ tũ Cato deprecatus, ut testatur Plutarchus in Catone. Tũ Cicero etiã tabulas Clodij in Capitolio fixas, qua gesta eius tribunatus cõtinebantur, fregit ac disiecit: absentemq; Clodiũ accusauit: ac præclarã illam orationẽ, quæ inscribitur de Aruspicũ respõsis, in P. Clodiũ habuit. Dehinc acerrimè inuectus est in Senatu in L. Pisonẽ & A. Gabiniũ Coss. sub quibus eiectus est in exiliũ. Habuitq; uehementẽ illã orationẽ quæ inscribitur, de Prouincijs cõsularib. sortiẽdis. Ambæ, lector studiose, tibi sunt hoc loco relegendæ, ut res gestas intelligas: quandoquidem quæ Liuius 105. lib. sub his Coss. scripsit, perdita sunt, ut haud ignoras. Meminit horũ Coss. Tullius in 1. Epistolarũ lib. ad Lentulũ, antepenultima epistola, q̃ multa te docebit, lector, huius tẽporis gesta: quã diligẽter leges, qa longissima est. *Ab urbe con.*

Magnus, *Crassus.*

2 CN. POMPEIVS II. ET M. LICINIVS II. 698

Cum Cæsar in Gallia multa strenua imperatoris edidisset opera, ut omniũ in se animos alliceret, multis dona in Vrbẽ remisit. Tandẽ cum Lucã uenisset, tantus ad eum amicorũ uenerat numerus consularium ac illustrium uirorum, ut 120. fasces circa eius fores sederent. Crassus aũt & Pompeius, remotis arbitris, ut omnẽ in se Romani imperij potentiã transferrent, colloquuti, decreuerunt ut ambo iterũ consulatũ peterẽt: Cæsari in aliud quinquenniũ Gallia prouincia demandaretur. Vtrũq; perfectũ. Nã Crassus & Pompeius consulatũ adepti, nõ obstante L. Domitio cõpetitore, cuius famulus cum lucerna est interfectus, licet Cato hunc iuuaret. Et Cæsari Gallia in aliud lustrum demandata est. Postq; magistratũ inierunt, sortiti prouincias, Pompeio Hiberia & Africa, Crasso Syria, Parthia, cũ adiacentibus euenere regionibus. Crassus ob nimiã auaritiã & cupiditatẽ dimisso consulatu in prouinciã inuito populo profectus est: infeliciterq; pugnauit, interfectus à Parthis, unà cum P. Crasso filio suo, ac penè uniuerso exercitu, bello Parthico: quod peculiari libro Appianus descripsit, cui titulus est Parthicus. Plutarchus in Crasso: Florus lib. 3. titulo 11. Iustinus delibat 42. lib. In centesimosexto libro Liuius hoc bellũ perscripsit: Orosius lib. 6. cap. decimo: Eutropius lib. 6. cap. 6. Vterq; ab altero in annis Vr. con. dissidet. Valerius Max. 1. libro Exemplorum, prodigia scribit, quæ Crasso euenerũt. Crassus enim, referente Plinio libro 33. negabat diuitem esse, nisi qui reddituannuo legionẽ tueri posset. In agrisq; suis sestertiũ uiginti millia possedit, Quiritiũ post Syllam ditissimus. Crebra est mentio huius apud Ciceronẽ in primo de Officijs, in tertio de Finibus bonorum & malorum, & passim alibi. Pompeius uerò interim Iuliam uxorẽ amisit, quæ grauida immaturum partum edidit, quòd uestes Pompeij uidit sanguine cõpersas in comitialibus contentionibus. Construxit præterea theatrum, & spectacula multa edidit, cum exquisitissimis ac magnificentissimis omnis generis ludis, quibus beneuolentiam sibi populi contraxit: atq; alia, quæ Plutarchus in eius uita commemorat: qui in Crasso, in Pompeio, in Catone iuniore horũ Coss. meminit. Velleius: Cũ immanes res uix multis uoluminibus explicandas, C. Cæsar in Gallia ageret, nec contentus plurimis ac felicissimis uictorijs, innumerabilibusq; cæsis, & captis hostium millibus, etiam in Britanniam traiecisset exercitum, alterum penè imperio nostro ac suo quærens orbem, inuictum par Consulum Gn. Pompeius & M. Crassus alterum iniere consulatum: qui neq; petitus honestè ab his, neq; probabiliter gestus est: Cæsari lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ in idem spacium temporis prouinciæ. Crasso bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. Qui uir cætera sanctissimus, immunisq; uoluptatibus, neq; in pecunia, neq; in gloria concupiscenda aut modum norat, aut cupiebat terminum. Hunc proficiscentem in Syriam diris cum ominibus Tribb. pl. frustra retinere conati: quorum execrationes si in ipsum tantummodo ualuissent, utile imperatoris damnum saluo exercitu fuisset Reipub. Transgressum Euphratem Crassum, petentemq; Seleuciam, circumfusos immanibus copijs equitum,

rex Orodes unà cũ parte maiore Romani exercitus interemit. Reliquias legionum
C. Caſsius, atrociſsimi mox autor facinoris, tũ quæſtor cõſeruauit: Syriamq; adeò in
P. R. poteſtate retinuit, ut tranſgreſſos in eam Parthos, felici rerum euentu fugaret ac
funderet. Plinius lib. 8. cap. 7. Pompeij quoq; altero cõſulatu, dedicatione templi Ve
neris Genitricis, pugnauere in Circo uiginti elephanti: aut ut quidã tradunt, decem
& ſeptem. Getulis ex aduerſo iaculantibus, mirabili unius dimicatione, qui pedibus
confoſsis repſit genibus in cateruas, arrepta ſcuta iaciens in ſublime, quæ decidentia
uolubilitate ſpectantibus uoluptati erant in orbem circumacta, uelut arte, non furo-
re beluæ, iacerẽtur. Horum Coſs. præterea mentionem facit Plinius lib. 33. cap. 1. his
uerbis: Nec ignoro, M. Craſſum duo millia pondo auri rapuiſſe, ſuo & Pompeij ter-
tio conſulatu, è Capitolini Iouis ſolio, à Camillo ibi condita: & ideo à pleriſq; exiſti-
mari, duo millia pondo collata. Vbi ſuſpicor erratum. Nam hic ſecundus, non tertius
Pompeij conſulatus fuit, & tertium non cum Craſſo geſsit. Item Appianus in ſecun-
do Ciuilium: & Cæſar Commentariorum Gallicorum libro quarto, quo bellum Cæ
ſaris & Germanorum continetur. Quod Liuius centeſimoquinto libro ac ſequenti-
bus deſcripſit. His præterea Coſs. teſte Aſconio Pediano Cicero orationẽ habuit a-
cerrimã: qui ob ſententiã Lentuli & Philippi Coſs. de quibus ſuprà ſcripſimus, è pro-
uincia reuerſus, de inſectatione Ciceronis in Senatu conqueſtus eſt, fiducia Cæſaris
ſoceri ſui, qui tum Gallias obtinebat. Lege hanc orationem, lector candide.

Pulcher, *Aenobarbus,*

APPIVS CLAVDIVS, ET L. DOMITIVS. 3

699 Appius Claudius frater P. Clodij fuerat, qui ex patricia familia in plebeiã tranſie-
rat per ſummã infamiã. Duæ enim erant familiæ Claudiæ, teſte Aſconio. Vna Mar-
cellorũ appellata eſt, et plebeia fuerat: altera Pulchrorũ, quæ patricia erat. L. uerò Do
mitius, Gn. Domitij filius fuit, & Neronis Cæſaris abauus: qui Prætor Cæſarem abe
untem conſulatu, quem aduerſus auſpicia, legesq; geſsiſſe exiſtimabatur, ad diſquiſi
tionem uocauit Senatus. Mox Coſ. imperatorẽ ab exercitibus Gallicis retrahere ten
tauit, ſucceſſorq; ei per factionẽ nominatus, principio ciuilis belli ad Corfiniũ captus
eſt. unde dimiſſus, Maſsilienſes obſidione laborantes cum aduentu ſuo confirmaſſet,
repentè deſtituit, acieq; demũ Pharſalica occubuit: uir neq; ſatis conſtans, & ingenio
truci, in deſperatione rerum mortem timore oppetitã, ita expauit, ut hauſtũ uenenũ
pœnitentia euomuerit: medicumq; manumiſerit, qui idem ſibi prudens ac ſciens mi
nus noxiũ temperaſſet, ut Suetonius in Nerone, rubrica 2. & Seneca in 3. Beneficio-
rũ ſcribẽtes atteſtãtur. Hic Porciam ſororem Catonis uxorẽ habuit, qui ſuperiori an-
no repulſam paſſus fuit. De quo multa Plutarchus in Catone. Horum Coſs. meminit
Cæſar ſuo Gallico Cõmentario 5. qui ſcribit ſe tunc ad Illyricũ profectum, ubi re pa-
cata ad exercitũ redijt in Galliã: & Induciomarũ ac Centorigem deficientes cõfirma-
uit. multaq; in Gallia geſsit ſtrennua, quæ eo libro continentur, & quæ in Britannia
fecit. Nam, ut A. Hircius atteſtatur in additione belli Gallici, Cæſar pro ſingulis an-
nis ſingulos Cõmentarios ſcripſit. Cæterùm his Coſs. teſte Pediano, orationẽ Cicero
pro M. Scauro, M. Scauri filio, qui princeps Senatus fuit, quę hodie nõ extat, habuit.
Horum item Coſs. meminit Iulius Obſequẽs: qui ſcribit M. Craſſum ad Parthos pro
fectum, Euphraten traieciſſe, multaq; prodigia neglexiſſe. Cum enim coorta tempe-
ſtas eſſet, ſignifero ſignũ arreptũ immerſit gurgiti: et cũ effundente nimborũ caligine
prohiberentur tranſire, pertinaciter perſeuerans, cum filio & exercitu interijt. Cõme
morat eadem Valerius de prodigijs, & Plutarchus, ut paulo antè dixi: et Liuius cente
ſimoquinto lib. Cæterũ bellum Gallicũ, quod Cæſar geſsit, ijſdẽ temporibus ipſemet
libris ſeptem expreſsit. Hircius octauũ adiecit. Liuius carptim pluribus libris, 103. &
ſequentibus cõplexus eſt. Florus perſtrinxit lib. 3. titulo 10. Oroſius lib. 6. ut ſuperius
cõmemorauimus. Velleius: Per hæc inſequentiaq; tempora amplius CCCC. hoſtiũ à
C. Cęſare cæſa ſunt, plura capta, pugnatũ ſępe directa acie, ſępe in agminib. ſępe eru-

ptionibus, Bis penetrata Britannia. Nouem denique æstatibus uix ulla non iustissimus triumphus emeritus. Circa Alexiam uerò tantæ res, quantas audere uix hominis, perficere penè nullius nisi dei fuerit. Ab urbe con.

4 CN. DOMITIVS, ET M. MESSALA.

Horum Coss. meminit Plutarchus in Pompeio, & Asconius Pedianus super oratione Tullij pro Milone. Arbitror sub id tempus Cæsarẽ Treuiris in Gallia uictis, iterum in Germaniã transijsse, ut ex 107. Liuij colligi potest. Tum ortę sunt grauissimę illę cõtentiones inter candidatos cõsulatus T. Annium Milonẽ, P. Plautiũ Hypseum & Q. Metellũ Scipionẽ: qui non solũ largitione palàm profusa, sed etiã factionibus armatorum succincti, consulatũ petierant. P. Clodius cũ ipse pręturã peteret, hanc debilem futurã augurabatur Milone Consule: cui alioqui infensus erat, quod Ciceronẽ reduxisset, ob id Clodius Hypseo & Scipioni studebat. Cum itaque ob assiduas cõtentiones comitia cõsularia perfici nõ possent, & mense Ianuario nulli neque Coss. neque Prætores essent, Miloque comitia confici uellet, Clodius resisteret: ideo Pompeius ad Senatum referre, pro Interrege creando ad Calẽdas Februarij censuit. Sequẽtibus diebus Clodius ab Aricia rediens, ultra Bouillas, ubi Bonę deę sacellũ est, cũ seruis XXX expeditis, Miloni occurrit. orta pugna inter seruos, Clodius uulneratus in tabernã delatus, quẽ extractũ Milo occidit. Corpus Romã delatũ et in curia cõbustũ, curiã & M. Lepidi domũ incẽdit. Quæ res effecit, ut Gn. Pompeiũ Dictatorẽ creare senatores niterentur. Cui Cato obstabat. Sed M. Bibulo sententiã dicente, ut asserit Plutarchus, Cato assensit, & unicus Consul sine collega creatus est: donec in ultimis mensibus quinque, Metellum Scipionem socerum, cuius filiam Corneliam, quæ P. Crasso apud Parthos defuncto uirgo nupserat, duxerat uxorem, collegam asciuit. Et ideo Cassiodorus eos simul ponit. Quanquam seorsum ponendus sit Pompeius solus, ut in opusculo ignoti autoris, ubi Coss. nomina ponuntur. 700

Pompeius solus Cos.

Paterculus Velleius: 7. fermè anno Cæsar morabat in Gallijs, cũ mediũ iã ex inuidia põti malè cohærẽtis, inter Gn. Pompeiũ & Cęsarẽ cõcordię pignus uxor Magni decessit: atque omnia inter destinatos tãto discrimini duces, dirimente fortuna, filiusque paruus Põpeij Iulia natus, intra breue spaciũ obijt. Tũ in gladios cædesque ciuiũ furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur, neque modus, tertius consulatus soli Gn. Põpeio, etiam aduersantium antea dignitati eius iudicio delatus est. Cuius ille honoris gloria, ueluti reconciliatis sibi optimatibus, maximè à Cæsare est alienatus. Sed eius consulatus omnem uim in coercionem ambitus exercuit. Quo tempore P. Clodius à Milone candidato cõsulatus, exemplo inutili, facto salutari Reipub. circa Bouillas, cõtracta ex occursu rixa, iugulatus est. Milonẽ reũ non magis inuidia facti quam Pompeij damnauit uoluntas. Quem quidẽ M. Cato palàm lata absoluit sententia. Qui si maturius tulisset, nõ defuissent qui sequerentur exemplum, probarentque eum ciuem occisum, quo nemo perniciosior Reipub. neque bonis inimicior uixerat.

CLXXXII GN. POMPEIVS (Magnus), III. ET Q. METELLVS (Scipio). 701

Cum itaque Pompeius iuxta S. C. ab Interrege Seruio Sulpitio quinto Calendas Martij mense intercalario, Consul creatus est solus, statim consulatum inijt. Deinde post diem tertium de legibus nouis ferendis retulit. Duas ex S.C. promulgauit. Alteram de ui, qua nominatim cædem in Appia uia factam, & incendiũ Curiæ & domũ M. Lepidi Interregis oppugnatã comprehendit. alteram de ambitu, pœnam grauiorem & formam iudiciorũ breuiorem. Vtraque enim lex prius testes dare, deinde uno die atque eodem & ab accusatore & ab reo perorari iubebat: ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. Sed cum ex clamore ac perturbatione testes audiri non potuissent, & tumultus penè nouus excitaretur, Pompeius ad sextum Idus Aprilis, quo iudicium peragebatur, post sortitionem iudicum, exercitum in forum & omnibus in

templis,

 templis, quæ circa forũ sunt, collocauit. Quod tam ex oratione Ciceronis, quã tunc
pro Milone trepidè satis dixit, quàm ex eo opusculo apparet de Optimo genere oratorum. Et Lucanus sic de eo cecinit:

Atq; auso medias perrumpere milite leges,
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem.

Quæstione igitur decreta de morte P. Clodij, Milo iudicio damnatus, in exilium actus est, teste Liuio 107. lib. Massiliamq; profectus, bona eius propter æris alieni magnitudinem semiunciã uenierunt. Plinius inter prodigia humani animi ponit, tunc Milonem sextertia DCC.M. æris alieni debuisse. Verùm ut Plutarchus in Catone iuniore scribit, cum Pompeius tertiò Consul factus esset, et absens & solus, quod nemini unq; contigit, à Catone postulauit, ut in suburbanum ad se ueniret, sibiq; in gerendo consulatu adiutor esset. Cui Cato sese affuturum promisit in omnibus quę è Rep. essent. Dehinc eius consilio nouam & magnã pœnam cõtra decuplatores statuit. Cæsar interim feliciter res gessit aduersum Gallos, ut Liuius scribit: quæ & in Plutarcho & Tranquillo inuenies. Vnde & lex dicta est per Tribunũ plebis, qua Pompeio decreto Senatus prouinciæ in aliud quadrienniũ datæ: milleq; talenta quotannis, ut exercitum aleret. Cæterùm quemadmodũ inde socerum Scipionẽ in ultimis mensibus sibi asciuerit Pompeius, & quæ gesserit, uide apud Plutarchũ in Pompeio & Catone iuniore: & Appianũ 2. Ciuiliũ. Sed inprimis lege orationẽ Tullij pro Milone: & Suetoniũ in Iulio, rubrica 26. Si extarẽt libri illi tres de Temporibus suis, quos Cicero uersibus conscripsit, quemadmodum in primo Epistolarũ libro fatetur, multo plura paterent. Plinius lib.15.cap.1. tradit Gn. Pompeium quarto consulatu oleum prouincijs Italiam misisse. Puto erratum esse in notis numerorũ, cum tres tantum gesserit consulatus. Huius item consulatus meminit Tacitus in tertio historiarũ ab excessu Augusti in hęc uerba, ubi describit originem iuriũ, & quomodo multitudo sit redacta ad paucitatẽ: Tum Gn. Pompeius III. Cõsul corrigendis moribus delectus & grauior remedijs q̃ illicita erãt, suarumq; legum auctor idem ac subuersor, quę armis tuebatur, armis amisit. Et in continua per uiginti annos discordia non mos, non ius, deterrima quæq; impunè, ac multa honesta exitio fuere.

Marcellus,
702 M. CLAVDIVS, ET P. SERVIVS SVLPITIVS. 2

Hi duo Coss. creati effecerunt ut M. Cato repulsam ferret, quã tulit constantissimè, ut in Catone Plutarchus docet. Cum uerò Cæsar Germanos cõtra fœdus lacessisset, trecentaq; millia occidisset, ob rem prosperè gestã cæteris supplicationes decernentibus, Cato restitit, ipsumq; hostibus censuit dedendũ. Et cum Cæsar epistola quadam in Senatu lecta Catonẽ criminaretur, tam acerbè in eũ inuectus est, ut pleriq; de successore Cæsari mittendo loquerentur. Quod & Marcellus Consul suasit, qui cõtumeliose plura in Cæsarẽ dixit. Sed Põpeius orationis placabilitate tumultũ cõposuit, q̃ indignũ esset uiro de Rep. benemerito cõcessum tẽpus eripi, quod lege impetrasset. Hũc M. Marcellũ Cicero in Bruto inter oratores suæ tempestatis miro præconio laudis extollit. Vbi & huius Sulpitij iurisconsulti eloquentissimi meminit, quòd maluit in secunda arte, id est iuris ciuilis scientia primus esse, q̃ in prima, hoc est eloquẽtia secundus. De hoc in Philippicis sic scribit, quòd omnes qui ex omni ætate hac in ciuitate iuris scientiã habuerũt, si unũ in locũ conferãtur, cũ Seruio Sulpitio cõparãdi non sint. Hic etiã Marcello collegæ cõtra Cæsarẽ agenti restitit: à Q. aũt Mutio Scæuola, quẽ in causa amici cuiusdã de iure rogasset, eiusq; responsum nõ intellexisset, cõmotus, iuri humano atq; diuino operã dedit sub Albo Lucillio, sed maximè instructus ab A. Aquilio. Inde legatus ad M. Antoniũ in ciuilibus bellis, obijt in legatione, cui statua decreta est. Cuius etiã iureconsulti meminerũt de Origine iuris. De hoc est nona Philippica Tullij: qui & passim illius, & in oratione pro L. Murena, crebrã mẽtionem facit. Extant adhuc Seruij Sulpitij epistolæ paucæ quidẽ, sed luculenter scriptæ.

Fabius

Olympiad. Fabius iurisconsultissimũ appellat. ac Gellio asserente, iuris ciuilis autor, & bene literatus, nec minus facundus orator, M. Varrone familiariter usus est. Quintilianus tres eius orationes uidisse testatur. Quæ igitur M. Marcellus Cos. contra Cęsarẽ machinatus est, eripiendo ei priuilegiũ, & adimendo ius ciuitatis Nouocomensibus, quos colonos Cæsar deduxerat, lege apud Suetoniũ in Dictatore, rubrica 28. & Appianũ in secundo Ciuilium, Liuium centesimooctauo libro: ubi horum Coss. fit mentio. Ab urbe con.

Paulus, Marcellus.

3 L. AEMILIVS, ET C. CLAVDIVS.

Hi ambo Coss. inimici ac Cæsaris hostes fuerunt: Tribunusq; C. Curio populo acceptus, & ad dicendũ paratus, Cæsari inimicissimus ac uiolentissimus. Quod Cæsar animaduertẽs, Paulum alterum Cos. mille & quingentis talentis beneuolũ sibi reddidit, defensoremq; cõparauit: ut Plutarchus, Suetonius ac Appianus scribunt. Ex qua pecunia Paulus pòst in foro nobilissimã basilicam, Fuluiæ dicatã, extruxit: quæ Pauli basilica dicta est. Quam Plinius inter magnifica urbis Romæ connumerat. Et Papinius in primo Syluarum illo uersu significat: 703

Illinc belligeri sublimis regia Pauli.

Alterũ uerò Consulẽ Claudiũ, M. Marcelli filium, patruelem & consanguineum, nullis pollicitationibus ad se trahere potuit. Ad ultrumq; Consulem extant epistolæ Tulliĳ lib. 15. perq; elegantes: & pariter ad M. Macrellũ. Sed horum Coss. meminit in lib. epistolarum 13. epistola ad Plancũ. Curionẽ item Trib. pl. maximo ære alieno oppresso liberauit, ut Cęsaris tãdẽ acerrimus fieret propugnator: de quo Lucanus dixit:

Audax uenali comitatur Curio lingua.

Et Plinius in 36. hũc inquit nihil in censu habuisse præter discordiã principũ. Hinc Seruius dixit hunc Romam Cæsari uendidisse 27. millibus aureis. Hic est ille Curio ad quẽ Cicero secundũ epistolarũ librũ scripsit. Cuius cõsilio & astutia, ut latissimè in 2. Ciuiliũ Appianus docet, Cæsar, ne sibi successor tũ mitteretur, effecit. Qui Põpeiũ in suspicionẽ Senatus tantã duxit, ut turbato animo in suburbia cõcesserit iratus, & sibimet molestus, q; tribuniciã potestatẽ, à Sylla imminutã ac disiectã, in pristinũ statũ redegerit. Senatus enim decretũ fuit, ut uterq;, Cæsar & Pompeius, exercitũ in Syriã mitteret, custodię causa, ob Crassi nuper cæsi calamitatẽ: ut A. Hircius elegãter in fine suę additionis belli Gallici describit. Velleius uerò sic de hac re inquit: Intra breue deinde spaciũ belli ciuilis exarserũt initia, cũ iustissimus quisq; & à Cæsare & à Pompeio uellet dimitti exercitus. Quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni uoluerat, easq; per trienniũ ipse absens, ac pręsidens Vrbi, per Afraniũ & Petreiũ consularem ac prætoriũ legatos suos administrabat: & ĳs qui à Cæsare dimittendos exercitus cõtendebãt, assentabatur: ĳs qui dimittẽdos ab ipso quoq;, aduersabatur. Qui si ante biennium quàm ad arma itum est, perfectis muneribus theatri et aliorum operum quæ ei circundedit, grauissima tentatus ualetudine decessisset in Campania (quo quidem tempore uniuersa Italia uota pro salute eius primo omniũ ciuium suscepit) defuisset fortunæ destruendi eius locus: & quam apud superos habuerat magnitudinem illibatam, detulisset ad inferos. Bello autem ciuili, & tot quæ deinde per continuos XX. annos consequuta sunt malis, non alius maiorem flagrantioremq; quàm C. Curio Tr. pl. subiecit facem, uir nobilis, eloquẽs, audax, suę alienęq; & fortunę & pudicitię prodigus: homo ingeniosissimè nequã & facundus malo publico. Huius animo uoluptatibus uel libidinibus neq; opes ullæ, neq; cupiditates sufficere possent. Hic primò pro Pompeĳ partibus, id est, ut tunc habebat, pro Rep. mox simulatione cõtra Põpeiũ et Cęsarẽ, sed animo pro Cęsare restitit. Id gratis, an accepto cẽties H-S fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Ad ultimũ saluberrimas & coalescẽtis cõditiones pacis, quas & Cęsar iustissimo animo postulabat, & Pompeius æquo recipiebat, discusit et rupit, unicè cauẽte Cicerone cõcordię publicę. Quę tũ Curio contra Claudium Cos. fecit in Senatu, ac quõ relicta Vrbe ad Cæsarẽ uenit, lege

apud

Ab urbe con. apud Appianum, Plutarchum in Pompeio: qui horum Coss. meminit, multos refert,
milites Cæsarianos tum Romam uenisse: quorũ unus cum audisset Cæsari proroga-
tionem non dari, manu ensis capulo percusso, inquit, At hic dabit gladius. Hinc cau-
sæ ciuilium armorũ & initia nata sunt. De quibus multa Lucanus in primo Pharsa-
liæ, qui bellũ hoc decem libris complexus est: Suetonius in Dictatore, rubrica trigesi-
ma: Liuius 109. Appianus & Plutarchus. Nullibi tamẽ breuius ac succinctius causæ
belli ciuilis, atq; illud ipsum bellum, scribitur, q̃ à Floro lib. 4. titulo. 4. licet extẽt Cæ
saris Cõmentarij sex de hoc bello. Iulius Obsequens his Coss. scribit mulam parien-
tem discordiã ciuium, bonorum interitum, mutationẽ legum, turpes matronarũ par-
tus significasse. Multaq; subdit prodigia, quæ subscribere longum esset, cum libellus
hic circumferatur impressus. Incendiũ quo maxima pars Vrbis deleta est, prodigij lo
co habitũ. Quod Orosius lib. 6. cap. 11. describit in hæc uerba: Anno ab Vrb. con. se-
ptingentesimo, incertum unde concretus plurimã partem Vrbis ignis inuasit. Neq;
nunq; antea tanto correptã ac uastatam ciuitatem ferunt. Nam quatuordecim uicos
cum uico Ingario consumptos, memoria proditum est. Hinc iam ciuile bellum com
mittitur, quod magnis iamdudũ dissensionibus ac molitionibus parabatur. Horũ itẽ
Coss. meminit Plinius lib. 2. cap. 58. L. Paulo, C. Marcello Coss. lana pluit iuxta castel
lum Carissanum, iuxta quod post annum T. Annius Milo occisus est.

704 L. LENTVLVS, ET C. MARCELLVS. 4

Cum hi Coss. principio anni magistratũ inijssent, ut refert in secundo Appianus,
Curio: ut uerò in Cõmentariorũ Ciuilium primo scriptũ, Fabius epistolam à Cæsare
ad Senatum superbam nimis defert. Licet Plutarchus modesta eum deprecatũ in epi
stola scribat. Qua irritatus Senatus, mox L. Domitiũ Aenobarbũ successorẽ Cæsari
decernit. Pompeium iubet ad custodiã eius inuigilare. Antoniũ & Cassium Trib. pl.
è Senatu abijciũt. Qui mox ad Cæsarem seruili habitu ueniunt: quos exercitui Cæsar
ostendit. Et tum ex utraq; parte oritur bellum. Et ut Florus lib. 4. titulo 2. scribit, ubi
horum Coss. facit mentionẽ, rumpitur prima cõiurationis fides. Cæterũ qualis appa-
ratus bellicus in Cæsarem factus sit, & quomodo Cæsare Rubicone fluuio traiecto
Coss. & Pompeius Brundusiũ confugerint, Corfiniumq; Cæsar obsederit, ac Domi-
tium cæperit, Cæsar Romam uenerit, & ærarium spoliauerit, Prætores creauerit, Hi
beriam acceperit in potestatẽ suam, apud Placentiã militũ seditionem sedauerit, ac in
Vrbem reuersus seipsum Dictatorem nominauerit, sed post undecim dies se Consu-
lem cum Isaurico designauerit, latißimè apud Appianũ in secundo Ciuiliũ inuenies.
Sed uberius omnia eadẽ manu Cæsar, qua arma tractauit, perscripsit lib. 1. ac 2. Com
mentariorum Ciuiliũ. qui tibi omnino uidendi sunt, lector studiose, q; centesimus de
cimus ac undecimus Liuij, qui Massiliæ obsidionẽ, legionũ Hispaniarũ deditionem,
Curionis interitũ continebant, desiderantur. Velleius horũ Coss. in hæc uerba men-
tionem facit: Lentulo & Marcello Coss. post Vrbem con. annis DCCIIII. (sic enim
ille est locus castigandus) & LXXVIII. q̃ M. Vinici Consulatum inires, bellum ciui
le exarsit. Alterius ducis causa melior uidebatur, alterius erat firmior. Hic omnia spe
ciosa, illic ualentia. Pompeiũ Senatus auctoritas, Cæsarem militum armauit fiducia.
Consules Senatusq; causæ non Pompeio summã imperij detulerunt. Nihil relictum
à Cæsare, quod seruãdæ pacis causa tentari posset. Nihil receptũ à Pompeianis. Cum
alter Cos. iusto esset ferocior, Lentulus uerò salua Repub. saluus esse nõ posset: M. au
tem Cato moriendum, anteq; ullam conditionẽ ciuis accipiendã Reip. contenderet:
uir antiquus & grauis, Pompeij parteis laudaret magis, prudens sequeretur Cæsaris,
& illa gloriosa, hæc terribiliora duceret. ut deinde spretis omnibus quæ Cæsar postu-
lauerat, tantũmodo contentus cum una legione titulũ retinere prouinciæ, priuatusq;
in Vrbem uenire, & se in petitionem consulatus suffragijs pop. Ro. cõmittere decre-
uerit: ratus bellandũ Cæsar, cum exercitu Rubiconẽ transijt. Gn. Pompeius Consu-
lesq; & maior pars Senatus, relicta Vrbe, ac deinde Italia, trãsmisere Dyrrhachium.
Latißimè

Latissimè dehinc describit quid Cæsar Corfinij, quid Brundusij egerit, quid in Vrbe, quid in Hispanijs: tum pugnam Pharsalicam & cædem Pompeij. Quæ studioso censeo omnia perlegenda. Vide & Plutarchũ in Cęsare Dictatore, ubi horum Coss. fit mentio. Lege & Orosiũ libro sexto, capite duodecimo, & sequentibus. Ob id quæ alij omnes latè tradiderunt, Cassiodorus breuibus his uerbis contraxit. Sed horum Coss. meminit Iosephus quoq; lib. 14. Antiquitatũ, cap. 12. describens quomodo Iudæi à militia dimissi sunt. Vbi plura S. C. Lentuli, Iulij Cæsaris, & aliorũ legũtur. Meminit & horum Coss. Cicero decimoquinto Epistolarum ad Atticum. *Ab urbe con.*

His Coss. perniciosæ in curia conflantur & Pompeio Cæsareq; discordiæ. Sed C. Iulius Cæsar, de Gallis ueniens, Pompeium fugauit Italia. Aurum atq; argentum Romæ de ærario sustulit: ac primus Romanorum singulare obtinuit imperiũ. à quo Cæsares Romani principes appellati. Imperauit aũt annis quatuor, menses sex. Sub quo hi Coss. fuerũt sequẽtes.

IMPERATORES ROM.

C. IVLIVS CAESAR I.

CLXXXIII *Isauricus.*

C. IVLIVS CAESAR II. ET P. SERVILIVS. 705

Post res in Hispania perfectas, & circa Massiliã sedatas, Cæsar Romam reuersus, seipsum Consulem fecit, ut ait Florus, Isauricumq; collegam assumpsit. Erat enim is annus, quo per leges ei Consulẽ fieri liceret. Prætores ad prouincias prout libuit, aut misit à se, aut immutauit. Populo fame laboranti gratuitam annonã præbuit. Exules reduxit. Petentibus debitorum absolutiones ob bellum, seditiones peractas, ignominiamq; exinde sequutam eos qui talia egissent, debitorum absolutiones renuit. Censores rerũ emptarũ instituit, qui debitores creditoribus pecuniarũ loco ascriberent. Hinc Vrbem egreditur uersus Brundusiũ Decembri mense, non expectato proximi anni mensis initio, quo consulatũ iniret. Interim Pompeius toto anno apparatum belli ex uniuerso oriente insignemq; delectum habuit: cum Cæsar peditũ legiones decem, equitum decem millia haberet. Pompeius uerò ex Italia duxit legiones undecim, equitum septem millia, sed ex socijs supra uigintitria millia. Facto igitur prælio primùm apud Dyrrhachium, Cęsaris milites in fugam uersi, uictoriam Pompeio dederunt. Cum uerò Cæsar in Pharsalum campum Thessaliæ exercitũ suum duxisset, collata acie, etsi Pompeius longè ampliorem haberet exercitum, (nam quadraginta quinq; millia contra uigintiduo pugnabant, teste Plutarcho) uictus superatusq; est: ac in fugam uersus, Larissam uenit: cũ iam Cęsar castris suis potitus, in strage illa Pompeianorum numerasset Italorum 25. millia, quorum cadauera iacebãt insepulta. Delatus inde Pompeius in Aegyptum, ut Ptolemæi regis auxilium imploraret, consilio Achillæ, qui præfectus erat exercitus, Photini eunuchi, qui regios custodiebat thesauros, ac Theodoti Samij præceptoris regis, Pompeius à Septimio obtruncatur. Cuius interfectores Cæsar, posteaq; in Alexandriã Pompeium subsequutus uenit, morte mulctauit. Et hinc Alexandrinum bellum excitauit, teste Appiano. Sed tandẽ uictor Cleopatram in regnum Aegypti fratris loco restituit, nouem mensibus cum hac moratus. Sed plures Plutarchus belli Alexãdrini enumerat causas: quas illic uidebis. Quæ omnia latissimè scripsit ipse Cæsar tertio libro Ciuilium cõmentariorũ. Appianus secundo libro abundè. Plutarchus in Pompeio & Cæsare. Hęc eadem scribit Florus in quarto, titulo secundo. Apud quẽ locus deprauatissimus de Pompeio legitur: ut ne illi quidem ipsi, qui hunc enarrandum & interpretandũ suscipiunt, intelligant. Verba hæc sunt: Pulsus Hearis in deserto Ciliciæ scopulo, &c. Tu meo periculo sic leges,

ges, & de Pompeio intelligas. Superstes dignitatis suæ uixit, ut cum maiore dedeco-
re per Thessalica tempe equo fugeret: ut pulsus, una nauicula Lesbon applicaret: ut pulsus Larissa, in deserto Ciliciæ scopulo, fugam in Parthos, Africam uel Aegyptum agitaret: ut denique in Pelusiaco litore imperio uilissimi regis, consilijs spadonum, & ne quid malis desit, Septimij desertoris sui gladio trucidatus, sub oculo uxoris suæ liberorumque moreretur. Ita est legendus Florus, & hæc uerba desunt in uulgatis exemplaribus. Nō enim quid sit Hearis, uel Sphinx ille interpres resolueret. Quòd aūt sic legendum sit, ex hoc uerbo Appiani in secundo Ciuilium patet, qui sic scribit: Pompeius mutata ueste conscendit equum: quatuorque ex amicis eum comitantibus, nullo in loco cursum intermisit, quoad exorta luce Larissam tandem uenit. Lucanus in 7.

Vidit prima tuæ testis Larissa ruinæ,
Nobile nec uictum fatis caput.

De oppido autem Thessaliæ, quo nomine & pleræque aliæ urbes appellantur, uide Strabonem in fine decimi. Sunt aūt de hoc bello uidendi & Suetonius in Iulio, rubrica 35. Orosius, et Eutropius in 6. Hęc eadem Velleius Paterculus: Pompeius profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, & Fauonio prætorio, quos comites ei fortuna adgregauerat: alijs ut Parthos, alijs ut Africā peteret (in quo fidelissimum partium suarū haberet regem Iubam) suadentibus, Aegyptum petere proposuit: memor beneficiorum quę in patrem eius Ptolemęi, qui tum puero quàm iuueni propior regnabat, Alexandriæ cōtulerat. Sed quis in aduersis beneficiorū seruat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna nō mutat fidem? Missi itaque à rege qui uenientē Gn. Pompeiū, (is iam à Mitylenis Corneliam uxorem receptā in nauem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti & Achillæ exciperent: hortarenturque ut ex oneraria in eam nauem quæ obuiam processerat, transcenderet. Quod cum fecisset princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Aegyptij mancipij, C. Cæsare, P. Seruilio Coss. iugulatus est. Hic post tres cōsulatus et totidem triumphos, domitumque terrarū orbem, sanctissimi ac pręstantissimi uiri, in id uecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimūannum agentis, pridie natalem ipsius uitæ fuit exitus: in tantum in illo uiro discordante fortuna, ut cui modò ad uictoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.

Calenus, Cidicanus.

706 Q. FVSIVS, ET P. VATINIVS.

Vterque fuit legatus Cæsaris in hoc bello ciuili. Quorū sæpe mentionem facit in libris Cōmentariorum ciuiliū Cæsar ipsemet. Contra hunc Q. Fusium Calenū multa dixit Cicero in 10. & 12. Philippica, cum amicus esset M. Antonij. Fusij Caleni meminit & in 5. Appianus. Arbitror sub id tempus reuersum Cæsarem in Africā, & P. Scipionem socerū Pompeij debellatū, quo tempore in Vtica Cato fuit, qui pòst seipsum interfecit, cum Scipio, Petreius & Afranius seipsos occidissent. Quod Liuius 13. & 14. supra centesimū libris expressit: ubi etiam quomodo Pharnaces, Mithridatis filius, sine ulla mora à Cæsare uictus sit, scribitur. Quod præter Appianū & Plutarchū, Florum ac Tranquillū, A. Hircius in quarto Cōmentariorū et quinto locupletissimè docet. Hunc uide, lector, si Alexandrinū bellum uolueris ad unguem scire. Cęterùm hos Coss. apud solū Cassiodorū hactenus inueni & apud ignotum autorē de Coss. Quia teste Suetonio, rubrica 75. ita Cæsar abusus est dominatione, ut continuū cōsulatū, perpetuā dictaturā, pręfecturamque morū receperit: insuper pręnomē imperatoris, cognomē Patris patriæ, & statuā inter reges. Et Appianus in 2. inquit: Cęsar calcatis legib. Cos. per decēniū cōtinuū designatus fuit, et Dictator in oēm uitā electus est.

His Coss. Cæsar Pompeium Pharsalico prælio superauit. Pompeius fugiens in Aegyptum, occisus à Theodoto milite.

Suspicor erratum, quod Cassiodorus his Coss. Pharsalicum bellum factū scribit: esseque

Olympiad uitium scriptoris. Nec enim poterat illos substituere, cũ interim Seruilius Romæ multa egerit, ut omnes scribunt. Et cũ ipse Alexandriã Cæsar uenisset, sicut in fine tertij libri Ciuiliũ cõmentariorũ à se scriptum reliquit, controuersias regum ad populũ Romanum, & ad se quidẽ, ut ad Cõsulem pertinere existimans, magisq́; suo officio conuenire putabat, quod proximo cõsulatu cũ patre Ptolemęo S. C. societas erat facta. Præterea Liuius in 112. lib. scribit, Cæsarem Dictatorẽ creatũ post Alexandrinũ tumultũ sedatum, quo fortè tempore hi Coss. fuerunt. Et paulo antè ex Velleio Paterculo docuimus, Pompeium iugulatum C. Cæsare & P. Seruilio Coss. *Ab urbe con.*

3 C. IVLIVS CAESAR III. ET M. AEMILIVS. *Lepidus.* 707

Eutropius lib. 6. cap. 6. scribit Cæsarẽ deuicto Phraarte rege Ponti, qui Pompeio auxiliũ in Thessaliã miserat, Romã reuersum tertiò se Consulẽ fecisse cũ M. Aemilio Lepido, qui Magister equitũ ei Dictatori fuerat ante annũ. inde in Africã profectus est. Vbi magna nobilitas cũ Iuba Mauritanię rege bellũ reparauerat apud Thapsum, quos omnes tũ prælio superauit secũdo bello Libyco. Imperatores uerò Romani sibijpsis mortẽ consciuerũt, Scipio, Cato, Petreius, Afranius, cæteri. Quod Plutarchus & Appianus pulchrè describunt: sed inprimis Plutarchus in Catone iuniore. In Antonio uerò scribit idem Plutarchus, quòd cũ Antonius inter scorta, mimos & ebrios uersaretur, sumptuosissimaq́; prandia pararet, & totã Vrbẽ luxuriose calcaret, seditiones in tribunatu suo excitans, ac cõtra Dolabellã arma sumens, Cæsar in Vrbẽ reuersus, Dolabellæ ueniã dedit: & tertiũ Cos. factus, non Antoniũ, sed Lepidũ elegit collegam. Scribit Censorinus in aureolo libello de Die natali, C. Cæsarẽ Pontificẽ maximũ III. & M. Aemilij Lepidi Coss. quo retro delictũ corrigeret, duos mẽses intercalares dierũ 68. in mensem Nouembrẽ & Decembrem interposuisse, ut annũ ciuilem ad solis cursum formaret. Vnde etiã anni dicti sunt Iuliani. Sed quo ingenio id fecit, uide eius libelli cap. 16. longum quidẽ, & difficile. Quod et Suetonius scripsit de Cęsare, rubrica 40. de ordinatione anni ac fastorũ dierum. ac Macrobius 1. Saturnalium, cap. 16. Horum præterea Coss. meminit & Iulius Obsequens in hæc uerba: Decimæ legionis aquilæ Gn. Pompeij filio, quæ fulmina tenebant, uisæ dimittere, & in sublime auolare: ipse adolescens Pompeius uictus, & fugiens occisus est. Plinius senior lib. 8. cap. 7. tradit, pugnasse elephãtos Cæsari Dictatori tertio cõsulatu eius uiginti contra pedites quingentos: item totidẽ turritos cũ sexagenis propugnatoribus, eodem quo priores numero peditũ & pari equitũ è diuerso dimicante. Cæterùm perfecto bello in Libya, Cęsar Romã reuersus, interpositis diebus, ut inquit Appianus & Plutarchus, quatuor splendidissimos triumphos egit, Gallicũ, Ponticum cõtra Pharnacem, Alexandrinũ de Iuba deuicto, Africanum cõtra Scipionẽ & Petreium, multas circumferens imagines, uariaq́; spectacula edidit. De his triumphis Suetonius rubrica 37. de spectaculis, rubrica 39. copiose scribit, & Liuius 115. libro.

4 C. IVLIVS CAESAR IIII. ET FABIVS. *Maximus.* 708

In eo ignoti autoris opusculo, ubi nomina Coss. traduntur, scribitur Cæsar quartò Consul & solus. Eutropius lib. 6. cap. 6. Post annum Cæsar Romam quatuor triumphis ingressus, quartò se Consulẽ fecit, & statim ad Hispanias est profectus: ubi Pompeij filij Gn. & Sextus ingens bellũ pręparauerant. Vtrinq́; multis expeditionibus factis, & aliquot urbibus expugnatis, summã uictoriã cũ maximo discrimine ad Mundam urbem consequutus est: ut palàm testaretur, alibi se pro uictoria, hic pro uita dimicasse. Quod bellũ pręter Plutarchũ, Appianum, Tranquillũ, Velleium Paterculũ, Orosium & Eutropiũ, abundantissimè A. Hircius peculiari opere, hoc est lib. 6. de bello Hispaniẽsi cõplexus est, licet imperfectus sit. Ex Hispania Cæsar, ut Liuius 116. lib. scribit. quintum triumphũ egit. cuius & Suetonius meminit de triumphis. & cũ multi maximiq́; honores ei à Senatu decreti essent, inter quos ut Pater patriæ appellar etur,

Ab urbe con. | Olympiad.

laretur, & sacrosanctus ac Dictator in perpetuũ esset, inuidiæ causam aduersus eum
præstiterunt, ut inferius patebit. Cæterùm mortuo altero Consule Caninium Rebu-
lum substituit. In quem Cicero iocatus, teste Macrobio secũdo Saturnaliũ, Quàm ui-
gilantem Consulẽ habemus Caniniũ, qui in cõsulatu suo somnũ non uidit. Alij quæ-
rebant quibus Coss. Consul factus esset: alij Cõsulem Dialem, à dic, sicut olim Flami
nes Diales uocabant. Ob id Suetonius dixit: Pridie aũt Cal. Ianuarij repentina Con-
sulis morte cessantem honorem in paucas horas petenti dedit. Ad hunc Consulẽ, te-
ste Plutarcho, congratulandi ac associandi gratia pluribus euntibus, Cicero Mature-
mus, inquit, ut hominẽ ante sui consulatus exitum præueniamus. Et alibi tunc tali est
ioco aspersus: Consulem habuimus tam seuerum, tamq́; censoriũ, ut in eius magistra
tu nemo prãderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit. Talis fuit pòst sub Galieno Im
peratore Marius tyrannus, ut scribit Trebellius Pollio, qui una die factus est Impera-
tor, alia die uisus est imperare, tertia interemptus est. Obserua item ex Censorino ab
hoc quarto Cæsaris consulatu annos Iulianos fore numerandos: huncq́; primum ap-
pellari, ut capite decimosexto docet Censorinus. Quod autem Cassiodorus subdit,

His Coss. Iulius Cæsar per quatriduum triumphauit,

Dictum est superius de quatuor triumphis. Quintum enim triumphũ egit Hispa-
niensem, post deuictos Pompeios, ut Plutarchus, Appianus & Suetonius scripserũt.
Quem po. Ro. mœstus aspexit. Florus eleganter singula ita complectitur: Cæsar in
patriam uictor inuehitur. Primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, Rho
danus, & ex auro captiuus Oceanus: altera laurus Aegyptia. tunc in ferculis Nilus,
Arsinoe, & ad simulachrũ igniũ ardens Pharus. Tertius de Pharnace currus, & Pon
to. Quartus Iubam & Mauros, & ijs subactã ostendebat Hispaniã. Pharsalia & Tha-
psos & Munda nusq́;, & quanto maiora erant, de quibus nõ triumphabat. Appianus
in secundo, hoc bello confecto scribit Cæsarẽ insolentiorẽ factũ, omnesq́; sibi arripu-
isse honores. Appellatus tamen est Pater patriæ, & Dictator in omnẽ uitam electus,
Cõsulq́; ad decenniũ. Corpus eius sacrum & intemeratũ habitũ. Quomodo tum ius
ab aureo solio dixit, abundè Tranquillus. Velleius Paterculus: Cæsar omniũ uictor,
regressus in Vrbem, quod humanã excedat fidem, omnib. qui contra se arma intule-
rãt, ignouit: magnificẽtissimisq́; gladiatorij muneris, naumachię, et equitũ peditũq́;,
simul elephantorũ certaminis spectaculis, epuliq́; per multos dies dati celebratione,
repleuit eam. Quinq́; egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho,
Alexãdrini testudine, Africi ebore, Hispaniẽsis argento rasili cõstitit. Pecunia ex ma
nubijs lata paulo amplius sexies millies HS.

709 C. IVLIVS CAESAR V. ET M. ANTONIVS. CLXXXIIII

Scripsimus paulo antè, Cæsarem post Hispaniensem triumphũ, consulatũ calcatis
legib. per decenniũ assumpsisse, ex Appiano. tamen, ut scribit Tranquillus rubrica 75
tertiũ & quartũ consulatũ titulotenus gessit, cõtentus Dictaturę potestate decretę cũ
cõsulatib. simul: atq́; utroq́; anno binos Coss. substituit sibi in ternos nouissimos men
ses, ita ut medio tempore comitia nulla habuerit pręter Tribunorũ & Aediliũ pl. Plu
tarchus uerò in Antonio, si litera est castigata (uereor enim subesse mendã de nume-
ris consulatuum Cæsaris) in hæc uerba scribit: Quartùm deinde Cos. creatus Cæsar,
Antonium sibi assumpsit collegam. Instituerat autem se magistratu abdicare, & in su
um locum Dolabellam substituere. Qua de re etiam ad Senatum uerba fecerat. Sed
indignatus Antonius, inimicum Dolabellam substituere. Nec pauciora tamen de se
audiuit. Itaq́; infecta re Senatus dimissus est. Deinde cum Cæsar in sententia persta-
ret, & Consulem Dolabellã renunciari iussisset, obiecit auguria Antonius; effecitq́;
ut Cæsar ab incœpto desisteret. Erat sanè in Dolabella nõ minus nequitiæ, q̃ in ipso
Antonio. Feruntq́; aliquãdo cum quis Antonium Dolabellamq́; ad Cæsarem sub-
accusaret, atq́; illos in suspicionem adduceret insidiarum: respondisse Cæsarem, non

uereri huiusmodi homines nitidos, rubicūdos & comatos, sed illos graciles & pallentes: Cassium & Brutum designans. Sed Appianus in secundo inquit: Cæteras dignitates, cōsulatu per decenniū excepto, sibi assumēs Coss. se et Antoniū magistrū equitum eius declarauit: Lepido imperans, ut interim pro Antonio magistratū gereret. Qui Iberiæ præpositus, amicorum gratia illi præerat. Ideo Appianus in tertio Ciuilium addit, Dolabellā etiā insidias Cæsari struxisse: & in die necis, ut in Vrbe adesset, statuisse, qui in secūdo libro scribitur ab Appiano censuisse, esse ignoscendū tanq̃ tyranni occisoribus. Licet in eodem tertio, orāte L. Pisone, dicat duos menses solū Antonium post Cæsarē occisum Vrbi præfuisse, & percussores inquisiuisse: & iterum solū præfuisse, cū Dolabella in Syriā esset profectus, scilicet in cōsulatu cū M. Antonio, sicut inferius dicemus. Et iccirco in Iulio Obsequente primū mentio fit Coss. Iulij Cæsaris & M. Antonij tum Coss. M. Antonij & P. Dolabellæ. In uetustissimo præterea opusculo, ubi nomina à Iulio Cæsare, ad Alaricū regē ponuntur, diuerso ab eo quem toties citauimus, & à nōnullis Orosij esse creditur (nā quantū possumus, omnia scrinia euoluimus, ut ueritatē inueniamus) inuenio alia Coss. nomina sub Iulio Cretonianum & M. Aemilianū & Seruiliū Antoniū II. Isauricum: quos fortè Cæsar substituit, cum ipse titulū Consulis tantū acciperet. Et cur illa non adderemus, cum Liuius sæpenumero diuersitatē annaliū quo ad Coss. insinuet: Cæterùm Censorinus illius quinti Cæsaris cōsulatus sic meminit: Quintilis mēsis Iulius cognominatus est C. Cæsare V. & M. Antonio Coss. anno Iuliano secundo. De quo quidē Quintili mense, præter Appianum & Suetoniū, Macrobius primo Saturnaliū scribit, cap. 9. & Censorinus libello de Die natali. Habeo Itinerariū uetustissimū incerti autoris, quod Iulio Cæsari ascribitur, in quo hæc uerba traduntur: À Iulio Cæsare & mense ac Antonij consulatu, orbis terrarū metiri cœpit: hoc est, à consulatu suprà scripto usq; in consulatum Augusti tertiū & Crassi, annis uigintiuno, menses quinq;, dies nouē, à Notodoxo omnis oriens dimensus est. À cōsulatu item Iulij Cæsaris & mense ac Antonij usq; in consulatum Augusti septimū & Agrippæ, à Didymo occidens ut pars dimēsa est annis triginta uno, menses tres, dies duodecim. À consulatu item Iulij Cæsaris & Antonij usq; in consulatū Augusti decimū annis uigintinouē, menses octo, dies decem, à Theodoto septentrionalis pars dimensa est. À consulatu similiter Iulij Cęsaris usq; in consulatū Saturni & Cimræ, à Polyclito meridiana pars dimensa est annis triginta duobus, mensem unum, dies uiginti. Et sic omnis orbis terræ intra annos 32. à dimensoribus peragratus est, & de omni eius cōtinentia perlatū est ad Senatū. Quo pacto uerò Iulius quinquies Cos. Iudæis S. C. exhibuit, & pacem renouauit, ac quid in eo cōsulatu cū Iudæis egit, Iosephus cumulatè docet 14. lib. cap. 21.

Ab urbe con.

His Coss. M. Antonius Lupercalibus sella aurea sedenti Cæsari diadema renuenti imposuit: atq; Idibus Martijs Cæsar in Pompeiana curia occisus est.

Cæsaris mortem ac coniurationem in eum factam descripsere abundè Liuius 116. libro: Plutarchus in Cæsare & Antonio: Tranquillus rubrica 79. et sequentibus: Florus in 4. titulo 2. Orosius in 6. cap. 14. Eutropius in 6. cap. 6. sed omnium copiosissimè Appianus in secūdo Ciuilium usq; ad finem. Velleius uerò de eius morte sic scribit: Neq; illi tanto uiro, & tam clementer omnibus uictoribus suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit. Quippe cum mense Octobri in Vrbem reuertisset, Idibus Martijs, coniurationis autoribus Bruto & Cassio, quorum alterum promittendo consulatū non obligauerat, contrà differendo Cassium offenderat, adiectis etiam consiliarijs cædis familiarissimis omniū, & fortuna partium eius in summū reuectis fastigiū, D. Bruto & C. Trebonio, alijsq; clari nominis uiris, interemptus est. Cui magnam inuidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponēdo capiti eius Lupercalibus sedentis pro Rostris insigne regium.

Ab urbe con. regium. Quod ab eo ideo repulsum erat, ut non offensus uideretur. Laudandum experientia consilium est Pansæ atque Hircij, qui semper prædixerant Cæsari, ut principatum armis quæsitũ, armis teneret. Ille dictitãs, mori se quam timeri malle, dum clementiam quã præstiterat expectat, incautus ab ingratis occupatus est, cũ quidẽ plurima præsagia atque indicia, dij immortales futuri obtulissent periculi. Nã & aruspices præmonuerãt, ut diligentissimè Iduũ Martiarũ caueret diẽ. Et uxor Calpurnia, territa nocturno uisu, ut eã die domi subsisteret, orabat. Et libelli cõiurationẽ nunciãtes dati, ab eo neque protinus lecti erãt. Sed profectò ineluctabilis fatorũ uis, cuius cũ fortunã mutare cõstituit, cõsilia corrũpit. Eusebius de Tẽporib. inquit: C. Iulius Cæsar in curia occiditur Idibus Martijs, & fasces statim suscipit P. Dolabella. Vnde quod superius diximus, etsi Cassiodorus hos non ponit, cæteri illos subiungunt morti Cæsaris. Olympiad.

M. Antonius & P. Dolabella.

Dolabella enim adolescens quintum supra uigesimũ agens ætatis annum, cum ex lege uix sibi liceret assequi consulatũ, ut in secundo Appianus explicat, licet Cæsar uiuus, cum Vrbe excessisset, eum Consulẽ designasset, & cõsularẽ uestem cæteraque consularia insignia tradidisset, cũ à M. Antonio intelligeret confirmanda esse acta Cæsaris, & ratificanda quæcunque in Repub. statuisset, & in designandis magistratibus & in designatis prouincijs, mox à priori sententia recessit, qua dixit omnia Cæsaris acta abolẽda: maximeque institit, ut consulatũ adipisceretur. Quem eo facilius Senatus Antonio collegam adiunxit, quòd Dolabellã semper Antonio aduersum cognouerat, ueritus ne & ipse sibi monarchiã ascisceret, ut olim Cæsar. Sed Antonius astutus, ubi eius factus est collega, persuasit ut Syriã prouinciã à po. Ro. peteret, quo ipse Macedoniam sortiretur, in qua iam Cassius & Brutus Cæsaris percussores exercitũ coegerant. Sic ergo pro uoluntate sua omnia Antonius administrauit, ut in principio tertij Appianus docet. Ob id Florus lib. 4. tit. 3. inquit: M. Antonio & P. Dolabella Coss. imperiũ Romanũ ad Cæsares trãsferẽte fortuna, uarius & multiplex motus ciuitatis fuit: quodque in annua cœli conuersione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suo flexu tẽpestates significẽt, &c. Quæ uerò hi egerint Coss. copiose in secundo & tertio libris Appianus edocet latè. Meminit & in transitu eorum in quarto Ciuilium, initium belli Philippensis narrãs. Lege studiose lector hoc loco priores orationes Ciceronis, primam scilicet, secundã, tertiam & quartã, quæ Philippicæ dicuntur, quoniã his Coss. dictæ sunt. Velleius Paterculus de his Coss. sic scribit: Quo anno id patrauere facinus, Brutus & C. Cassius Prætores erãt, D. Brutus Cos. designatus. Hi unà cum coniurationis globo, stipati gladiatorũ D. Bruti manu, Capitoliũ occupauere, cum Cos. Antonius (quẽ cum simul interimendũ censuisset Cassius, testamentumque Cæsaris abolendũ, Brutus repugnauerat, dictitans, nihil amplius ciuibus præter tyranni, ita enim appellari facto eius expediebat, petendũ esse sanguinẽ) conuocato Senatu, cum iam Dolabella, quẽ substituturus sibi Cæsar designauerat Cos. fasces atque insignia corripuisset Cos. uelut pacis autor liberos suos obsides in Capitoliũ misit, fidemque descendendi tutò interfectoribus Cæsaris dedit. Et illud decreti Atheniensiũ celeberrimi exemplum relatũ à Cicerone obliuionis præteritaruũ rerum, decreto patrum cõprobatum est. Cæsaris deinde testamentũ apertũ est, quo C. Octauiũ nepotẽ sororis suæ Iuliæ adoptabat. Iulius item Obsequens horum Coss. faciens mentionẽ, plurima ualde cõmemorat tum accidisse prodigia, cum terræ motu, stella crinita, & alijs, tresque tum soles fulsisse. Quæ certè subscriberẽ omnia, nisi fastidiũ pertimescerẽ. Quæ eadẽ apud Appianũ inuenies. Quod & Plinius lib. 2. significat, cap. 31. ubi horũ Coss. mentionẽ facit. Sed eodem libro Plinius cap. 28. scribit: Cernuntur & stellæ cum sole totis diebus, plerunque circa solis orbem, cui species coronæ & uersicoloris circuli: qualiter Augusto Cæsare in prima iuuenta Vrbem intrante post obitum patris ad nomen ingens capessendum. Et idem eodẽ libro, capite tricesimoprimo: Trinos soles antiqui sæpius uidere, sicut M. Antonio, P. Dolabella Coss. Penè paria Iulius Obsequens

Olympiad. quens his Coss. Sol puri ac sereni cœli orbe modico inclusus extremæ lineæ circu lo, quasi tendi arcus in nubibus solet, eam circumscripsit. Circa solem imum corona spicæ similis in orbem emicuit: et postea in unum circulũ sole redacto, multis mensibus lux languida fuit. Auguror hinc fabulã illam exortam de Sibylla & Augusto, quam Innocentius tertius effinxit in arca cœli factã, & quã Valla de Cõstantini donatione coarguit. Tũc enim ex Epiro Octauius, Cæsaris nepos, Romã uenit, ut habet Liuius 117. lib. Et Orosius lib. 6. cap. 17. scribit: Cum ex Apollonia rediẽs Augustus Vrbem ingrederetur, hora circiter tertia, repentè liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbẽ solis ambijt, quasi unũ eum ac potißimũ in hoc mundo, solũq; clarißimũ in orbe mõstraret: cuius tempore uenturus esset, qui ipsum solem solus, mundumq; totũ & fecisset, & regeret. Hoc à Suetonio mutuauit rubrica 93. Iosephus 14. lib. Antiquitatũ, cap. 21. describit, quomodo post Caij mortẽ M. Antonius & P. Dolabella Coss. cum Senatũ cõgregassent, cum Hircani legatis amicitiã innouarũt, facto S. C. quod in æneas tabulas fuit incisum, & per singulas urbes transmissum. Vbi plura pulchra de Dolabella scribuntur. Lege studiosè lector totum id caput 21. & sequẽs. Extat elegantißima oratio funebris de morte Cæsaris ex Dione, quam M. Antonius fecit, à Baptista Guarino uersa, ad Quirites ac po. Ro. utilis studioso. Ab urbe con.

CAESAR OCTAVIANVS II. IMP.

Cui succeßit Octauianus Cæsar, qui regnauit annis quinquaginta sex, mensibus sex, per quæ tempora hi Coss. extiterunt.

Octauiani uitã scripsit Tranquillus Suetonius, Sex. Aurelius, Eutropius: paßim de eo Plutarchus, Orosius, Appianus in ultimis libris bellorũ ciuiliũ. Et nos ex singulis decerpsimus eius uitã in Cæsarũ catalogo. Quemadmodũ uerò Octauius ab Apollonia rediens, post occisum auunculũ, Brundusij lætè ab exercitu exceptus, ac subitò Cæsar appellatus est: dehinc Romã ueniẽs, hęreditatẽ adierit: pecuniãq; ab Antonio repetens, cum eo indignatus sit, ac bis cõciliatus per milites: præter Suetonium in Augusto, latißimè Appianus in tertio Ciuiliũ explicat: & Liuius in 17. ac 18. supra centesimũ abundè enarrauit. Velleius aũt Paterculus sic hanc rem explicat: Vbi nunciatũ est Octauio de cæde auunculi, cũ protinus ex uicinis legionibus centuriones suã, suorumq; militũ operã ei pollicerent, neq; eam spernendã Saluidienus & Agrippa dicerent, ille festinãs peruenire in Vrbem, omnẽ ordinationẽ & necis & testamenti Brundusij comperit. Cui aduentanti Romã immanis amicorũ occurrit frequẽtia. Et cum intraret Vrbẽ solis orbis super caput curuatus æqualiter, rotundatusq; in colorem arcus, uelut coronã tanti mox uiri capiti imponens cõspectus est. Non placebat Acciæ matri, Philippoq; uitrico, adiri nomen inuidiosæ fortunę Cæsaris. Sed asserebant salutaria Reip. terrarumq; orbis fata conditorẽ, conseruatoremq; Romani nominis. Spreuit itaq; cœlestis animus humana cõsilia, & cũ periculo potius summa, q; tutò humilia proposuit sequi: maluitq; auunculo & Cæsari de se, quàm uitrico cedere: dictitans nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset uisus, semetipsum uideri indignum. Hũc protinus Antonius Cos. superbè excipit. Neq; is erat cõtemptus, sed metus: uixq; admisso in Pompeianos hortos loquendi secũ tempus dedit. Mox etiã uelut insidijs eius petitus, scelestè insimulare cœpit, in quo turpiter deprehẽsa eius uanitas est. Apertè deinde Antonij ac Dolabellæ Coss. ad nefandã damnationẽ erupit furor. H-S. septies millies depositũ à C. Cęsare ad ædẽ Opis occupatũ ab Antonio: actorũ eiusdẽ insertis falsis, ciuitatibusq; corruptis cõmentarijs, atq; omnia precio temperata uendente Remp. Cos. Idem prouinciã D. Bruto designato Cos. decretã Galliã occupare statuit. Dolabella transmarinas decreuit sibi. Interq; naturaliter dißimilimos, ac diuersa uolentes, crescebat odium. Cęterùm uerba Sexti Aurelij subscribam: Anno Vrb. con. septingentesimo uigesimosecũdo, ab exactis uerò regibus quadringentesimo octogesimoq;, mos Romæ repetitus est uni prorsus parendi pro rege Imperatori,

Olympiad.

Ab urbe con. peratori, uel seueriori nomine Augusto appellato. Qui quidem numerus annorum neq; cõuenit cum Eutropio, qui annos ponit Vrb. con. septingentos, & ferè nouem, cum interfecto Cæsare Octauius bella ciuilia reparauerit: neq; cum Orosio, qui 79. quem imitatur Honorius Augustodunensis: neq; cũ Eusebio, qui Olympiade 184. Augustum bella mouisse ciuilia tradit. Atq; ideo hi numeri quoq; examinandi sunt. Solinus etiam ab Vrb. con. ad consulatum Hircij & Pansę supputat annos septingentos & decem. Sed Sextus Aurelius supputat annos Augusti à monarchia, quando uidelicet Augustus fuit appellatus post deuictum Antoniũ. Et sic tum penè omnes conueniunt: licet in anno uno uel altero sint discordes. quod fieri potest uel corruptione librorum, uel diuersa uoluntate numerantium. Id enim, quod sæpius dixi, confusionem parit numerandi, quòd à principio Vrb. con. non conueniunt, quam aliqui sexta, alij septima Olympiade conditam ferunt: & hinc illæ diuersitates. Sic etiam Tacitus libro 13. nouum tomum operis sui incipiens, uel alteram partem, mox à principio inquit: Nam post conditam Vrbem septingentos & uiginti prioris æui annos multi autores retulerunt, dum res memorabantur pari eloquentia ac libertate. Postq; bellatum apud Actium, atq; omnem potestatem ad unum cõferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere, simul ueritas pluribus modis infracta est. & reliqua. Nimirũ Tacitus denotat & signat illum annum quo Cæsar Augustus dictus est, id est, septingentesimum uigesimum post Vrb. con, sicut & Aurelius Sextus. Atq; ideo illa sunt hoc pacto intelligenda. 2

C. PANSA, ET A. HIRCIVS.

710 His Coss. referente Appiano in tertio, in Senatu tumultuatum est, Cicerone cum suis amicis annitente, ut M. Antonius hostis iudicaretur: & refragante Tribuno Saluio, qui intercessit, L. Pisone adiutore. Demum hi Coss. Cæsarem unà militare cum suis copijs edicunt. Statuam illi ex auro apponendam fore, sententiam inter consulares afferre posse: consulatũ per decem annos petere ante annos q̃ ex lege liceat, indulgent. Tum Cicero quintam Philippicã detonuit, quæ omnino hoc loco legenda est: quam in Senatu ad P.C. habuit, & sequentes omnes usq; ad finem, quia in illis res gestæ huius temporis continentur. Tum bellũ illud ciuile primùm subsequutũ est, quod Mutinense uocant, ab Appiano in tertio Ciuiliũ descriptũ: à Suetonio in Augusto, rubrica 10. à Floro lib. 4. tit. 4. à Plutarcho in Antonio. Poetas citare, qui huius belli obiter & in transitu meminerint, Ouidij, Propertij, Lucani, ostentationis potius est, q̃ utilitatis. Hoc bello ambo Coss. mortui sunt. Hircius inter Antonianos uiriliter pugnans, confossus est. Pansa sagitta percussus in ilibus, Bononiã delatus expirauit, ut Suetonius rubrica 11. disseruit. De quibus Cicero ad Brutum sic scribit: Consules duos bonos quidem, sed duntaxat bonos amisimus. Hircius quidem in ipsa uictoria occidit, cum paucis diebus magistro prælio antè uicisset. Nam Pansa fugerat uulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Velleius Paterculus res gestas huius temporis sic tradit: Torpebat oppressa dãnatione Antonij ciuitas, indignatio & dolor omnibus, uis ad resistendũ nulli erat. Tum C. Cæsar XIX. annũ ingressus, mira ausus, ac summa consequutus, priuato cõsilio maiorẽ Senatu pro Repub. animũ habuit. Primũq; à Galatia, mox à Casilino ueteranos exciuit paternos, quorum exemplũ sequuti alij breui in formã iusti coiere exercitus. Mox cum Antonius occurrisset exercitui, quẽ ex transmarinis prouincijs Brundusiũ uenire iusserat, legio Martia & Quarta, cognita & Senatus uoluntate, & tanti iuuenis indole, sublatis signis ad Cæsarẽ se contulerunt. Eum Senatus honoratũ equestri statua, quę hodieq; in Rostris posita, ętatẽ eius scriptura indicat, (qui honor non alij per CCC. annos, q̃ L. Syllæ & Gn. Pompeio & C. Cæsari cõtigerat) pro P.R. unà cum Coss. designatis Hircio & Pansa bellum cum Antonio gerere iussit. Ab eo annũ agente uicesimũ, fortissimè circa Mutinam administratũ est. Et D. Brutus obsidione liberatus, Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiã. Cõsulũ aũt alter in acie, alter post paucos dies ex uulnere mortẽ obijt.

Omnia antequam fugaretur Antonius, honorificè à Senatu in Cæsarē exercitumq́ eius decreta sunt, maximè autore Cicerone. Sed ut recesſit metus, erupit uoluntas, protinusq́ Pompeianis partib. rediјt animus, Bruto Cassioq́ prouinciæ, quas iā ipsi sine ullo S.C. occupauerāt, decretæ, laudati quicunque his se exercitus tradidissent, omnia transmarina imperia eorū cōmissa arbitrio. Quippe M. Brutus, et C. Casſius, nūc metuentes arma Antonij, nunc ad augendā eius inuidiā simulātes se metuere, testati edictis, libēter se uel in perpetuo exilio uicturos, dum Reip. cōstaret cōcordia, nec ullā belli ciuilis præbituros materiā, plurimū sibi honoris esse in cōscientia facti sui: profecti Vrbe atque Italia, intento ac pari animo sine autoritate publica prouincias exercitusq́ occupauerāt: & ubicunque ipsi essent, prætexētes esse Remp. pecunias etiā quæ ex trāsmarinis prouincijs Romā ab Quæstorib. deportabanť, à uolentibus acceperāt. Quæ omnia Senatus decretis cōprehensa & comprobata sunt. Et D. Bruto, quod alieno beneficio uiueret, decretus triūphus. Pansæ atque Hircij corpora publica sepultura honorata. Cæsaris adeò nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitū eius missi erāt, iuberentur summoto eo milites alloqui. Nō fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat Senatus. Nam cū eam iniuriā dissimulando Cæsar ferret, negauere milites sine Imperatore suo ulla se audituros mādata. Hoc est illud tempus, quo Cicero insito amore Pompeianarū partiū, Cæsarē laudandū & tollendū cēsebat: cū aliud diceret, aliud intelligi uellet. Paulo pòst subiungit: Hæc sunt tēpora quibus M. Tullius cōtinuis actionibus æternas Antonij memoriæ inussit notas: sed hic fulgentiss. & cœlestiore, at Tribunus Cānutius cōtinua rabie lacerabat Antoniū. utrique uindicta libertatis morte stetit. Sed Tribuni sanguine cōmissa proscriptio, Ciceronis uel satiato Antonio pœna finita. His Coss. aut sub ea tēpestate natus est Tibullus poeta, ut lib. 3. ipsemet significare uideť.

Natalem primò nostri uidere parentes,

Quum cecidit fato Consul uterque pari.

Quo item tempore, ut ex Tristibus colligitur lib. 4. Ouidius natus est. Licet Eusebius secundo imperij Cæsaris anno Pelignis hunc ortum scribat. Sic tamen ipse canit

Editus hinc ego sum, nec non ut tempora noris,

Cum cecidit fato Consul uterque pari.

Solinus in Polyhistore: Ad Hircium & Pansam Coss. anni numerātur septingenti & decem. Quorū consulatu Cæsar Augustus Cos. creatus est, 18. annum agens: qui principatū ita ingressus est, ut uigilantia illius non modò securum, uerumetiā tutum imperium esset. Horum Coss. Iulius Obsequens meminit, plurima enumerans prodigia, quæ sub ijs acciderunt. Quæ profectò omnia sunt legenda, quòd pernecessaria sunt huic loco. Facit & Suetonius Tranquillus in libello de Claris rhetoribus horum mentionem, cum in præfatione sic inquit: Paulatim & ipsa utilis honestaque apparuit, multiq́ eā præsidij causa & gloriæ appetiuere. Cicero ad Præturam usque etiam græcè declamabat. Latinè uerò senior quoque & cū Cōsilibus Hircio & Pansa, quos discipulos & grandis prætextatos uocabat. Meminit illius Hircij Cicero libro de Fato, cum quo disputabat, ut in eius præfatione patet. Et amborū Coss. meminit Plutarchus in Aemilio. Orosius lib. 6. cap. 15. Eutropius lib. 7. cap. 1. Vterque hoc Mutinense bellum describit: & Liuius 119. Cum uerò in hoc bello Antonius fusus fugatusq́ esset, ad Lepidum ueniēs ægrè admissus est. Senatum enim Lepidus uerebatur. Senatus parum gratus in Cæsarē fuit. Quem neque honore triumphi, neque consulatus dignitate decorare uoluit. Ambo enim Coss. bello perierunt. Pompeiani Decimum Brutum consulatum petere suaserunt, qui à Cicerone semper in epistolis designatus Cos. appellatur. Cæsar Ciceronem admonuit, ut secum consulatū peteret, quo iuuenis ipse à seniore gubernaretur. Senatus uerò perspecta Ciceronis ambitione, ipsum derisit. Percussorum cognati ueriti ne Cæsar Cos. effectus pœnas ab illis sumeret, dilationibus factis rem ex lege protrahebant, ætatē Cæsaris causati: donec turmarū duces apertè à Senatu Cæsari peterēt consulatū. Cum enim cunctante Senatu, ut Tranquillus scribit,

Cornelius

Ab urbe con.

Ab urbe con. Cornelius Centurio princeps legationis,reiecto sagulo,ostendēs gladij capulū, non
dubitasset in curia dicere, Hic faciet,si nō feceritis uos:tū Cæsar cū exercitu Vrbi ad-
moto,pecunias publicas in Ianiculo repertas in unum contulisset, electus est Consul
mense Sextili,ut ait Suetonius. 1

C. Cæsar Octauianus,& Q. Pedius.

Iulij hic etiam Cæsaris nepos fuit Pedius,& Octauiani cohęres,teste Suetonio. cu
ius mortē describit Appianus in initio quarti Ciuiliū. Ac cuius nepos, teste Plinio
35.cap.4. cum natura mutus esset, eum Messala orator, ex cuius familia auia erat pi-
cturam docendum censuit. Idꝗ diuus Augustus cōprobauit. Puer magni profectus
in ea arte obijt. Pedius collega Cæsaris Cos. legem tulit,quæ Pedia lex dicta est:qua
omnibus qui Cęsarē patrē interfecerāt, aqua igniꝗ damnatis interdictū erat. Cæsar
uerò Cos. cū Pedio factus,18.tantū natus annos, ut Liuius:uel uiginti, ut Plutarchus
in Bruto testant̃. Quod uerisimilius, si etiā consulatus omnes numerent̃ usꝗ ad eius
obitū,& à natali suo Tullio & Antonio Coss. Vrbē ingressus,sacrificauit, duodecim
uulturibus,quot olim Romulo condenti Vrbē apparuerūt,inter sacrificandū conspe
ctis. Quod præter Appianū, Suetoniū rubrica 93. etiam Iulius Obsequens scripsit.
Actum perfectis sacris iterū se parenti in adoptionē dedit ex lege Curiatia. Dehinc
aduersus cōspiratores de patrata cęde proposuit,qua uirū maximū dignitate indem-
natū occidissent lege lata in eos quorū opera occisus esset. Postulatiꝗ ea lege M. Bru
tus,C.Cassius. D.Brutus,absentesꝗ damnati sunt. Dehinc ad Antonij conciliationē
cōuertit animū, factus certior uiginti iā legiones in exercitu Bruti cōuenisse,ex Vr-
be profectus supra Ioniū sensim carpebat iter. relicto Pedio in Vrbe, qui Senatui per
suaderet,ut Antonio & Lepido cōciliaretur: idꝗ impetrauit ut decreta antiquarent̃,
quibus iudicati hostes erāt. Paulopòst D.Brutus à latronibus captus obtruncatur. ca-
put ad Antoniū perlatū est. Hæc omnia Appianus in fine tertij Ciuiliū. Velleius aūt
sic hanc rem enarrat:Lepidus deinde à Senatu hostis iudicatus est. ut antè fuerat An-
tonius. Tū inter eū Cæsarēꝗ & Antoniū cōmercia epistolarū & cōditionū iacta mē
tio, cū Antonius & subinde Cæsarē admoneret, ꝙ inimicæ ipsi Pōpeianæ partes fo-
rēt,& in quod iā emersissent fastigiū, & quāto Ciceronis studio Brutus Cassiusꝗ at-
tollerent̃. Denunciaretꝗ se cū Bruto Cassioꝗ, qui iā decē & septē legionū potentes
erāt,iuncturū uires suas,si Cæsar eius aspernaret̃ concordiā, diceretꝗ plus Cæsarē pa
tris, ꝙ se amici ultione debere. Igitur inita potētiæ societas,& hortantib. orantibusꝗ
exercitibus,inter Antoniū etiā & Cęsarē facta affinitas,cū esset priuigna Antonij de
sponsata Cæsari. Cōsulatūꝗ inijt Cæsar pridie ꝙ uiginti annos impleret X. Cal Octo
bres cū collega Q. Pedio post Vrbē conditā annis DCCIX. ab hinc ante LXXII. ꝙ tu
M. Vinici cōsulatū inires. Vidit hic annus Ventidiū per quā Vrbē inter captiuos Pi
centiū in triumpho ductus erat,in ea consularē prætextā iungentē prætoriæ. Idē hic
postea triumphauit. Furēte inde Antonio,simulꝗ Lepido,quorū uterꝗ hostes iudi-
cati erāt,quū ambo mallent sibi nūciari quid passi essent, ꝙ quid meruissent,repugnā
te Cęsare, sed frustra, aduersus duos,instauratū Syllani exēpli malū proscriptio. Nihil
tam indignum illo tempore, ꝙ quòd aut Cæsar aliquem proscribere coactus est, aut
ab illo Cicero proscriptus est:abscisaꝗ scelere Antonij uox publica est, cum eius salu
tem nemo defendisset, qui per tot annos & publicam ciuitatis, & priuatā ciuium de-
fenderat Deplorat dehinc Velleius Ciceronis obitum pluribus. quam studiosus illic
legat. Appianus autem inquit:Post hæc in insula Lauinij fluminis conuenerunt, Cæ
sar, Antonius, & Lepidus. Collocato Cæsare in medio tanquam Consule & dignio-
re. Triumuiratum concluserunt. Vnde Cæsar consulatum Ventidio commisit. Con-
cludebant autem, ut scribit Liuius centesimo uigesimo libro, ut ipsi tres uiri Reipub.
constituendæ per quinquennium præessent, diuisis inter se prouincijs omnibus. Ipse
Lepidus & Antonius statuerunt ut suos quisque inimicos proscriberent. De quo sic
scribit Cassiodorus:

Olymp. Imp. Aug. His Coss. Cæsar Octauianus, Antonius & Lepidus amicitiæ fœdus inierunt. M. Cicero Caietæ per Popiliũ militẽ occisus est, annorum sexagintatrium. Cæsar Octauianus forum Augustum ædificauit. Ab urbe con.

Tacitus in dialogo de Oratoribus: Hircio nempe & Pansa Coss. Cicero, ut Tyro libertus eius scripsit, septimo Idus occisus est, quo anno diuus Augustus in locũ Pansæ & Hircij se & Q. Pedium sufficit. Cęterùm de triumuiratu & crudeli trecentorum ciuium proscriptione uide Plutarchum in Bruto, Antonio & Cicerone: quoniã uigesimus ac centesimus Liuij non extat, quo singula complectebãtur. Vide Florum lib. 4. titulo 5. Suetoniũ in Augusto, titulo 27. Orosium libro sexto, capite decimoquinto: Eutropium libro septimo, capite primo: passim cæteros, quos recensere fastidium est. Vnus omnium abundantissimè Appianus in quarto Ciuiliũ, qui de proscriptione ciuiũ ac nece Ciceronis singula tam diligenter perscripsit, ut nihil desiderare possis. Si tamẽ, unde Ciceroni mors uenerit, inuestigare uolueris, diligenter euolue quatuordecim Ciceronis Philippicas: hæ te edocebunt multa huius seculi gesta. Cæterũ hi tres uiri partiti prouincias inter se, decreuerũt Antonium ac Cæsarem bellum inferre Bruto ac Cassio, Lepidum in futurum consulatum gerere. Postq; ergo ingressi sunt Vrbem cum fœda ciuium proscriptione P. Titius Tribunus legẽ protulit, consulatum sub præsentium Triumuirorum constitutione, in quinquenniũ uacare: cum ipsi quasi Coss. essent, ut Appianus scribit. De foro sic scribit Suetonius, rubrica 55. Forum Augustus fecit, non ausus extorquere possessoribus domos suas.

Munatius.

3. 2 M. LEPIDVS II. ET L. PLANCVS. 711

Quantum tum grassata est crudelissima ciuiũ proscriptio, qua filij in patres, in maritos uxores, serui in dominos desæuierunt, uix quispiam in Appiani quarto Ciuiliũ sine suspirijs ac gemitu leget. Ob id Velleius inquit: Huius temporis fortunã nec deflere quidem quisq; satis dignè potuit: adeò nemo exprimere uerbis potest. Id tamen notandũ est, fuisse in proscriptos, uxorũ fidem summã, libertorũ mediam, seruorum aliquam, filiorum nullam. Adeò difficilis est hominibus utcunq; conceptę spei mora. Ne quid ulli sanctũ relinqueretur uel in dotem inuitamentumq; sceleris, Antonius L. Cæsarem auunculũ, Lepidus Paulum fratrem proscripserant. Nec Planco gratia defuit, ad impetrandũ ut frater eius Plancus Plotius proscriberetur. Eoq; inter iocos militares, qui currum Lepidi Planciq; sequuti erant, inter execrationẽ ciuium usurpabant hunc uersum: De Germanis, nõ de Gallis duo triumphãt Coss. Licet in Appiano multa pietatis exempla, seruorum, filiorum, & coniugum scribantur. Vt hic Consul Plancus L. Antonij auunculi M. proscripti reductionẽ decreuit. Cum enim mater Antonij, ut fratrem penes se publicè haberet, erubescentibus turmarum ducibus eam attingere, ut imperatoris matrem, in forum descendẽs: Me ipsam accuso, inquit, Lucium penes me suscepisse, & habere iterũ, ac habiturã esse, quousq; nos ambos interfeceris. Idem Plancus Consul, reditũ decreuit Sergio, ut in quarto Appianus scribit. Eusebius tradit, Munatiũ Plancum, Ciceronis discipulũ, oratorem insignẽ, cum Galliam Comatã regeret, Lugdunũ condidisse, quæ urbs temporibus Senecæ incendio deflagrauit. Hic est ille Plancus, quem Tullius, cum Prætor esset in Gallia, Consulem, designatũ cum D. Bruto appellat. Cuius epistolę elegantissimè ac luculenter scriptæ in 10. Familiarium epistolarum libro Ciceronis legũtur. Cuius frater Titus prænomine uocabatur. Contra hunc Plancum cum Asinius Pollio orationes scriberet, quæ post mortem Planci ederẽtur, ne respondere posset, Plancus fertur dixisse haud illepidè, Cum mortuis non nisi laruas luctari. Quo dicto sic repercussit illas Pollionis orationes, ut apud eruditos nihil impudẽtius, teste Plinio, iudicetur. Munatij Planci etiam meminit Tacitus in primo historiarum: qui scribit, eum penè à militibus occisum, dum iret legatus ad Germanicũ, mortuo Augusto, siue is sit, siue eius filius. Hu-

Ab urbe con. | ius præterea sententia, teste Suetonio, in Senatu Augusti nomen Cæsar obtinuit, ut inferius clarescet. Quemadmodum igitur, ut ad historiam reuertar, sub id tempus C. Casſius Dolabellam mori coegit, & M. Brutus C. Antonium occidit, ut Liuius in 121. docuit: & quemadmodum Brutus ac Casſius coierunt cum exercitibus, teste Liuio 122. Ac quomodo Sextus Pompeius Siciliam occupauit, cum Antonius & Cęsar traiecerunt exercitum in Macedoniam, ubi apud Philippos uterq; Brutus & Casſius est deuictus prælio, quod Philippense ab historicis nominatur, ut Liuius in 123. ac 124. scripsit, omnia diligenter Appianus in quarto Ciuiliũ enarrauit. Velleius aũt sic breuiter rem perstringit: Iam & Dolabella in Asia C. Treboniũ consularẽ, cui succedebat, fraude deceptũ Smyrnæ occiderat, uirum aduersus merita Cæsaris ingratisſimũ, participemq; cędis eius, à quo ipse in cõsulare profectus fastigiũ fuerat. & C. Casſius acceptis à Sex. Murco & Crispo Martio prætoriis uiris, imperatoribus, præualidis in Syria legionibus, inclusum Dolabellã, qui præoccupata Asia in Syriam peruenerat, Laodicea expugnata interfecerat: ita tamen, ut ad ictũ serui sui Dolabella non segniter ceruicẽ daret, & decem legiones in eo tractu sui iuris faceret. Et M. Brutus C. Antonio fratri M. Antonij in Macedonia, Vatinioq; circa Dyrrhachiũ uolentes legiones extorserat, sed Antoniũ bello lacesſierat, Vatinium dignatione obruerat, cum & Brutus cuilibet ducum præferendus uideretur, & Vatinius nulli nomini nõ esset postferendus. in quo deformitas corporis cũ turpitudine certabat ingenij: adeò, ut animus eius dignisſimo domicilio inclusus uideretur. Sed præter hunc Philippensis belli eruditè meminit Florus lib. 4. tit. 6. Trãquillus rubrica 13. Plutarchus in Bruto abundè, & in Antonio. Orosius lib. 6. cap. 15. Eutropius lib. 7. cap. 1. Velleius graphicè Philippense describit bellum, in quo Brutus Casſiusq; cecidere. Vnde subiungit: Protinus Messala fulgentisſimus iuuenis, proximus in illis castris, Bruti Casſijq; autoritati, cũ essent qui eũ ducẽ poscerent, seruari beneficio Cæsaris maluit, q̃ dubiã spem armorũ tentare amplius. Nec aut Cęsari quicq; ex uictorijs suis fuit lętius, q̃ seruasse Coruinum: aut maius exemplũ hominis grati ac pij, q̃ Coruinus in Cęsarẽ fuit. Non aliud bellum cruentius cæde clarisſimorũ uirorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumq;, eminẽtisſimorum ciuium filios, fortuna abstulit. Nam Varro ad ludibrium moriturus Antonij, digna illo ac uera de exitu eius magna cũ libertate ominatus est. Drusus Liuius, Iulię Augustę pater, & Varus Quintilius, ne tentata quidẽ hostis misericordia, alter seipse in tabernaculo interemit. Varus autem liberti, quem id facere coegerat, manu, cum se insignibus honorum uelasſet, iugulatus est. Hunc exitum M. Bruti partium septimum & trigesimum annum agentis fortuna esse uoluit, corrupto animo eius in diem, quæ illi omnes uirtutes unius temeritate facti abstulit. Meminit horum Coss. M. Lepidi & Munatij Planci Iulius Obsequens: qui multa prodigia sub ijs accidisse commemorat. Inter quæ illud prodit, quod & Plinius libro secundo, capite tricesimoprimo scribit, de tribus solibus: Soles, inquit, tres circiter horam tertiam diei uisi, mox in unum orbem contracti. Pòst subiungit rem meo quidem iudicio obseruandam: Notatum est prodigij loco fuisse, quòd P. Titius Prætor propter dissensiones collegæ magistratum abrogauit, & ante annum est mortuus. Constat, neminem qui magistratum collegæ abstulerat, annum uixisse. Abrogauerunt autem hi: L. Iunius Brutus Cos. Tarquinio Collatino, Tiberius Gracchus M. Octauio Cæcinnæ: P. Tarquinius, P. Marullo: Tullius, Bruto & Casſio pugnam aduersus Cæsarem & Antoniũ molientibus. Sub ijs præterea Coss. teste Suetonio in Tiberio rubrica quinta, natus est Romæ in Palatio decimosexto Calendis Decembribus Tiberius post bellum Philippense. Sic enim in fastis, actaq; in publica relatum est. Nec tamẽ desunt, qui partim antecedente anno Hircij & Pansæ, partim insequente Seruilij Isaurici Antonijq; consulatu genitum eum scribant. Sunt autem Planci, ut id quoq; edisseram, ab antiquis dicti, qui supra modum pedibus planis essent, quæ plancæ appellantur.

Olymp. Imp. Aug.

Isauricus,

4. 3 P. SERVILIVS II. ET L. ANTONIVS.

Cæsar ualetudinarius, perfecto bello Philippensi, in Italiam reuertitur, relicto Antonio in trāsmarina prouincia. Cum enim triumuiratū constituissent, diuisum imperium inter illos ita est, ut terminum facerent Ionium mare: dum ad orientem tractus Antonio, ad Hesperiam Cæsari concessus, Lepido Africa permissa. Consulatus uerò quoties ipsi uellent amicis cuiusꝫ proportione cōcedi placuit, teste Plutarcho in Antonio. Cęsar itaqꝫ ueteranis agros diuidens, seditiones excitauit: quas Fuluia Antonij uxor & L. Antonius Cos. procurarunt: à quibus sunt milites instigati, ut Cæsari bellū inferrent. Quod Cæsar summa fiducia accepit, & perfecit id non sine summo periculo. Hoc bellum Perusinū dicitur ab historicis, descriptū Liuio 125. ac 126. libris: Floro lib. 4. titulo 7. his uerbis, quæ in omnibus penè libris deprauata legūtur: Alterum bellū concitauit agrorū diuisio, quos Cæsar ueteranis in castris preciū militiæ persoluebat, semper Antonij pessimū ingeniū, Fuluia gladio cincta, uirilis militiæ uxor, agitabat. Orosius lib. 7. cap. 1. Tranquillus rubrica 14. & 15. omniū copiosius Appianus in 5. Ciuilium. Velleius aūt sic hanc Perusinā cladem describit: Dum Antonius transmarinas obiturus prouincias substitit, Cæsar in Italiā re recepit, eamꝫ longè ꝙ sperauerat tumultuosiorē reperit. Quippe L. Antonius Cos. uitiorū fratris sui cōsors, sed uirtutū quæ in illo erant expers, modò apud ueteranos criminatus Cęsarē, modò eos qui iustè diuisione prædiorū, nominatisꝫ colonis agros amiserant, ad arma conciens, magnū exercitū conflauerat. Ex altera parte uxor Antonij Fuluia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuꝫ miscebat. Hęc bellis sedē Præneste cæperat. Antonius pulsus undiꝫ uiribus Cæsaris, Perusiā se cōtulerat. Plancus Antonianarū adiutor partiū, spem magis ostēderat auxilij, ꝙ opem ferebat Antonio. Vsus Cęsar uirtute & fortuna sua, Perusiā expugnauit, Antoniū inuiolatū dimisit. In Perusinos magis ira militū, ꝙ uoluntate sæuitū ducis. Vrbs incensa. Cuius initiū incendij princeps eius loci fecit Macedonicus, qui subiecto rebus ac penatibus suis igni, trāsfixū se gladio flāmæ intulit. Seruilij aūt Isaurici filiā Augustus adolescēs adhuc sponsam habuit. sed cōciliatus post primā discordiā Antonio, expostulantibus utriusꝫ militibus, ut necessitudine aliqua iungerentur, priuignā eius Claudiā Fuluiæ ex P. Clodio filiam duxit uxorem, ut Suetonius scribit rubrica sexagesimaprima. Is Seruilius mortuus elatus est publico funere.

Caluinus, *Pollio.*

CLXXXV 4 CN. DOMITIVS, ET C. ASINIVS. 713

Hic Domitius Caluinus bello Philippēsi, ut scribit Appianus in quarto, onerarijs nauibus duas Cæsari legiones, quæ Martiæ ob audaciā earū cognominabanť, afferebat: prætoriā insuper cohortē, duū milliū uirorū, equitū turmas quatuor, aliāꝫ multitudinē collectā ad bellū. Quā triremes eorū paucę sequebanť, quib. magnā hostiū classem in mari Ionio strauit, & ob id Cæsari perꝙ charus semper fuit. Alius aūt est ab illo, de quo Velleius inquit, Cn. Domitius, pater L. Domitij eminentißimæ ac nobilißimæ simplicitatis uiri, auus huius Cn. Domitij, clarißimi iuuenis, occupatis nauibus cū magno sequentiū cōsilia sua comitatu, fugæ fortunæꝫ se cōmisit, semetipso cōtentus duce. Nā hic est Caluinus Domitius, de quo Velleius paulo pòst, cū bellū Siculū Sex. Pōpeij describit, sic dicēs: Eadē tēpestate Caluinus Domitius, cū ex cōsulatu obtineret Hispaniā, grauißimi cōparandiꝫ antiquis exēpli autor fuit, quippe primipili centurionē, nomine Iubilliū, ob turpē ex acie fugā fuste percußit. C. Asinius Pollio atriū Libertatis extruxit, adhortāte Augusto, qui prætorius clarißimū bellū in Hispania aduersus Sex. Pompeium gessit.

Sabinus.

2. 5 L. CENSORINVS, ET C. CALVISIVS. 714

Meminit Caluisij crebrò Appianus in 5. Ciuiliū, quē scribit Prætorē classis fuisse sub Cęsare, initio belli naualis, quod cū Sex. Pōpeio Cęsar gessit. In 5. idē Appianus,

Sabinum

Sabinũ à Cæsare electũ scribit, ut seditiones in urbe & Sicilia ob deprædationes exci-
tatas, & latrocinia sedaret ac cõprimeret. Caluisij & Cicero, decimo Epistolarũ me-
minit, ad Furniũ scribẽs: & Angelus Politianus in sua Centuria, de Ludis secularibus
scribens, ex Zozymo Græco autore (quem ego non uidi hactenus) tradit diuum Au
gustũ ludos seculares abolitos atque intermissos paulatim instaurauisse, magno (ut ait
Liuius) apparatu, L. Censorino & M. Mãlio Duellio COSS. Atteio aũt Capitone cir-
cuitum spaciumque subijciente, ritum uerò sacrorum libris indicantibus Sibyllinis. Et
quia, ut inferius paulo ex Censorino annotabimus, sub alijs COSS. facti scribũtur lu-
di seculares, scilicet Furnio & Syllano COSS. non de hoc L. Censorino intelligendi
sunt illi, sed de eo qui fuit tempore belli Punici tertij, ut superius scripsimus: ut requi-
renda sit in Politiano uel Zozymo diligẽtia supputationis. Orosius lib. 7. ca. 1. Anno
714. ab ur. con. flamma consurgens incertum, urbis uicos consumpsit: nec unquam, ut
ait Liuius, maiore incendio uastata est: adeò ut post aliquot annos Cæsar Augustus,
ad reparationem eorum quæ tunc exusta erant, magnam uim pecuniæ ex ærario
publico largitus sit. Hinc gloriatur apud Suetoniũ, rubrica uigesimaoctaua, marmo-
ream se relinquere urbem, quam lateritiam acceperit. Nam Romam fuisse incendijs
obnoxiam, & Plinius & Gellius testantur. Scripsit idem Orosius, incendium ingens
urbem euastasse anno eius conditionis septingentesimo, ante bellum ciuile Cæsaris
& Pompeij: quod pluribus repetit Honorius Augustudiniensis, qui id accidisse Len
tulo & Marcello COSS. scribit.

Pulcher. Flaccus.

715 APPIVS CLAVDIVS, ET C. NORBANVS. 3. 6

Velleius: Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod professus eo-
rum qui perdiderant agros patrocinium, ciebat T. Claudius Nero Prætorius & Pon
tifex, Tib. Cæsaris pater, magni uir animi, doctissimique ingenij: id quoque aduentu Cæ
saris sepultum atque discussum est. Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerum huma
narum casus satis mirari queat? quis non diuersa præsentibus, contrariaque expectatis,
aut speret, aut timeat? Liuia, nobilissimi & fortissimi uiri Drusi Calidiani filia, gene-
re, probitate, forma, Romanarum eminentissima, quam postea coniugem Augusti
uidimus, quam transgressi ad deos sacerdotem & filiam, tum fugiens mox futuri sui
Cæsaris arma, tum bimum hunc Tiberium Cæsarem, uindicem Romani Impe-
rij, futurumque eiusdem Cæsaris filium gestans sinu, per auia itinerum uitatis militum
gladijs, uno comitante, quo facilius occultaretur, fuga peruenit ad mare, & cum uiro
Nerone peruecta in Siciliam est. Ciceronis epistolæ sunt libro tertio ad Appium Pul
chrum, qui imperator fuit in Cilicia: quem hunc fuisse ideo suspicor, quòd libro deci-
mo ad eundem scripta est epistola: quæ uidetur significare res gestas tẽpore Iulij Cæ-
saris. Doctioribus tamen iudicium relinquo.

716 M. AGRIPPA ET L. CANINIVS GALLVS. 4. 7

Agrippa gener erat Cæsaris. nam cum ex Scribonia uxore filiam haberet Iuliam,
quę primùm Marcello, filio Octauię, sororis Augusti, nupsit: illo mortuo suasit Octa
uia, ut Agrippam generum suum caperet. quod cum Cæsari placeret, repudiauit A-
grippa filiam Octauiæ Marcellam, & factus est gener Cæsaris: ut Plutarchus & Sue-
tonius tradunt. Sed & Agrippa mortuo, Iuliam Tiberio priuigno suo tradidit, qui &
Agrippinam repudiauit, ex qua iam Drusum filium susceperat. Hic autem Agrippa
indignabundus & impatiens, sibi Marcellum Octauiæ filium anteferri, contulit se
Mitylenas. Vnde Cæsar M. Agrippæ patientiam desiderauit, ut Trãquillus fatetur.
Sunt autem Agrippæ (ut illud quoque iunioribus aperiam) qui in pedes nascuntur, ab
ægritudine pedum denominati: quos infelices propemodum esse, omnes eruditi te-
stantur. Vnum felicitatis exemplum est hic Agrippa, qui & ipse ita natus est: quan-
quam is puerperij sui præposteri luisse pœnas existimatur, multis incommodis, & in
primis aduersa pedum ualetudine cõflictatus: quem dolorem cum perpeti nequiret,

Olym. Imp. Aug. unius medicorũ portentosa sententia, ignorante Augusto, demersit crura in acetum calidum, in acerrimo impetu morbi, atq; ita euasit. Tanti putans, usu pedum sensuq; omni carere, dummodo dolore illo careret. Plinius inter infortunia Agrippæ numerat, prægraue seruitium soceri: id est, Augusti. Sed non est obmittendum, quod idem Plinius scribit de Agrippa, lib. 36. cap. 15. de cloacis agens, ubi sic inquit: Præterea cloacas, operũ omniũ dictu maximũ, suffosis montibus, atq; urbe pensili, subterq; nauigata, idẽ M. Agrippa fecit, in ædilitate post consulatũ: per meatus corriuati septẽ amnes, cursuq; præcipiti torrentium modo rapere atq; auferre omnia coacti, insuper mole imbriũ concitati, uada ac latera quatiunt. Aliquando Tyberis retrò infusi recipiunt fluctus, pugnantq; diuersi aquarũ impetus intus, & tamen obnoxia firmitas resistit. Trahuntur moles internæ tantæ, non succumbentibus causis operis. Pulsant ruinæ sponte præcipites, aut impactę incendijs: quatitur solum terræmotibus. durant tamẽ à Tarquinio Prisco annis octingentis propè inexpugnabiles. Vide & reliqua, quæ sequuntur. Et in fine eiusdẽ capitis: Agrippa in ædilitate sua, adiecta Virginea aqua, cæterisq; corriuatis atq; emendatis, lacus septingentos fecit: præterea fontes centum quinq;, castella centum & triginta, complura etiam cultu magnifica, & operibus. Ab urbe con.

His Coss. lacus Lucrinus in portum conuersus est.

In Campania, iuxta portus Baiarum, sunt duo lacus, Lucrinus scilicet & Auernus: teste Plinio in tertio, & Strabone in quinto Geographiæ. De utroq; Martialis: Dum modò Lucrino, modò se permittit Auerno.

Est autem Auernus, quasi Aornos, id est, auibus inaccessus, dictus, ut Maro & Lucretius scribunt. Augustus Cæsar, non Iulius, ut ineptè somniat Seruius, ductis hinc inde duobus brachijs, immissoq; mari, Iulium portum fecit. quem in secundo Georgicorum Virgilius, in laudem Cæsaris Augusti, his uersibus celebrat:

An memorem portus, Lucrinoq; addita claustra,
Atq; indignatum magnis stridoribus æquor,
Iulia qua Ponto longe sonat unde refuso,
Tyrrhenusq; fretis immittitur æstus Auernis.

Vnde & Plinius lib. 36. cap. 15. Prætereo uias inter montes excisas, mare Tyrrhenum à Lucrino molibus seclusum, tot pontes tantis impendijs factos. De M. Agrippa sic inquit Velleius: Aedificandis nauibus, contrahendoq; militi ac remigi, naualibusq; adsuescendo certaminibus atq; exercitationibus, præfectus est M. Agrippa, uirtutis nobilissimæ, labore, uigilia, periculo inuictus: parendiq;, sed uni, scientissimus: alijs sanè imperãdi cupidus, & per omnia extra dilationes positus, cõsultisq; facta coniungens. Hic in Auerno & Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, cotidianis exercitationibus militem remigemq; ad summã & militaris & maritimæ rei perduxit scientiam. Hac classe Cæsar, cum prius despondente ei Nerone, cui antè nupta fuerat, Liuiam, auspicatis reip. ominibus duxisset eam uxorẽ, Pompeio Siciliæq; bellũ intulit.

CLXXXVI. L. GELLIVS PVBLICOLA, ET M. COCCEIVS. Nerua. 717

Cocceius Nerua fuit inter iureperitos illustris, ut libro primo Digestorum, de Origine iuris, Iureconsultus cõmemorat, ubi ordine numerantur insignes iureconsulti. & Tacitus in quarto, ubi de secessu Tiberij scribit, narrat, quòd in comitatu eius fuit unus Senator cõsulatu functus, Cocceius Nerua, cui legũ erat peritia: & Frõtinus de Aquæductibus, huius item M. Coccej meminit. sed Appianus in quinto Ciuilium, L. Coccej meminit, sicut & Horatius: siue is fuerit, & prænomen corruptum sit: siue huius frater, qui & Antonio & Cæsari pariter amicus fuit, & cum Cecinna in Phœniciam legatus à Cæsare, ad Antoniũ ierat, cum bellum Perusinũ ageretur, cuius autor Fuluia Antonij uxor erat. Hac uerò defuncta rediens Cocceius, Cæsarem mira arte miroq; ingenio utriq; conciliauit, ut latè Appianus scribit, Vnde tum subsequuta fuit maior

Ab urbe con. maior inter Cæsarem Antoniumq; necessitudo. nam Octauiam sororem, quæ Marcello denupserat, illo mortuo Cæsar Antonio in uxorem dedit, referentibus Plutarcho, Tranquillo, & Appiano. Et inde imperatores se mutuò complexi, principatum denuò inter se partiti sunt, Illyrium terminum statuentes, ut ab Oriente ad Euphratem usq; fluuium Antonio, Cæsari usq; ad Oceanum & Occidentem cuncta subessent. Relicta Aphrica Lepido, Cæsari iniunctũ, Pompeio inferre bellum, ni unà conuenirent: Antonio Parthos adoriri, ob cladem præter fœdera Crasso illatam. Nam sub id tempus Ventidius Antonij legatus, Parthos prælio uictos Syria expulit: ut Liuius uigesimoseptimo, ac centesimo libro docet. Et noster Florus bellum illud Parthicum describens libro quarto, titulo nono, disertè & breuiter perstringit: quæ Appianus in Parthico, Plutarchus in Antonio, Iustinus in quadragesimosecundo, passimq; alij diffusius scripsere. Nam bellum Parthicum aliud, quod Antonius gessit, sequenti titulo Florus descripsit: & Liuius pluribus libris, si extaret. Velleius: Hoc tractu temporum, Octauiã sororem Cæsaris M. Antonius duxit uxorem. Redierat Pompeius in Siciliam: Antonius in transmarinas prouincias, quas magnis momentis Labienus ex Brutianis castris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoq; legato Antonij concusserat. Qui uirtute & ductu Ventidij, unà cum Parthorum copijs, celeberrimoq; iuuenum Pacoro regis filio, extinctus est. Cæterùm Pompeius, ut reuertar unde digressi sumus, cum Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret, cum eo postulatã pacem Cæsar, & Antonius fecerunt, ita ut Siciliam prouinciam haberet: conciliatioq; inter Cæsarem & Antonium & Sex. Pompeium facta est, quã pluribus Appianus in quinto enarrat. Vnde & lautissimũ conuiuiũ in littore maris, in naualibus celebrarunt: despondereq; in hoc conuiuio Pompeij filiam, Libonis neptem, Marcello Antonij primogenito, & Cæsaris consobrino. Postridie COSS. in quadrienniũ Antonium & Libonem primos creauere: ecõtrà cõstituente Antonio, quem prius ipse eligeret: post eos, Cæsarẽ & Pompeium, deinde Aenobarbum & Sossium, postremò iterum Antonium & Cæsarem, tertiò tum futurum Consulem, sperantes eundem rempub. populo subinde restituturũ fore. Hisq; peractis, ab inuicem diuisi sunt. Pompeius in Siciliam enauigauit, Cęsar & Antonius Romam rediere, non sine publica lætitia pop. Rom. quòd iam finem ciuilium bellorum speraret. Tum Cæsar ad Celtas, Antonius ad Parthos profectus est: ut Appianus in quinto scribit. Velleius: Per hæc tempora Ruffi Saluidieni scelesta consilia patefacta sunt, qui natus obscurissimis initijs, parũ habebat summũ accepisse, & proximus à Gn. Pompeio, ipsoq; Cæsare ex equestris ordinis COS. creatus esse, ni simul ascendisset, è quo infra se & Cæsarem uideret & remp. tum expostulante consensu populi, quem grauis urebat infesto mari annona. Cum Pompeio quoq; circa Misenum pax inita, qui haud absurdè cum in naui Cæsarem & Antonium cœna exciperet, dixit: in Carinis suis se cœnam dare. referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit, Siciliam Achaiãq; Pompeio concedere. In quo tamen animus inquietus manere non potuit. Id unum tantummodo salutare aduentu suo patriæ attulit, quòd omnibus proscriptis, alijsq; qui ad eum ex diuersis causis fugerant, reditum salutemq; pactus est. quæ & alios clarissimos uiros, & Neronem Claudium, & M. Sillanum, Sentiumq; Saturninum, & Aruntium ac Titium restituit reipub. Verùm hanc ab Appiano scriptam COSS. seriem, Cassiodorus nõ seruat: siue quòd hi alios substituerint, siue quòd alios annales sequutus sit. Nam, ut omnia quæ mihi in manus uenerint, studiosis profutura, afferam, incidi in libellum uetustissimum ignoti autoris, ubi COSS. nomina à Iulio Cæsare ad Theodericum Gothorum regem continebantur, quem inter libros Ioannis Fuxmagoni Senatoris Cæsarei reperi: cuius instar alterũ exemplar mihi Stabius meus, Cæsareus historicus, uir acerrimi iudicij, nuper ex Heluetijs attulit, admirandæ uetustatis, & quem uix legere potui, ita erat carie & situ & tineis corrosus. Hunc & Ioachimo Vadiano, & Georgio Collimitio, uiris ueterum monumentorum præcipuè studiosis, & pluribus alijs ostendi: ne me finxisse, ut quidam solent, dum liberè

Olym. Imp. Aug.

Olym. Imp. Aug. nugari uolunt, quicquid arbitrãtur. In eo libello is est ordo Cõsulum, ab eo anno quo Octauianus puer decem & octo annorum imperium susceperit. Ab urbe con.

Lentulus	&	Horestes
Pompeius		Crassus
Volusianus		Pollio
Lepidus		Plancus, sub quibus tres soles in
Censorinus		Sabinus coelo uisi sunt.
Pulcher		Aenobarbus
Gallus		Agrippa
Publicola		Nerua
Pompeius		Cornelius
Libo		Antonius
Cicero		Antonius, sub quibus Augustus nomẽ accepit.

Et ut iunioribus hic suppetias feram, qui, cum Cicero dudum occisus fuerit sub Triumuiratu, possent ordinem hunc COSS. suspicari falsum: priusquam alios pergam recensere COSS. subscribam uerba Appiani ex quarto Ciuiliũ, ita scribentis: Cicero, à Cicerone parente eius, in Græciam pręmissus, cum fortunam huiusmodi uereretur, è Græcia ad Brutum peruenit, defuncto inde Bruto ad Pompeium pertransiuit, tum utroq; Præturæ functus officio. Hunc Cæsar, quo se à traditione Ciceronis excusaret, pontificem statim declarauit: nec multo pòst Consulem instituit, & Syriæ Prætorem. Antonio apud Actium posterius deuicto à Cæsare, cum Consul adhuc esset, ius populo plerunq; dixit: seditq; pro rostris eo in loco, quo parentis eius caput manusq; pependerãt. Illud ipsum de consulatu Ciceronis, etiam cum Augusto, obseruabit diligentißimus lector, in Plinio, libro uigesimosecundo, capite sexto, ubi hæc uerba leges de Cicerone: Ipsum Augustum, cum M. Cicerone filio cõsulem, idibus Septembribus Senatus obsidionali donauit, adeò ciuica non satis uidebatur. Idem Plutarchus in Cicerone, cũ Cæsar debellasset Antonium, consul factus, sibi Ciceronis filium delegit in collegam, atq; sortitus est: cuius magistratu Senatus statuas Antonij deiecit, ac nonnulla ipsius ornamenta aboleuit. Præterea publico edidit edicto, ex Antoniorum genere neminem Marcum appellari. Sic ergo diuino quodam fato ultima ultio ad Ciceronis domum redacta est. Hæc uerba lector in Plutarcho, non in eo libello de uita Ciceronis, quem Aretinus composuit, inuenies. Quibus uerbis manifestißimè colligitur, Ciceronis iunioris consulatus: de quo nihil Caßiodorus scribit, & præfatum tamen opusculum narrat. Adeò ut mihi magnæ admirationi sit, unde illud Spartiani in Seuero, ubi magnos uiros scribit nunquã bonos & utiles filios reliquisse, cum inquit: Quid de Tullio? cui soli melius fuerat, liberos non habere. Sed iam reliquos COSS. recensebo.

Augustus	I	&	Tullius
Augustus	II		Sosßius
Augustus	III		Crassus
Augustus	IIII		Messala
Aenobarbus			Scipio
Augustus	V		Aenobarbus II
Augustus	VI		Agrippa, sub quibus Carthago restituta est.
Augustus	VII		Agrippa II
Augustus	VIII		Taurus
Augustus	IX		Sillus
Augustus	X		Flaccus
Aruncius			Marcellus
Celsus			Tiberinus
Lollius			Aemilius
Apuleius			Sillus II
Saturninus			Cinna, sub quibus moritur Virgilius, annorum LX.
Duo Lentuli			

Sic se

Ab urbe con. Sic se habet ordo COSS. à quo longè diuersus est Casiodorus, ut patebit: alios for Olym. Imp. Aug.
tassis Annales sequutus. Vnde & Suetonius de consulatibus Augusti, rubrica uigesimasexta, sic scribit: consulatū uigesimo ętatis anno inuasit, admotis hostiliter ad urbē legionibus, missis qui sibi nomine exercitus deposcerent. Secundum consulatū post nouē annos, tertiū interiecto anno gessit. Sequentes usq; ad undecimū continuauit: multisq;, cum deferrētur, mox recusatis, duodecimū magno, id est, septemdecim annorum interuallo, & rursus decimumtertiū biennio pòst ultro petijt: ut C. & L. filios amplissimo præditus magistratu, suo quemq; tyrocinio deduceret in forum. Quinq; medios, à sexto ad undecimum annos gessit. Cæteros autem sex, aut quatuor, aut tribus mensibus exercuit: secundum, paucissimis horis. Nec omnes Romæ gessit, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula Samo, octauum & nonum Tarracone inijt. Vnde & longè aliter numerantur eius cōsulatus à Casiodoro: quæ fortè est causa, ut ille alius autor COSS. suffectos recensuerit. Cornelius Tacitus in primo historiarum, cum describit quàm uarius sermo in obitu Augusti de eo haberetur, inter cætera inquit: Numerus etiam consulatuū celebrabatur, quo Valerium Coruinū & C. Marium simul æquauerat, cōtinuata per septem & triginta annos tribunitia potestas, nomen imperatoris semel atq; uicies partum, aliaq; honorum multiplicata, aut noua. At Velleius inquit: Consulatus tantummodo usq; ad undecimum, quem continuaret Cæsar, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrare potuit. nam Dictaturam, quam pertinaciter populus ei deferebat, tam constantur repulit. Sed iam domum repetamus, satis euagati. Scribemus ergo COSS. Casiodori sic:

718 SEX. POMPEIVS, ET L. CORNIFICIVS. 2. 9

Hic est Sex. Pompeius, Magni Pōpeij filius minor natu: qui ex Hispania aufugit, occiso fratre suo à Iulio Cæsare: uenitq; in Siciliam, suscipiens ad se omnes transfugas ac ciues Romanos, proscriptos à Triumuiris. Cumq; magnum coegisset exercitum, annonæ commeatum in Sicilia intercepit, ut fames urbem occuparet. Ob id Cæsare moliente bellum in Pompeium, interuentu Antonij amicitia primùm inter eos facta est, ut superius annotauimus. Postquam uerò rursum Pompeius mare latrocinijs infestum redderet, nec pacem quā acceperat præstaret, Cęsar necessario bello contra eum suscepto, duobus naualibus prælijs dubio euētu pugnauit. Tandē uictus Pompeius, in Ciliciam profugit: M. uerò Lepidus, qui ex Aphrica uelut ad societatē belli, contra Sex. Pompeium à Cæsare gerendi traiecerat, ei bellum cum Cæsar quoq; inferret, relicto exercitu, abrogato Triumuiratus honore, uitā impetrauit. M. Agrippa, qui naUali corona à Cæsare est donatus (qui honos nemini ante eum habitus est) Lepidum Circijs in perpetuū relegauit, referente Tranquillo. Illud bellū Cæsaris & Pompeij, Siculum ab autoribus appellatur, à Liuio 128. & 29. descriptum est: item à Floro lib. 4. tit. 8. Suetonio in Augusto, rubrica decimosexta. Orosius pulchrè bellū hoc perstringit lib. 6. cap. 15. & Eutropius in septimo, cap. 1. Omniū uerò copiosissimè Appianus in quinto Ciuilium, quo bello opus suum claudit de Ciuilibus bellis. quo coniector, deesse adhuc librum, quo bellum Actiacum, quod etiam inter ciuilia connumerandum est, describitur. De hoc Sex. Pompeio Velleius ita tradit: Hic adolescens erat studijs rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cognitione celer, fide patri dissimilimus, libertorum suorum libertus, seruorumq; seruus: speciosis inuidens, ut parêret humillimis. Quem Senatus penè totus adhuc è Pompeianis cōstans partibus, post Antonianā fugam, eodem illo tempore quo Bruto Casioq; transmarinas prouincias decreuerat, reuocatum, ex Hispania, ubi aduersus eum clarissimum bellū Pollio Asinius prætorius gesserat, in paterna bona restituerat, & oræ maritimæ præfecerat. Is tum occupata Sicilia, seruitia fugitiuosq; in numerum exercitus sui recipiens, magnū modum legionum effecerat, perq; Menam & Menecratem paternos libertos, præfectos classium, latrocinijs ac prædationibus infestato mari, ad se exercitumq; tuendum rapto utebatur. Post multa subiungit: Hinc Pompeio, Siciliæq; Cæsar bellum intulit. Sed uirum humana ope inuictum, grauiter eo tempore fortuna concussit.

Olym. Imp. Aug. côcussit. Quippe longè maiorem partem classis circa Veliam, Palinuríq; promontoriū, adorta uis Aphrici lacerauit ac distulit. Dehinc subnectit: Penè omnibus exutus nauibus Pompeius, Asiā fuga petiuit: iussuq; M. Antonij, cuius opem petierat, dum inter ducem & supplicē tumultuatur, & nunc dignitatē retinet, nunc uitam precatur, à Titio iugulatus est. Cui in tantū durauit hoc facinore contractū odiū, ut mox ludos in theatro Pompeij faciens, execratione populi, spectaculo quod præbebat pelleretur. Neq; illud est omittendum, quod Plinius lib. 9. cap. 16. scribit: Siculo bello ambulante in littore Augusto, piscis è mari ad pedes eius exilijt. Quo argumento uates respondêre, Neptunum patrem adoptare eum sibi, Sex. Pompeio repudiato (tanta erat naualis rei gloria) sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria illo tempore tenerent. Idem Suetonius, rubrica nonagesimaquarta. Meminerunt passim huius belli poetæ, Ouidius, Horatius, Propertius, sed & Plutarchus in Antonio. L. autem Cornificius, ut scribit Tranquillus, hortatu Augusti ædem Dianæ extruxit. De Cornificio multa Appianus in quinto. ad hunc Sex. Pompeium consulem scribit Ouidius in quarto de Ponto, epistola quæ incipit, Ab urbe con.

Ite leues elegi doctas ad Consulis aures,
Verbaq; honorato ferte legenda uiro. Et multas alias.

Libo.

3. 10 L. SCRIBONIVS, ET L. ATRATINVS. 719

Libo Pompeij socer erat, qui sororem habuit Scriboniam, quam Octauianus per Mecœnatem sibi connubio adiungi petebat, ut Antonij familiarem ad se traheret: ut Appianus & Suetonius scribunt. Nec id Propertius ignorauit, cum diceret:

Altera maternos exęquat turba Libones.

Superius enim ex Appiano annotauimus, Cęsarem & Antonium, cum in gratiam redijssent cum Pompeio, Pompeij filiam, Libonis neptē, Marcello Antonij primogenito, Cæsaris consobrino despondisse, ac dehinc COSS. in quadrienniū creasse. Repete quæ superius paulo antè scripta sunt. De Scribonia sic scribit Suetonius, rubrica sexagesimaprima: Simultate cum Fuluia socru exorta, dimisit intactā adhuc, & uirginem: mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam antè duobus, consularibusq;, & ex altero etiā matrem. Cum hac etiam diuortium fecit, pertæsus (ut scribit) morum peruersitatē eius. Ac statim Liuiam Drusillam, matrimonio Tiberij Neronis, & quidem prægnantē abduxit, dilexitq; & probauit unicè ac perseueranter. Suspicor ex Liuij centesimo trigesimo, & sequenti libro, sub id tempus Antoniū in Parthos post Ventidium profectum, & horrendum illud Parthicum egisse bellum: de quo præter cæteros suprà citatos, nemo pulchrius, meo quidē iudicio, scripsit, quàm Plutarchus in Antonio. Videndus est tamen etiam Velleius Paterculus, qui breuiter quidem, sed eleganter hoc describit.

Tullus.

4. 11 C. CAESAR, ET L. VOLCATIVS. 720

Aliqui hunc secundum Cæsaris consulatū faciunt, cum primum egerit, ut Suetonius scribit, admotis ad urbem legionibus. Aliter tamen supputat consulatus Cæsaris Cassiodorus, ut paulo antè annotauimus. Ideo numerus consulatuū in cæteris diuersus est, ab eo quem autor noster ponit, quod admonitionis causa dictum uelim. abundè enim prius de Cæsaris cōsulatibus ex Tranquillo scripsimus. Hoc obiter annotandum, quòd, ut Suetonius scribit, rubrica sexagesima, in primo cōsulatu matrem suam Actiam amisit: siue is sit, siue superior iam dictus. Cæterùm priusquam Cæsar hunc consulatū inijt, Dalmaticū bellum gessit, quo uulneratus fuit in genu, testibus Suetonio & Appiano, in libro cui est titulus Illyrius, cuius uerba subscripsi: Eo, ait, in prælio lapide genu saucius, per multos dies æger iacuit. Conualescens Romam ad consulatum redijt, cum Barbutio Tullo collega magistratum initurus: Statilium Taurum ad residua eius belli reliquit. Mensis initio ingressus consulatum, eamet die Antonio administratione præbita, ipse in Dalmatas iterum procurrit, triumuiratū adhuc obtinens, iam enim secundi quinquennij tēpus effluxerat, quē à se ipsis à principio inaugurant,

serant,

Ab urbe con. | Olym. Imp. Aug.

ferant, populus uerò subinde confirmarat. Vide si Barbutius apud Appianũ, Volcatius ille Tullus sit. Velleius: Interim Cæsar per hæc tempora, ne res disciplinæ inimicissima, ocium, corrumperet militẽ, crebris in Illyrico Dalmatiaq́ expeditionibus, patientia periculorũ belliq́ experientia durabat exercitum. Iulius Frontinus in libello de Aquæductibus, de Iulia aqua sic scribit: Iuliæ Tepula pòst mixta. nam Agrippa ædilis, post consulatũ primum imperatoris Cæsaris Augusti, Messala & L. Volcatio COSS. anno post ur. con. septingentesimo decimonono, ad miliariũ ab urbe duodecimum uia Latina, euntibus ab Roma dextrorsus milium passuum duorum, alterius proprias uires collegit, & Tepulæ riuum intercepit: acquisitæq́ ab inuentore nomen Iuliæ datum, ita tamen diuisa erogatione, ut maneret Tepulæ appellatio. Paulo pòst subiungit: Eodem anno Agrippa ductus Appiæ, Anienis, Martiæ, penè dilapsos restituit: & singulari cura compluribus salientibus aquis urbem instruxit. Agrippæ uerò opera omnia quæ fecit, Plinius graphicè describit libro tricesimosexto, capite decimoquinto. uide diligenter. Verùm ut ingenuè fatear, subdubito, an hoc anno, an pòst tertio anno id acciderit: quia nomina COSS. tam diuersa ponuntur hic & illic, & numerorũ notæ undiq́ sunt corruptæ. Cogitẽt eruditi omnes, ut errata tollantur.

Aenobarbus.

721 CN. DOMITIVS, ET C. SOSSIVS. CLXXII XVII.

Circiter id tẽpus Antonius, cũ amore Cleopatræ insaniret, Octauiamq́ uxorem, Cæsaris sororem, repudiaret, neq́ in urbem uenire uellet: neq́ finito eius tempore, triumuiratus imperium deponere: bellumq́ moliretur, quod urbi Italiæq́ inferret, ingentibus tam naualibus quàm terrestribus copijs contractis, ut centesimo trigesimosecundo Liuius prodidit: tum Cæsar in Epirum cum exercitu traiecit. Cum autem secum duceret Cleopatram Antonius, ab hac contumelijs affecti Titus & Plancus, ad Cæsarem confugerunt, teste Plutarcho: & Antonij testamentũ, quod apud Vestales erat, docuere: in quo multa inciuilia cõtinebantur, quo & filios suos & Cleopatræ Reges regũ appellauit. Hoc Cæsar pro cõcione recitari fecit. Ob quod hostis iudicatus est Antonius. de quo testamento plura Plutarchus in Antonio. Remisit tamẽ, ut refert Tranquillus, hosti iudicato necessitudines, amicosq́ omnes, atq́ inter alios C. Sossium, & T. Domitium, adhuc COSS. ubi perperam in impressis codicibus scriptum est, Socium. Tu lege, C. Sossium. Domitio prænomẽ dat Suetonius Tito. Cassiodorus Gn. in utro sit erratum, dubitari posset. Quanquam magis sit approbandum Cn. prænomen, cum (ut superius scripsimus) Aenobarborum familia non aliud habuerit prænomen, quàm L. & Cn. Fuit autem is Domitij illius filius, qui inter socios Cæsarianę necis, quanquam insons, damnatus lege Pedia, ad Cassium Brutumq́ confugit. Dehinc se M. Antonio sponte cum classe tradidit. Postremò ad Augustum transijt, ac paucis diebus obijt, ut Plutarchus, Appianus & Suetonius in Nerone scribunt. Huius hic Cn. Domitius filius, auus Neronis fuit, uir triumphalis ex bello Germanico, Aedilis, Præturę Consulatusq́ honore perfunctus. Antoniam maiorẽ, Antonij & Octauiæ filiam, uxorem habuit: ex qua L. Domitium patrem Neronis genuit, qui Agrippinam filiam Germanici duxit, è qua Nero natus: qui flagitijs & amentia penè Romanum subuertit imperium, ut Plutarchus tradit. De his uide Tranquillum in Nerone, rubrica quarta & quinta, quid uterq́ in uita egerit. Velleius Paterculus sic hanc rem exequitur: Crescẽte deinde & amoris in Cleopatram incendio, & uitiorum, quę semper facultatibus licentiaq́ & assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre constituit, cum antè nouum se Liberum patrem appellari iussisset, cum redimitus hederis, coronaq́ uelatus aurea, & thyrsum tenens, cothurnisq́ succinctus, curru uelut Liber pater uectus esset Alexandriæ. Inter hunc apparatum belli Plancus, non iudicio recta legendi, neq́ amore reipublicæ aut Cæsaris (quippe hæc semper impugnabat) sed morbo proditor, cum fuisset humillimus assentator Reginæ, & infra seruos cliens, cum Antonij librarius, cum obscœnissimarum rerum & autor & minister, cum in omnia & omnibus uenalis, cum ceruleatus & nu-

Olym. Imp. Aug. & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset, in conuiuio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. Et idem postea clementiam uictoris pro sua uirtute interpretabatur, dictitans id probatum à Cæsare, cui ille ignouerat. Hunc mox auunculum Titius imitatus est. Tacitus Cornelius in uigesimo libro actorum diurnalium Augustæ historiæ, refert Iudæos à C. Sosio subactos bello ciuili interno, postquam in ditionem M. Antonij prouinciæ cesserant, & dehinc Antonius uictus perijt. Vnde inquit Egesippus in quinto, capite decimoquinto: Quis Romanos in Iudæam introduxit, nisi Hircani & Aristobuli contentio? Quis Sosium, nisi Herodes? Quis Antonium, nisi Sosius? Sed de hoc Sosio plura Iosephus quartodecimo Antiquitatum, capite uigesimosexto, & sequenti. Sub his COSS. teste Cornelio Nepote, mortuus est eloquentissimus ac optimus ille uir, Pomponius Atticus, socer M. Agrippæ, cuius uitam diligentissimè perscripsit Cornelius Nepos. Ab urbe con.

2. 13

C. CAESAR II. ET M. MESSALA.

Messala illustris adolescens, ad Brutum profugerat (referente Appiano in quarto Ciuilium) post cædem Iulij. Eius prudentiam ueriti triumuiri, in hunc modum proscripsere: Ex quo Messalam, necessarijs eius nobis affirmantibus, minimè affuisse nouimus, dum C. Cæsar occisus est, eundem ex proscriptorum numero eximi iubemus. Verùm ille ueniam huiusmodi despexit. Bruto deinde & Cassio in Macedonia deuictis, cum exercitus magno numero superesset adhuc, naues & pecunias, necnon spes optimas sibi ascisceret, Messala insuper copijs omnibus præsidere cuperet, neutiquam suscepit: uerùm aduersanti fortunæ cedendũ persuasit, & cum Antonio pariter castra iungere illos monuit. Ea ex causa intima familiaritate deuinctus Antonio, cum eodem unà conuenit. Demum Cleopatræ delicijs obnoxium ægrè ferens, ad Cæsarem se transtulit. Is Messalam, abrogato Antonio, Consulem effecit: cum ille iterum esset hostis iudicatus, & circa Actium aduersum Antonij Prætorem classem continentem, ad Celtas deficientes ire iussit, uictori quoque triumphum agere concessit. Meminit & huius in fine quinti libri Ciuilium Appianus. Ob id scribit Plutarchus in Bruto, Messalam à Cæsare laudatum, quòd licet in campis Philippicis Bruti gratia acerrimus hostis sibi fuisset, in Actio tamen promptissimum se præbuit. Ad quę & ille respondisse fertur: Ego tibi ô Cæsar, semper melioris atque iustioris partis honorisque fui. Ad hunc Messalam, oratorem ac poetam eximium, & militaris disciplinæ exercitatissimum, Virgilius ludicrum illud poema elegans ac concinnum, cui Ciris titulus est, scripsit, cupiens eius emereri fauorem, cum iam in album amicorum à Mecœnate, qui plurimum apud Augustum poterat, receptus esset. Huic puto Messalæ, librum suum Elegiarum dicauit Albius Tibullus, Panegyriconque decãtauit in libro quarto, quod incipit: 722

Te Messala canam, quanquam me cognita uirtus
Terret, ut infirmæ ualeant subsistere uires, &c.

In quo Messalam à rebus bellicis & eloquentia laudat, & eius natalem suprema elegia celebrat. Fuit bis consul per annos quinquagintaquinque, ut inferius clarescet. Auguratum gessit, aquarum præfecturam primus ab Augusto accepit: à quo præfectus urbis primò factus, sexto die magistratu se abdicauit, inciuilem esse potestatem contestans. Ante biennium quàm moreretur, ita memoria excidit, ac sensu, ut uix pauca uerba coniungeret, & sui obliuisceretur. Ad extremum, ulcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit, anno ætatis septuagesimosecundo. Agere in foro cœpit, iam Cicerone arcem eloquentiæ tenente. In iudicio pro Aufidio, Seruio Sulpitio contradixit: causam Phaselli & Herodis, accusantibus Iudæis, apud M. Antonium defendit. Horum COSS. sic meminit Velleius: Cæsare deinde & Messala Coruino COSS. debellatum apud Actium, ubi longè ante quàm dimicaretur, exploratissima Iulianarum partium fuit uictoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator, illa marcebant omnia, hinc reges firmissimi, illinc inopia affectissimi: na-

Olym. Imp. Aug. Ab urbe con.

uium hinc magnitudo modica, sed celerior ex aduerso illa specie erat terribilior. Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem cotidie aliqui transfugiebant. Deniq; in ore atq; oculis Antonianæ classis, per M. Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata, bis ante ultimum discrimen classis hostium separata, rex Amyntas meliora & utiliora sequutus. nam de illius exemplis, uitę natura, Dolobella ad Cæsarem: uirq; clarissimus Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, nunquam reginam nisi nomine salutauit, maximo cursu transmisit ad Cæsarem. Aduenit deinde maximi discriminis dies, quo Cæsar Antoniusq; productis classibus pro salute alter, in ruinam alter terrarũ orbis dimicauere. Dehinc pugnam latè prosequitur. Ideo Cassiodorus breuiter inquit:

His Coss. apud Actium Antonius à Cæsare superatur.

Quomodo Antonius classe uictus Alexandriam profugerit, obsessusq; à Cæsare, in ultima rerum desperatione, præcipuè occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, se interemerit, Alexandriamq; in potestatem redegerit, Liuius centesimo trigesimotertio libro docuit, ut ex ipsius Abbreuiatore colligimus. Vbi scribitur, finem imposuisse ciuilibus bellis altero & trigesimo anno: hoc est, 12. postquàm hæreditatem Cæsaris adiit, suæ ætatis scilicet 20. anno. Cum Suetonius in Augusto, rubrica octaua scribat, Augustum Cæsarem primùm cum M. Antonio M. q; Lepido, deinde tantum cũ Antonio per duodecim ferè annos, nouissimè per quatuor & quadraginta solum Remp. tenuisse. id quod Eutropius quoq; repetiuit lib. septimo, capite secundo. Ob id hoc referendum est ad annos ætatis suæ. Vide modum congressus, & acierum ordinem, apud Velleium. Omnia quæ hactenus ab Augusto facta sunt, Cornelius Tacitus in primo historiarum libro, miro compendio concinnat: cuius uerba subscribere, non inutile reor, quæ hæc sunt: Postquam Bruto & Cassio cæsis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliã oppressus: exutoq; Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus nisi Cæsar dux reliquus: posito Triumuiri nomine, consulem se ferens, & ad tuendam plebem, tribunitio more contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocij pellexit, insurgere paulatim, munia Senatus magistratuum legum in se trahere, nullo aduersante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent: cæteri nobilium, quãto quis seruitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac nouis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quàm uetera & periculosa mallent, neq; prouinciæ illum statum rerum abnuebant: suspecto Senatus populiq; imperio, ob certamina potentiũ, & auaritiam magistratuũ, inualido legum auxilio: quæ ui, ambitu, postremò pecunia turbabantur. & reliqua, quæ ad longum narrat, quibus subsidijs dominationem suam & imperium Augusti firmauerit. Cæterùm hoc bellum quod Cæsar cum Antonio & Cleopatra gessit, Actiacum ab autoribus dicitur, & Liuio lib. centesimo trigesimotertio cõplectebatur. Is liber cum non extet, requirendi sunt Florus in quarto, titulo undecimo: Trãquillus rubrica decima septima: Orosius in sexto, capite decimosexto, qui diligenter satis illud bellum descripsit: & Eutropius libro septimo, capite secundo. Sed omnium copiosissimè Plutarchus in Antonio, cuius uitam ac mores diligenter complexus est. Nam luxus Antonij & Cleopatræ meminit Plinius in nono, in uigesimoprimo, & uigesimotertio libris Naturalis historiæ: & Macrobius tertio Saturnaliũ. Cæsar autem Augustus hoc profectò bello tres triumphos egit: unum ex Illyrico, quos deuicit, ut Appianus & Florus describunt: alterum ex Actiaca uictoria: tertium ex Cleopatra. Quod eleganter insinuauit Virgilius in octauo, ubi Actiacum bellum describit ijs carminibus:

At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia, dijs Italis uotum immortale sacrabat.

Ouidius, Horatius, Propertius, passim huius belli meminerũt. Sed triumphi pòst acti sunt, ut inferius patebit: & Suetonius rubrica uigesima secunda, edocet in Augusto.

C. Cæsar

C. CAESAR III. ET M. LICINIVS CRASSVS.

3. 14 Alij hunc quartum dicunt Cæsaris Augusti consulatum, ut Orosius libro sexto, capite decimosexto. Cæsar sextùm imperator appellatus, & quartùm, ipse cum M. Licinio Crasso Brundusium uenit: ibiq; orbis terrarum præsidia diuisis legionibus composuit. Inde in Syriam, mox in Pelusium adijt: ubi ab Antonianis præsidijs ultrò susceptus est. Interea Cornelius Gallus præmissus à Cæsare, quatuor legiones, quas Antonius apud Cyrenas præsidij loco reliquerat, suscepit in fidem, &c. Hunc Orosium imitatur Honorius, qui etiam horum COSS. facit mentionem: & scribit, Herodem ad Augustum in Rhodo obuiam uenisse, eiusq; fauorem commeruisse. Sed de consulatibus Cæsaris superius diximus. M. uerò Crassus refertur à Liuio centesimo trigesimoquarto libro, contra Bastarnos & Marsos bellum feliciter gesisse. Quod & Florus libro quarto, titulo duodecimo pulchrè describit. Sed & centesimo trigesimoquinto Liuius, M. Crassum scribit aduersus Thraces pugnasse, quod Florus Pisoni ascribit: id quod aliquanto postea factum est, ut inferius annotabimus.

Ab urb. con. 723

His Coss. Nicopolim Cæsar construit, ludos Actiacos instituit. Antonius à Cæsare prælio peremptus, Alexandriæ in Mausoleo cum Cleopatra reconditur.

Suetonius in Augusto, rubrica decimaseptima, scribit Cæsarem ambobus cõmunem sepulturæ honorem tribuisse, ac tumulũ ab ipsis inchoatum perfici iussisse. Sequenti uerò rubrica decimaoctaua: Quoq; Actiacæ uictoriæ memoria celebratior & in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosq; quinquennales constituit: & ampliato uetere Apollinis templo, locum castrorum quibus fuerat usus, exornatum naualibus spolijs, Neptuno ac Marti cõsecrauit. Huius urbis Nicopolis, quæ uictoriæ ciuitas interpretatur, meminit Plinius, Strabo, Stephanus. Ludi uerò Actia dicebantur, Actio Apollini consecrati: qui & prius à finitimis agebantur, quos splendidiores Cæsar fecit. Vnde & Virgilius ad hos allusit:
Actiaq; Illiacis celebramus littora ludis.

Quo pacto autem sese interfecerint, ex Plutarcho èst discendum, & Strabone in 17. Prodigia quæ Cæsari circa Actium pugnanti euenerint, cum Asmario & Asello, Suetonius rubrica 94. & Plutarchus in Antonio tradunt. Eusebius in Chronicis hæc omnia refert in sequentem annum, hoc est, decimumquintũ imperij Augusti: quo tradit Cæsarem Augustum appellatum, & Nicopolim conditã apud Actium, ubi & agon Actiacus institutus est. Velleius Paterculus: Proximo anno persequutus Cæsar reginam, Antoniumq;, Alexandriã, ultimam bellis ciuilibus imposuit manũ. Antonius se ipse non segniter interemit, adeò ut multa desidiæ crimina morte lueret. At Cleopatra frustratis custodibus, illata aspide, morsu sanè eius, expers muliebris metus, spiritũ reddidit. Fuitq; & fortuna & clemẽtia Cæsaris dignũ, quòd nemo ex ijs qui contra eum arma tulerãt, ab eo sit, iussu'ue eius interemptus. D. Brutũ Antonij interemit crudelitas. Sex. Pompeium ab eodem uictum, idem Antonius, cum dignitatis quoq; seruandæ dedisset fidem, etiam spiritu priuauit. Brutus & Casśius antequam uictorũ experirentur animum, uoluntaria morte obierunt. Antonij Cleopatræq; quis fuisset exitus, narrauimus. Canidius timidius decessit, quàm professioni eius, qua semper usus erat, congruebat. Vltimus autem ex interfectoribus Cæsaris, Parmensis Casśius pœnas dedit, ut dederat Trebonius.

4. 15 C. CAESAR IIII. ET SEX. APVLEIVS. 724

Appianus in quarto Ciuilium, ubi fœdã proscriptionẽ pluribus exequitur, cuiusdam Apulij meminit: qui cum proscriptus esset, mira arte se turmarũ ducem fingens euasit, & tandem liberatus est: si is sit, incertum est. Cæterùm si Orosio credendum est, & liber eius menda caret, sub ijs COSS. Cæsar Augustus est dictus. quod postea factum, scribit inferius Casśiodorus. Verba Orosij, ut inuenio, ponam, ex libro sexto, capite decimoseptimo: Anno ab urbe septingentesimo uigesimoquinto, ipso

imperante

Ab urbe con. imperante Cæsare Augusto & L. Apuleio COSS. Cæsar uictor ab Oriente rediẽs, o- *Olym. Imp. Aug.*
ctauo idus Ianuarij, urbem triplici triumpho ingressus: ac tum primùm ipse Iani por-
tas, sopitis omnibus finitisq; ciuilibus bellis, clausit. Hoc die primùm Augustus con-
salutatus est: quod nomen cunctis antea inuiolatũ, & huc usq; cæteris inausum, domi
nus tantum orbis licitè usurpatũ, apicem declarat Imperij. Atq; ex eodem die summa
rerum ac potestatũ penes unum cœpit esse, & permansit quod Græci monarchiam
uocant. Porrò autẽ hunc esse eundem diem, hoc est, octauum Ianuarij, quem nos Epi
phaniam, hoc est apparitionem siue manifestationem Dominici sacramenti obser-
uamus, nemo credentium, siue etiam fidei contradicentium nescit. Sed paulo infrà ui
de, de nomine Augusti. Verùm & capite decimooctauo, hoc est sequẽti, Orosius scri
bit, Augustũ quintùm consulem, urbem cum triumpho ingressum, tertiò Ianum post
ducentos annos clausisse, ac Augusti nomẽ sumpsisse. Sed & Honorius in suis Chro
nicis, hæc eadem ijs uerbis tradit: Anno post urbem cõditam septingentesimo uige
simoquinto, hoc est, anno Augusti decimoquinto, imperatore Cæsare quinquies, &
L. Apuleio COSS. ipse Cæsar uictor ab Oriente rediens, octauo idus Ianuarij, triplici
urbem triumpho ingressus est: ac tum primò post ducentos annos, ipse Iani portas
sopitis omnibus bellis ciuilibus tertiò clausit: eoq; die Augustus primùm à Senatu
populoq; Romano consalutatus est. Atq; ex illa die summa rerũ penes unum esse cœ
pit, & mansit, quem Græci monarcham uocant: ideo aliqui ab hoc tempore annos
monarchię Augusti supputant. Vide Eusebium in Chronicis. Velleius: Dum ultimã
bello Actiaco manum Cæsar imponit, M. Lepidus, iuuenis forma quàm mente me-
lior, Lepidi, eius qui Triumuir fuerat reipub. constituendæ, filius, Iunia Bruti sorore
natus, interficiendi, simul in urbem reuertisset, Cæsaris consilia inierat. Tunc urbis cu
stodijs præpositus C. Mecœnas equestris, & splendido genere natus, uir, ubi res ui-
giliam exigeret, sanè exsomnis, prouidens, atq; agendi sciens: simul uerò aliquid ex
negotio remitti posset, ocio ac mollicijs penè ultra feminã fluens: non minus Agrip-
pa Cæsari charus, sed minus honoratus: quippe uixit augusto clauo penè contentus:
nec maiora consequi non potuit, sed non tam concupiuit. Hic speculatus est per sum-
mam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia iuuenis: & mira celeritate, nul-
laq; cum perturbatione aut rerum aut hominum, oppresso Lepido, immane noui ac
resurrecturi belli ciuilis restinxit initium. Et ille quidem malè cõsultorum pœnas ex-
soluit. Aequetur Calpurniæ Antistij, Seruilia Lepidi uxor, quæ uiuo igni deuorato,
præmaturam mortem immortali nominis sui memoria repensauit.

C. CAESAR V. ET M. AGRIPPA II.

725 CLXX 16 XVIII.

Orosius in sexto, cap. 19. Anno ab ur. con. septingentesimo uicesimosexto, impera
tore Augusto VI. & M. Agrippa II. COSS. Cæsar parũ in Hispania per ducentos an-
nos actum intelligens, si Cantabros atq; Astures, duas fortissimas gentes Hispaniæ,
suis uti legibus sineret: aperuit Iani portas, atq; in Hispanias ipse cum exercitu profe-
ctus est. quod bellum abundè Orosius eo loco describit. Sed Honorius Augustudi-
nensis, qui hunc æmulatur, breuibus perstringit in hæc uerba: Sequenti anno impera
tore Cæsare Augusto VI. & iterum M. Agrippa COSS. Cæsar parum in Hispania per
ducentos quinq; annos actum intelligens, si Cantabros atq; Astures, fortissimas Hi-
spaniarum & Galliarum gentes, suis uti legibus sineret, aperuit Iani portas, & cum
exercitu in Hispaniã cũ Agrippa profectus est. Tunc enim Cantabri & Astures, Vac
ceos & Antigonas eruptione assidua populati sunt. A' quibus Cæsar, cum & exerci-
tum perderet, diu fatigatus, tandem ab Aquitanico sinu per Oceanum in tantis hosti
bus classem admouit. Sic hostes uicti sunt à ducibus Cęsaris, Antistio & Firmio. Tum
Cantabrico bello per quinq; annos finito, tota Hispania in æternam pacem cõposita
est. Cæsar Romã redijt, Ianiq; portas secundò clausit. Sed hoc bellum scribit etiã Flo
rus in quarto, tit. 12. & 135. Liuius: Suetonius rubrica uigesima & 21. Sed de M. Agrip
pa Cornelius Tacitus primo Historiarũ ita scribit: Cæterũ Augustus, subsidia domi-
nationi, Claudiũ Marcellum sororis filium admodum adolescentem, pontificatu &

Olym. Imp. Aug. Curuli ædilitate: M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia, & uictoriæ socium, geminis consulatibus extulit. mox defuncto Marcello, generũ sumpsit. Tyberiũ Nerone & Claudiũ Drusum priuignos, imperatorijs nominibus auxit, integra etiã tum domo sua. nam genitos Agrippa C. & L. in familiam Cæsarum induxerat: necdum posita puerili prætexta, principes iuuentutis appellari, destinare COSS. spem recusantis flagrantisimè cupiuerat. Velleius: Mors, inquit, Agrippæ (qui nouitatem suam multis rebus nobilitauerat, atq; in hoc perduxerat, ut & Neronis esset socer, cuiusq; liberos nepotes suos diuus Augustus præpositis Caij & Lucij nominibus adoptauerat) admouit propius Neronem Cæsari: quippe filia eius Iulia, quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni nupsit. Ab urbe con.

His Coss. Parthorum dissensiones per Cæsarem sedatæ sunt.

Velleius in posteriore uolumine, ubi de adolescentia agit Tyberij Neronis, in hæc uerba scribit: Nec multo pòst missus ab eodem uitrico cum exercitu, ad uisendas ordinandasq; quę sub Oriente sunt prouincias: præcipuis omniũ uirtutum experimentis in eo tractatu editis, cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem P.R. regnum eius Artauasdi dedit. Cuius rex quoq; Parthorum tanti nominis fama territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides.

2 17 C. CAESAR VI. ET M. AGRIPPA III. 726

Quod iam toties repetiui, Caßiodorum in consulatibus Cæsaris ab alijs esse diuersum, hoc loco septimus datur, non sextus consulatus Cæsari. Inuenio apud Velleiũ, Aprippam COS. fuisse cum M. Vinicio, sub quibus bellum Pannonicum inchoatum fuit. ut inde liceat coniectari, fortè unum ex ijs fuisse suffectum COS. Vnde & Censorinus in libello Natalicio, de annis Romanis scribens, sic inquit, ubi simul colligit omnes annos suæ ætatis, qua scripsit: At eorum qui uocantur anni Augustani, ducenti sexagintaquinq;, perinde Calend. Ianuarijs, quamuis & ante diem decimumsextum Calend. Februarij imperator Cæsar, diui filius, imperator Aug. sententia Numatij Planci, à Senatu cæterisq; ciuibus appellatus est: se septimùm & M. Vipsano Agrippa COSS. sed Aegyptij, quòd biennio antè in potestatem ditionemq; pop. Romani uenerunt, habent Augustanorum annum ducentesimum sexagesimumoctauum. Nam ut à nostris, ita ab Aegyptijs quidam anni in literas relati sunt. Sicq; Octauius non statim post Antonij & Cleopatræ interitum, quando Aegyptus in potestatem Cæsaris uenit, Augustus est appellatus: sed biennio cum tribus mensibus, post Aegyptum subiugatam. Et hinc patet diuersitas Chronographorum, & quòd Orosius eum scribit Augustũ appellatum superioribus COSS. Licet idem cũ Censorino sentiat Tranquillus, rubrica septima sic scribens: Postea C. Cęsaris, & deinde Augusti cognomen assumpsit, alterum testamento maioris auunculi, alterum Munacij Planci sententia: quum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem urbis, præualuisset ut Augustus potius uocaretur: non cum nouo, sed etiam ampliore cognomine, quòd loca quoq; religiosa, & in quibus auguratò quid consecratur, Augusta dicantur, ab auctu, uel auium gestu, gustú ue. sicut etiã Ennius docet scribens:

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Quod & Festus Pompeius grãmaticus asserit, & Ouidius hoc idem fatetur in primo Fastorum:

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic socium magno cum Ioue nomen habet.
Sancta uocant Augusta patres, augusta uocantur
Templa sacerdotum ritè sacrata manu.

Florus item in calce operis sui sic subscribit: Tractatum etiam in Senatu, an quia condidisset imperium, Romulus uocaretur. Sed sanctius & reuerentius uisum est nomen Augusti, ut scilicet iam tum, dum colit terras, ipse nomine & titulo consecraretur. Abbreuiator Liuij centesimo trigesimoquarto idem, qui & Augustum & mensem

Ab urbe con. sem Sextilem in honorem eius appellatū scribit, rebus compositis, & omnibus prouincijs in certam formam redactis. Vt planè uideatur inanis Leguleiorum disputatio, an Imperator minuere posit imperium, cum ab auctu dicatur: qui & Ouidius quoqꝫ scripserit:

Huius & augurium dependet origine uerbi,
Et quodcunqꝫ sua Iuppiter auget ope.
Augeat imperium, nostri ducis augeat annos.

Et nostri Germani Augustum, auctorem imperij semper interpretentur, cum quã si sacer & maiestatis plenus dicatur, siue ab auium gestu, id est, quia ab auibus significatus sit: siue quia aues pastæ, gustatu id ratum fecere. Cum tamen Iustinianus adijcit, Semper uel perpetuò Augustus, uidetur ad id alludere, ut & ab augendo dici uideatur Augustus: à quo & cæteri imperatores omnes dicti sunt Augusti. Et Egesippus libro quinto, capite decimoquinto, in quadam pulcherrima oratione Iosephi ad Iudæos inquit: Et ideo Augustum apud eos nomen est imperij, quòd augeat suos, non quòd alienos opprimat. Hoc tamen loco illud quoqꝫ prætereundum non est, quòd cum quis apud ueteres appellabatur Augustus, imperator eo nomine significabatur. Iulius Capitolinus: Creatus est imperator, id est, Augustus. Cæsaris nomen imponebatur ijs qui futuri erant imperij successores. nam cū quis creabatur Cæsar, ut scribit Aelius Spartanus, tanquã principis filius et imperij hęres creabatur. Pòst enim cū imperatores iam rerū potiebantur, nōnunquã plures creabantur Cæsares. Sed erat Cæsarū declaratio, non imperij dignitas, sed quæ gradum ad imperiū faceret: ut uelut per manus ab eo qui Augustus & Imperator fuisset, Cæsares imperij regimen acciperent. Sic & Ammianus Marcellinus docet Augustos appellari, qui nunc regnãt, & à Senatu Imperatoris nomine honestati sunt: Cæsares uerò, qui ab ipso Augusto electi sunt ad regendam prouinciam aliquam, cum Cæsaris honore tantum, donec Augustus uixerit: post eius mortem successuri in imperio, ut pòst in Cæsaribus nostris latissimè lector inueniet. Adijciendum hoc uidetur, quod Suetonius in Augusto scribit, rubrica nonagesimaseptima, quòd sexto suo Consulatu extruxerat Mausoleū inter Flaminiã uiam, ripamqꝫ Tyberis, circumiectasqꝫ syluas & ambulationes in usu populi tunc iam publicarat. Cuius sic meminit Strabo in quinto: Commemoratione dignissimum, quod Mausoleum appellant, & perpetuæ uiriditatis coopertum in summum usqꝫ uerticem, ad Tyberis ripam exaggeratum. In summo autem positum est Cæsaris Augusti simulacrum, ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt eius loculi, & cognatorum & necessariorum. Vnde Casiodorus quoqꝫ sub ijs COSS. Augustum scribit appellatum, ijs uerbis:

His Coss. Cæsar leges protulit, iudices ordinauit, prouincias disposuit: & ideo Augustus cognominatus est. Cuius temporibus floruerunt, Virgilius, Horatius, & Liuius.

Quales leges sanxerit Cæsar, docet Suetonius rubrica 34. quomodo iudices ordinauerit, rubrica 32. quomodo prouincias domuerit, rubrica 21. quomodo eas ordinauerit, rubrica quadragesima septima. Cæterū Cornelius Tacitus in tertio Historiarū, ubi pulchram cōmemorat originem iurium, & quo pacto multitudo ad paucitatē sit redacta, sic scribit: Sexto demum cōsulatu Cæsar Augustus potentiæ securus, quæ in Triumuiratu iusserat aboleuit. Deditqꝫ iura, quîs pace & principe uteremur. Velleius: Finita uicesimo anno bella ciuilia, sepulta externa, reuocata pax, sopitus ubiqꝫ armorum furor, restituta uis legibus, iudicijs autoritas, Senatui maiestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum. tantummodo octo Prætoribus allecti duo, prisca illa & antiqua reip. forma reuocata. Redijt cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuiqꝫ rerum suarum possesio: leges emendatæ utiliter, latæ salubriter: Senatus sine asperitate, nec sine seueritate lectus. Principes uiri triumphisqꝫ & amplissimis honoribus functi, hortatu principis ad ornandam urbem il-

Olym. Imp. Aug. lecti sunt. Quo pacto uerò Virgilius sese in amicitiam Augusti insinuauerit, pluribus docet Donatus, qui scribit Augustum cogitasse de tyrannide omittenda, & republica Senatui reddenda: tunc suasisse Virgilium, ut dominaretur. Si enim (inquit) iustitiam, quod modò facis omnibus, in futurum distribues, dominari te, & tibi conducet, & orbi. Virgilij sententiam sequutus Augustus, principatum tenuit, qui suapte natura erat cupidissimus dominandi: &, ut inquit Eutropius, suprà quàm existimari potest. Sed uide & Suetonium, rubrica uigesimaoctaua. Eutropius libro septimo, capite secundo: præcipuos habuit amicos, ob taciturnitatem Mecœnatem, ob patientiam laboris modestiamq; Agrippam. Diligebat præterea Virgilium, Flaccumq; poetas. Et ut addam penè corrolariũ: Hoc tempore omnes bonæ disciplinæ accesserunt ad summum fastigium, cum maiestate Romani imperij. Ob id scripsit Velleius, cum de natalibus Augusti ageret: Iam penè superuacaneũ uideri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, direptos gradibus ætatis floruisse hoc tempore, Ciceronem, Hortensium: saneq; Crassum, Catonem, Sulpitium: moxq; Brutum, Calidium, Cœlium Caluum, & proximum Ciceroni Cæsarem? Eorumq; uelut alumnos, Coruinum, & Asinium Pollionem, æmulumq; Thucydidis Salustium: autoresq; carminum, Varronem & Lucretium: neq; ullo in suscepti operis sui carmine minorem Catullum? Penè stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio. Inter quæ maximè nostri æui eminent principes carminum, Virgilius, Rabiriusq;, & consequutus Salustium Liuius, Tibullusq; & Naso, perfectissimi in forma operis sui. Nam uiuorum ut magna admiratio, ita censura difficilis.

Ab urbe con.

3. 18 *Cæsar.* *Taurus.*

C. AVGVSTVS VII. ET T. STATILIVS. 727

Ille est alijs octauus Cæsaris Consulatus, quem cum Statilio Tauro gessit, à quo amabatur. Multos enim principes uiros unicè dilexit, eosq; cum ipse iam urbem adornasset ob crebra incendia, adhortatus est, ut pro facultate quisq; uel nouis, uel refectis & excultis Romam adornarent: multaq; à multis extructa sunt. Sicut à Martio Philippo, ædes Herculis, Musarum: à L. Cornificio, ædes Dianæ: ab Asinio Pollione, atrium Libertatis: à Munatio Planco, ædes Saturni: à Statilio Tauro, Amphitheatrum: à M. Agrippa, ductus aquarum plures. Statilij Tauri, unius ex posteris illius, meminit Tacitus: quem opibus illustrem, accusatum esse repetundarum tradit, Agrippina stimulante accusatorem, quæ Statilij hortis amœnissimis inhiabat. Statilius impatiens iniuriæ, sibi mortem consciuit. M. Varro in secundo de re Rustica, docet Statilios Tauros nominatos esse, à tauris, qui sunt è pecore maiori: sicut à minori dicimus Porcios, Ouinios, Caprilios. Eusebius in Chronicis docet, Indos amicitiam ab Augusto per legatos circa id tempus postulasse. De quibus sic Florus in fine operis: Indi cũ gemmis & margaritis elephantes quoq; inter munera trahentes, nihil magis quàm longinquitatem uiæ imputabant, quadriennium impleuerant: & tamen ipse hominum color, ab alio uenire sole fatebatur. Orosius item in fine sexti sic: Refuderunt in Cæsarem Alexandri Magni gloriam, quem sicut Hispanorum Gallorumq; legatio in medio Oriente apud Babylonem cõtemplatione pacis adijt: ita hunc apud Hispaniã in Occidentis ultimo, supplex cum Getulico munere Eous, Indus, & Scytha Boreus orauit.

4. 19

C. AVGVSTVS CAESAR VIII. ET M. SILLANVS. 728

His Coss. Astures, & Cantabros, Germanos, Salassosq; Cæsar perdomuit.

Salassorum tellus aurifodinas habet, diuq; olim potentes fuerunt: à quibus Decius Brutus, data uiritim drachma, sese redemit, hiq; quãdoq; Cæsaris pecunias diripuerunt:

Ab urbe con. puerunt: tandem eos Augustus funditùs deleuit, & omnes sub corona uendidit: autor Strabo in tertio. Sunt autem Salassi, Alpini populi, quos Cato Tauriscæ gentis esse arbitratur. De his Liuius centesimo trigesimoquinto libro scripsit, & Suetonius rubrica uigesimaprima. De Asturibus sic Florus: Astures per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant, nec tenuere suos, ut barbari impares: & positis castris apud Asturam flumen, trifariam diuiso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parant. Fuisset anceps & cruentum (& utinam mutua clade) certamen, tunc iam fortibus etiam subitò, iam cum consilio uenientibus: nisi Drigecinij prodijssent, à quibus præmonitus Carisius cum exercitu adueniens oppressisset consilia. Sic tamen quoque non incruento certamine reliquias fusi exercitus ualidissimi, ciuitas Lancia excepit. ubi loci adeò certatum est, ut in captam urbem faces poscerentur. Aegrè dux impetrauit ueniam, ut uictoriæ Romanæ stans potius esset, quàm incensa, monumentum. Orosius hæc Flori uerba quasi interpretatur, sic scribens: Astures uerò, positis castris apud Asturam flumen, Romanos, nisi proditi præuentique essent, magnis consilijs, uirtutibusque oppressissent. Tres legatos cum legationibus suis in tria castra diuisos, tribus æquè agminibus obruere moliti, repentè suorum proditione detecti sunt. Hos postea Carisius bello exceptos, non parua etiam Romanorum clade superauit. Pars eorum prælio elapsa, Lanciam confugit. Cumque milites circumdatam urbem incendio adoriri pararent, dux Carisius & à suis cessationem impetrauit incendij, & à Barbaris uoluntatē deditionis exegit. Studiose enim nitebatur, integram atque incolumem ciuitatem uictoriæ suæ testem relinquere. Ex his uerbis liquet, corruptè in Floro Scurā pro Asturam, & fasces pro faces, & temerè pro tenere, & sumptus pro suos, legi. Quæ doctissimus quisque approbabit.

729 C. AVGVSTVS CAESAR IX. ET C. NORBANVS. CLXX XIX 20

His Coss. Astures & Cantabros per L. Lamiam perdomuit.

Quia toties Cantabrorum meminit Cassiodorus, mirandum non est. nam teste Orosio, quinque annis Cantabricum bellum durauit, pulchrè ab eo descriptum in fine sexti libri. Sed Florus elegantissimè in quarto, titulo duodecimo, hoc bellum & has gentes descripsit: licet illic correctorum desideranda sit diligētia. Nam & urbium & populorum, fluminium & legatorum nomina deprauata sunt: quæ studiosus lector ex tertio Strabonis, & Plinij tertio, emendabit, ac ex Tranquillo ac Cassiodori Coss. nomina legatorum reformabit, ut in transcursu annotabimus. Cæterùm Cantabricum bellum descripsit Suetonius in Augusto, rubrica uigesima: & Florus in fine operis, qui tradit per Antistium, Firmium Agrippam, legatos apud Cantabros hæc facta. Quæ eadem inuenies apud Orosium libro sexto, ultimo capite. Sed apud utrunque Firmius scriptum est, cum Furnius sit legendū. Subiungit eodem loco, quòd Cantabricæ uictoriæ hunc honorem detulerit Cæsar, ut tunc quoque belli portas claustro cohiberi iuberet. Et ita tunc secundò per Cæsarē, quartò post urbem conditā clausus est Ianus: quod & Suetonius & Florus attestantur. conferendi enim sunt omnes. Repete ea quæ superius in Sex. Ruffo de Hispanis & Cantabris, ex Velleio Paterculo scripsimus.

730 C. AVG. CAESAR X. ET GN. PISO. 2. 21

Cæsarem multa egisse per legatos, Tranquillus, Florus & Orosius attestantur. Nam Vindelicos & Rhætos deuicit per Drusum Neronem priuignum, in cuius laudem Horatius quartum librum Carminum edidit: Thraces uerò per Pisonē. Fuerunt sub Augusto duo uiri illustres, Gn. Piso, & L. Piso, siue pater & filius, siue fratres: quibus & Flaccus Horatius Artē poeticā inscripsit. Cæterùm circa id tēpus gestum est bellum Germanicū, si Honorio credendū est, qui in suis Annalibus sic scribit: Anno ur. con. 731. Cæsaris Augusti 21. quibus etiam diebus multa per se, multa per duces & legatos

Olym. Imp. Aug. legatos bella gessit, Claudius Drusus priuignus Cæsaris Galliam & Rhœtiã sortitus, fortissimas Germanorũ gentes subegit: Vsipetes, Tencateros, Rhœtos, Vindelicos, Marcomannos, Cheruscos, Sueuos & Sicambros. unde & filium eo anno natũ, Drusus Germanicũ appellauit. Huius Germanici meminit Tacitus in primo Historiarum: At herculè Germanicum Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus impo-suit, adsciriq́ per adoptionem à Tiberio iussit. Scripsit hoc bellum Paulus Orosius in fine sexti, & Florus in fine operis sui. Vnde & Orosius inquit: Piso aduersum Vindelicos missus est, quibus subactis, uictor ad Cæsarem Lugdunũ uenit. Cæterùm hic Gn. Piso Germanicum Cæsarem, ut infrà notabimus, ueneno sustulit. quem Tacitus in secundo, ingenio uiolentum, & obsequi ignarum scribit, insita ferocia à patre Pisone: qui ciuili bello resurgentes in Aphrica partes acerrimo ministerio aduersus Cæsarem iuuit. Mox Brutum & Cassium sequutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit: donec ultrò ambiretur, delatum ab Augusto consulatum accipere, &c. Pòst à Tyberio est missus in Syriam, ut infrà scribemus. ubi pòst conuictus super morte Germanici, seipsum interemit, & in codicillo suo sic scriptũ reliquit: Precor ne filius meus innoxius pœnas luat, per quinq; & quadraginta annorũ obsequium, per collegium consulatus quondam diuo Augusto parenti tuo probatus. Ab urbe con.

3. 22 M. MARCELLVS, ET L. ARVNCIVS. 731

Velleius Paterculus: ante triennium ferè quàm Egnatianũ scelus erumperet, circa Murenæ Cepionisq́ cõiurationis tempus, ab hinc annos L. M. Marcellus sororis Augusti Octauiæ filius, quem homines ita si quid accidisset Cæsari, successorem potentiæ eius arbitrabantur futurum: ut tamen id per M. Agrippam securius ei posse contingere non existimarent, magnificentissimo ædilitatis munere edito, decessit admodum iuuenis, sanè ingenuarum (ut aiunt) uirtutum, lætusq́ animi & ingenij, fortunæq́, in quam alebatur, capax. Post cuius obitum Agrippa, qui sub specie ministerio rum principalium profectus in Asiam (ut fama loquitur) ob tacitas cum Marcello offensiones, præsenti se subduxerat tempori: reuersus inde, filiã Cæsaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem: feminam neq; sibi, neq; reipub. felicis uteri. Hunc esse illum Marcellũ puto, qui in 24. anno ætatis suæ, ex morbo in 16. cõtracto, pòst in ædilitate mortuus est. De quo Virgilius in sexto cecinit, Tu Marcellus eris. Quæ carmina cum olim legerentur Octauiæ, eduxerunt illi lachrymas, ut Seruius scribit. Cæterùm Aruncij cuiusdam in quarto ciuilium Appianus meminit, inter proscriptos: qui mira arte cum Apuleio, cum se turmarum duces fingerent, euasit. Incertum an hic sit, an unus ex illius posteris.

4. 23 M. LOLLIVS, ET Q. LEPIDVS AEMILIVS. 732

M. Lollius, primus Galatiam prouinciam Proprætore administrauit, ut scribit Eutropius libro septimo, capite secundo: cum antea regnum fuisset. Tantumq́ apud Barbaros effecit, ut reges pop. Rom. amici in honorẽ Cæsaris urbes conderent, quas Cæsareas appellarunt. Hic Lollius in Germaniam ab Augusto missus, ignominiosa clade affectus est: quam Lollianã maioris infamiæ quàm detrimenti, nominat Tranquillus, rubrica uigesimatertia. Eusebius in annum Cæsaris uigesimumseptimũ deijcit historiam, de M. Lollio inquiens: Germanos in arma uersos M. Lollius superat. De hoc ita scribit Velleius: Accepta in Germania clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quàm rectè faciẽdi cupidiore, & inter summã uitiorũ dissimulationẽ uitiosissimo: amissaq́ quintę legionis aquila, uocauit ab urbe in Gallias Cęsarẽ.

CXC 24 M. APVLEIVS, ET P. SILLIVS. Nerua. 733

His Coss. aquilas & signa Crassiana de Parthis Cæsar recepit.

Pacem cum Parthis factam, & signa Crasso & Antonio ablata à rege Parthorum, reddita

Ab urbe con. reddita scribit Liuius, 139. lib. De hoc Florus in calce sui operis sic scribit: Parthi quoque quasi uictoriæ pœniteret, rapta clade Crassiana ultro signa retulere: sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. De hac pace multa pulchra Orosius in fine 6. lib. Sed paulo antè, inquit, Bosphoranos Agrippa superauit: & signis Romanis, quæ illi quondã sub Mithridate sustulerant, bello recuperatis, uictos ad deditionem coegit. Parthi quasi toto terrarũ orbe uel domito, uel pacato omniũ oculis signarentur, atque in se solos omnis uigor Romani imperij uertendus esset (quippe quos pristina ulciscendæ Crassianæ cædis cõscientia mordebat) ultro signa quæ Crasso interfecto abstulerant, ad Cæsarem remiserunt, regijsque obsidibus traditis, firmum fœdus fideli supplicatione meruerunt. De signis redditis à Parthis, Tranquillus rubrica uigesima prima. Velleius: Dum pacatur Occidẽs, ab Oriente ac rege Parthorũ signa Romana, quæ Crasso presso Orodes, quæ Antonio pulso filius eius Phraates cœperant, Augusto remissa sunt: quod cognomen illi uiro Planci sententia, consensus uniuersi Senatus, populique Rom. indidit.

Saturninus. *Cinna.*

C. SENTIVS, ET Q. LVCRETIVS. 2. 25

734 De his Coss. sic scribit Iulius Frontinus, libello de Aquæductibus, licet alterius prænomen immutatum sit: Agrippa cum iam tertiùm Cos. fuisset, C. Sentio, Sp. Lucretio Coss. post annũ tredecimũ quàm Iuliam deduxerat, Virginẽ, in agro quoque Lucullano collectam, Romam perduxit, quo primùm in urbe responderet, quinto idus Iunij. Inuenitur uirgo appellata, quòd quærentibus aquam militibus, puella uirguncula quasdam uenas monstrauit: quas sequuti qui foderant, ingentem aquæ modum inuenerunt: ædicula fonti apposita, hanc uirginem pictam ostendit. Describit dehinc Frontinus, quomodo Augustus produxit etiam in urbem Alsietinam aquam, quæ uocatur aqua Augusta, cum opus Naumachiæ aggrederetur. Sed quibus Consulibus id factum sit, non scribit. Velleius: Præclarũ excellentis uiri factum C. Sentij Saturnini, circa ea tẽpora Cõsulis, ne fraudetur memoria. Aberat in ordinandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar, circunferens terrarũ orbi præsentia sua pacis suæ bona. Tum Sentius fortè & solus, & absente Cęsare Cos. cùm alia, prisca seueritate summaque constantia, uetere Coss. more ac seueritate gessisset, protraxisset publicanorũ fraudes, punisset auariciam, regessisset in ærarium pecunias publicas: tum in comitijs habendis præcipuum egit consulem. nam & quæsturã petentes, quos indignos iudicauit, profiteri uetuit. Et cum id facturos se perseuerarent, consularem, si in campum descendissent, uindictam minatus est. Et Egnatium florentem fauore publico, sperantemque ut præturam ædilitati, ita consulatũ præturæ se iuncturum, profiteri uetuit: & cum id nõ obtinuisset, iurauit, etiam si factus esset Cos. suffragijs populi, tamẽ se eum nõ renunciaturum. Quod ego factum cuilibet ueterũ Coss. comparandum reor: nisi quòd naturaliter audita uisis laudamus libentius, & præsentia inuidia, præterita ueneratione prosequimur. Et his nos obrui, illis instrui credimus. Cæterùm hunc puto esse Lucretium, de quo Appianus sic scribit in quarto: Lucretius duobus fidis seruis comitatus, errabundus cibariorũ inopia ad uxorem retrocessit, à seruis ueluti æger quidam lectica delatus in urbem. Interim uni ex seruis perfracto crure alteri innixus ambulabat. Cum uerò ad portas accessisset, quo in loco parens eius à Sylla proscriptus, olim interceptus fuerat: turmam militum accurrentem intuens, pauefactus est loci omine: & cũ seruo aufugiens, in sepulchro latuit. Pollinctoribus denuò sepulchra perscrutantibus, seruus se ultrò ut caperetur obtulit, quoad Lucretius iterum ad portas profugit: ibique tam diu commoratus est, ut rediret seruus: cuius uestem sibi induit, indeque ad uxorem redijt. Sub cuius cura duobus interclusus laquearibus delituit, donec ex proscriptorũ numero eximeretur. Postremò confecta pace, consulari dignitate potitus est. hæc Appianus. Sub ijs Coss. moritur Virgilius poeta, Brundusij, 10. Calen. Octob. qui natus fuit M. Crasso & Cn. Pompeio primũ Coss. & ijsdẽ Coss. iterũ uirilẽ togam sumpsit, quo anno Lucretius moriebatur. Sed in uita Virgilij, siue hæc Seruij sit, siue Donati, scribitur Gn. Plancio Q. Lucretio Coss. Virgiliũ expirasse: ut planè in

Olym. Imp. Aug. Ab urbe con.

ne in alterutro appareat error. Ossa uerò Virgilij Neapolim translata, in secundo ab urbe lapide sepeliuntur, titulo istiusmodi, quem ipse dictauerat:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Quod Eusebius factum scribit, Cæsaris anno 26. Meminit horum cõsulum Honorius in suis Chronicis, in hæc uerba: Anno ur. con. 735. Augusti 25. Saturnio & Lucretio Coss. Cęsar in Syriã profectus, Phylarchos & Carduenos gentes Sarracenorum, & Gangaridas Indiæ ferocissimas, in Osroene superauit. Inde Claudium Cæsarẽ cum exercitu misit ad Parthos, Corneliũ Balbum direxit ad Indos. Claudius ita per maiestatẽ Romani nominis, facilè cuncta sedans, cum & Parthos & Armenios in deditionem recepisset, à quodam regni indicum per insidias confossus est: ipseq; mox oppressus, ad satisfactionem tam audacis admissi. Persæ tamen primùm obsides Octauiano Cæsari dederunt, & pacem rogantes, erepta sub Crasso signa remiserunt. At uerò C. Cæsar Agrippæ filius in Aegyptum missus, Arabiam & mare rubrum perscrutatus est.

His Coss. Cæsari ex prouincijs redeunti, currus cũm aurea corona decretus est, quò ascendere noluit.

Florus in calce operis sui, cum describit quemadmodum Cæsar Cantabros deuicerit, legatosq; ad finitimas gentes depopulandas miserit: ubi omnia ex præcepto confecta erant, ipse præsens (ut eius uerbis utar) hos deduxit montibus, hos obsidibus astrinxit, hos sub corona iure belli uendidit. Digna res lauro, digna curru, Senatui uisa est: & Cæsar tantus erat, ut posset triumphos contemnere. Velleius: Cæsar reuersus in urbem, quo sit fauore omnium hominum, ætatum, ordinum exceptus: quæ magnificentia triumphorum eius, quæ fuit munerum, exprimi facile non potest. Nihil deinde optare à dijs homines, nihil dij hominibus præstare possunt, nihil uoto concipi, nihil felicitate consummari, quod nõ Augustus post reditum in urbem reipub. populoq; Rom. terrarumq; orbi repræsentauerit.

3. 26 GN. LENTVLVS, ET P. LENTVLVS. 735

Ad hos duos usq; Lentulos, ut superius annotaui, diuersitas quædã fuit Coss. inter hos nostri Cassiodori, & autoris illius incerti, quem à meo Stabio, acerrimo iudice literarum, dono accepi. Sed mirandum nõ est. nam & Liuius crebrò diuersitatẽ Annalium citat: & res tanta uetustate obscurata, etiam uigilantissimos nonnunquam fallit. Deinceps tamen usq; ad Tiberium ipsum, concordat autor ille ignotus cum nostro Cassiodoro, præterquã in uno aut altero cõsulatu, ut suo loco annotabimus. Tamen nomina deprauata etiam quandam diuersitatem signant, quę nulla alioqui est. Vt in primo consulatu Augusti datur collega Tullius: noster illi collegam L. Volcatiũ Tullũ. Dehinc datur collega Aemylio Tullius, cũ noster Cassiodorus habeat M. Lolliũ.

4. 27 T. FVRNIVS, ET C. SILLANVS. 736

Horum Coss. Iulius Obsequẽs in libello Prodigiorum sic meminit, sed alterũ consulem C. Furniũ appellat: Sub Apennino, in uilla Liuiæ uxoris Cæsaris, ingenti motu terra tremuit. Fax cœlestis à meridiano ad Septentrionem extenta, luci diurnę similem in nocte fecit. Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam de cœlo tacta, insidijs Romanorum Germani circumuenti sub M. Lollio legato grauiter uexati. Quod cum Eusebio conuenit, qui 27. anno Augusti, Germanos in arma uersos, à Lollio superatos scribit. Ad Furnium extant epistolæ Ciceronis lib. 10. qui legatus fuit Planci: siue is fuerit, siue ex eius familia. Qua re moueor, ut suspicer in Floro, in calce operis, ubi bellum Cantabricũ describit, legendum: Hæc per Antistium, Furniũ, Agrippã legatos, &c. Nam qui Firmium legunt, firmi nihil in literis reperient, quo errores tueantur. Eadem menda est in fine sexti libri Orosij: corrige lector studiose. Horũ Coss. meminit Censorinus libello de die Natali, sic scribens cap. 13. Quintos ludos seculares Furnio & C. Iunio Syllano Coss. anno 737. Cæsar Augustus & Agrippa fecerunt.

Idem

Ab urbe con. Idem Censorinus cap. 6. ubi de Seculo agit, & ludorum originem commemorat, Liuium citans, hæc uerba subiungit, quæ huic loco congruunt: item T. Liuius lib. 136. Eodẽ anno ludos seculares Cæsar ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoqꝫ anno (his enim terminis seculi fieri mos, utqꝫ nonagesimo quoqꝫ anno repetantur) tam commentarij Quindecimuirorum, quàm diui Augusti edicta testari uidentur. Adeò ut Horatius Flaccus in carmine, quod de Secularibus ludis cantatum est, id tempus hoc modo signauerit: Olym. Imp. Aug.

† ut denos

Certus † undenos decies per annos
Orbis, & cantus, referatqꝫ ludos,
Ter die clara, totidemqꝫ grata
Nocte frequentes.

Aenobarbus.

737 L. DOMITIVS, ET P. SCIPIO. CXCI 28

A' Scipione Thraces domitos, ex abbreuiatore Liuij lib. 138. colligimus. Quanquã Florus in quarto, tit. 12. à Pisone perdomitos scribat. Cæterùm ut colligo ex ignoti autoris de Coss. opusculo, his Coss. aqua Virgo inducta est Romam: M. autẽ Agrippa in sua ædilitate induxit Romæ aquã Virgineam. præterea fecit fontes centũquinqꝫ, castella centumtriginta, cæterisqꝫ corriuatis atqꝫ emendatis lacus septingẽtos fecit, ac complura alia ædificia culta atqꝫ operibus magnifica, quę Plinius describit lib. 36. cap. 15. sparsim. Inquit autem, M. Agrippam in ædilitate post cõsulatum cloacas, operum omnium dictu maximũ, urbe pensili subterqꝫ nauigata, miro ingenio fecisse. Frontinus quoqꝫ lib. de Aquæductibus: Agrippa ædilis, ductus Appię, Aniensis, Martię, penè dilapsos restituit. Idem Iuliã deduxit, Virginẽ quoqꝫ Romã perduxit. Sed de aqua Virgine sub C. Sentio Saturnino & Lucretio Coss. inducta, superius annotauimus.

738 M. DRVSVS, ET L. PISO. 2. 29

De Druso, Velleius ita tradit: Cura deinde atqꝫ onus Germanici belli delegata Druso Claudio, fratri Neronis adolescenti: tot tantaqꝫ uirtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, uel industria percipit. Cuius ingenium utrum bellicis magis operibus, an ciuilibus suffecerit artibus, in incerto est. Morum certè dulcedo ac suauitas, & aduersus amicos æqua ac par sui æstimatio, inimitabilis fuisse dicitur. Nam pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit. Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo eius gentis uarijs in locis perfuso sanguine, fatorum iniquitas, Cõsulem agentem annum tricesimum, rapuit. Moles deinde eius belli translata in Neronem est, quod is sua & uirtute & fortuna administrauit: peragratusqꝫ uictor omneis parteis Germaniæ, sine ullo detrimento commissi exercitus (quod præcipuè huic duci semper curæ fuit) sic perdomuit eam, ut in formam stipendiariæ penè redigeret prouinciæ. Tum alter triumphus, cum altero consulatu ei oblatus est. A' Pisone (Florus in fine operis inquit, ut paulo antè ostendimus) Thraces perdomiti, in ipsa captiuitate rabiem ostendêre: quippe cum catenas morsibus tentarent, feritatem suam ipsi puniebant. Ad L. Pisonem, & eius fratrem, Porphirio scribit, Horatium Flaccum artem poeticam misisse nuncupatim. Hic est ille L. Piso, qui sua ebrietate meruit præfecturam urbis, à Tiberio principe, ut inferius scribemus, postquam Thraces perdomuit. De quo Seneca in duodecimo Epistolarũ: & Plinius in decimoquarto, cap. 22. Fuit enim Calphurnia domus uirorum gestis mirum in modum celebris. Nam C. Piso, Calphurnio genere ortus, ac multas insignesqꝫ familias paterna nobilitate complexus, claro apud uulgũ rumore erat, per uirtutẽ, aut species uirtutis similes. namqꝫ facundiam tuendis ciuibus exercebat, ut inquit Tacitus 15. Fuit & Calphurnius Piso uictis in Sicilia fugitiuis præclarus. Et Valerius Maximus C. Pisonem consulem, libro quarto de Constantia, laudat: L. Pisonem historicum, Liuius, Dionysius, Plutarchus citant. Et P. Piso, orator & consularis, de Hispania triumphauit. M. Pisonem tradit Cicero, Græca doctrina doctissimum omnium qui antea fuerunt. Item L. Piso

Olym. Imp. Aug. tribunus plebis, legem primus de repetundis tulit, orationes reliquit, multarum legum suasor ac dissuasor fuit. alius ab hoc L. Pisone, qui urbis custos, & studiorum liberalium antistes, ad quem Horatius (ut dixi) scripsit. Augustus olim graui morbo pressus, nullum sibi successorem declarans, Pisoni exercitus & publicos redditus in libello scribens dedit. Cælius Piso consul cum Rubrio Gallo fuit, sub Traiano: tradente Iuriscõsulto, de Fideicõmissarijs libertatibus, ut inferius dicemus. Velleius huius Pisonis L. sic meminit: Dum ea quæ prædiximus in Pannonia Germaniaq́ gerũtur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieq́ diligentissimum atq́ eundem lectissimũ securitatis urbanæ custodem habemus, uirtus compressit. Quippe legatus Cæsaris, triennio cum his bellauit, gentesq́ ferocissimas plurimo cum earũ excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum: eiusq́ patratione Asiæ securitatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo uiro hoc omnibus sentiendum ac prædicandum est, esse mores eius uigore ac lenitate mixtissimos: & uix quenquã reperiri posse, qui aut otium ualidius diligat, aut facilius sufficiat negotio: & magis quæ agenda sunt curet, sine ulla ostentatione agendi. Ab urbe con.

3. 30 *Augur.*

CN. LENTVLVS II. ET M. CRASSVS. 739

Cn. Lentuli auguris Seneca sic meminit, lib. 2. de Beneficijs: Lentulus augur, diuitiarum maximũ exemplum, cũ omnia incrementa sua Augusto deberet, ad quẽ attulerat paupertatem, princeps iam ciuitatis & pecunia & gratia, subinde solebat Augusto queri, dicens se ab studijs esse abductum, nihil tamen in se congestum esse quod perdidisset, perdita eloquentia. Cn. hunc Lentulum augurem, Tranquillus in Tiberio scribit, metu ac languore ad fastidium uitæ à Tiberio actum: & ut ne quo alio, nisi ipso hærede, moreretur. Habuit enim in censu, teste Seneca, quater millies sestertium: quantum hodie decem primores Germaniæ uix habent. Refert Tacitus, Gn. Lentulum, cum in Illyricum cum Druso à Tiberio missus esset, post Augusti excessum, à militibus saxis penè & lapidibus obrutum fuisse. Sed tamen à Druso protectus est.

4. 31 *Varus.*

TIBERIVS NERO, ET P. QVINTILIVS. 740

Hic est ille Quintilius Varus, qui cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus, funditùs deletus est, cum illius superbiam libidinemq́ ferre non possent. In qua strage Germani Italis quibusdam oculos, quibusdam manus, quibusdã linguam amputabant: ipsius Consulis Vari corpus humi abditum effoderunt, signa & aquilas duas eripuerunt: ut Florus in fine quarti de bello Germanico scribit, quibus aquilis adhuc hodie Germani & Romani imperatores in suis armis utuntur. Vt ridendi sint illi, qui suspicentur aquilam esse bicipitem, cuius caput alterum orientem, alterum occidentem aspiciat: quo nihil monstrosius. Hanc cladem Varianam, penè exitiabilem, quia tres legiones cũ duce, legatiq́ & auxilia omnia erãt cæsa: tanta animi cõsternatione accepit Cæsar, ut barbã & capillos nõ tonderet, caputq́ parieti illideret, uociferans, Quintili Vare legiones redde: ut Suetonius rubrica uigesimatertia latè explicat. Plinius in septimo, inter felicitates Augusti Varianã cladem numerat. Et hac clade factũ est, ut historici tradunt, quòd Romanũ imperium in ripa Rheni fluminis staret. De Quintilio Varo Tacitus in secundo sic scribit: regnũ ab Antonio Herodi datum, uictor Augustus auxit: post mortẽ nihil expectato Cęsare, Simon quidã regium nomẽ inuaserat. Is à Quintilio Varo obtinente Syriam punitus, & gentẽ cohercitã liberi Herodis rexere tripertitò. Sed tamẽ hęc clades aliquãto pòst facta est, ut inferius patebit. Siquidem Velleius de hoc uiro hæc tradit: Varus Quintilius illustri magis q̃ nobili ortus familia, uir ingenio mitis, morib. quietus, ut corpore & animo immobilior,

bilior, otio magis castrorum, quàm bellicæ assuetus militiæ. Pecuniæ uerò quàm non *Olym.*
Ab urbe con. contemptor, Syria cui præfuerat declarauit: quam pauper diuitem ingressus, diues
pauperem reliquit. Is cum exercitui, qui in Germania erat, præesset, concepit esse ho-
mines, qui nihil præter uocem membraq́ haberent hominum: quiq́ gladijs domari
non poterant, posse iure mulceri. Quo proposito, mediam ingressus Germaniam, ue-
lut inter uiros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus, agendoq́ pro tribunali,
ordine trahebat æstiua, &c. Tandem ex desperatione seipsum transfixit.

Coruinus.

M. MESSALA, ET P. SVLPITIVS. CXCII

741 Habet hoc loco ignotus autor Coss. Messalam & Quirinum, seu Cyrinum, quod
idem est: siue alius is fuerit, siue Sulpitij cognomen, quod arbitror. Ea enim sum
modestia, ut temere nihil asserere uelim. Sed & Euangelium Lucæ cuiusdam me-
minit Cyrini, præsidis Syriæ, cum Christus in Bethleem Iudæ natus est. Licet Valla
hunc Cyrenæum dicat appellari. Cui non assentior, cum Iudæus ille Iosephus Anti-
quitatum (ut Tertullianus scribit) Iudæorum uernaculus uindex, in suo Antiquitatũ
libro decimooctauo, ab initio scribat: Cyrinus autem unus de ijs qui semper in con-
sultatione congregabantur, uir per omnium magisteriorum & principatuum officia
celebratus, per cunctas administrationes consulatus culmen ascendens, & in cunctis
administrationibus & alijs dignitatibus clarus, cum paucis uenit ad Syriam, censor
gentis à Cæsare destinatus, & appreciator uniuscuiusq́ substantiæ. Mittitur etiam
cum eo Copinius, ductor totius equestris agminis: & reliqua quæ subiungit Iose-
phus. Quod & in suam historiam sacram Eusebius transtulit, ac mutuauit libro pri-
mo, capite secundo & tertio: ut liquidissimè appareat, Cyrinum consulem fuisse,
& Quirinum appellatum. Idem Iosephus in fine libri decimiseptimi: Interea Cyri-
nus uir consularis à Cæsare destinatur, censum in Syria dispositurus, & domum Ar
chelai rediturus. Eusebius in libro temporum: Edicente Cæsare, & ex S.C. Quiri-
nus in Iudæam missus, census hominum possessionesq́ describit. De hoc paulo infe-
rius plura. Sed & Suetonius in Tiberio, Quirini consularis prædiuitis uiri meminit,
rubrica quadragesimanona. De hoc Tacitus in tertio, cum gesta septimi anni imperij
Tiberij scribit, inquit: Sub idem tempus, ut mors Sulpitij Quirini publicis exequijs
frequentaretur, petiuit à Senatu. nihil ad ueterem & patriciam Sulpitiorum familiam
pertinuit Quirinus, ortus apud municipium Lanuuium: sed impiger militiæ, & acri-
bus ministerijs, consulatum sub diuo Augusto, mox insignia triumphi adeptus, da-
tusq́ rector G. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoq́ Rhodi agentem colue-
rat: quod & tunc patefecit in Senatu, laudatis in se officijs.

P. FABIVS MAX. ET AELIVS TVBERO. 2. 33

742 Iulius Obsequens horũ Coss. meminit in hæc uerba: P. Fabio & Q. Aelio Coss. in
Germania in castris Drusi, examẽ apum tabernaculo Hostilij Rutilij præfecti castro
rũ cõsedit, ita ut funẽ prætendentẽ præfixamq́ tentorio lanceã amplecterentur. Mul
titudo Romanorum per insidias subiecta est. Credo tum bellum illud aduersus Ger-
manos trans Rhenum à Druso gestum, aut annis paucis sequentibus. Quod Liuius
ultimo libro suæ historiæ expressit: quo Drusus ex fractura, equo super crus eius col-
lapso, trigesimo pòst die mortuus est. Corpus à Nerone fratre, qui nũcio ualetudinis
euocatus raptim occurrerat, Romã reuectum, & in C. Iulij tumulo conditũ est. Lau-
datus à Cæsare Augusto uitrico, qui supremis illius funeribus plures honores dedit.
Meminit Fabij Maximi Cornelius Tacitus in primo historiarũ, quem tradit comita-
tum Augustũ in Planasiam insulã, cum inuiseret Agrippam Posthumũ exulem: ubi
cum lachrymis uictus esset Augustus, ut eum ab exilio reducere cogitaret, Fabius id
uxori Martiæ, Martia Liuiæ. Ob id paulo pòst ueneno sublatus Fabius, quod gemi-
tu in funere Martia confessa est. Arbitror hunc fuisse Fabiũ: sed id ultima ætate Augu
sti accidit. Horum Coss. meminit Iulius Frontinus libro de Aquęductibus, ubi de M.
Agrippa agit, creberrimè scribẽs, quomodo Agrippa uelut perpetuus curator aqua-
rum

Olym. Imp. rum fuerit, & quæ S. C. ac leges de hac re promulgatæ sint. Verba hæc sunt: Primus Abu[...]
Aug. M. Agrippa, post ædilitatē quam gessit consularis, operum suorum & munerū ueluti con[...]
perpetuus curator aquarum fuit: qui iam copia permittente descripsit, quid aquarum cū publicis operibus, quid lacubus, quid priuatis daretur. Habuit & familiā propriā, aquarum quæ tueretur ductus atq; castella & lacus. Hanc Augustus hæreditatem ab eo sibi relictam, publicauit post eum, Q. Aelio Tuberone, P. Fabio Maximo Coss. id est, in re quæ id usq; tempus quasi potestate acta, certo iure eguisset, &c. In unico quod habui Casiodori exemplo, scriptum est, Paulus Fabius. Id prænomen cum Romanis inusitatum sit, subesse suspicabar errorem. Hunc cum undiq; quærerē, tandem ex Iulio Frontino de Aquæductibus didici, P. Fabiū, non Paulum Fabiū legendum. Meminit & horum Coss. Plinius lib. 8. cap. 17. his uerbis: Q. Tuberone, Fabio Maximo Coss. quarto nonas Maij, theatri Marcelli dedicatione, tigrim primus omnium diuus Augustus Romæ ostendit, in cauea mansuefactum.

3. 34 IVLIVS ANTONIVS, ET FABIVS APHRICANVS.

His Coss. natus est Claudius imperator quintus, appellatusq; Tiberius Claudius Drusus: & fratre Germanico Tiberio in Iuliam familiam adoptato, Germani cognomen assumpsit, eo ipso die quo primū ara Augusti Lugduni dedicata est: ut Tranquillus in Claudio, rubrica secūda scribit. Sed de ara mox plura. Quanquā & hoc iudicio acriori est examinandū, quis ille fuerit Iulius Antonius. Plutarchus aūt in uita M. Antonij, scribit hunc ex Fuluia genuisse Antoniū, quem ita magnū apud Cæsarē Octauia soror fecit. Effecit enim, ut post Agrippam, & horū filios, primas partes obtineret. Tacitus etiā lib. 4. historiarū, cuiusdam Iulij Antonij meminit, gesta Tiberij scribens, anni eius imperij 11. ubi hæc uerba traduntur: Obijt hoc anno & L. Antonius, multa claritudine generis, sed improspera. nam patre eius Iulio Antonio ob adulteriū Iuliæ morte punito, hunc admodum adolescentulum sororis nepotē seposuit Augustus in ciuitatē Massiliensem, ubi specie studiorū nomen exilij tegeretur. Habitus tamen supremus honor, ossaq; tumulo Octauiorū illata per decretum Senatus. Velleius ubi de adulterio Iuliæ filiæ Augusti scribit, subiungit hæc uerba: tum Iulius Antonius, singulare exemplum clementiæ Cæsaris, uiolator eius domus, ipse sceleris à se cōmissi ultor fuit: quē uicto eius patre, non tantū incolumitate donauerat, sed sacerdotio, prætura, consulatu, prouincijs, honoratum etiam matrimonio sororis suæ filiæ, in arctissimam affinitatē receperat. Cæterùm & in toties citati autoris ignoti opusculo, paululum uariantur nomina Coss. & unus Consulatus adijcitur. Ponam nomina, ut inuenio: & repetam à M. Messala & P. Sulpitio, usq; ad Drusum & Quintium. 743

Messala	&	Quirino	
Rubellio		Saturnino	N. N.
Maximo		Tuberone	
Aphricano		Maximo	
Druso		Crispino.	

4. 35 DRVSVS NERO, ET L. QVINTIVS CRISPINVS.

Quintij Crispini meminit Velleius, inter adulteros Iuliæ filiæ Augusti, qui cum alijs quoq; pœnas pependit. Sed an is fuerit, an eius filius, quærendum. 744

His Coss. apud Lingonum gentem templum Cæsari Drusus sacrauit.

Lingones populi sunt Galliæ, ut Strabo inquit in quarto, uicini Sequanis & Heduis, circa Iuram montem in occasum uergentes. Scribit Liuius 137. libro, ciuitates Germaniæ cis Rhenum & trans Rhenum positas, à Druso oppugnatas, qui ibi tumultum ob censum in Gallia exortū sedauit: aram Cæsari ad confluentem maris & Rhodani dedicauit, sacerdotemq; creauit G. Iulium. Huius aræ meminit Seneca, & Tranquillus in Claudio, rubrica secunda. In libro autem centesimo trigesimooctauo tradit Liuius, Octauiam sororem Augusti defunctam, antè amisso filio Marcello: cuius monumenta sunt theatrum & porticus, eius nomini dicata, Suetonius rubrica sexa-

ca sexagesima, prodit eum sororē Octauiam amisisse, cum quinquagesimum & quar- tum ætatis annum ageret. Quod in hunc annum uenit, si à primo eius consulatu, quē uigesimo anno adijt, secundum Plutarchū, hucusq; numeretur. Sed hic Drusus filius erat priuignus Augusti, ex Liuia uxore, quæ hunc tertio mense in eius domo pepe- rit, olim Decimus Max. Nero prænomine dictus: qui in quæsturæ, præturæq; hono- re, ut Tranquillus scribit in Claudio, dux Rhœtici, deinde Germanici belli, Ocea- num Septentrionalem primus Romanorum ducum nauigauit. Reuersus in urbem, ouandi ius ac triumphalia ornamenta percepit. Post præturam confestim inito con- sulatu (illo scilicet) atq; expeditione repetita, supremū diem morbo obijt in æstiuis ca stris. licet Liuius ex fractura, equo super crus collapso, mortuū scribat. Strabo in septi mo, inter Salam fluuium & Rhenum perijsse scribit. Apud Moguntiacū uisitur mo- les Drusi, quam Suetonius uocat Honorarium tumulum ab exercitibus erectum. Vt magnus sit error Eusebij, scribentis in Chronicis, Claudium esse patruum Drusi, qui apud Moguntiacum habet monumentū: cum eius fuerit filius secundum omnes Ro manos historicos. Huic mortuo Senatus arcum marmoreū triumphalem, & nomen Germanici, ipsi posterisq; eius decreuit: quod & Florus in calce operis attestatur. Et Augustus tantopere dilexit, ut uiuū cohæredē filijs instituerit: ut defunctū pro cōcio ne laudauit, precatus deos ut ei similes suos facerēt Cæsares, memoriamq; tam uersi- bus quàm prosa oratione composuit. Ex hoc Druso natus est Claudius Imperator. V-

Gallus.

745 C. ASINIVS, ET C. MARTIVS CENSORINVS. CXC III 36

Horū COSS. sic meminit Censorinus in libello de die Natali, de mensibus scribēs: Qui aūt Sextilis fuerat C. Martio Censorino & C. Asinio Gallo COSS. in Augusti ho norem dictus est Augustus, anno Augustano uigesimo, quæ nomina etiam nunc ad hanc permanēt memoriam. Postea uerò multi principes nomina quædam mensium mutauere, suis nuncupando nominibus: quod & ipsi postmodum mutauerunt, aut post obitum illorum ea nomina pristina suis reddita mensibus. Suetonius rubrica tri cesimaprima, tradit Augustum pontificatum maximum suscepisse, mortuo Lepido, annumq; à diuo Iulio ordinatum, sed pòst confusum ad pristinam rationem redegis- se. In cuius ordinatione Sextilem mensem è suo cognomine nuncupauit magis, quàm Septembrem, quo natus erat: quia hoc sibi & primus consulatus, & insignes ui ctoriæ obtigissent. Lege Macrobiū primo Saturnaliū, cap. 10. qui plures causas recen set, cur Sextilis Augustus dictus sit. Sed Ammianus quoq; Marcellinus in uigesimo sexto scribit, quomodo annus sit ab Augusto compositus. Fuit aūt Asinius Gallus fi- lius Asinij Pollionis, uterq; bonus orator, & insignis declamator. eius præterea ne- pos Seneca lib. 4. Declamationū: Marcellus Eserninus Pollionis nepos quāuis puer, iam tantæ indolis erat, ut Pollio ad illum pertinere successionem eloquentiæ suæ cre- deret, cum filium Asinium Gallum relinqueret oratorē. Idem in libris Controuersia- rum, eiusdem meminit inter declamatores, & ex declamationibus ipsius inserit sen- tentias. Hic Asinius Gallus libros scripsit de comparatione patris Asinij Pollionis, & Ciceronis, in quibus patrem Ciceronis longè anteponit. De quibus iunior Plinius in septimo Epistolarū inquit: Cum libros Galli legerē, quibus ipse parenti Ausus de Ci cerone daret palmamq; decusq;, &c. Contra hos libros instar apologetici conscripsit defensionem Ciceronis Claudius imperator, ut Trāquillus testatur in Claudio, rubri ca quadragesima. Meminit autem horum COSS. senior quoq; Plinius, lib. 33. cap. 10. li cet alterius consulis cognomen sit uariatū, C. Asinio Gallo, C. Martio Cyrino COSS. ad sextū Calen. Februarij. C. Cæcilius Claudius Isidorus testamēto suo dixit, quam- uis multa ciuili bello perdidisset, tamen relinquere seruorum quatuor milia, centum decem & sex: iuga boum tria milia sexcenta: reliqui pecoris ducenta quinquagin- ta septem milia: in numerato, pondo sexcenta milia. Frequens est Asinij Galli mentio apud Cornelium Tacitum in primo historiarum.

His

Olym. Imp. Aug.

His Coss. inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti, per Sextum Apuleium Pannonij subacti. Ab ur. con.

Tranquillus rubrica uigesimaprima, scribit Cæsarem Germanos ultra Albim fluuium summouisse, ac Sueuos & Sicambros deditos traduxisse in Galliã, atq; in proximis Rheno agris collocasse. Ex quibus uerbis liquet, Sueuos olim Australem Germaniæ partem trans Albim tenuisse. Lucanus in secundo:
Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos
Albis, & indomitum Rheni caput. —

Sic Strabo in septimo scribit, Romanos non transcendisse fluuium Albim: qui notissimus est fluuius, in duo spacia Germaniam disterminans. Quo pacto uerò hodie hic fluuius fluat, qui in Germania notus est, ignorare non potest, qui illum uidit. Illius fluuij etiam meminit Florus in quarto, titulo duodecimo, de Germanico bello. Scribit Velleius, Cæsarem Neroni ex Oriente reuerso, haud mediocrem belli molem imposuisse, ut eius uirtutem experiretur: adiutore operis dato, fratre ipsius Claudio Druso, quem intra Cæsaris penates enixa erat Liuia. Quippe uterque diuisis partibus Rhœtos Vindelicosq; aggressi, multis urbium & castellorũ oppugnationibus, necnon directa quoq; acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quàm damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerũt. Pòst subdit: Bellum Pannonicum magnum, atroxq;, & quod perquàm uicinum imminebat Italiæ, per Neronẽ gestum est. Huius uictoriæ compos Nero, ouans triumphauit.

2. 37

TIB. NERO II. ET CN. PISO II. 746

Dionysius Halicarnasseus in præfatione Antiquitatum, Romani imperij laudes ponens, horum COSS. in hæc uerba meminit: Statim enim ab initio post ur. con. gentes finitimas, sanè multas atq; pugnaces, sui iuris fecit, processitq; ea semper obuios quoq; prosternens: atq; hoc septingentos iam & quadragintaquinq; annos, usq; ad COSS. Claudium Neronem iterum, & Calphurnium Pisonem, qui centesima nonagesimatertia Olympiade sunt creati. Calphirenium alibi perperam scribitur. Hoc enim tempore uixit Dionysius, ut in eodem prologo fatetur dicens: Ego in Italiam traijciens, quum dissolutũ est sub Cæsare Augusto bellum ciuile, centesima octogesimaseptima Olympiade: ac deinde tempus illud omne, quod est anni duo & uiginti, usq; ad hoc, Romæ commoratus, sermonem uernaculum Romanum edidici: & quæ sequuntur. Cæterùm huic conuenit illud Eusebij in libro Temporum: Olympiade centesima nonagesimatertia, Tiberius uastata Germania, imperator appellatur. Et paulo pòst subiungit: Tiberius de Rhœtis, Vindelicis, Armenijs ac Pannonijs triũphauit, quod sequentibus annis factum est. Cæterùm de militijs & bellis per Tiberium gestis, Suetonius in Tiberio, rubrica nona, ubi in fine subiungit: Magistratus & maturius inchoauit, & penè iunctim percuerrit, quæsturam, præturam, consulatum: interposito quoq; tempore Consul iterum, & tribuniciam potestatem in quinquennium tenuit. Meminit eius Consulatus Tiberij Velleius, in posteriore uolumine obiter, quemadmodũ paulo antè in Consulatu Drusi scripsimus. Sed pòst paulo subiungit: Breui interiecto spacio, Tib. Nero duobus Consulatibus, totidemq; triumphis actis, tribunitiæ potestatis consortione æquatus Augusto, ciuium post unum (& hoc quia uolebat) eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaq; celeberrimus, & uerè alterum Reip. lumen & caput. Mira quadam & incredibili atq; inenarrabili pietate (cuius causæ mox detectæ sunt) cũ C. Cæsar sumpsisset iam uirilem togam, L. item maturus esset uiris, ne fulgor suus orientium iuuenum obstaret initijs, dissimulata causa consilij sui, commeatum ab socero, atq; eodem uitrico, adquiescendi à continuatione laborum, petijt, ac secessit Rhodum.

Balbus. *Vetus.*

747 D. LAELIVS ET C. ANTISTIVS. 3. 38

Duo fuerunt uno tempore Balbi, maior & minor, teste Cicerone in epistolis
ad Atticum. Cornelius Balbus fuit perquàm familiaris Cæsari: unde ab eo indu-
ctus est, ut theatrum ædificaret, ut tradit Tranquillus. Sed an hic Decius Balbus
ex hac fuerit familia, nondum inueni: sicut neq; illud de Antistio. Fuit enim Anti
stius perquàm familiaris Augusto. nam & Florus in fine operis, inter legatos Cæ
saris Antistiũ Furnium & Agrippam nominat. Sed & Antistij Labeonis memi-
nit Tranquillus, qui iuris ciuilis legumq; pop. Rom. apprimè fuit doctus. Sed
agitabat hominem, ut inquit Gellius, libertas quædam nimia, & uecors usq; eò,
ut diuo Augusto iam principe, & rempub. obtinente, ratum tamen pensumq; ni
hil haberet, nisi quod iustum sanctumq; esse in Romanis antiquitatibus legis-
set. Iurisconsulti libro primo ff. multa prodiderunt de Antistio Labeone: qui ita
annum diuiserat, ut Romæ sex mensibus cũ studiosis esset, & secederet: sex men
sibus, ubi conscribendis libris operam dabat. Tradit Porphirio, Antistium La-
beonem memorem libertatis in qua natus erat, multa cõtumaciter aduersus Cæ
sarem Augustũ & dixisse & fecisse. Propter quod Horatius in Sermonibus dixit:
Labeone insanior inter Sanos dicatur.

Huius Labeonis parens Labeo, cum Cassio & Bruto in Philippicis occubuit
quodam admirando fato, ut docet Appianus in quarto Ciuilium. Non pos-
sum obmittere, quæ de hoc Labeone tradit Tacitus in fine tertij Historiarũ, com
parans ipsum Capitoni Atteio, qui sub Tiberio mortuus est. Illic ita scribitur:
Capito Atteius principem in ciuitate locum studijs ciuilibus assequutus, sed a-
uo centurione Sullano, patre prætorio, consulatũ accelerauerat ei Augustus, ut
Labeonem Antistium ijsdem artibus præcellentem, dignatione eius magistra-
tus anteiret. Namq; illa ætas duo pacis decora simul tulit. sed Labeo incorrupta
libertate, & ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis
probatur. Illi, quòd præturam intra stetit, commendatio ex iniuria: huic, quòd
consulatum adeptus est, odium ex inuidia oriebatur. De utroq; Iureconsultus
libro primo Digestorum, de Origine iuris, sic inquit: Post hunc maximæ autori-
tatis fuerunt, Atteius Capito, qui Offilium sequutus est: & Antistius Labeo, qui
omnes hos audiuit. Institutus est autem à Trebatio. Ex ijs, Atteius Consul fuit:
Labeo noluit, cum ei offerreretur ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret,
& honorem susciperet: sed plurimũ studijs operam dedit, & reliqua. Sed An-
tistij ueteris meminit Plinius libro tricesimoprimo, capite secundo: huius in par-
te prima, exiguo post obitum Ciceronis Antistio Vetere possidente, eruperunt
fontes calidi perquàm celebres oculis, celebrati carmine laureæ Tullij, qui fuit
è libertis eius: ut protinus noscatur etiam ministerium eius haustus, ex illa maie-
state. Lege illic pulchrum epigramma.

748 C. AVG. CAESAR XI. ET L. SYLLA. 4. 39

Toties iam repetiui alijs, hunc Cæsaris esse duodecimum consulatum, de quo
sic scribit Plinius lib.7.cap.3. In actis diui Augusti temporum inuenitur, duode-
cimo consulatu eius quæ L. Sylla collega ad tertium idus Aprilis gessit, Crispi-
num Hilarium ex ingenua plebe Fesulana cum liberis nouem, in quo numero fi
liæ duæ fuerunt, nepotibus uigintiseptem, pronepotibus uigintinouem, nepti-
bus nouẽ, prealta pompa cũ omnibus ijs in Capitolio immolasse. Velleius me-
minit consulatus Augusti, & Galli Caninij, quẽ nusquam aliàs reperio: quo tra-
dit, magnificentissimi gladiatorij muneris naumachiæq; spectaculis dedicato
Martis templo, animos oculosq; pop. Rom. repleuisse, quũ fœda dictu, memo-
riaq; horrenda in ipsius domo tẽpestas erupit. Quippe filia eius Iulia, per omnia
tanti parẽtis ac uiri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset fœmina,
luxuria ac libidine, infectum reliquit: magnitudinemq; fortunæ suæ peccandi li-

Olym. Imp. Aug. centia metiebatur, quicquid liberet pro licito iudicans. Vnde relegata est in insulam, patriæque & parentum subducta oculis. Quam tamẽ comitata mater Scribonia, uoluntarij exilij permansit comes. Ab urbe con.

CXC IIII. 40 *Sabinus.* *Ruffus.*

C. CALVISIVS, ET L. PASSIENVS. 749

Circa id tẽpus, aut paululum suprà, ut ex Eusebio colligimus, Augustus filiam suam, in adulterio deprehensam, damnat exilio. Paßieni Crispi uitrici Neronis, à quo & ditatus est Nero, meminit Suetonius in Nerone, rubrica sexta. & Plinius lib. 16. cap. 45. scribit: Arborem mori eximiã ætate nostra adamauit Paßienus Crispus, bis consul, orator, Agrippinæ matrimonio & Nerone priuigno clarior postea, osculari complectique eam solitus. Seneca item asseruit, nihil se Crispo Paßieno subtilius atque insignius cognosse, in distinguendis maximè uitijs atque curandis. Sic enim Paßienus dicebat, quorundam se malle iudiciũ quàm beneficium, & quorundam beneficium quàm iudicium.

2. 41

C. LENTVLVS, ET L. MESSALA. 750

Velleius, ubi bellũ Illyricũ describit, Messalã operis cuiusdã memoria recitat. Qui uir animo etiam quàm gente nobilior, dignißimus qui & patrem Coruinũ habuisset, & cognomẽ suum Cottæ fratri relinqueret: præpositus Illyrico, subita rebellione cũ semiplena legione uicesima, circumdatus hostili exercitu, amplius XX. M. hostiũ fudit, fugauitque. Et ob id ornamẽtis triumphalibus honoratus est. Hunc puto esse Messalam. Cęterũ aut hic, aut in Tranquillo est menda. Nam in Galba Suetonius, rubrica 4. inquit: Sergius Galba imperator, M. Valerio Messala, Cn. Lentulo Coss. natus est 9. Calen. Ianuarij. Quẽ postea subiungit, puerũ salutasse Augustum. Cui quasi ominatus imperium, dixit: Et tu fili, nostro imperio adhæreas. Constat aũt, Sergium Galbam imperatorẽ factum circiter annũ 72. ut in hoc consulatu natus esse asseratur. Licet prænomina Coss. sint diuersa in Tranquillo & Caßiodoro, qui nunc de nostro Saluatore hæc subdit:

HIS COSS. DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, FILIVS DEI, IN BETHLEEM NASCITVR, ANNO IMPERII AVGVSTI XLI.

Quantũ hoc in loco desudaui, illos ipsos requiro testes, qui meum uiderunt laborẽ. Omnes enim angulos, omneis excußi schedas, ut uel mihi soli satisfacerem: sed nequiui, tantã reperi diuersitatẽ Annaliũ. Sæpius enim testatus sum, me duos habere libellos sine autoris nomine, quibus sola Coss. nomina describũtur: sed illi plerunque dißident & inter se, & inter Caßiodorum nostrũ. Pluribus enim in locis sunt mãci ac deprauati, & rarò inter se respondẽt. Constat aũt, ut ab initio annotauimus, duplices fuisse Coss. ordinarios & suffectos. Autores itaque nunc ordinarios, nunc suffectos scribunt, nonnunquã cõmiscent. In altero itaque libello sic scribitur: Augusto XIII. & Sylla Coss. natus est Christus in Bethleem Iudæ, sub Herode rege, 8. Cal. Ianuarij, die prima, luna decimaquinta. Et illi cadunt in annum imperij Augusti 42. quod ad sequentes Coss. referendum est, quum Augustus XIII. & Plaucius Syllanus simul gesserint Consulatũ: licet Caßiodorus XII. tantum consulatum Augusto tribuat sequenti anno. In altero uerò sic scribitur: Cæsare & Paulo Coss. Christus natus est, 8. Calen. Ianuarij, luna 15. Et illi cadunt in annum Augusti 44. Quod etiam obseruauit Ioannes Monachus Græcus, Zonaras dictus, in sua historia, qui Eusebium imitatus, 42. imperij Augusti, assumpta humanitate Dominum nostrum IESVM Christum natum scribit. Licet alij, 44. principatus Augusti tradunt natum. Hæc ille. Et id nimirum, quod scribit diuus Augustinus secundo libro de Doctrina Christiana, Ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, uel quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadragintasex annorum ætate passum esse Dominum. Quia per tot

annos

Ab urbe con. annos ædificatum est templum, quod imaginem Dominici corporis habebat. Olym. Imp. Aug.
Atque ideo lib. 18. Diuinæ ciuitatis, 46. cap. de natiuitate Christi excluso numero annorum sic scribit diuus Augustinus: Regnante Herode in Iudæa, apud Romanos autem mutato reipub. statu, imperante Cæsare Augusto, & per eum orbe pacato terræ, natus est Christus, secundum præcedentem prophetiam, in Bethleem Iudæ: homo manifestus ex homine uirgine, Deus occultus ex Deo patre, & reliqua. Noster autem Cassiodorus docet, Christum natum anno Augusti quadragesimoprimo: forte Tertullianum imitatus, qui etiam quadragesimoprimo Christum natum scribit, sub imperio Augusti, & quintodecimo Tiberij passum, in libro contra Iudæos, quem etiã citat Eusebius: licet ipse in libro Chronicon tam in præfatione, quàm in cõtextu Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno tertio, & quadragesimo secundo imperij Augusti, IESVM Christũ filium Dei natum prodat: quo anno cœpit Christianorum salus, & primus Christianæ salutis annus numeratur. Licet hæc supputatio post Christi natiuitatem quingentis annis sit reperta à Dionysio Abbate Romano, qui tẽpore Iustiniani imperatoris floruit, & temporum supputationem ab incarnatione mirifici uerbi Dei induxit, cum antea anni uel ab ur. con. uel ab annis Augustorũ supputarentur. Sua uerò tempestate tempora à morte Diocletiani, magni Christianorũ persequutoris, numerabantur: cuius ut memoriam extingueret, tanquam impij, cœpit supputationẽ à Verbi incarnatione, quæ uigesimaquinta Martij facta creditur. Et ideo tum à Romano Pontifice decretũ fuit, ut in cereis Paschalibus quotannis hic numerus annotaretur. Prisci quoque astrologi hanc sibi calculationem postea usurpabant. Sed quo pacto prisca illa supputatio à Martio, & Christianæ salutis institutio perierit, incompertum est mihi. Omnes enim magis à natiuitate Christi, quàm à conceptione numerant annos: quãquam melius esset ab incarnatione, quàm à natiuitate (ut Dionysius instituit, & Romana ecclesia diu obseruauit) annos numerare. Sed uidemus hodie notarios plerunque in suis scriptis annos incarnationis cũ annis natiuitatis confundere & cõmiscere. Cæterùm omnes Chronographi, tam Græci quàm Latini, dant natiuitati Christi quadragesimumsecundum annum imperij Augusti. Eusebius prædictus in libro Temporũ iam lectus est, qui in Ecclesiastica historia secũdo capite primi libri inquit: Secundo & quadragesimo imperij Cæsaris Augusti anno, ab Aegypto uerò subiugata, & Antonij ac Cleopatræ interitu, in quem nouissima Ptolemæorũ apud Aegyptum regna ceciderant, anno octauo & uigesimo, Dominus & Saluator noster IESVS CHRISTVS, prima adscriptione census, Cyrino Syriæ præsidente, secundum ordinem totius prophetiæ quæ de ipso prædicta est, in Bethleem Iudeæ oppido nascitur. Iosephus autem lib. 18. Antiquitatum, cap. 5. descriptionẽ perfectam asserit per Cyrinum, opibus Archelai restitutis anno 37. postquã Antonius Actiaco bello fuerat à Cæsare superatus. Ego uicesimoseptimo, non tricesimoseptimo censeo legendum: totidem enim anni numerantur à consulatu Cæsaris & Crassi, sub quibus bellum Actiacum fuit hucusque. Præterea Iosephus decimoquinto Antiquitatum, quinto capite, uictoriam Actiacam Olympiade centesima octuagesimaseptima factam testatur: quod & Eusebius in Chronicis confirmat. A' quo si numerabis in centesimam nonagesimamquartã Olympiaden, ut tradit Eusebius, prouenient uigintiocto anni, nõ triginta. Et sic etiam iuxta Iosephi calculum, caderet natiuitas Christi in annum quadragesimumprimum: tamen omnes alij ponunt quadragesimumsecundũ. Eutropius libro septimo, capite secundo, item posteriores omnes, Iornandes, Honorius Augustudinensis, Beda, qui in libro Temporũ: Anno, inquit, Cæsaris Augusti quadragesimosecundo: à morte uerò Cleopatræ & Antonij, quando & Aegyptus in prouinciam uersa est, anno uigesimoseptimo: Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ anno tertio: ab urbe autem condita, anno septingentesimo quinquagesimosecundo, quo compressis cunctarum per orbem gentium motibus, firmissi-

Olym. Imp. Aug. mam uerissimamq; pacem ordinatione Dei Cæsar imposuit, IESVS CHRISTVS filius Dei, sextam mundi ætatẽ suo consecrauit aduentu. Sed iterũ hic obserua lector, quòd Eusebius tertiũ annũ centesimæ nonagesimæquartæ Olympiadis, hic tertiũ centesimæ nonagesimætertię Olympiadis ponit: quod in alterutro necesse est esse errorem. Sed anni ab urbe cond. conueniunt cum Paulo Orosio, qui in fine libri sexti inquit: Anno ab urbe cond. septingentesimo quinquagesimosecundo, Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentẽ, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertiò ipse clausit: quas æuo per duodecim ferè annos quietissimo semper obseratas ocio, ipsa etiam rubigo signauit: nec prius unquã, nisi extrema senectute Augusti, pulsatæ Atheniensium seditione, & Dacorum commotione patuerant. Eo quoq; anno, quo firmissimam Cæsar uerissimamq; pacem adornatione Dei composuit, natus est Christus, Romano censui statim ascriptus, &c. Et rursus statim in præfatione septimi libri: Anno ab urbe cond. septingentesimo quadragesimosecundo, natus est Christus, salutarem mundo afferens fidem, uerè petra medio rerum posita, ubi comminueretur qui offenderet, qui crederet saluaretur, &c. Sed attende mox corruptam literam, cum paulo antè septingenti quinquaginta duo anni, hic septingẽti quadragintaduo ponãtur, quare & X. superabundẽt inter XLII. & LII. Et ideo facilis irrepit annorũ error ex notulis illis: quare semper integris uerbis numeri sunt scribendi, si uitio carere debent. Licet autem Euangelistę non scribant quo anno natus sit Christus, tamen ex Luca colligitur, Christum decimoquinto anno Tiberij Cæsaris, cum ipse esset annorũ quasi triginta, baptizatum à Ioanne. Si retrorsum igitur progrediemur, inueniemus natiuitatis suæ quadragesimumsecundum Augusti Cæsaris, quasi sequente esset natus Consulatu. Omnes tamen hi errores inde resultant: primò, quòd anni notulis quibusdam, non integris dictionibus scribuntur: deinde, quòd aliqui res gestas per Olympiades, alij per annos ab urbe cond. supputant. Et isti inter se sunt diuersi. Postremò confunduntur anni Imperatorum, quos emergentes uel nascentes cum imperio appellare possumus, cum annis ciuilibus aut usualibus, qui semper à Ianuario ordiri solent: cum emergentes anni imperij siue Augusti, siue Tiberij, siue alterius Cæsaris, ab eo die ac mense ordiuntur, quo imperare incipiunt. Quo pacto hodie anni Pontificum, & Imperatorum etiam numerantur. Augustus autem mense Sextili primùm consulatum inuasit, & decimoquarto Calend. Septembris mortuus est: Coss. uerò consulatum Calend. Ianuarij inibant: Christus Saluator octauo Calend. Ianuarij natus est. Fieri potest, ut quadragesimosecundo anno Augusti genitus, octo tantum dies ex illo anno habuerit, qui fuerunt à quibusdam non supputati: & nominatus quadragesimusprimus annus imperij pro eius natiuitate à quibusdam: ita quòd hæc inter se parum discrepare uideantur, si intelligamus initium anni, quo incipimus numerare, & mensem ipsum. Sic itaq; deinceps sæpius in Cassiodoro uidebimus aliam supputationem, quàm faciant cæteri Chronographi, qui numerant annos & tempora Imperatorum per emergentes & ciuiles. Sed consulatus suum obseruant tenorẽ. uoluit enim in hoc libello Coss. numerare. Qui autem Christum natum docent uigesimooctauo anno imperij Augusti, enumerant annos eius à monarchia, quum Augustus cognomento dictus est, subiugata Aegypto, & deuicto Antonio. Licet aliter Romani, aliter etiam Aegyptij numerent annos: cum (teste Censorino) Octauius non statim post deuictum Antonium sit Augustus appellatus, ut superius annotauimus. Et biennio antè in potestatem ditionemq; populo Romano Aegyptij cesserunt, licet eodem anno Eusebius facta scribat. Sed monarchiam Augusti omnes penè tunc auspicantur: & simul etiam annos Augustanos, ut clarissimè docet Censorinus. Sic etiam Sex. Aurelius Victor annos eius supputauit, ut prius admonuimus. Christus itaque, aut priori aut sequenti consulatu natus est, ut patet ex autoribus illis adductis. Et sicut Augu-

Ab urbe con.

stinus

CHRI- Ab ur. stinus docuit, ignorãtia cõsulatus sub quo Christus est natus, peperit hũc errorẽ. Olym. Imp.
Sillanus. Aug.
STI. con.

1. 751 C. AVG. CAESAR XII. ET M. PLAVCIVS. 3. 42

In ignoto autore hoc loco scribitur: Augustus Cæsar XIII. & Plaucius. quan-
quam Casiodorus paulo inferius hunc consulatum ponat. Certum est enim, Cæ
sarem, ut suprà scripsimus, tredecim consulatus gesisse: & id etiam uetustissima
monumenta testantur. In arcu enim uetustissimo fani ad S. Michaelis ædem, le-
gitur: IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. COS. XIII.
TRIB. POT. XXXII. IMP. XXVI. P.P. MVRVM DEDIT. Eædẽ lite
ræ in ponte Arimineo leguntur. Hic itaq; quadragesimus secundus imperij Au
gusti, certò appellatur natalis Domini, ut tradit Iornandes in suis annalibus, ad
Vigilium sic scribens: Quadragesimosecundo imperij Augusti anno, Dominus
noster IESVS Christus de sancta uirgine Maria natus, ut uerus Deus, ita & ue-
rus homo, in signis & uirtutibus admirandis enituit, anno ab origine mundi V.
D. ab urbe autem Romæ conditione 752.

2. 752 COSSVS LENTVLVS, ET L. PISO. 4. 43

Florus in quarto, prope finem, cuiusdam meminit Cosi, si fortè is fuerit: Sub
meridiano, inquit, tumultuatum magis quàm bellatum est. Musulanios atq; Ge-
tulos, accolas Syrtium, Cosso duce compescuit, unde illi Getulici cognomen. Il-
lius Lentuli meminit Tacitus in quarto historiarum, ubi gesta undecimi anni im
perij Tiberij recenset ijs uerbis: Obiere eo anno uiri nobiles, Cn. Lentulus & L.
Domitius, Lentulo, super consulatum & triumphalia de Getis, gloriæ fuerat be
ne tolerata paupertas: dein magnæ opes innocenter paratæ, & modestè habitæ.
Domitium decorauit pater ciuili bello maris potens, donec Antonij partibus,
mox Cæsaris misceretur. Auus Pharsalica acie pro optimatibus ceciderat. Ipse e-
lectus, cui minor Antonia, Octauia genita, in matrimonium daretur. Pòst exer-
citu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quàm quisquam
priorũ: easq; ob res insignia triumphi adeptus est. Qui sint Musulani, fateor me
nondum plenè inuenisse. Suspicor tamen, Masesylios esse: sed nihil assero, admo
nitionis causa dixerim. Quia Plinius libro quinto, capite quarto, inter cæteras na
tiones circa Massylios, ponit & Musinos, & totam Getuliam ad flumẽ Nigrim,
qui Aphricam ab Aethiopia dirimit. Stephanus autẽ de Vrbibus: Mosylon, in-
quit, est promontorium & emporium Aethiopiæ, ut Martianus docet: à quo for
tè Mosylani possunt deduci. Cornelius Tacitus libro secundo, describẽs bellum
in Aphrica cœptum, L. Pomponio, C. Cælio Coss. nominat Tacfarnaten ducem
Musulaniorum. ubi subiungit: Valida eius gens, & solitudinibus Aphricæ pro-
pinqua, nullo etiam tum urbium cultu. Et idem libro quarto, ubi hoc bellum fi-
nitum describit: Simul, inquit, principes Musulanorũ defectionem cœptantes,
securi percutit.

3. 753 C. AVG. CAESAR XIII. ET L. PAVLVS. CXCV 44

Autor ignotus qui Coss. nomina ponit singula, sub Cæsare & Paulo scribit na
tum esse Christum, octauo Calend. Ianuarij, luna decimaquinta. Quod fortè in-
de habet originem, quòd septuagintaduo illi legisperiti, sacræ scripturæ inter-
pretes, qui ad requisitionem Ptolemæi Philadelphi regis Aegypti, ab Eleazaro
Iudæorum Pontifice missi in Alexandriam, libros sacros in Græcam uerterunt
linguam, qua tralatione omnes primitiuæ Ecclesiæ doctores usi sunt. Qui om-
nes dixerunt, Christum natum anno à prima mundi constitutione quingentesi-
mo, supra quinquies millesimum. Ex qua supputatione sequitur, Christum per
duos annos tardius natum, quàm cõmunes Chronographi annotauerunt. Quo-
niam teste Niceta, anno à constitutione mundi quinto milesimo quingentesi-
mo cyclus solaris fuit duodecimus, cui pro litera Dominicali adscribitur G. Sed

Olym. Imp. Aug. iuxta uulgatam annorũ Domini supputationẽ, præsupponitur Christum natum fuisse anno cycli solaris decimo, in quo litera Dominicalis fuit B. Sic ergo tardius natus fuisset duobus annis Christus, quàm uulgares Chronici scribunt: qui quadragesimosecũdo Augusti natũ produnt. Et hos fortè sequutus est is autor ignotus, qui sub ijs Coss. Christum natũ scribit. Sed de his satis, si hoc unũ adiunxerimus: P. uidelicet Orosiũ scribere, Christum natũ anno ab ur. con. septingẽtesimo quinquagesimosecundo, ut prius annotauimus. Sed Iulius Cæsar interemptus est idibus Martijs, anno ab urbe condita septingentesimonono. Ergo Christus natus fuit anno 44. non quadragesimosecundo imperij Augusti. Hæc admonitionis causa scribo. Sed iam satis superius de hac re scripsimus. Secundum uerò Eusebium, circa id ferè tempus Augustus Tiberium priuignũ & M. Agrippam fratrem C. & L. adoptauit. De qua re uide Tranquillum in Tiberio, rubrica decimaquinta. Fortasse hic L. Paulus Censoris filius fuit, cui Augustus neptem Iuliam, ex Agrippa uxorem dedit. Cuius meminit Tranquillus in Augusto, rubrica sexagesimatertia. Et hoc anno Herodes infantes occidisse scribitur. CHRISTI Ab. con.

2. 45

C. VINITIVS, ET P. ALPHENVS VARVS. 4. 754

Tranquillus rubrica sexagesimanona cuiusdam Vinicij meminit, quo Cæsar in cõuiuijs uti solebat, sic scribens: Cœnaui mi Tiberi, cum ijdem accesserũt conuiuæ, Vinicius & Syluius pater, inter cœnam lusimus. Ego autẽ puto hunc Vinicium prænomine P. esse dictum. Sæpe enim literæ illæ prænominum, ut crebrò admonuimus, interuertuntur & corrumpuntur. Fuit hic P. Vinicius pater M. Vinicij Coss. sub Tiberio, cui opus suũ inscripsit Velleius. Qui ubi de morte egit Caij, in hęc uerba scribit: Sed fortuna, quę subduxerat spem magni nominis, iam tum reipub. sua præsidia reddiderat. Quippe ante utriusq; horum obitũ, patre tuo P. Vinicio Cos. Tiberius Nero reuersus Rhodo, incredibili lætitia patriã repleuerat. Non est diu cunctatus Cæsar Augustus. neq; enim quærendus erat quem legeret, sed legendus qui eminebat. Itaq; quòd post L. mortem adhuc C. uiuo facere uoluerat, atq; uehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post utriusq; adolescentiũ obitum facere perseuerauit, ut & tribunitiæ potestatis consortionem Neroni cõstitueret, multum quidem eo cùm domi, tum in Senatu recusante, & eum Aelio Catulo & C. Sencio Coss. v. Cal. Iulij, post urbem conditã annis DCC. LIIII. abhinc annis XXVII adoptaret. Hæc uerba conueniunt cum illis, quæ Suetonius in Tiberio decimaquarta rubrica tradit, scribens Tiberium redijsse octauo post secessum anno, qui circa hæc tempora fuit.

3. 46

M. SERVILIVS, ET L. LAMIA. 5. 755

Superius dixit Casiodorus, Cæsarem Augustum Cantabros per L. Lamiam perdomuisse, in consulatu suo nono. Asinius Pollio orator fertur hoc anno mortuus.

4. 47

Catulus. *Saturninus.*

SEX. AELIVS, ET C. SENTIVS. 6. 756

Superius facta est etiam mentio de C. Sentio Saturnino consule, sub quo mortuus est Virgilius: siue is sit, ut eius dicatur consulatus secundus, siue illius filius. De quo C. Sentio Saturnino multa Iosephus, Antiquitatũ lib. 19. Horum Coss. mentionem facit Velleius in posteriore historiarũ suarum uolumine, quum scribit Augustum adoptasse Tiberium Neronem sub ijs Coss. Sed illic sunt deprauata nomina Coss. Scribitur enim, Aelio Cato, Sentio Coss. cum scribendum sit, Aelio Catulo & C. Sentio Coss. Subiungit Velleius: Adoptatus eadem die etiã M. Agrippa, quẽ post mortẽ Agrippæ Iulia enixa erat. Sed in Neronis adoptatione illud adiectum, his ipsis Cæsaris uerbis; Hoc, inquit, reipub. causa facio.

Cæterùm

CHRISTI Ab ur. con. Cæterùm cum hæc scriberem, uenit ad me ingeniosus iuuenis Ludouicus Restio, qui magnam operam Cæsareo Pontificioq; iuri à primis annis collocarat. Is à me quærebat, quid nam esset lex Heliasentia (ita enim passim appellatur) unde & à quo haberet appellationem: quum Iureconsultus in Institutis de Libertinis, & ff. nono, qui & à quibus manumissi liberi non fiant, & ad L. Heliā sentiam, & alibi crebram faciat mentionem. Fato ad me iuuenem illum delatum mox credidi, & legem illam Aelij & Sentij Coss. horum temporibus latam dixi, & ab ijs denominatam, licet temerè nihil asseram. Verisimile tamen est, hinc assumpsisse appellationem: & inde nomen fuisse corruptum Eliescentia, pro Elia & Sentia. Sicut enim lex Norbana dicitur, sicut Fusia, sicut Iulia, sicut Poppea: sic Elia & Sentia dici poterit, ab autoribus. Neq; etiam ignoro, Iureconsultum in ueteri Digestorum, de Origine iuris, ubi recenset illustres Iureperitos, duos Aelios citare, consules quondam fuisse: & Sex. Aeliū ab Ennio laudatum, qui Tripartitum librum scripsit, quo iuris cunabula cōtinebantur. Sed is non est, cum Ennius centesima trigesimaquarta Olympiade sit natus, cuius tēpestate floruit Sex. Aelius Petus, qui Cos. fuit cum T. Quintio Flamine, quorum Liuius in lib. 31. meminit, ut supra annotauimus. Sed & ante illum fuerunt Coss. P. Aelius, & C. Aelius, ut patet recensenti Coss. quos superius scripsimus, quorū meminit Iureconsultus. Legitur & Aelius Lamia apud Tacitū in quarto Historiarū. sed legem Aeliam Sentiā, ab ijs nominatā penitus arbitror Coss. Hac enim tēpestate manumissiones exercebantur frequētius. Sic & Angelus Politianus, uir undecunq; doctissimus, hanc legem appellat Aeliam Sentiā, non Eliesciam, ut uulgus imperitorū Iureconsultorū. Tradit Velleius, Tiberiū mox post adoptionem in Germaniam missum, Caninefatos, Cattuaros, Bructeros, Cheruscos subegisse: transitoq; Visurgo, ad ulteriora Germaniæ penetrasse, ut omnem partem asperrimi & periculosissimi belli Cęsar uindicaret. His uerò quę minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus erat eius patris, in Germania præfecerat: uirū multiplicem in uirtutibus, nauum, agilem, prouidum, militariumq; officiorū patientem, ac peritum pariter: sed eundem, ubi negocia fecissent locum ocio, liberaliter lauteq; eo abutentem: ita tamen, ut eum splendidum ac hilarem potius, quàm luxuriosum aut desidem diceres. De cuius uiri claro celebriq; consulatu prius diximus. Tum perlustrata armis tota Germania, gentes nominibus incognitæ uictæ: receptæ Cauchorū nationes, fracti Longobardi, gens etiā Germana ferocitate ferocior. Deniq; quòd nunquam antea spe conceptum, ad quadringentesimum miliarium à Rheno usq; ad flumen Albim, Romanus cum signis perductus exercitus, uictor omnium gentium locorumq; quos Cæsar adierat, urbem hinc repetens.

7. 758 CN. CINNA, *Magnus.* ET L. VALERIUS. *Volesius.* CXCVI 48

His Coss. per dies octo, Tyberis impetu, miseranda clades hominum domorumq; fuit.

Orosius lib septimo, cap. primo: Anno imperij Cæsaris quadragesimooctauo, adeò dira Romanos inuasit fames, ut Cæsar lanistarum familias, omnesq; peregrinos, seruorumq; maximas copias, exceptis medicis ac præceptoribus, trudi urbe præceperit. Eusebius quadragesimonono anno hanc famem factam scribit, ut quinq; modij uenderentur denarijs uigintiseptem semis. Seneca in libro primo de Clementia, ad Neronem, recitat quomodo L. Cinna conspirationem fecerit contra Augustum Cæsarem, quod ei fuit detectum. Et cum accerseretur ab Augusto, ita est alloquutus Cinnā, ut eum sibi perpetuò deuinxerit. Dehinc illi ultro consulatum detulit, cum iste nō auderet petere. amicissimum eum, fidelissimumq; dehinc habuit. Hæres solus fuit illi, nullis amplius insidijs ab eo petitus.

Olym. Imp. Aug. lege octauum caput. Puto ego hunc esse Cinnam consulem, & prænomen es- CHRI-STI ...
se uariatum.

2. 49 M. LEPIDVS, & L. ARVNCIVS. 8. 758

Vterq; fuit arcta familiaritate Cæsari Augusto deuinctus, adeò ut unum ex ijs post se imperaturum suspicaretur. Vnde Cornel. Tacitus in primo Historiarum sic scribit: Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, qui nam adipisci principem locum, suffecturi abnuerent, aut impares uellent, uel idem possent cuperentq;: M. Lepidum dixerat capacem, sed aspernantem: Gallum Asinium auidum, & minorem: L. Aruncium non indignum, & si casus daretur ausurum. Omnes, præterquam Lepidus, uarijs mox criminibus, struente Tiberio, circumuenti sunt, ut apud Tacitum inuenies. Lepidi illius meminit Velleius: quem Tib. præfecit copijs in Pannonia, contra Bathonem & Pinetem bellum gerentibus: Vir, inquit, nominis ac fortunę eorũ proximus, quem in quantum quisq; aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumq; nominum quibus ortus est ornamentum indicat.

Creticus. *Nerua.*

3. 50 Q. CECILIVS, & A. VINITIVS. 9. 759

Puto M. Vinicium legendum, non A. Non enim inuenio apud idoneos scriptores, Vinicios aut M. aut P. prænomine uocatos. Tiberius Cæsar sub Augusto Dalmatas Sarmatasq; subegit.

4. 51 M. FVRIVS, & SEX. NONIVS. 10. 760

In alio autore scribuntur, Camillus & Quintilianus. sed in Iulio Frontino, libro de Aquæductibus, ubi agit de curatoribus aquarum, sic legitur: Sex. Nonio Celere & Iunio Quintiliano Coss. Didius Gallus procurator aquarum fuit. Sed hic Furius Camillus, quantum ex secundo libro Taciti deprehendere possumus, fuit sub Tiberio Proconsul Aphricæ, debellauitq; Numidas. Multosq; post annos, ut Cornelius scribit, Furio nomini partum decus militiæ. Nam post illum Imperatorem urbis, filiumq; eius Camillum, penes alias familias imperatoria laus fuerat. Atq; hic bellorum expers habebatur. Eo pronior Tiberius res gestas apud Senatum celebrauit, & decreuere patres triumphalia insignia. Quod Camillo ob modestiam uitæ impune fuit. Cæterùm narrat Eusebius, circa id tempus Tiberium Dalmatas, Sarmatasq; in Romanam redigisse potestatem. Suspicor illud bellum esse Illyricum, quod triennio Tiberius gessit omnium maximum externorum post Punica, cum quindecim legionibus & totidem auxilijs. Quod perperam Orosius Germanicum uocat, si diligenter Suetonium examinemus rubrica decimasexta in Tiberio: ut & in fine Illyrici insinuat Appianus. Cur autem Orosius Germanicum appellauerit, ideo existimo, quia sub id ferè tempus, ut Suetonius rubrica decimaseptima nominat, Quintilius Varus cum tribus legionibus in Germania perijt. unde & Tiberius Illyricum triumphum in biennium distulit: quod apud Tranquillum rubrica uigesima inuenies, in Tiberio. Adde ad hæc, quòd Tacitus tradit in primo, quòd sub Druso & Norbano Coss. scribit Germanicum Cæsarem cupidine soluendi suprema militibus ac duci Quintilio Varo, locum illum cladis contemplatus, miseratione motus omnia conspexit. Vbi tandem hæc uerba scribuntur: Igitur Romanus qui aderat exercitus, sextũ post cladis annũ, trium legionũ ossa nullo noscẽte, alienas reliquias an suorũ humo tegeret, omnes ut cõiunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul & infensi condebant, &c. Id aũt sequentibus Coss. aut circa id tempus fieri oportuit, si anni numerentur secundum consu-

CHRI STI | Ab ur. con. | Olym. imp. Aug.

consulatus, usq; ad imperium Tiberij. Quantum autem sit tribuendum Eusebio, sæpius admonui: non quòd autorem ipsum, sed corruptum exemplar uerear, & uix umbram Eusebij nos habere asseram. Hæc ita esse affirmat Velleius, in posteriore suarum historiarum uolumine, sic scribens: Vltimam imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello Cæsar manum, quum intra quinq; consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ cæsi Vari, trucidatarumq; legionū trium, totidem alarum & sex cohortium, &c. Dehinc bellum illud Germanicum & cladem Varianam graphicè describit. Lege studiose lector, & Tacitum adiunge: tum rei seriem cognosces abundè.

11. 761 Q. SVLPITIVS, ET C. POMPEIVS. CXC VII 52

Ignotus autor habet Camerinus & Sabinus: qui ijdem sunt. Horum Coss. meminit Tranquillus in Vespasiano, rubrica secunda his uerbis: Vespasianus natus est in Sabinis, ultra Reatem uico modico, cui nomen est Phalacrine, decimoquinto Calendas Decembris uesperi: Q. Sulpitio Camerino, C. Pompeio Sabino Coss. quinquennio antè quàm Augustus excederet. Plinius item senior de his Coss. in 7. cap. 48. sic scribit: Valeria Copiola Emboliaria reducta est in scęnam, Cn. Pompeio, Q. Sulpitio Coss. ludis pro salute diui Augusti uotiuis, annum centesimumquartum agens, quæ producta fuerat tyrocinio à M. Pompeio magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta. Vbi id quoq; obseruandum, quòd Pompeium Plinius uocat prænomine Cn. cum Suetonius & Casiodorus C. uocitent: ut suspicandum sit, in Plinio esse errorē. Quàm insigniter errauerit Isidorus in 4. (ubi scribit leges quasdam dictas ab ijs qui eas condiderunt, ut Consulares, Tribuniciæ, Iuliæ, Corneliæ. nam sub Octauiano Cæsare suffecti Coss. Papius & Pompeius legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papia & Pompeia, continens patrum præmia pro suscipiendis liberis) hic patet error, nusquam inueniri hos duos Coss. Simul fortè deceptus, quòd hunc Pompeium consulem sub Augusto fuisse legerat. Papia Poppæa autē lex, quam olim Papius Poppeius tulerat, ab Augusto in senectute est emendata, ut Tacitus tertio libro Historiarum tradit. Quam Suetonius appellat, De maritandis ordinibus. Ea continebat, ut si uir & uxor filios non haberent, quòd alter alteri reliquisset, decima pars Fisco adiudicaretur. Quæ quidem sublata est Honorij & Arcadij constitutione, quę sub titulo, De infirmandis pœnis cœlibatus, legitur. Ad hanc legem allusit Iuuenalis Satyra nona:

Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum,
Commoda præterea iunguntur multa caducis.

Hos uersus perperam omnes sex commentatores interpretantur, cum Iuuenalis de Papia Poppæa lege loquatur, & portionem quæ ex hac lege legatorio uel hęredi auferebatur, caducam appellet. Inquit enim adulter, sibi maritum debere, quòd filios suo beneficio de uxore gignat. quamobrem totum legatū assequitur: quod alioquin ex lege Papia, decimam partem fiscus accepisset.

12. 762 P. DOLABELLA, ET C. SILLANVS. 2. 53

Ille est duodecimus annus natiuitatis Christi, quo iuxta Euangelium in medio doctorum disputans repertus est IESVS Christus, cunctis illius pueri sapientiam admirantibus & stupentibus: autor Eusebius. Orosius libro septimo, capite primo: dum per duodecim annos clausæ belli portę beatissimæ pacis tranquillitate cohiberentur, Gaium nepotem suum Cæsar Augustus ad ordinandas Aegypti Syriæq; prouincias misit. Qui præteriens ab Aegypto, fines Palestinæ, apud Hierosolymam in templo Dei tunc sancto & celebri adorare contempsit, ut Suetonius refert rubrica nonagesimaprima. Quod ut Augustus comperit, prauo usus iudicio, eum prudenter fecisse laudauit.

L. LEPIDVS, ET T. STATILIVS. *Taurus.*

3. 54 Hoc anno scribit Eusebius, Messalam Coruinum inedia se cõfecisse, anno æ- CHRISTI 13. 763
tatis suę septuagesimo secundo, cum ante biennium quàm moreretur, memoriã ac sensum amisisset, ut uix pauca uerba coniungeret, & ulcus circa sacram spinam sibi innasceretur. Tauri consulis meminit Horatius in Epistolis, Vina bibes iterũ Tauro diffusa: id est, Tauro iterũ Coss. inueterari cœpta. De hoc more diffundendi, superius plura. Meminit etiam Statilij Tauri Velleius in posteriore historiæ suę uolumine, in hæc uerba: Rarò eminentes uiri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunã suam usi sunt: ut duo Scipiones duobus Lelijs, quos per omnia æquauerunt sibi: ut diuus Augustus M. Agrippa, & maximè ab eo Statilio Tauro: quibus nouitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus triumphosq; & complura enumerarentur sacerdotia. Etenim magna negotia magnis adiutoribus egent.

4. 55 GER. CAESAR, ET C. FONTEIVS. *Capito.* 14. 764

Germanicus filius erat Drusi, Augusti priuigni, & iunioris Antoniæ, filiæ Octauiæ: qui ex Agrippina uxore, M. Agrippæ filia, & Iuliæ, nouẽ liberos tulerat. quod & Plin. in 7. attestatur. Horũ duo infantes adhuc rapti sunt, unus puerascẽs Caius, cæteri primi superstites. tres sexus feminei, Agrippina, Drusilla, Liuilla, cõtinuo triennio natæ. totidẽ mares, Nero, & Drusus, & C. Cæsar: qui ijs Coss. natus est, ut refert Trãquillus in Caligula, rubrica octaua, ubi mentio Coss. horũ fit. Sed de Germanico sic Trãquillus in Caligula ab initio scribit: Germanicus Caij Cæsaris pater, Drusi & Antonię iunioris filius, à Tiberio patruo adoptatus, questurã quinquennio antè, quàm per leges liceret, & post eam statim consulatũ gessit: missusq; ad exercitũ in Germaniã, excessu Augusti nunciato, legiones uniuersas imperatorẽ Tiberiũ recusantes cõpescuit: atq; hoste mox deuicto triumphauit. Consul deinde iterum creatus, ac prius quàm honorem iniret, ad componendum Orientis statũ expulsus, paulo pòst mortuus est: ut infrà dicemus. Hic est ille Germanicus, quem tantopere Quintilianus inter poetas excellentiores laudat atq; extollit, qui Aratum è Græco uertit, licet M. Tullius ante se hoc fecisset: Poeta eloquẽtia singulari dotatus, nisi immatura morte perijsset. Fonteij consulis meminit Iuuenalis,

— Fonteio consule natus. Et Horatius in Sermonibus:
— Capitoq; simul Fonteius ad unguem
Factus homo, Antonij non ut magis alter amicus.

In Romanis fuerũt Frontones & Capitones, ut docet Cicero in primo de Natura deorum: quæ cognomina à fronte & capite inclinantur. Fuit autem Capito iuris priuati & publici, secundum Gellium, peritissimus. Offilium audiuit consul. Augusti temporibus fuit. Commentaria ad XII. Tab. sicut & ducentos sexaginta Coniectaneorum libros reliquit. Septem de Pontificio iure, & librum singularem de officio Senatorio conscripsit, & de iure sacrificiorum decem, ut apud Macrob. Saturn. lib. 3. reperimus. Commentariũ de iudicijs publicis composuit, ex quo sextum libri decimi capitulum Gellius excerpsit. Cætera in eo scripta desiderantur. Sed an is sit Fonteius Capito, quærendum est.

CXC VIII 56 L. PLANCVS, ET C. SILIVS. *aliàs Sillanus.* 15. 765

His Coss. ut Suetonius scribit rubrica 98. Cæsar testamentũ fecit tertio Nonas Apriles, ante annũ & quatuor mẽses quàm decederet. Id cũ duob. codicibus, partim ipsius, partim libertorũ Polybij & Hilarionis manu scriptũ, depositũq; apud sex uirgines Vestales, cũ tribus signatis æquè uoluminib. post mortẽ pertulerũt. Quę omnia in Senatu aperta atq; recitata sunt. Hęredes instituit primos, Tiberiũ

ex parte

CHRISTI | Ab ur. con. | Olym. | Imp. Aug.

ex parte dimidia & sextante, Liuiam ex parte tertia: quos & ferre nomen suum iussit. De hoc testamēto uide Cor. Tacitum lib. 1. Historiarū ab excessu Augusti. Vide etiā de Munatio Planco ibidem pulchra. Eusebius tradit, hoc anno Augustum cum Tiberio priuigno censum Romæ agitantē, inuenisse hominum nonagies tercentena & septuaginta milia. Meminit illius lustri in campo Martij facti Trāquillus in Augusto, rubrica nonagesimaquarta, cū ostenta eius mortis prænuncia indicat. Item in Tiberio, rubrica uigesimaprima, ubi scribit: Legem latam per Coss. quos tamen non nominat, ut prouincias cum Augusto Tiberius communiter administraret, simulq; censum ageret. Iulius Frontinus libro de Aquæductibus scribit, Augustum curatorē aquarum perpetuum Messalam constituisse. Cui deinceps et alij successere Messalę. Successit Atteius Capito, Silio & Plaucio Coss. quos auguror præsentes esse, & in alterutro nomina esse deprauata. Fuit etiam C. Silius legatus Germanici Cæsaris in exercitu apud ripam Rheni, teste Tacito.

16. 766 SEX. POMPEIVS, ET SEX. APVLEIVS. 2. 57

Horum Coss. facit mentionem Cor. Tacitus in primo Historiarum ab excessu Augusti. ubi postquam de morte Augusti scripsit, hæc uerba habet: Sex. Pompeius & Sex. Apuleius Coss. primi in uerba Tiberij Cęsaris iurauere: apudq; eos Seius Strabo & C. Turanius, ille prætoriarum cohortiū præfectus, hic annonæ: mox Senatus milesq; & populus. nam Tiberius cuncta per Cōsules incipiebat, tanquam uetere repub. & ambiguus imperandi. Ne edictū quidem, quo patres in curiam uocabat, nisi tribunitiæ potestatis præscriptione posuit, sub Augusto acceptæ. Verba edicti fuere pauca, & sensu permodesto, de honoribus parentis consulturū. Vide illic, quomodo eius testamentum fuit productum, qualis fama de Augusto. Et quomodo seditiones exortę tam in Pannonicis quàm Germanicis legionibus, fuerint sedatæ. Quomodo recusauerit imperiū Tiberius, sed dolosè. Quæ adulationes Tiberio, quæ Liuiæ Augustæ sint dictæ. Subiungit post hæc Tacitus: Eodē anno Iulia supremū diē obijt, quę ob impudicitiā olim à patre Augusto Pandataria insula, mox oppido Reginorū, qui Siculum fretum accolunt, clausa fuerat, in matrimonio Tiberij, florentibus Caio & L. Cæs. spreueratq; ut imparē. Nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum abscederet. Imperium uerò adeptus, extorrē, infamē, & post interfectum posthumū Agrippam omnis spei egenam, inopia & tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exilij ratus. Par causa sæuitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, solers ingenio, & prauè facundus, eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippæ temerauerat. Nec is libidini finis. traditam Tiberio peruicax adulter cōtumacia & odijs in maritū accendebat: literæq;, quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberij scripsit, à Graccho compositæ credebantur. Igitur amotus in Cercinam Aphrici maris insulam, quatuordecim annis exiliū tolerauit. Tunc milites ad cędem missi, inuenere in prominenti littoris nihil lætum opperientē. quorum aduentu breue tempus petiuit, ut suprema mandata uxori Alliarię per literas daret: ceruicemq; percussoribus obtulit. constantia mortis haud indignus Sempronio nomine, uita degenerauerat. Quidam non Roma eos milites, sed à L. Asprenate Procōsule Aphricæ missos tradidere, autore Tiberio: qui famā cædis posse in Asprenatem uerti, frustra sperauerat. Subiungit inde: Idem annus nouas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Tatios instituerat. Sorte ducti è primoribus ciuitatis unus & uiginti: Tiberius, Drususq;, & Claudius & Germanicus adijciuntur. Ludos Augustales tunc primùm cœptos, turbauit discordia ex certamine histrionum. indulserat ei ludicro Augustus, dum Mecœnati obtemperat, effuso in amorem Bathylli. Neq; ipse abhorrebat talibus studijs: & ciuile rebatur, misceri uoluptatibus uulgi: alia Tiberio morum uia, sed populum per tot

annos

Olym. Imp. Aug. annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora uertere. Mentionem horum Consulum facit etiam Suetonius rubrica nonagesimaseptima: Obijt Augustus in cubiculo eodem, quo pater Octauius, duobus Sextis, Pompeio & Apuleio, Coss. decimoquarto Calend. Septembris, hora diei nona, septuagesimosexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus. Lege dehinc, quibus honoribus sit elatus, eodem loco. Sed præcedentes duæ omnino rubricæ, nonagesimaquinque, & nonagesimasexta, sunt legendæ diligenter. Iosephus libro Antiquitatum decimooctauo, capite quarto: Augustus sub Annio Ruffo, qui Marco successit in prouincia Syriæ, secundus Romanorum imperator moritur: septem & quinquaginta in imperio annos aduiuens, menses sex, dies aliquantulum super duos: ex quibus quatuordecim annis, simul cum eo Antonius reipub. gubernacula rexerat. Viuens itaque annos septuagintaseptem, uita decessit. Huic succedit in principatu Tiberius Nero, uxoris eius Iuliæ filius, qui fuit Romanis tertius imperator: sub quo quintus Iudæorum rector Valerius Gratus efficitur, Annij Ruffi successor. Eusebius: Olympiadis centesimæ nonagesimæoctauæ anno primo (si exemplar, quod maximè uereor, non est uitiosum) defectio solis facta: & Augustus septuagesimosexto ætatis suæ anno Atellæ in Campania moritur, sepeliturque Romæ in campo Martio. Septimum & septuagesimum annum ætatis ingressum, scribit Eutropius libro septimo, capite secundo. Tanta est autorum diuersitas. Eleganter simul & concinnè Velleius mortem Augusti describit, ordine omnia edisserens, & tandem in hunc modum concludit: Cum iam omnem curam fata uincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Apuleioque Coss. septuagesimosexto anno animam cœlestem cœlo reddidit. Enarrat dehinc ingeniose, quæ post eius mortem subsequuta sunt, quæ studiosus lector omnino leget. nec enim possunt omnia hic subscribi, nec operis ordo id exigit. Vnde sic Cassiodorus de eius morte scribit, CHRISTI

His Coss. imperator Augustus obijt, septuagesimo sexto anno ætatis suæ: imperij autem quinquagesimo sexto semis. Huic successit in imperium Tiberius Cæsar, qui imperauit annos uiginti tres, sub quo hi consules fuerunt.

Orosius lib. 7. Anno ab urbe cond. septingentesimo sexagesimoseptimo, post mortem Augusti Cæsaris, Tiberius Cæsar imperium adeptus est: mansitque in eo annis uigintitribus. Hic per semetipsum nulla bella gessit, sed ne per legatos quidem aliqua grauia, nisi quòd tantum in aliquantis locis præcogniti citò gentium rumores comprimebantur. Eadem Eutropius lib. 7. cap. 2.

III. IMP. TIBERIVS.

Tiberius quasi coactus, & conquerens miseram & onerosam iniungi sibi seruitutem, imperium recepit, ut inquit Eusebius. Sed de hac re uide inferius, quæ ex Tranquillo & Sexto Aurelio perscripsimus. Sed nemo uberius quàm Cornelius Tacitus, in primo libro historiarum ab excessu Augusti, qui in fine quinti libri quasi anacephaleosin uitæ Tiberij faciens, hæc uerba subdit: Tiberio pater Nero fuit, & utrinque origo gentis Claudiæ: quanquam mater in Liuiam, & mox Iuliam familiam adoptationibus transierit. Casus primùm ab infantia ancipites. nam proscriptum patrem exul sequutus, ubi domũ Augusti priuignus introijt, multis æmulis conflictatus est: dum Marcellus & Agrippa, mox C. L.que Cæsares uiguere. Etiam frater eius Drusus, prosperiore ciuium amore erat. Sed maximè in lubrico egit accepta in matrimonium Iulia, impudicitiam uxoris tolerans, aut declinans. Dein Rhodo regressus, uacuos principis pœnates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus fermè & uiginti obtinuit. Morum quoque tem-

pora

CHRI STI Ab urcon. pora illi diuersa. Egregiũ uita famaq;, quoad priuatus uel imperijs Augusti fuit: Olym. Imp: Tib:
occultum atq; subdolum fingendis uirtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaq; mixtus, dum Seianum dilexit, timuit'ue. Postremò in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum ingenio utebatur. Iohannes Monachus, qui & Zonaras dicitur, græcè historiam scripsit, ab orbe condito usq; ad tempora Alexij Cõmeni Græci Imperatoris, in qua multa eruditissima continentur. qui etiam uitam Tiberij, & res gestas & mores graphicè depinxit: quæ omnia non grauarer subscribere, nisi fastidium lectorum uererer: cum omnia tamen contineantur in Tranquillo, Sex. Aurelio, & suprà citatis autoribus. Si quis tamen hæc scire cõcupiscet, propediem Zonaram in publicum prodeuntem, & latinè & græcè legere poterit.

Flaccus.

DRVSVS CAESAR, & C. NORBANVS. 3. 1

17. 767 Horũ Coss. meminit Tacitus in primo Historiarũ, ijs uerbis: Druso Cæsare & C. Norbano Coss. decernit Germanico triũphus, manente bello: quod quãq; in æstatẽ summa ope parabat, initio ueris & repẽtino in Chattos excursu præcepit. Narrat dehinc latissimè, bellũ illud quod gestum est à Germanico in Arminiũ & Segestẽ, duces Germaniæ. Ibiq; describit Teutoburgiensem saltũ, quo Quintilius Varus cecidit. Quod lector studiose diligenter legas, ut pertritum errorẽ de Variana clade repellas: de quo in uita Augusti disseruimus. citatq; ibi C. Plinium, Germanicorũ bellorum scriptorem. Constat enim, Pliniũ seniorẽ uiginti libros de bellis Germaniæ scripsisse. Vtinã ad posteros uenissent, & non essent ia ctura temporis è manibus doctorum sublati: sed eum tamen alicubi latêre coniector. Strabo item libro Geographiæ septimo, ubi Germaniæ populos recenset, scribit illos Germanico iuniori clarissimum præbuisse triumphum: in quo illustrium & uirorũ & fœminarum corpora ducta tradit. Sed ipsorum nomina paruper sunt mutata, quòd Græci Germanica nomina uix rectè enuncient. Semigunthus Segesti filius, Cheruscorum ductor, à Tacito Seginundus appellatur: quo nomine hodie utuntur Germani. Armenius à Tacito Arminius appellatur. Strabo Egimerum uocat, quem Tacitus Igniomerum: Segimerus item frater Segestis Tacito, Sesitachus Straboni. Sed hęc leuia, admonitionis causa iunioribus scripsi. Subiungit Tacitus: Eodem anno triumphalia insignia A. Cecinnæ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico gestas decreta. Traditq; Tiberium, nomen P. P. à populo sæpius ingestum, repudiasse: Senatuiq; permissas leges exercendas, de maiestate, & de pecunijs repetundis. Scribit insuper, eodẽ anno continuis imbribus auctũ Tiberim, tam ædificijs quàm hominibus stragẽ intulisse. Et cum ob id Asinius Gallus libros Sibyllinos adiri debere censeret, renuit Tiberius. Sed remedium cohercendi fluminis Atteio Capitoni & L. Aruncio mandauit. Cæterùm hic Drusus filius fuit Tiberij ex prima coniuge Agrippina: qui ex intemperantia ac ebrietate, qua patri persimilis erat, ante Tiberium mortuus est. Dictus autem Cæsar, quasi futurus Imperij successor. Sic enim principis filius ac hæres appellari solitus erat, ut superius admonuimus. nam & fratrem Drusum habuit Tiberius, de quo superius, Liuiæ filius, priuignus item Augusti, qui unam Antonij & Octauiæ filiam uxorem accipiens, genuit Germanicum & Claudium, qui pòst imperauit. Ex Germanici autem filijs, Caius quidem cum superbè imperaret, trucidatus est unà cum filio & coniuge. sed de hoc alibi. Tradit Tacitus in primo Historiarum, quòd cum Tiberius honores Augustæ delatos recusaret, tamẽ Germanico Cæsari proconsulare imperium petiuit. missiq; sunt legati, simul ut mœsticiã eius ob excessum Augusti solarent, quo minus idẽ pro Druso postularet, ea causa ꝙ designatus Cos. Drusus præsensq; erat. Hic Drusus etiam à Tiberio missus est in Illyricũ, post mortẽ Augusti, ut sedaret motus militum, qui missionẽ poscebant, & stipendium. Sed ubi sedatæ erant seditiones, redijt in urbem, Iosephus decimooctauo Antiquita

Olymp. Imp. tum, 15. cap. meminit cuiusdam uiri Consularis, qui dicebatur Flaccus, & qui sub CHRI- Ab
Tib. Tiberio dispensabat gubernationem Syriæ. Si fuerit hic Norbanus Flaccus, co- STI con.
gita diligẽter studiose lector. Horum Coss. meminit Suetonius in Vitellio, rubri
ca tertia, his uerbis: A. Vitellius, L. filius, imperator, natus est 8. Calen. Octob. uel
ut quidã dicũt, septimo Idus Septemb. Druso Cæsare & Norbano Flacco Coss.

Taurus, Libo.

4 2 SISENNA STATILIVS, & L. SCRIBONIVS. 18. 768

Scribit Tacitus in fine primi libri: De comitijs consularibus, quæ tũ primũ il-
lo principe, ac deinceps fuere, uix quicquam affirmare ausim: adeò diuersa non
modò apud autores, sed in ipsius orationibus reperiunt̃. modò subtractis can-
didatorũ nominibus, originẽ cuiusq; & uitã & stipendia descripsit, ut qui forẽt
intelligeret: aliquãdo ea quoq; significatione subtracta, candidatos hortatus, ne
ambitu comitia turbarẽt, suam ad id curã pollicitus est. Plerũq; eos tantũ apud se
professos disseruit, quorũ nomina Cõsulibus edidisset: posse & alios profiteri, si
gratiæ aut meritis cõfiderẽt. Speciosa uerbis, re inania aut subdola: quãtoq; maio
re libertatis imagine tegebant̃, tanto eruptura ad infensius seruitiũ. Cæterũ ho-
rũ Coss. meminit in principio libri secundi Tacitus: sub quibus tradit regna Ori
entis esse mota, simul & prouincias Romanas. Quod gratum Tiberio fuit, ut ea
specie Germanicũ suetis legionibus abstraheret, nouisq; prouincijs impositum
dolo simul & casibus obiectaret. Subdit deinde, quæ bella tũ etiã apud Germa-
nos Germanicus gesserit latissimè, cõtra Cheruscos, Chaucos, Cattos & Augri-
uarios: ob quæ ei Tiberius triumphũ decreuit, ac ipsum reuocauit, alterũ Cõsula-
tum offerendo. Quæ tum etiam decreta de luxu ciuitatis, de magistratibus,
de L. Pisone, M. Hortalo, & Clemente seruo Posthumij Agrippæ, qui se Agrip-
pam mentiebat̃, acta sint, copiose Tacitus illic refert. Sed L. Scribonij Libonis
meminit Tranquillus in Tiberio, rubrica uigesimaquinta, qui res nouas clàm
moliebatur, post Augusti obitum: quem Tiberius secundo demũ anno imperij
sui, ne quid in nouitate acerbius fieret, in senatu coarguit, medio tempore con-
tentus cauere. Nã & inter Pontifices sacrificanti Liboni, cultrũ plumbeũ pro fer
reo subiecit. Nec eum secretum colloquium petentem, nisi adhibito filio Druso,
admisit: dextra eum firmiter complexus, donec sermo finiretur. Hic fuit ex nobi-
li familia Scribonij Libonis, qui sedem Prætoris & tribunal collocauit iuxta ar-
cum Fabianum, quod puteal Libonis ab Horatio dictum est.

His Coss. mathematici urbe pelluntur.

Suetonius in Tiberio, rubrica tricesimasexta: Expulit & mathematicos: sed
deprecãtibus, ac se artẽ desituros promittentibus, ueniã dedit. Sub ijs Coss. Taci
tus in secũdo tradit, facta esse de mathematicis magisq; Italia pellẽdis Senatuscõ
sulta: quorũ è numero L. Pituanius saxo est deiectus: in P. Martium, Coss. extra
portã Exquilinã, cũ classicũ canere iussissẽt, more prisco aduertere. Qua aũt cau-
sa magi mathematiciq; sint ex urbe pulsi, ob Libonẽ Drusum, qui infernas um-
bras elicuit, uide illic Tacitũ. Vnde & alibi sic de ijs scripsit Cornelius Tacitus:
Mathematici, genus hominũ potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ci
† uetabitur uitate nostra & † dotabitur semper, & retinebitur.

Falco, Ruffus.

CXCIX 3 L. POMPONIVS, & C. CECILIVS. 19. 769

In alio codice ignoti autoris ponunt̃ sola nomina Coss. Falconis & Ruffini, si
nõ est error librarij. In Tiberio Suetonius, rubrica quadragesima secũda, Pompo
nij Flacci meminit, qui epulãdo potãdoq; gratiã Cæsaris emeruit, ut tandẽ eum
Syriæ præficeret. Quo mihi subit dubitatio de Flacco Syriæ præfecto, cuius, ut
paulo antè scripsi, meminit Iosephus in decimooctauo Antiquitatum, si Norba
nus uel Põponius Flaccus is fuerit: studiosisq; illud discutiendũ relinquo. quãq;
autorẽ hic Tranquillũ habeamus, Pomponiũ fuisse Flaccũ Syriæ præfectũ: sed
aliqui hunc Falconẽ, non Flaccũ appellant. Et Cor. Tacitus lib. undecimo (sicut

nunc distinctio librorum circumfertur, manca omnino & inuersa) de quodam Curtio Ruffo pulchram recitat historiam, quam illic uidebis: qui Consulare imperium, & triumphi insignia adeptus fuit. lege, & iudica. Velleius. Flacci Pomponij cōsularis uiri meminit, nati ad omnia quę rectè faciēda sunt, simplicisq; uirtute merentis semper quàm captantis gloriā. Sed an is sit, quærendū. Cæterū horum Coss. mentio fit apud Tacitū libro secundo, ubi alterius consulis nomē mutatū est, si est sincerus codex. Verba hæc sunt: C. Celio, L. Pōponio Coss. Germanicus Cæsar ad septimū Cal. Iunias triumphauit de Cheruscis, Cattisq; & Angriuarijs, quæq; aliæ nationes usq; ad Albim colunt: uecta spolia, captiui, simulacra montiū, fluminum, pręliorum. Bellūq;, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebat. Describit hinc Tacitus, quos honores Germanico Tiberius, sed nō ex fide charitatis tribuit: & quomodo specie honoris ipsum in Armeniā abegerit. Vide illic pulchra de regibus Orientis, Cappadociæ, Ciliciæ, & Armeniæ, & quæ prouinciæ demandatæ sint Germanico. Eodem item anno, inquit Tacitus, duodecim celebres Asiæ urbes collapsæ nocturno motu terræ, quo improuisior grauiorq; pestis fuit: neq; solitū in tali casu effugiū subueniebat in aperta prorumpendi, quia deductis terris hauriebant. Sedisse immēsos montes, uisa in arduo quæ plana fuerant, effulsisse inter ruinam ignes memorant. Vide igitur studiose lector, quomodo hæc conueniāt cum Eusebio in Chronicis, qui quinto anno Tiberij describit hunc terræmotum: ubi etiam nomina urbium sunt corrupta, quæ ex Tacito mediocriter doctus facilè emendabit.

20 770 TIB. CAESAR III. & GER. CAESAR II. 2 4

Suetonius in Tiberio, rubrica uigesimasexta, tradit, Tiberiū tres tantū egisse Cōsulatus, sic scribēs, ubi de honorib. ac cognominib. à se contēptis agit: Nec amplius quàm omnino tres Cōsulatus, unū paucis dieb. alterū tribus mensi. tertiū absens usq; in Idus Maias gessit. Nec mirandū q; aliqui hunc tertiū Consulatū & dehinc quartū & quintū numerāt. nam duos sub Augusto gessit. Quod etiā nona rubrica Trāquillus significauit, cum de eius magistratibus sic scriberet: Magistratus & maturius inchoauit, & penè iunctim percurrit, Quæsturam, Præturā, Consulatū, interpositoq; tempore Consul iterū. De quo uide superius in Augusto. Germanicus aūt is fuit Drusi, fratris Tiberij filius: quem coactus fuit Tiberius prius adoptare sibi, antequam ab Augusto adoptaretur: et quem uerebatur, ne mortuo Augusto sibi imperiū (quod multi cupiebant) ascisceret. De quo sic Tranquillus in Caligula: Germanicus excessu Augusti nunciato, legiones uniuersas, Imperatorem Tiberiū pertinacissimè recusantes, & sibi summā Reipub. deferentes, incertum constantia an pietate maiore, compescuit. De hoc Tacitus in primo Historiarum: Drusi magna apud Po. Ro. memoria: credebaturq;, si rerum potitus foret, libertatem redditurus. Vnde in Germanicum fauor & spes eadem, nam iuueni ciuile ingenium, mira comitas, & diuersa a Tiberij: sermone, uultu, arrogantibus & obscuris. Accedebant muliebres offensiones, nouercalibus Liuię in Agrippinā stimulis, atq; ipsa Agrippina paulo cōmotior, nisi quòd castitate & mariti amore quāuis indomitū animū in bonū uertebat. Sed Germanicus quanto summæ spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Hoc anno, secundū Eusebiū in lib. Temporū, si non est deprauatus liber, Germanicus Cæsar de Parthis triūphauit. Quod ideo scribo, quia Orosius li. septimo, cap. primo, sic tradit: Sanè quarto Imperij eius anno Germanicus, Drusi filius, Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Augusto sene missus erat, triūphauit. De cuius morte paulo infrà, sequenti Consulatu. Huius triūphi, & huius secūdi Cōsulatus meminit Trāquillus in Caligula, rubrica prima. Sed ex Tacito paulo antè annotauimus, superiori Consulatu Germanicū de Germanis triumphasse. Quod ideo scribo, quia cautè legendus est Eusebius, & à me semper desiderat integritas codicis, quē suspicor penè undiq; deprauatū. Cæterū horū Coss. facit mentionē in

Olymp. Imp. Tib. hæc uerba Tacitus lib. secundo: Sequẽs annus Tiberium tertiò, Germanicũ iterũ Coss. habuit. Sed eum honorẽ Germanicus iniјt apud urbẽ Achaię Nicopolim, quò uenerat per Illyricã orã, uiso fratre Druso in Dalmatia agente. Deinde describit eius nauigationem per mare Hadriaticũ & Ioniũ, ad Actiũ promontoriũ, ubi aspexit locũ uictorię Augusti auunculi, & cladem Antonij aui sui. Pòst uenit ad Athenas: tũ Lesbũ, ubi Agrippina uxor nouissimo partu Iuliã edidit. Describitq; tandẽ, quomodo in Armeniã uenerit: & quomodo sequutus Cn. Piso, cum uxore Plaucina, omnia quæ potuit conuicia in eum congesserit. Quæ omnia patientissimè Germanicus tolerauit. Vide illic, quicquid in singulis locis gestũ sit. Eusebius hoc anno Liuium & Ouidium mortuos esse scribit. CHRISTI

Balbus.

3. 5 M. SILLANVS, & C. NORBANVS. 21. 771

Horum Coss. sic meminit Tacitus in secũdo Historiarũ: M. Sillano & L. Norbano Coss. Germanicus in Aegyptũ proficiscitur, cognoscendæ antiquitatis: sed cura prouincię prętendebatur, &c. quę sequunt. Narrat hinc latè, quo pacto hostia Nili, & urbes, Memnonis effigiem & Pyramides conspexerit, cũ interea Drusus in Germania bellum sedauerit. Ob id à patribus decretum, ut Germanicus atq; Drusus ouãtes urbem introirẽt. Structiq; arcus circa latera tẽpli Martis ultoris, cũ effigie Cæsarũ. Tradunt inde cõtentiones Germanici & Gn. Pisonis, ob quas Germanicus ueneno extinctus credit. Eodẽ anno Liuia soror Germanici peperit Druso gemellos. Suntq; facta Senatusconsulta, de libidine feminarũ coercenda, ac de sacris Aegyptijs Iudaicisq; pellẽdis. Estq; eo anno Germanorũ dux Arminius, Germaniæ liberator, mortuus. Item horum Coss. meminit Plinius li. secũdo, cap. octuagesimonono. Licet alterius Cos. prænomẽ sit immutatũ, sicut apud Corneliũ. sic aũt scribit: Inter Cycladas insulas, Olympiadis centesimę tricesimęquintę anno quarto, Thera & Therasia: inter easdẽ post annos centũ & triginta, Hiera, eadẽq; Automate: & ab ea duob. stadijs, post annos centũ & decẽ, in nostro æuo, M. Iunio Sillano & L. Balbo Coss. ad 8. Idus Iulij, Thia prodijt.

His Coss. Germanicus Cæsar in Syria mortuus est.

Obijt annũ ætatis agens quartũ & trigesimũ, fraude Tiberij, opera Cn. Pisonis, qui sub idẽ tẽpus Syrię erat præpositus, cũ luctu uniuersæ prouinciæ, & mœsticia urbis Romanæ. De cuius morte Iosephus decimooctauo Antiquitatũ, ca. 7. Trãquillus in Caligula, rubrica secunda: & in Tiberio, rubrica quinquagesima secũda. Quibus aũt uirtutib. insignitus is fuerit Germanicus, & quantũ urbs de eius morte doluerit, Suetonius rubrica 3. 4. 5 & 6. in Caio docet. Sed nemo uberius de eius morte & luctu, habito super ipso, scripsit, q; Tacitus in fine lib. secũdi, & in principio tertij. Hic est diligenter uidendus, quandoquidẽ omnia diligenter exequitur.

Messala. Cotta.

4. 6 M. VALERIVS, & M. AVRELIVS. 22. 772

Horũ Coss. mentionẽ facit Cornelius Tacitus in tertio Historiarũ, ubi docet, quo pacto Agrippina uxor Germanici post obitũ mariti continua nauigatione Corcyrã insulã aduecta sit, quomodo populi ac milites obuiã prodierint, & Drusus Terracinã usq; progressus: tũ Claudius frater, liberiq; Germanici, cũ Coss. ac Senatu ipsam exceperint cum maximo luctu: ubi tamen cernebant studia hominũ in Agrippinã. Latissimè illic describit Tacitus, qui sermones de pompa funebri habiti sint. Dũ itaq; condunt cineres Germanici, uenit ad Tiberiũ M. Piso, filius Cn. Pisonis, ut patrẽ, qui Germanicũ ueneno sustulerat, expurgaret: similiter & ad Drusum. Sed illo nõ obstãte, Fulcinius, Trio, Vitellius & Verãnius, reũ Pisonẽ apud Senatũ accusarunt: eoq; ipsum impulerũt, ut nocte in cubiculo ense sese occideret. Plaucina aũt uxor, ob preces Augustę liberat: & filij à Tiberio absoluunt. Interea Drusus ex Illyrico reuertitur, & ouans urbem introijt. Vipsama

eius

eius mater morit: & bellũ in Aphrica iterũ commotũ, sedat per Aproniũ Cæsianum. Narrat inde quædã leuia, quæ hoc anno gesta sunt: de Lepida, cui aqua & igni interdictum est: & de D. Syllano, qui absolutus est. Postremò pulchram originem iurium recenset, & quomodo multitudo legum redacta sit ad paucitatem quandã: & quo pacto filius Germanici Nero quæsturã & pontificatũ ante tempus adeptus sit. Dehinc de morte L. Volusij, & Salustij Crispi. Cæterùm hoc anno scribit Eusebius, Fenestellam historiarum scriptorẽ, et carminũ, septuagenarium mortuum, Cumisq; sepultum. Iosephus lib. decimonono, in fine primi ca. meminit Valerij Asiatici, uiri consularis, qui tumultuantes milites propter occisum C. Cæsarem, compescuit: qui cum requirerẽt percussores, ipse respondit, Vtinam ego essem. Arbitror hunc fuisse Valerium.

TIB. CAESAR IIII. & DRVSVS CAESAR. CC. 7

23. 773 Horũ Coss. sic meminit Tacitus in tertio: Sequitur Tiberij quartus, Drusi secũdus cõsulatus, patris atq; filij collegio insignis. nã biennio antè, Germanici cũ Tiberio idẽ honor, neq; patruo lætus, neq; natura tã cõnexus fuerat. Eius anni principio Tiberius, quasi firmãdæ ualetudinis, in Campaniã concessit, longã & continuã absentiã paulatim meditãs, siue ut amoto patre Drusus munus cõsulatus solus impleret. ac fortè parua res magnũ ad certamẽ progressa, præbuit iuueni materiẽ adipiscẽdi fauoris. Narrat deinde quæ domi acta sunt per Drusum in quotidianis cõtentionibus, quibus se temperatũ ac moderatũ egit: cũ decerneretur, an uxor sequi deberet magistratum, cui prouincia obuenisset: & qui mitti in prouincias deberent. Nã tunc noui motus in Aphrica, in Thracia, & Gallia nunciabantur: qui tamen omnes sedati. Licet Tiberius contẽneret, literis sæpe monitus, solũ intẽtus libellis accusatorũ, qui plures damnabant quotidie. Inter quos etiam Clitorius priscus eques in carcere strangulatus est, q carmine celebri Germanici suprema defleuerat, donatus pecunia à Cæsare, cum delator obiectasset, ægro Druso illud composuisse: quòd si extinctus foret, maiore præmio uulgaretur. Sic & alij multi delati, ut Antistius uetus, & alij. Cæterũ Diony s. narrat. Tiberiũ omnes suis in consulatibus collegas uiolenter interfecisse. Vnde cum Drusus simul hunc inijsset honorẽ, statim cunctos illi necẽ iudicasse. Hoc etiã annotauit Ioannes Monachus, in uita Tiberij sic scribens, si latino ore loquar: Gessit præterea consulatũ cũ Druso, ex quo futurã illi perniciẽ pronunciarunt. Nullus enim qui cũ eo Cos. erat, inuentus est, qui tandẽ uiolenter non interierit. Ita mox Drusus ueneno sublatus est, Seiano procurante, qui magnæ erat apud Tiberium auctoritatis: & cũ iam Drusum percussisset, coadiuuãte etiã uxore Drusi Liuia, quã Seianus adulterio polluerat, pharmacũ ei dedit, quo extinctus est. Hęc latè apud Tacitũ. Vnde & Tranquillus in Tiberio, crudelitatẽ & odiũ in filios explicat, rubrica quinquagesima secũda: Eusebius uerò in Chronicis tradit, Drusum consortem regni fuisse octauo sui Imperij anno, & sequẽti ueneno perijsse. Erit aũt iste cõsulatus Tiberij quartus, si duo priores sub Augusto supputẽtur. Cuius & Eusebius in Sacra historia meminit li. 1. ca. 11. quarto namq; cõsulatu Tiberij, qui cõsulatus septimo anno Imperij eius fuit, piaculi in Saluatorẽ commissi tempus falsa hæc acta perscribunt. Hoc anno, Eusebius scribit in libro Temporum, Tiberiũ reges euocasse, quos nunquam remiserit. de quibus in eius uita scripsimus.

D. HATERIVS, & C. SVLPITIVS. 2. 8

24. 774 De his Coss. sic scribit Tacitus in tertio: C. Sulpitius, D. Haterius (ita enim legendum est, licet Harius corruptè sit impressum) Coss. sequũtur. Inturbidus externis rebus annus, domi suspecta seueritate aduersum luxum, qui in immensum proruperat, ad cuncta quîs pecunia prodigitur. Lege illic literas Tiberij de luxu compescendo, & originem luxus & parsimonię Po. Ro. Hoc anno Tiberius Druso petebat per literas à Senatu, tribunitiã potestatem. Id summi fastigij uoca

Olymp. Imp. Tib. bulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera Imperia præemineat. M. deinde Agrippā, socium eius potestatis: quo defuncto, Tiberiū Neronem delegit, ne successor in incerto foret: sic cohiberi prauas aliorū spes rebatur, simul modestiæ Neronis & suæ magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusus summæ rei admonet, cum incolumi Germanico inter duos iudicium tenuisset. Vide illic literas Tiberij, quibus id petebat: & adulationes Patrum, quæ sequutæ sunt. Nam ob Drusi Tribunitiam concessam potestatem, cæremonias, aras deûm, & templa ac arcus decreuerunt: adeò infecta illa tempora & adulatione sordida fuere. Et ideo etiam Tiberius Græcè solebat Senatores, ad seruitutem paratos homines, ad ignominiam uocitare. Subsequutæq; sunt damnationes & proscriptiones passim nobilium & optimorum ciuium: quod latissimè illic Tacitus explicat. Laborauit hoc anno aduersa ualetudine Iulia Augusta: cui sunt uoti ludi, & dona Equestri Fortunæ delata Ancij. Cæterùm in ignoti autoris opusculo, scribuntur hoc loco Agrippa & Galba, quæ cognomenta horum Coss. proculdubio fuerunt. Sed Q. Haterij meminit Seneca, & Hieronymus, qui dictus est ingenium habere in numerato, ut sine monitore tacere non posset. De quo egregiè Cæsar Augustus: Haterius noster sufflamminandus est. & Eusebius, Q. Haterium, promptū & popularem oratorem, usq; ad nonagesimum annum propè, summo cum honore consenuisse scribit. Tacitus in quarto inquit, gesta duodecimi anni Tiberij commemorans: Q. Haterius familia Senatoria, eloquentiæ quoad uixit celebratæ, monimenta ingenij eius haud perinde retinentur, &c. Q. Haterij meminit Tacitus in primo Historiarum: Eo etiam anno moritur. Plinius in septimo, capite quinquagesimotertio: Cornelius Gallus prætorius & Q. Haterius Eques Ro. in uenere obiere. Inuenio alibi, C. Cassium Longinum, qui iuris peritia successit Sabino, temporibus Tiberij gessisse consulatum cum Q. Haterio, qui in ea facultate sui temporis facile princeps, natus ex Tuberonis filia, quæ fuit neptis Seruij Sulpitij. Et ideo proauum suum Seruium Sulpitiū appellabat. A' Nerone, cum maximæ auctoritatis in ciuitate esset, expulsus in Sardiniam, & à Vespasiano reuocatus, diem suum obijt. Mendam suspicor apud Pomponium Iurisconsultum, ff. primo, ubi non à Nerone, sed à Tiberio Cassium deportatum in Sardiniam, scribitur. Quod esse nequit, cum eundem legamus apud Tacitum, Præfectum Syriæ sub Claudio legum peritia præeminentē, priscum morem reuocantem, legiones exercentem, cura, prouisu perinde agentem, ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis & familia Cassia ratū, missum sub Nerone ad sedandum tumultum populi, sæpe tunc in senatu sententiam dixisse. Demū prohibitum ab officio exequiarum Poppeæ, & à Senatu motum nullo crimine: non quòd uetustis opibus & grauitate morum præcellebat: obiectumq;, quod inter imagines maiorum etiam C. Cassij effigiem coluisset, ita inscriptam, Duci partium: & quòd L. Syllanum ad discordias sibi assumpsisset. Tandē S. C. exilium decretum, & in Sardiniam deportatū. Ob id, ut inferius ostendam, aliqui ponunt Cos. Longinum: qui fortè is est. Sed neque illud obmittendum, quod Eusebius scribit, Octauo Tiberij anno Pompeij theatrum incensum. de quo ita inquit Tacitus: At Pompeij theatrum igne fortuito haustum, Cæsar extructurū se pollicitus est, eo quòd nemo è familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeij. Silius laudibus Seianum extulit, tanquam labore uigilantiaq; eius tanta uis unam intra domum stetisset: & Censuræ effigiem Seiano, quæ apud theatrum Pompeij locaretur. CHRISTI

9 Pollio, Vetus.

C. ASINIVS, & C. ANTISTIVS. 25. 775

Horum Coss. mentionem sic facit Tacitus, in principio quarti historiarum ab

excessu

Ab CHRI- Ab ur. con. STI con.

excessu Augusti: C. Asinio, C. Antistio Coss. nonus Tiberio annus erat compositæ Reipub. florentis domus (nam Germanici mortem inter prospera ducebat) cũ repentè turbare fortuna cœpit: sæuire ipse, aut sæuientibus uires præbere. Initium & causa penes Aelium Seianum cohortibus Prætorijs fuit, &c. quæ sequũtur. Describit deinde, quomodo Seianus creuit, & in eam potentiam ascendit, ut imperare quandoq; speraret. Et cum ad iurgia cum Druso uenisset, cępit eius uxorem Liuiam, quę Germanici soror fuit, stupratam: ipsamq; ad spem coniugij consortiumq; regni erigens, ad necem mariti compulit: cum iam uxorem suam Apicatam, è qua tres liberos genuerat, domo pelleret. Mox per Lygdum spadonem, quia per ætatem & formam Druso charus, & fortè etiam Liuiæ stupro non ingratus, uenenum ei affert, quo paulatim extinctus est. Cuius mortem Tiberius animo constanti pertulit, Germaniciq; liberos Neronẽ & Drusum Senatui commendauit. Cum paulo pòst Drusus ille iunior togam uirilẽ sumpsisset, Senatusq; ei omnes illos honores, quos fratri Neroni prius decreuisset, eadem etiam quæ olim Germanico decreta sunt, memoriæ Drusi decernuntur: licet maiori adulatione, & pompa funebri singulari. Laudauit tum filium pro rostris Tiberius: ac tum omnes domum Germanici reuiuiscere, occultè lætabantur. Quod cernens Seianus, cum tres liberos Germanici, quorum non dubia successio erat, ueneno occidere, ob egregiam custodiam, & Agrippinæ pudicitiam nequiret, uetus Augustæ odium & Liuiæ conscientiam in Agrippinam exagitat, criminatoremq; subornat Iulium Posthumum. Damnabantur tamen passim sontes atq; insontes, quos plures describit illic Tacitus. His enim iudicijs libenter intererat Tiberius, & legationes audiebat: & quædam reformabat oppida, motu terræ collapsa: questibus etiam Prætorum irritis aderat: histriones quoque Italia expulit. Mortuus est eo anno & alter ex geminis Drusi liberis, & Lucillus Longus, omnium tristium ac lætorum socius, & Rhodij secessus comes. De Seiano Aelio sic scribit Velleius, ubi tradit eminentes uiros magnis adiutoribus usos: Sub ijs, inquit, exemplis Tiberius Cæsar Seianum Aelium, principe Equestris ordinis patre natum, materno uerò genere clarissimas ueteresq; & insigneis honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, auunculum: ipsum uerò laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiã uigore animi, compage corporis, singularem principalium onerum adiutorem, in omnia habuit, uirum seueritatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu ociosis simillimum: nihil sibi uendicantem, eoq; adsequentem omnia: semper infra aliorum æstimationes se metientem, uultu uitaq; tranquillum, animo exsomnem. In huius uirtutum æstimatione iam pridem iudicia ciuitatis cum iudicijs principis certant. Neq; nouus hic mos Senatus Po.q; Ro. est, putãdi quòd optimũ sit, esse nobilissimum. Post hæc uerba enumerat multos nouos homines, maximos assequutos magistratus. Et tandem subiungit, huius consulis mentionem faciens. Quiq; nihil Asinio Pollioni negauerunt, quòd nobilissimis summo cum sudore coniequendum foret. Profectò hoc senserunt, in cuiuscunque animo uirtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Cæterùm in ignoto autore hoc loco scribitur, Nerone & Pisone. Frontinus li. de Aquæductibus, scribit Capitoni successisse curatorem aquarum Satrium Ruffum, L. Martio & C. Antistio Vetere Coss.

Obserua & illud, unde nomina sint immutata: cum & ignotus autor, si sincerus est libellus, alia cognomina ijs Coss. tribuat. Sed C. Asinium Gallum oratorem, Asinij Pollionis filium, cuius & Vergilius meminit, Eusebius scribit à Tiberio diris supplicijs necatum. Dionys. uerò tradit, Asinium Gallum paterna usum audacia, rupisse patientiam: cum Tiberius ambiguis responsis & callida cunctatione suspenderet Senatum, precantem susciperet Imperium: & in tumultu proclamasse, aut ageret, aut desisteret, cum post obitum Augusti confestim neq; agere dubitasset. Cuius facti meminit Tranquillus, suppresso nomine Galli. Qui cum multa grauia perpessus esset, tandem iussu Tiberij iugulatur.

Olymp. Imp. Tib. Hæc, ut Tranquillus & Eusebius rectè intelligant, subscripsi. Sed horum consulum pulchrè meminit Plinius senior, libro tricesimotertio, ca. secundo: Decuriæ ipsæ pluribus discretæ nominibus fuere: Tribunorum æris, & selectorum, & iudicũ. propter hoc etiamnũ Nongenti uocabant, ex nominibus selecti, ad custodienda suffragiorũ scita in comitijs. Et diuisus hic quoque ordo erat superba usurpatione nominũ: cũ alius se Nongentũ, Selectũ alius, alius Tribunũ appellaret. Tiberij demum principatus nono anno in unitatẽ uenit. Equester ordo, annulorũque autoritati forma constituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio uetere Coss. anno urbis conditæ septingentesimo septuagesimoquinto. CHRISTI

His Coss. Drusus Cæsar publicè funeratur.

Eusebius in Chronicis: Nono Tiberij anno Drusus Cæsar ueneno perijt. De morte Drusi Suetonius in Tiberio, rubrica quinquagesimasecunda, & rubrica sexagesima secunda. Orosius lib. 7. cap. secundo. Sed nemo uberius quàm Tacitus, qui copiosissimè narrat in quarto Historiarum, originem & modum, quomodo à Seiano Drusus sit ueneno occisus.

4 10 SER. CORNELIVS, & L. VISELLVS. 26. 776

Tacitus lib. quarto, sic de ijs Coss. loquitur: Cornelio Cethego, Visellio Varrone Coss. pontifices, eorũque exemplo cæteri sacerdotes, cũ pro incolumitate principis uota susciperent, Neronẽ quoque & Drusum ijsdẽ dijs cõmendauere, non tam charitate iuuenũ, quàm adulatione: qua morib. corruptis, proinde anceps si nulla, & ubi nimia est. Nam Tiberius haud unquam domui Germanici mitis: tũ uerò æquari adolescentes senectuti suæ impatienter indoluit. accitosque pontifices percũctatus est, num id precibus Agrippinæ, aut minis tribuissent. Et illi quidẽ, quãquam abnuerẽt, modicè perstricti. Etenim pars magna è propinquis ipsius, aut primores ciuitatis erãt. Cæterũ in Senatu oratione monuit, in posterum nequis mobiles adulescentiũ animos præmaturis honorib. ad superbiã extolleret, &c. Describit deinde, quomodo Seianus accusatores in amicos Germanici ac Agrippinę subornauit: quo pacto C. Silius, & eius uxor Sosia Galla, quòd chara esset Agrippinæ, damnant: multique alij nũc repetundarũ, nunc maiestatis accusant. Et tum filius patrẽ accusabat, qui Eusebio uocat Seruius Plaucius: à Tacito uerò, Q. Vibius Serenus. Et quomodo hoc anno bellũ in Aphrica cæso duce Tacfarinate, sedatũ sit: & pariter seruile bellum in Italia subitò ortũ, oppressum.

Cæterũ autor ignotus hoc loco scribit, Cethegus & Varro: quæ cognomina sunt horũ Coss. ut etiã ex Tacito patet. Quorũ facit mentionẽ quoque Iulius Frontinus de Aquæductib. Sergio Cornelio Cethego & L. Visellio Varrone Coss. M. Coccium Neruã, diui Neruæ auũ, iuris scientię illustrẽ, curatorẽ fuisse aquarum, ac Satrio Ruffo successisse. Huius Neruæ mentio fit apud Iurisconsultũ, ff. 2. de Origine iuris, ubi illustres iuriũ autores enumerat. Traditque Tacitus in quarto, Cocciũ Neruã legũ peritũ, comitẽ fuisse Tiberio in Campaniam secedenti.

CCI 11 M. ASINIVS, & COSSVS CORNELIVS. 27. 777

Ignotus uerò autor scribit, Agrippa & Lẽtulus: quod idẽ est. nã Tacitus li. 4. sic de ijs Coss. loquitur: Cornelio Cosso, Asinio Agrippa Coss. Cremutius Cordus postulatur nouo, ac tum primùm audito crimine: quòd editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorũ ultimũ dixissent. Accusabant, Satrius Secundus, & Pinarius Natta, Seiani clientes, id perniciabile reo. Et Cæsar truci uultu defensionẽ accipiens, quã Cremutius relinquendæ uitæ certus, pulchra oratione, quæ illic legitur, interrumpit, ac inedia uitam finiuit. Et cum patres censuissent, per Aediles libros cremandos: tamen manserunt occultati, & editi. Describit dehinc. quomodo continuus annus postulandis reis fuit. Narrat dehinc, quomodo Hispani uoluerunt erigere templũ Tiberio & matri: quod recusauit quadam oratione. Et quomodo Seianus per codicillos petijt à Tiberio Liuiæ matrimonium promissum, quod dissuasit Tiberius.

C. Calui.

-Ab. con. | CHRI-STI | Ab ur. con. | | Olym. | Imp. Tib.

Sabinus.

28. 778 C. CALVISIVS, & GN. GETVLICVS. 2. 12

Horū Coss. fit mentio in hæc uerba à Tacito, in quarto Historiarū: Lentulo Getulico, C. Caluisio Coss. decreta triūphi insignia Poppeo Sabino, cōtusis Thracū gentibus, qui montiū editis inculti, atq; eo ferocius agitabant. Narrat dehinc causam huius motus, & bellū ipsum latissimè quomodo cōfectū sit. Continuanť deinde accusationes. Claudia Pulchra sobrina Agrippinæ, tanq̃ uenefica in principem, & Furnius tanq̃ adulter, postulanť & damnanť. Vnde Agrippina mirū in modū lædiť, & à Seiano persuadeť, sibi à Tiberio parari uenenū. Ideo immutata omnibus epulis abstinet, magisq; sibi infestū principē reddit. Nec cessauit Seianus, quin uniuersæ soboli Germanici insidias strueret. Et nunc Neronem, qui proximus successioni erat: nunc Drusum inuisum principi fecit, seminaq; futuri exitij semper meditabať, ut latè illic Tacitus describit. Tiberius aūt postq̃ diuersas legiones audiuit, secessit in Campaniā, comitibus Cocceo Nerua, Curtio, Attico, Seiano, & quibusdā Græcis, quibus oblectabať. Causam illius abscessus lege illic copiose, & cętera quę desideras. nam omnia quæ Tacitus scribit, animus nō est afferre: digito indico. Cęterùm ut & alia afferamus, fortasse hic est Gn. Lētulus Getulicus, cuius in Caligula meminit Tranquillus. de quo Martialis: Sic Pedo, sic Getulicus, sic quicunq; perlegiť. Cuius et Sidonius mentionē facit. Aut de familia Cossi Lentuli, qui hoc cognomen à deuictis Getulis sortitus est, ut in calce operis Florus scripsit, cuius suprà meminimus. Hoc anno, ut Orosius in septimo, cap. secundo scribit, noua & incredibilis clades apud Fidenatiū urbē accidit. Amphitheatri cauea, gladiatorū munus populo spectāte, collapsa est, & plus quàm uiginti milia hominū occidit: quod Tacitus sequenti anno factū prodidit, ut patebit. Hoc itē anno, id est, duodecimo Imperij Tiberij, Pontius Pilatus procurationē Iudææ suscepit: ut Eusebius lib. primo sacræ Historiæ, capite undecimo: & Iosephus in decimooctauo Antiquitatum, capite septimo attestantur.

29. 779 L. PISO, & M. CRASSVS. 3. 13

De ijs Coss. ita scribit Tacitus in quarto: M. Licinio, C. Calpurnio Coss. ingentium bellorum cladem æquauit malum improuisum. Nā cœpto apud Fidenam amphitheatro, Attilius quidam libertini generis, quo spectaculū celebraret gladiatorū, neq; fundamenta per solidum subdidit, neq; firmis nexibus ligneā compagē superstruxit: ut qui non abundantia pecuniæ, nec municipali ambitione, sed in sordida mercede id negotium quæsiuisset. Affluxere auidi talium, imperitante Tiberio, procul uoluptatibus habitis, ob propinquitatē loci: unde grauior pestis fuit, conferta mole, dein conuulsa, dum ruit intus, aut in exteriora effundiť, immensamq; uim mortaliū spectaculo intentos, aut qui circùm adstabant, præceps trahit atq; operit. Quinquaginta hominū milia eo casu debilitata, uel obtrita sunt: cautumq; in posterum S. C. ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorū miliū res esset: ne' ue amphitheatrū imponereť, nisi solo firmitatis spectatæ. Attilius in exiliū actus est. Describit illic latè cōmiseratione obtritorū, & quomodo quidā fomētis restituti sint. Dehinc quo pacto incendiū urbē affecerit, monte Cęlio deusto, quē Querquetulanū olim dictū cōmemorat. Sed Tiberius, ex modo detrimenti, pecunias tribuebat: unde ei grates actę sunt. Dehinc dedicatis p Cāpaniā tēplis, posus omnia in continēti sita, secessit in Capreas insulā, inq; luxum & otium resoluebať, audiēs Seiani in Agrippinā & Nerone delationes. Sed interim accusatorū maior uis, & infestior, sine leuamēto grassabať. Estq; Varus Quintilius postulatus à Domitio Aphro. Verùm ut alia q̃dā afferamus: hic credo est ille L. Piso, qui noctē cōtinuūq; biduū epulādo potandoq; cū Tiberio consumpsit: atq; hinc præfecturā urbis meruit, & amicus omniū horarū uocatus, referente Suet. in Tiberio, rubr. 42. De quo Plin. in deci-

Olym. imp. Tib. in decimoquarto, capite uigesimosecundo: Eâdem meri commendatione credidere L. Pisonem, urbis Romæ curatorem à Tiberio delectum, quòd biduò duabusq; noctibus potationem continuasset, apud ipsum iam principem. Seneca duodecimo Epistolarũ: L. Piso urbis custos, ebrius ex quo semel factus fuit, maiorem partẽ noctis in conuiuio exigebat, usq; in horam sextã ferè dormiebat. Hoc eius erat matutinum officium: suum tamen, quo tutela urbis continebatur, diligentißimè administrauit. Huic & diuus Augustus dedit secreta mandata: cum illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit. Et Tiberius proficiscens in Campaniam, præfecturam urbis dedit: cum multa in urbe & suspecta relinqueret, & inuisa. Puto quòd bene cesserit illi Pisonis ebrietas. Hæc Seneca. CHRISTI

4 14 APP. SILLANVS & P. SILLIVS. 30 780.

Horum Coss. sic fit mentio apud Tacitum, in fine quarti Historiarum: Iunio Sillano & Silio Nerua Coss. fœdum anni principium incesit, tracto in carcerem illustri equite Romano Titio Sabino, ob amicitiam Germanici. Neq; enim omiserat coniugem liberosq; eius percolere, sectator domi, comes in publico: post cliẽtes unus, eoq; apud bonos laudatus, & grauis iniquis. Qui accusatus ac damnatus, trahebatur Cal. Ianuarij obducta ueste, & obstrictis faucibus quantum niti poterat, clamitans: Sic inchoari annum, has Seiano uictimas cadere. Magnus hic timor in plebe ortus est: cum nullus dies uacuus supplicijs aut accusationibus, etiam festis sacrisq; diebus. Sed literis Tiberius Senatui grates egit, quòd homo infensus Reipub. punitus esset. Trepidamq; sibi uitam ob inimicorum insidias questus est. Sed Seianus cum Senatus operã polliceretur, obstitit ne aperirentur ea quæ noluit differre. Per idem tempus Iulia mortẽ obijt, quã neptem Augustus conuictam adulterij damnauerat, proieceratq; in insulã Trimerum, haud procul Apulis littoribus: illic uiginti annis exiliũ tolerauit, Augustę ope sustentata. Quæ florentes priuignos cum per occultum subuertisset, misericordiam erga afflictos palàm ostentabat. Eodem anno Tiberius neptẽ Agrippinam, Germanico ortam, cum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit. In Domitio super uetustatem generis, propinquum Cæsaribus sanguinem delegerat. nam is auiam Octauiam, & per eam auunculum præferebat. Erat enim tum Tiberius in Campania, reuersus ex insula: cum sæpius uocaretur in urbem, & ara Clementiæ cum ara Amicitiæ essent dicatæ, effigiesq; circum Cæsaris ac Seiani, in urbem tamen regredi noluit. Horum Coss. meminit Plinius li. octauo, ca. quadragesimoquarto, de canib. scribens in hæc uerba: Sed super omnia in nostro æuo actis Po. Ro. testatum, Appio Iunio & P. Sillio Coss. cum animaduerterẽt ex causa Neronis Germanici filij, in T. Sabinũ & seruitia eius, unius ex ijs canem nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recesisse, abiecto in gradibus Gemonijs, mœstos edentẽ ululatus, magna po. Ro. corona circunstante. ex qua cum quidam ei cibum obiecisset, ad os defuncti tulisse. Innatauit idem, in Tiberim cadauere abiecto, sustentare conatus: effusa multitudine, ad spectandam animalis fidem. Hæc Plinius. Meminit huius historię de cane & T. Sabino, Ioannes Monachus Lydius, in uita Tiberij.

Hoc anno D. noster IESVS CHRISTVS à Iohanne baptizatur, & prædicare cœpit.

CCII. 15 *Geminus,* C. RVBELLIVS, & C. FVSIVS. *Geminus.* 30 781.

Horum Coss. ita meminit Tacitus, in quinto Historiarum ab excessu Augusti: Rubellio & Fusio Coss. quorum utriq; Geminus cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obijt, ætate extrema, nobilitatis per Claudiam familiã, & adoptione Liuiorũ Iuliorumq; clarißimæ. Primũ ei matrimoniũ & liberi fuere cũ Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeiũ ac Triũ-

uiros

CHRI- STI Abur. con. Olymp. Tib. uiros facta, in urbē rediȷt. Exin Cæsar eam cupidine formæ aufert marito, incertum an inuitam: adeò properus, ut ne spacio quidem ad enitendum dato, penatibus suis grauidam induxerit. Nullam posthac sobolem edidit, sed sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinæ & Germanici adnexa, cōmunes pronepotes habuit, sanctitate domus priscum ad morē, &c. Dehinc describit, quomodò eius testamentū diu fuit irritum, & modicum funus: sed laudato pro rostris à C. Cæsare Caligula. Tiberius autē magnitudinem negotiorū causatus, absens fuit, semper genio suo indulgens. Sed literis honores à Senatu decretos imminuit, & muliebres amicitias increpuit: Fusiū Consulem oblique perstringens, qui gratia Augustæ floruerat, aptus alliciendis feminarū animis, dicax, &c. Idem & Tiberium acerbis facetȷs irridere solitus, quarum apud prępotentes in longum memoria est. Cæterùm ex eo prærupta iam & urgens dominatio. nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inueteratum erga matrem obsequium. Neq; Seianus audebat autoritati parentis anteire. Tūc ueluti frenis exoluti proruperunt: missæq; in Agrippinam ac Neronem literæ, quas pridem allatas, & cohibitas ab Augusta credidit uulgus.

Quemadmodum anno Domini XXXI. Iohannes Baptista ab Herode tetrarcha decollatus fertur, & Stephanus lapidatus anno Domini XXXIII. *Christus à Iohāne baptizatur, & prædicare cœpit. In alȷs Annalib. scribitur.*

DIGRESSIO CVSPINIANI.

Dici uix poterit, quanto fuerim affectus gaudio, cum priores Taciti quinq; libros nuper repertos relegissem uno continuo, ut aiunt, spiritu. Cogitabā nāq;, illic me posse inuenire, quod dudū quæsierā. Et iam opus ad umbilicū erat perductū. Luce enim clarius meridiana offendi in hoc nostro Cassiodoro, in Tiberio duos deesse Consulatus, quos sperabam me in Cornelio inuenturū. Sed eheu, quātum prius gauisus sum, tantū pòst indolui: cum mox à principio quinti libri Taciti deprehendi duos deesse consulatus. Ingemui bis terq; quaterq;, & omnes Annales & Chronicos libros euolui. Sed cum negata assequi etiam maximo labore nequeamus, posteros omnes ac posthumos rogo & efflagito, ut meum laborem benignè interpretentur (nunquam enim deest malignus interpres) ac si quid inuenerint huic loco aptum, ex fide subscribant. Cur aūt tantum uicē meā indoleā, apertè hic & ingenuè cunctis fatebor: hæc res me malè habet. Diuus Augustinus libro Ciuitatis diuinæ decimooctauo, ultimo capite, sic scribit, horum Coss. mentionē faciens: Mortuus est ergo Christus duobus Geminis Coss. octauo Calendas Aprilis: resurrexit tertia die, sicut Apostoli sui etiam sensibus probauerunt, &c. Firmianus item Lactantius quarto libro de Vera sapientia, in fine decimi capitis, hæc eadem sic commemorat: Exinde tetrarchas habuerunt Iudęi usq; ad Herodem, qui fuit sub Imperio Tiberȷ Cæsaris: cuius anno quintodecimo, id est duobus Geminis Coss. ante diem decimum Calendarū Aprilium, Iudęi Christū cruci affixerunt. Paria tradit Paulus Orosius libro septimo, capite tertio, omisis tamen nominibus Coss. in hęc uerba: Deinde anno eiusdē decimoquinto, cum Dominus CHRISTVS IESVS uoluntariè quidē se tradidit passioni, sed impiè à Iudæis apprehensus & patibulo suspensus est, maximo terræmotu facto per orbem, saxa in mōtibus scissa sunt, maximarūq; urbiū plurimæ partes solita cōcussione ceciderūt, &c. Ad hæc in opusculo ignoti autoris, ubi sola Coss. nomina ponuntur, quem toties cito, ita scribitur: GEMINO ET GEMINO. Dehinc crassiori calamo subscribitur: HIS COSS. CHRISTVS PASSVS EST, DIE SOLIS, LVNA DECIMA QVARTA. Præterea oblatum est mihi peruetus opusculum anonymi autoris,

Olym. Imp. ris, quo Pontifices Max. sub quibus COSS. fuerint, enumerãtur. In eo ita scribitur:
Tib. Imperante Tiberio Cęsare passus est Dominus IESVS CHRISTVS, duobus Geminis COSS. octauo Calend. April. Et post ascensum eius, beatissimus Petrus episcopatum suscipit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus, quot annis præfuit, uel quo imperãte. Dehinc maiusculis literis subiungitur: PETRVS ANNIS VIGINTIQVINQVE, MENSE VNO, DIEBVS NOVEM. Fuit tẽporibus Tiberij Cæsaris, & Caij & Tiberij, Claudij & Neronis, à cõsulatu Vinicij & Longini, usq; Neronis & Veteris. Passus autem cum Paulo die tertia, Calend. Iulijs, COSS. SS. imperante Nerone. Postremò Tertulianus Apher, quẽ Cyprianus magistrum suum ob miram eruditionem appellare solitus est, in libro aduersum Iudæos, asserit Christum passum fuisse sub Tiberio Cæsare, COSS. Rutellio Gemino & Ruffo Gemino, mense Martij, tẽporibus Paschæ, die octaua Calend. Apriliũ, die prima Azymorũ. Quæ omnia correspondent superioribus, licet COSS. nomina sint parũ deprauata. Danielis enim hebdomadas ad annos refert, longo uerborũ ambitu. & inter cætera inquit: Videamus autẽ, quoniã quadragesimo primo imperij Augusti anno, qui post mortem Cleopatræ imperauit, nascitur Christus, post Augustum, qui superuixit post natiuitatẽ Christi annis quindecim. Successit Tiberius Cęsar, & imperiũ tenuit annis uiginti duobus, mensibus septẽ, diebus uigintiocto. Huius quindecimo anno imperij passus est Christus, annos habens quasi triginta, cum pateretur. Sic etiã eum citat Eusebius in libro Temporum: Iulius Aphricanus, qui librũ quoq; de Temporibus scripsit, hebdomadas Danielis prophetæ asserit finiri quintodecimo Tiberij Cæsaris anno, quo Christus passus est. Quæ omnia latissimè in Danielis cõmentarijs diuus Hieronymus prosequitur. Et ideo, ut concludã, tot annalibus cõperi Christi passionem esse reiectam in decimumquintũ annum Tiberij. Quibus resistit Euangelica ueritas. Lucas enim Euãgelista, capite tertio scribit: Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Iudæam Pontio Pilato, prædicasse Iohannẽ Baptistam in deserto, peccatorum remissionem per baptismum: & ab eo tum inter primos baptizatus est Christus, cum esset annorum tanquã triginta. Conuersatus autem est inter Iudæos & prædicando & docendo, post baptismum tribus annis amplius: ita quòd eius passio in decimumoctauum, non quintumdecimũ Tiberij decidat: ut Eusebius, Eutropius, & noster Cassiodorus tradunt, ut infrà patebit. Et quæ igitur dementia, tam insignes uiros erroris coarguere? Et quanta temeritas, ne dicam perfidia, occæcatum contra Euangelij ueritatem, quempiam aliquid temerè asserere? Ob id, ut à principio dixi, diu me tenuit hoc rete. Sed cum iam editurus essem has lucubratiunculas, percommodè obtulit sese Paulus Mittelburgensis, ForoSemproniensis episcopus, uir hercle nunquam satis laudatus: qui cum rectam diem Paschæ uenari trigintatribus libris ad Leonem decimum & Maximilianum Cæsarem conaretur, de anno & die, quàm uerissimè inuenire potuerit homo, tam natiuitatis quàm passionis Domini nostri IESV CHRISTI perscripsit. Hunc igitur, studiose lector, adi, & ultimos decẽ nouem libros sedula opera euolue: hic inuenies, quod te afficiet sine dubio. Cæterũ ut & ipse etiam supra hæc quæ Paulus scripsit de anno passionis afferam, quæ diligenti studio inuestigauerim: habeo uetustissimum opusculum, quo COSS. nomina sola ordine ponuntur, sine titulo autoris, quem à Cæsareo Senatore Fuxmagone accepi. In eo alia serie COSS. locantur, hoc scilicet pacto:

14	Sillanus	& Nerua
15	Enobarbus	& Aruntius
16	Vinitius	& Longinus
17	Bassus	& Piso. His COSS. passus est Ioannes Baptista.
18	Duo	Gemini.

His COSS. passus est D. noster Iesus Christus. Adeò quòd geminorũ cõsulatus cadat in 18. annũ Tiberij. Et ideo si in quibusdam autoribus non esset numerus quindece-

quindecenarius anni Tiberij, & consulatus Geminorum: posset fortè fieri con-
cordia autorũ. Cuique enim mediocriter erudito manifestum est, quanta Anna-
lium diuersitas sæpius ab autoribus citetur. Et quidem hos Annales, alij alios se-
quuti sunt. Nos ea quę potuimus, sine inuidia simpliciter & candidè pręstitimus.
Qui post nos meliora & sinceriora inuenient, sine calumnia & mordacitate ac
conuicijs (ut pleriq; assolent) benignè subscribent. Quanquam uulgati Anna-
les anno xxxiij. Dominum nostrum Iesum Christum Hierosolymis tradant pas-
sum, & diuum Stephanum lapidatum. Ego ad Cassiodorum reuertar: qui post
Rubellium & Fusium hos Coss. subscribit,

Longinus.

31. 782 M. VINICIVS, & L. CASSIVS. 2. 16

Hos Coss. deesse queror in Cornelio Tacito, libro quinto. Nam mox ab initio
hic liber fragmentatus est, & minimè cohærẽtia habet. Constat autem, Tacitum
historiam suam per Coss. digessisse, ut Liuius fecit: sed hoc loco fenestram habet.
Et ideo nihil uolumus temerè asserere, quid hoc anno sit actum: cum circa id tem
pus sine dubio facta sit relegatio Agrippinæ, & eius filiorum Neronis & Dru-
si: & fortè Seiani coniuratio. Quærite ô studiosi uiri, integros Taciti libros: si-
ne dubio extant, & mens mihi uerum præsagit: uereor quosdam ob inuidiam
illos occultare. Tacitus in quinto huius M. Vinicij meminit, in hæc uerba: Vi-
nicio, inquit, oppidanum genus, Callibus ortus, patre atque auo consularibus:
cætera equestri familia erat, mitis ingenio, & comptæ facundię. Huic Iuliam ne-
ptem suam Germanico genitam, Tiberius Cæsar copulauit. hæc ille. Fuit itaq;
progener Tiberij Cæsaris: quos ille quatuor habuit, hunc & Gn. Domicium,
Cassium Longinum, & Rubellium Blandum. Meminit & huius Vinicij Sene-
ca: & huic inscripsit opus suum Velleius Paterculus, quem nuper Beatus Rhe-
nanus mendis exutum restituit luci, uir humanitate & doctrina iuxtà præditus,
ac de literis latinis optimè meritus. Cæterùm L. Cassij Longini meminit Tran-
quillus in Caligula, rubrica uigesimaquarta, in hæc uerba: Nam huic cum esset
collocata Drusilla soror C. Cæsaris in uxorem, eam abduxit, & quasi uxoris lo-
co habuit Cæsar. Nam & prætextatus adhuc, eam uirginem uiciarat: & ab a-
uia Antonia deprehensus fuit. Hanc hæredem omnium bonorum instituit, cum
quondam æger esset. Ea defuncta, risisse, lauisse, cum parentibus aut coniuge
pœnale fuit. Hunc Cassium Longinum Asię proconsulem iussit occidi, cum si-
bi denunciatum esset, ut à Cassio caueret: immemor Chaeream Cassium nomi-
nari, à quo occisus est. Verùm ut id etiam memorem, quod me angit, inuenio a-
pud Iureconsultum primo ff. de Origine iuris, ubi illustres narrantur Iurisperiti,
C. Cassium Longinum natum ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Seruij Sulpi-
tij, consulem fuisse cum Q. Haterio (sic enim legendum, non Quartino, ut uicia-
ti habent codices) temporibus Tiberij, & plurimum auctoritatis habuisse in ci-
uitate, eò usque, donec Cæsar eum ciuitate expelleret: expulsus ab eo in Sardi-
niam, reuocatus à Vespasiano, diem suum obijt. Hæc ego non ideo scripsi, quòd
putem hoc anno illos fuisse Coss. qui optimè teneo memoria Q. Arterium duo-
decimo anno Imperij Tiberij, C. Caluisio & Cn. Getulico Coss. diem suũ obijs-
se: ut latissimè Tacitus libro quarto attestatur: Sed quia apud Iurecõsultum hos
reperi Coss. fuisse temporibus Tiberij, qui fortè non ordinarij, sed suffecti Coss.
loco Tiberij ac Germanici fuerunt, aut aliorũ. Coniectura enim nonnunquã
opus est, aliquando iudicio acri, quandoq; exemplis, quandoq; & diuinatione.
Neq; enim omnes Coss. cõplexus est Cassiodorus, sed ordinarios tantum: pecu
liares etiam sequutus Annales. Volui hoc loco illorũ meminisse, cum de L. Cas-
sio scriberẽ. Si quispiam uerum locum reperiet horũ Coss. subscribat diligenter.

23. 783 TIB. CAESAR V. COS. & SOLVS. 3. 17

Neq; is cõsulatus extat apud Tacitum: quia hoc loco liber est mancus, licet in

Olym. Imp. Tib. fine chartæ unius quæ sequentem cõsulatum præcedit, mentio fiat Fulcinij Trio CHRISTI
nis & Reguli Coss. qui fortè suffecti Consules huius anni fuerant. Illic enim in quinto scilicet libro, hæc tradit Tacitus: Exitu anni diu aucta discordia Coss. erupit. Nam Trio facilis capessendis inimicitijs & foro exercitus, ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros obliquè perstrinxerat. Ille nisi lacesseretur, modestiæ retinens, non modò retudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionẽ trahebat: multisq; patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent. Ex illis quæ paulo antè apud Tacitum scribuntur eo loco, liquidò constat, quòd hoc anno sumptum est supplicium de Seiano, quem Tiberius collegam in consulatu & generum asciuerat per Liuiam Drusi coniugem, & Cæsaris neptem, & quem sæpe suum Seianum appellare solitus erat: ita uersa est fortuna. Seianus autem gladio quem sinu abdiderat, incubuit. Corpus eius unco tractum, & in Gemonias scalas abiectum. Dehinc sæuitum & in Seiani liberos ac amicos, qui & partim occisi, partim in insulas relegati sunt. Meminit illius rei & Ioannes Monachus in Tiberio, dicens Seianum in magnam dignitatem à Tiberio prouectum, & socerum ex Iulia Drusi filia factum, tandem decernente Senatu interfectum. Cuius corpus triduò à populo Romano illusum, postremò in Tiberim abiectum. Filius pariter occisus, & mater sibi mortem cõsciuit. Hæc autem omnia commodè ex Suetonio discemus, qui rubrica sexagesimaquinta ita scribit: Seianum res nouas molientem, quamuis iam & natalem eius publicè celebrari, & imagines aureas coli passim uideret, uix tandem & astu magis ac dolo, quàm principali auctoritate subuertit. Nam primò ut à se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumpsit in quinto consulatu, quem longo interuallo absens ob id ipsum susceperat. Deinde spe affinitatis ac Tribunitiæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est pudenda, miserandaq; oratione: quum inter alia P.C. precaretur, mitterent alterum è Coss. qui senem se & solum in conspectum eorum, cum aliquo militari præsidio perduceret. & reliqua quæ sequuntur. Fuit itaque hoc anno Tiberius quinquies consul, si duo consulatus, quos sub Augusto gessit, simul supputentur. Tres enim tantum suo imperio gessit. Et fortè hoc anno Seianus collega eius fuerat. Designauit nanq; ipsum consulem, cum Capreas peteret. Et ita hoc anno in summis honoribus, cum eius cõiuratio esset detecta, mors ei obuenerat. De quo multa Iuuenalis poeta: & Tacitus in principio quarti Historiarũ sic scribit: Aelius Seianus prætorij præfectus, genitus Vulsinijs, patre Seio Strabone equite Romano, & prima iuuenta C. Cæsarem Diui Augusti nepotem sectatus, non sine rumore Apicio diuiti & prodigo stuprũ uenum dedisse. Mox Tiberium uarijs artibus deuinxit, adeò ut obscurum aduersus alios, sibi uni incautum intectumq; efficeret: non tam solertia (quippe ijsdem artibus uictus est) quàm Deûm ira in rem Romanam: cuius pari exitio uiguit, ceciditq;. Vide illic latissimè, quibus uicijs fuerit inquinatus sordidissimus. Meminit autem & huius consulatus Plinius in secundo Historiarum, capite uigesimoquinto, de cometis sic scribens: Hæc fuit, de qua quinto consulatu suo Tiberius Imperator Cæsar præclaro carmine perscripsit, ad hunc diem nouissimè uisam. Cassiodorus itaque noster hoc anno Tiberium, & solum, consulatum gessisse scribit: quia fortè Seianus fuit mox occisus. Verùm & in opusculo incerti autoris, ubi solùm Consulum nomina narrantur, scribitur hoc loco: Tiberio, & solo. Verùm mox ibidem subduntur duo alij consules, Aruncius & Aenobarbus: qui in Cassiodori exemplo, quod ad manus meas peruenit, non scribuntur, sed desunt, uicio scriptoris sine dubio. Neque enim mihi persuadere possum, hos Cassiodorum prætermisisse, cum mox Cassiodori scriptura subiungatur: His Consulibus, Dominus noster IESVS CHRISTVS, &c. reijciens passionem Christi in decimumoctauum Tiberij annum. Cum itaque tantũ hactenus decem & septem recensuisset cõsulatus, necessariò debuit subiungi deci-

CHRI. Ab ur. gi decimusoctauus: alioquin non subscripsisset: His Consulibus, Dominus no- Olym. Imp.
STI con. ster Iesus Christus. Si enim sub quinto Tiberij consulatu passionem Christi uo- Tib.
luisset denotare, dixisset, hoc Cos. non his Coss. &c. Cum itaque in exempla-
ri unico, quod habui, hoc loco uacuum reperissem spaciũ, mox deesse Consules
duos conieci, quos diligenter undique disquirens, tandem reperi in quinto libro
Taciti, quos subscribam fideliter, & opem hanc autori nostro afferam corrupto
& manco. Quisquis post me meliora inueniet, tam candidè ut ego subscribat.
Verba autem Taciti hæc sunt:

33. 784 Cn. Domitius, & Camillus Scribonianus 4. 18

Consulatum inierant, cum Cæsar transmisso, quod Capreas & Surrentũ inter-
luit freto, Campaniã præterlegebat, ambiguus an urbem intraret: seu quia cõtrà
destinauerat, speciem uenturi simulans, & sæpe in propinqua digressus, aditis iu
xta Tiberim hortis, saxa rursum & solitudinem maris repetijt, pudore scelerum
& libidinum, quibus adeò indomitis exarserat, ut more regio pubem inge-
nuam stupris pollueret: nec formam tantum & decora corpora, sed in ijs mode
stam puericiam, in alijs imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat.
Tunc primùm ignota antè uocabula reperta sunt, sellariorum & spintriorum,
ex fœditate loci ac multiplici patientia: præpositiq; serui, qui quærerent, per-
traherent dona in promptos, minas aduersum abeuntes: & si retinerent pro-
pinquus aut parens uim raptus, sua' que ipsi libita uelut in captos exercebant.
Sed de luxuria & libidine eius, Tranquillus in Tiberio, rubrica quadragesima
tertia, & sequenti. Idem Suetonius in Othone, horum Coss. meminit rubrica
secunda, in hæc uerba: Otho Imperator quarto Calendas Maij natus est, Camil-
lo Aruncio, Domitio Aenobarbo Coss. Fuit autem hic Domitius pater Nero-
nis imperatoris. Quanquam in Vitellio tradat, A. Vitellium in consulatu obijs-
se, quem cum Domitio Neronis Cæsaris patre inierat: prælatus eloquio, famo-
susq; cœnarum magnificentia. Cui fortè suffectus est Aruncius Camillus Scri-
bonianus. Ob id hæc uerba Cassiodori, quæ maiusculis literis in uicioso exem-
plari sub Tiberio ponuntur, hic sunt inserenda:

HIS COSS. DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS
PASSVS EST VIII. CAL. APRILIS, ET DEFECTIO
SOLIS FACTA EST, QVALIS ANTE VEL POSTMO-
DVM NVNQVAM FVIT.

Itaque Cassiodorus noster reijcit passionem Domini in decimumoctauum
annum Tiberij Cæsaris, iuxta Euangelicam ueritatem: & Eusebium imitatus,
qui in libro Temporum, id etiam ex ethnicorum scriptis comprobat: qui & de
solis eclipsi & terræmotu miranda prodiderunt. Sic & Eutropius libro septi-
mo scribit, capite tertio: Tiberij imperij decimoquinto, IESVS CHRISTVS
prædicationis suæ sumpsit initiũ. Octauo quoq; decimo eiusdem anno IESVS
CHRISTVS filius Dei pro nobis sese morti offerens, crucifixus est. Sic & re-
centiores omnes, qui plerunque perspicaciores sunt. Iohannes Monachus, qui
pulchram historiam græcè scripsit, in Tiberio sic inquit: τούτου πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ
ἔτει, ἐβαπτίσθη ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, ὀγδόῳ δὲ ὄντι καὶ δεκάτῳ προεδόθη, καὶ ἐσταυρώθη, καὶ
ἀνέστη. hoc est: Huius quintodecimo anno baptisatus fuit Dominus noster IE-
SVS CHRISTVS, & anno decimooctauo traditus, crucifixus, & resurre-
xit. Sic Honorius Augustudunensis in suis Annalibus inquit: Anno decimo-
octauo Tiberij, Dominus sua passione mundum redemit, & prædicaturi per Iu
dææ regiones apostoli, Iacobum fratrem Domini Hierosolymis ordinant epi-
scopum. Quæ uerba uenerabilis quoque Beda, libro de Sex mundi ætatibus re-
petit, ut alter ab altero recepisse uideatur. Sic Iornandes in Annalibus ad Vi-
I 2 gilium

Olym. Imp. Tib. gilium scribit: Tiberij decimooctauo anno Dominus noster Iesus Christus sub Pontio Pilato in Iudæa, carne passus est, non deitate. Et hæc opinio de anno passionis conuenit cum Euangelica ueritate. Sed quemadmodum non conuenit inter autores de anno passionis, ita neque de die. Aliqui enim diem resurrectionis diei passionis assignant. Sed Tertulianus, Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus & Beda, cum nostro conueniunt Cassiodoro, dicentes, octauo Calendas Apriles crucifixum fuisse: eodem scilicet die, quo conceptum asserunt. Conceptus est autem mense Martio, octauo Calendas Aprilium. Et eodem die passus, quod ex ijs uerbis Augustini ex quarto de Trinitate, capite quinto, liquidò constat: Octauo, inquit, Calendas Apriles Dominus conceptus creditur, quo & passus. ita monumento nouo quo sepultus est, ubi nullus erat positus mortuorum, nec antea, nec postea: congruit uterus uirginis, quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium. Sed hæc omnia diligentissimus ille uir, simulque doctissimus, Paulus Mittelburgensis, in suis libris de Recta paschæ celebratione exequutus est. Hunc candide lector adi, & quæ desideras, illic inuenies longè lateque tam de anno quàm die passionis, non modò Chronographorum scriptis, sed & Astronomica supputatione singula examinantem. Cæterùm de solis eclipsi in passione Domini facta, præter hos quos Eusebius citat, & qui uulgò afferuntur, Dionysius ad Polycarpum scribens, de eclipsi apud Heliopolim uisa, sic inquit: Quid de illo, qui tempore crucis Dominicæ factus est, solis defectu, dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboque simul incidentem mirabili modo soli lunæ globum annotabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus) ipsam'que rursus ab hora nona ad uesperam, ad solis diametrum supra naturæ uires restitutam, &c. Subiungit dehinc: Hæc sunt quæ tunc temporis contigere, naturam profectò superantia, ac soli Christo possibilia, qui autor est omnium, &c. Concludit tum: Apollophanes ad me conuersus, Hæ (inquit) ô præclare Dionysi, diuinarum sunt uicissitudines rerum. Non ignoro, Laurentium Vallam, cum in Acta Apostolorum scriberet, contendere, Dionysium non esse Areopagitam: & opera Dionysij, quæ circumferuntur, esse cuiusdam Apollinaris: deridereque hanc epistolam Dionysij de solis eclipsi, quasi confictam & fabulosam. Id quod etiam Erasmus Roterodamus in nouo Testamento repetit, & penè confirmat: quòd diuus Hieronymus interpretetur hanc eclipsim non fuisse uniuersalem, licet Euangelista scripsit, tenebras fuisse exortas super uniuersam terram. Cum uerò neque Græcus neque Latinus quispiam illius meminerit defectus solis, uterque contendit, neque Athenis neque in Græcia uisam. Do illis eruditionem ingentem, & doctrinam insignem: sed cur pietatem hanc deturpamus elatione, imò inflatione doctrinæ? Siue is Dionysius Areopagita fuerit, siue Philosophus, hæc impugnare, quæ iam mentibus hominum insederint, subtile nimium censeo, & fortè subtilius quàm necesse sit. Vtique Dionysij meminerunt quàm honorificentissimè, Chrysostomus, Eusebius, Clemens, Andreas Cretensis, Athanasius, & infiniti alij Græci: siue tres fuerint, siue unus: quodque non eius scripta citentur ab ullo, argumentum est à negatiua, quod non concludit. Et iam pluribus seculis non uisus est Græcus Aeschylus poeta, quem reperi: & Ioannes Monachus à paucis, imò à solo Andrea Alciato hactenus, quod uiderim, citatur, qui tamen Græcè doctissimam historiam & uerissimam conscripsit, à me nuper casu repertus: ideo non sunt hæc opera ad autores suos referenda. Obmitto oracula & uaticinia Sibyllarum, & Prophetarum, de hac eclipsi: non'ne Euangelistæ super uniuersam terram factam concorditer scribunt? licet interpretentur isti, ut uolunt. Sed cur Tertulianus in Apologetico dixit: Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est: deliquium utique putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt: & tamen eum mundi casum relatum in Ar-

CHRISTI

chiuis

CHRI- Ab ur- Olym. Imp. Tib.
STI con.

chiuis uestris habetis. Neque etiam id potuit latêre maiorem Plinium, cum historiam naturalem conderet: & in secundo de eclipsibus plura scriberet, cum ei archiua principũ liceret cognoscere. Sed quia principes rem uolebant esse occultam, ob metum & ipse tacuit. Phlegon, Olympiadarum egregius supputator, quem Suidas Trallianum fuisse, Augusti libertum, & insignẽ historicũ asserit, citatur ab Eusebio, à quo dicitur libro decimoquarto hæc uerba tradere: Quarto anno ducentesimę secũdę Olympiadis, magna & excellens inter omnes quę anteeum acciderant, defectio solis est facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem uersus est, ut stellæ cœlo uisæ sint: terræq; motus in Bithynia, Nicenę urbis multas ædes subuertit. Esculus præterea astrologus quidam, quamuis parum religiosus, astrologica supputatione asserit hanc eclipsim factam, cum sol primum arietis gradum, luna principiũ libræ occuparant, quod contra naturæ cursum est, cum in nouilunio solis defectio fiat. Iudæi autem in plenilunio agnum Paschalẽ uorabant, circa finem Martij. Lucianus quoq; martyr Antiochenus, iudicibus dixit: Requirite in annalibus uestris, & inuenietis, in temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem. Et Origenes libro secundo contra Celsum: De sole autem Tiberij Cæsaris tempore obscurato, quo imperante Iesus creditur cruci fuisse affixus, & de magnis terręmotibus factis, scripsit Phlegon, in decimoquarto de Temporibus libro. Si igitur, quod fateri necesse est (in Pascha enim Iudęorum passus est Christus) in plenilunio facta est eclipsis, quod contrarium est cursui naturæ: quomodo eam non uisam quispiam dicet in Græcia? Si unum innaturale est, poterit aliud quoque uideri impossibile. Sed hæc humano iudicio non possunt examinari: pietati magis est studendum. Teneo memoria, quàm res graues, quæ factæ sunt nostra ætate, & ueræ, sunt à principibus prohibitæ ne edantur. Quemadmodum uerò Christiana religio omnibus ab initio principibus fuerit exosa, non est opus ut id pluribus comprobem: tantum abest ut non credam, multo quoque plura & grauia gesta à scriptoribus esse uel metu, uel negligentia obmissa. De ijs quæ Pilatus egit, require apud Iosephum & Eusebium. Id non possum obmittere, in uetustissimis quibusdam Annalibus legisse me, hoc anno Ratisbonam, quæ Imbripolis dicebatur antiquitùs, à Tiberio fuisse fundatam. Cum hæc annotassem, commodũ ad me delata est epistola apolegetica Francisci Pici Mirandulani principis, de Dionysio Areopagita: qui omnia hæc mea scripta cõfirmat, & cui ego subscribo, & uerissima esse iudico. Lege hanc lector, et boni cõsule. De hac re satis. reuertar ad Coss. nostros. CCIII. 19

SVLPITIVS, ET SYLLA.

34. 785 In opusculo ignoti autoris, qui à me semper citatur, scribitur, Galba & Sulla: quod idem est, quia hæc fuerunt horum cognomina. Nam & deinceps Cassiodorus unica tantum Coss. nomina ponit, sine prænominibus & cognominibus. Sed horum Coss. mentionẽ sic facit Tacitus libro quinto: Ser. Galba, & L. Sulla Coss. diu quæsito, quos neptibus suis maritos destinaret Cæsar, postquam instabat uirginũ ætas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanũ genus. nam Callibus ortus, patre atq; auo cõsularibus, cætera Equestri familia erat: mitis ingenio, & cõptæ facundię. Cassius plebeij Romæ generis, uerùm antiqui, honoratiq;, & seuera patris disciplina eductus, facilitate sæpius q̃ industria commendabat. Huic Drusillã, Vinicio Iuliam, Germanico genitas, cõiungit. Superq; ea re Senatui scripsit, leui cum honore iuuenũ. Dein redditis absentiæ causis, admodum uagis, flexit ad grauiora, & offensiones ob remp. cœptas. utq; Macro præfectus, Tribunorumq; & centurionũ pauci secũ introirẽt, quoties curiam ingrederetur, petiuit: factoq; largè & sine prescriptione generis, aut numeri, Senatusconsulto, ne tecta quidẽ urbis, adeò publicũ consiliũ nunq̃ adijt: deuijs plerunq; itineribus ambiens patriam, & declinãs. Sequunt̃ deinde diuersæ accusationes & damnationes tam uirorũ q̃ mulierũ, quorũ corpora sparsim iacebant, donec putrefacta in Tiberim traherent̃, quæ hoc anno factę sunt: in quibus enarrãdis mul

Olym. Imp. Tib. tam operam insumit Tacitus. Hoc anno C. Cæsar Caligula, qui pòst rerum potitus est, uxorem duxit Claudiam, M. Syllani filiam. Item Tiberius Sergio Galbæ consuli, inter uarios sermones præsagiũ futuri Imperij, ex scientia Chaldęorum, quam Rhodi didicerat, his uerbis fecit: Et tu Galba quandoq; gustabis Imperium: seram ac breuem potentiam significans. Quemadmodum Tranquillus narrat, Augustum olim puero Galbæ salutanti, dixisse græcis uerbis: Et tu fili, imperio nostro adhæreas. Lege apud Tacitum pulchram historiam, de Thrasullo mathematico. Tranquillus in Galba, rubrica sexta, docet, quòd Galba consulatum per sex menses ordinariũ gessit. Euenitq; ut ipse L. Domitio patri Neronis, ipsi Siluius Otho pater Othonis succederet: ueluti præsagium sequentis casus, quòd medius inter utriusq; filios extitit Imperator. Id fortè etiam comprobat, proximũ consulatũ gessisse Domitium patrem Neronis: licet in prænomine adsit dubitatio. Refert Ioannes Monachus, in uita Tiberij, quod diligentissimè omniũ diuitum ac potentũ uitas per dies & horas explorauerit, ut uniuscuiusq; factũ no sceretur. Ob id cum Galbæ uitã perscripsisset, obuius ei dixit: Et tu aliquando etiã Imperiũ adipiscêris. ea re confisus, quòd in senectute, & multũ post eius mortem esset regnaturus. quæ cõueniũt cum ijs quę Tacitus scribit. Mortui sunt hoc anno Asinius Gallus, quem egestate cibi peremptũ, haud dubiũ: sponte, uel necessitate, habebatur incertũ. Item Drusus extinguitur, cùm se miserandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonum ad diem detinuisset. Sic Agrippina, negatis alimentis, uoluntaria morte obijt: eodem die, quo biennio antè Seianus pœnas luit, cum fœdissimis criminibus impudicitiã eius arguisset Tiberius, & Asinium Gallum adulterum ad tædium uitæ compulsum exprobrasset. Haud multo pòst Cocceius Nerua, continuus principis, omnis diuini humaniq; iuris sciens, integro statu, corpore illæso, abstinentia cibi spõte sibi mortem elegit. Tum Plancina uxor Gn. Pisonis, cuius fraude Germanicus perierat, sua manu, sera magis quàm immerita supplicia persoluit. Mortui dehinc illustres uiri, Aelius Lamia, Flaccus Pomponius, & M. Lepidus: & Iulia Drusi filia, quõdam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellij Blandi: cuius auum Tiburtem, equitem Romanum, pleriq; meminerant. Cassium Seuerum oratorem egregium, tanta inopia mortuum tradit Eusebius, ut uix panno uerenda contegere potuerit.

CHRISTI

In Annalibus antiquis inueni, anno Christi 34. Paulum tonitru de cœlo uocatum ad fidem Christi.

2. 20 PRISCVS, ET VITELLIVS. 35. 786

Ita in Cassiodori opusculo leguntur Coss. quos corruptos, uel ex ignoto autore colligo, ubi legiť, PERSICVS ET VITELLIVS, non Priscus. ac mox maiusculis literis hæc uerba sequunť: HIS COSS. PASSVS EST PROTHOMARTYR STEPHANVS DIACONVS, SEPTIMO CALENDAS IANVARIAS. quod superius anno Domini 33. factũ legimus. Et Frontinus id simul testatur in libello de Aquæductibus, ubi ea uerba traduntur: Fabio Persico, & L. Vitellio Consulibus, C. Octauius Lenas curator erat aquarũ. Sed Tacitus mentionẽ horum Coss. sic facit: Paulo Fabio & L. Vitellio Coss. post longum seculorum ambitũ auis phœnix in Aegyptum uenit, præbuitq; materiam doctissimis indigenarũ & Græcorum, multa super eo miraculo disserendi. Narrat dehinc eruditissima de aue phœnice, quæ studioso cuiq; perlegenda sunt, & cõferenda ijs quæ Plin. tradit lib. decimo, cap. secũdo, de phœnice multa scribens. Neq; negligendus est Lactantius, qui elegantissimum carmen de phœnice cõscripsit. Licet & obiter Ouidius in quinto de Transformatis, huius quoque alitis mentionem faciat. Conferas simul omnes studiose lector. Subiungit dehinc Tacitus, quomodo hoc anno multi insignes uiri damnati sint. Pomponius Labeo per abruptas uenas sanguinem effudit. Hunc sequuta est cõiunx Paxea. Sic Mamercus Scaurus, cum Sextia uxore, æquali morte extincti sunt. Cur hæc mors ita frequens erat ea tempestate? hanc inuenio causam. Primùm hoc faciebat metus carnificis: & quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur.

CHRI- Ab ur. STI. con. Olym. imp. Tib.

bantur. Eorũ uerò qui de se statuebant, humabãtur corpora, manebãt testamẽta. Id factum fuit festinandæ mortis. Cæterũ de hoc L. Vitellio Tranquillus in Vitellij uita sic scribens: L. Vitellius quartus, P. Vitellij filius, ex cõsulatu Syriæ præpositus, Artabanum Parthorum regẽ summis artibus, non modò ad colloquiũ suũ, sed etiam ad ueneranda legionũ signa pellexit. Mox cum Claudio principe, duos insuper ordinarios cõsulatus cẽsuramq; gessit. Plinius quoq; decimoquinto libro Naturalis historiæ, cap. 19. huius Vitellij sic meminit: Omnia hæc in Albense rus è Syria intulit L. Vitellius, qui postea censor fuit, cum legatus in ea prouincia esset, nouissimis Tiberij Cæsaris temporibus. Idem in uigesimosecũdo capite, ubi de Pistacijs scribit, & passim alibi. Sed & Tacitus quinto, subsequenti cõsulatu multa de L. Vitellio scribit, quæ uerbis Tranquilli conueniunt.

36. 787 GALLVS, ET NONIANVS. 3. 21

In codice autoris ignoti, scribuntur Camerinus & Nonianus: quod fortasse idẽ est. fuerunt enim hæc cognomina Coss. de quibus sic scribit in quinto Tacitus: C. Cestio, M. Seruilio Coss. nobiles Parthi in urbem uenere, ignaro rege Artabano. Is metu Germanici fidus Romanis, æquabilis in suos, mox superbiam in nos, sæuitiã in populum sumpsit: fretus bellis, quæ secunda aduersum circumiectas nationes exercuerat: & senectutẽ Tiberij ut inermem despiciens, auidusq; Armeniæ: cui defuncto rege Artaxia, Arsacem liberorũ suorũ ueterrimũ imposuit: addita contumelia, & missis qui Gazam à Vouone relictã in Syria Ciliciaq; reposcerent. Sed quo pacto occultis nuncijs, rogantibus illis, Phraatem regẽ Tiberius dediderit, & insidiæ Artabano paratæ fuerint, & Vitellio res Orientis cõmissæ, qui Artabanũ fugauit, & res composuit, & hinc cum legionibus in Syriã remeauerit, latissimè inuenies apud Tacitũ: qui deinde multorum cædes etiam describit. Nam neq; tempus, neq; preces, neq; satietas Tiberiũ mitigabant: licet extra urbem, sed haud longè, singulis diebus literis illa intelligeret. Meminit horum item Coss. Plinius lib. decimo, cap. quadragesimotertio, ubi de coruis agit: notam illam historiã cõmemorans de coruo illo, qui salutabat Tiberium, Drusum & Germanicũ Cæsares: quẽ cum sutor interfecisset funebri pompa, coruus ille ad rogum usq; delatus est. Hoc gestũ, inquit, M. Seruilio, C. Cestio Coss. ad quintũ Calendas Aprilis. Sed libro quoq; tricesimoseptimo, capite sexto, de opali gemma scribens, alterius Coss. sic meminit: Siquidem extat hodie huius generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius Senator est, filius Strumæ Nonij, eius quẽ Catullus poeta in sella curuli uisum indignè tulit: auusq; Seruilij Noniani, quẽ consulem uidimus. Ex ijs liquet, alterũ consulem M. Seruilium Nonianũ, alterum C. Cestium Gallũ appellatos. Sed sola nomina Coss. quibus nunc deinceps utitur Cassiodorus, faciunt quandoq; lectorem anxium, & me quoq; dubium. Sed subiungit Cassiodorus noster:

Legitur hoc anno quòd Pilatus imaginẽ Cæsaris in templo statuturus, Iudæis seditionem excitauerit.

His Coss. Persius Flaccus poeta Volaterris nascitur.

Hoc fortè ab Eusebio mutuauit autor noster, qui libro Temporũ scribit, uigesimoprimo anno Tiberij Persiũ poetã Volaterris natũ. Inquit etiam, Petrũ apostolũ hoc anno ab Herode in carcerẽ trusum, & ab angelo mirabiliter liberatũ.

37. 788 GALLIENVS, ET PLAVTIANVS. 4. 22

Ignotus autor hoc loco scribit, Gallieno & Plautio. Sed Cornelius Tacitus libro quinto sic tradit: Quintius Plautius Sex. Papinius Coss. sequuntur. Dehinc describit, qui accusati & damnati uoluntario exitu cecidere: Vibulenus Agrippa in ipsa curia depromptum suum uenenum hausit, accusatus: & moribundus, à lictoribus in carcerem raptus, strangulatus est. Sic G. Galba consularis, duo Blesij sacerdotijs insignes, Aemilia Lepida iuuenis Drusi uxor, spontanea morte obierunt. Ingens incendium hoc anno urbem afflixit, deusta parte Circi, quæ Auentino contigua, ipsoq; Auentino. Quod damnũ Cæsar ad gloriã

Olym. Imp. Cali. uertit, exolutis domuum & insularũ precijs. Millies sestertiûm collatũ, tanto acceptius in uulgũ, quanto modicus priuatis ædificationibus. Ne publicè quidem nisi duo opera struxit, templũ Augusto, & scenam Pompeiani theatri. Narrat insuper, sub ijs Coss. motũ in Cappadocia per Tiridatem factũ: quo Artabanus in suũ regnum restitutus est, & cum paucis Tiridates in Syriam reuectus. Meminit horũ Coss. Plinius li.10.cap.2. ubi de phœnice agit, ijs uerbis: Cornelius Valerianus phœnicem deuolasse in Aegyptũ tradit, Q. Plautio, Sex. Pomponio Coss. allatumq; esse in urbem Claudij principis censura, anno urbis octingentesimo, & in comitio propositũ: quod actis testatũ est, sed quæ falsa esse nemo dubitarit. Quod cum ita sit, ut etiã patet ex superioribus, cum de phœnice scriberemus ex Tacito, Persico & Vitellio Coss. miror cur Solinus in suis collectaneis quasi id asserat, cum Arabiã describẽs ita dicat: Q. Plautio atq; Sex. Papyrio Coss. Aegyptum phœnix inuolauit, captusq; anno octingentesimo urbis conditæ, iussu Claudij principis in comitio publicatus est. Quod gestum præter mensuram quæ manet, etiam actis urbis continetur. Numerorũ notæ egent examine, quũ ille sit annus ur. con. 788. non 800 annus. Cæterũ neq; illud obmittendũ censeo, quod scribit Eusebius: hoc anno, id est uigesimosecundo imperij, Agrippã Herodis filium à Tiberio in uincula coniectũ, quòd publicè Deum precatus fuisset, ut mortuo Tiberio Caium cunctorum dominũ uideret: quod & Suetonius docet. Sed copiosius Iosephus decimooctauo Antiquitatum, cap.15. Scribit dehinc Tacitus, eo anno etiam esse actum in Senatu atrocibus sententijs contra Liuiã, quæ primùm Drusi uxor, dehinc pellex & coniux Seiani. Multiq; eo anno sunt accusati, & damnati. Ac ne feminæ quidem exortes periculi: quæ cum ob Rempub. argui non possent, ob lachrymas accusabãtur. Necataq; est anus Vitia, Fusij Gemini mater, quòd filij necem fleuisset. Quæ accusationes hoc anno Romæ actæ sint, latè Cornelius ibi explicat, more suo: qui in ijs maiorem partẽ operis sui insumit. Sed iterũ incidi in Scyllã atq; Charybdim: quia post prædictos Coss. Cassiodorus subiungit, sub ijs Coss. Tiberiũ mortuum esse, qui ab initio huius principatus tribuit ei uigintitres annos. At hucusq; numerãtur tantũ uigintiduo consulatus, etiã cum illo quẽ adiunximus ex Tacito. Præterea Eusebius tradit, uigesimotertio anno Imperij, Pilatũ scripsisse de doctrina & morte Christi ad Tiberiũ: qui ad Senatũ retulit, ut inter deos Christus etiã reciperetur. Sed Senatus id recusauit: quod latius exequitur lib.2. Ecclesiasticæ historiæ, cap. secundo. Vbi & Tertulianum citat, qui in Apologetico contra gentes, capite quinto, argutissimè super hac re disserit: pariter & Orosius libro septimo, capite secundo. Quæ omnia etiam Iohannes Monachus Lydius Græcus, pariter pulchrè exequitur, in uita Tiberij. Sed demus, id etiã superioribus annis actum, mox post Christi passionem. Omnes tamen ferè uno ore fatentur, Tiberium uiginti tribus annis regnasse: & sub ijs Coss. quos paulo inferius ponit Cassiodorus, mortuum esse. Vnde Suetonius in Tiberio, rubrica septuagesima tertia: Obijt in uilla Lucullíana, octauo & septuagesimo ætatis anno, tertio & uigesimo Imperij, decimoseptimo Calendas Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Porcio Nigro Coss. Subiungit hinc diuersas mortis suæ opiniones. Hos Coss. inferius ponit Cassiodorus sub Caligula. Vbi etiam obiter illud animaduertendum, in Aurelio Sexto errorem esse: qui Tiberium post octuagesimumoctauum annum, & mensem quartum, insidijs Caligulę extinctũ tradit. Quod ideo procedere nõ potest, quia ut in Augusti Coss. scripsimus, sub Aemylio Lepido II. & Munatio Planco Coss. natus est Tiberius. A' quibus numerãtur hucusq; septuagintaocto anni, nõ octuagintaocto. Similiter et Cor. Tacitus in fine quinti libri, mortuũ ipsum scribit octauo et septuagesimo ętatis anno, Imperij uerò tribus fermè & uiginti: nisi fortè anni ciuiles & emergentes simul confundãtur, ut plerunq; fit apud scriptores, qui nũc hos nũc illos sequũtur. Ciuiles aũt appello, qui semper ordiũtur in Ianuario: emergẽtes uerò, qui in alijs mensibus, quando Cæsar aliquis Imperio potitur. Et

CHRISTI.

CHRI- STI Ab ur. con. inde sunt diuersæ in autoribus calculorum supputationes. Vnde Eusebius in libro Temporum, attribuit Tiberio uigintitres annos. in Ecclesiastica uerò historia lib. 2. cap. 4. Interea, inquit, Tiberius duobus & uiginti circiter annis sui principatus exactis, uiuendi finẽ fecit. Iosephus decimooctauo, cap. 15. Tunc autem Tiberius Gaium constituens successorẽ in principatu, paucis diebus aduiuens, uita defungitur. Imperauit autẽ dies tres, menses sex, annos duos & uiginti. Iohannes Monachus: Tiberius annos uixit septem & septuaginta, mẽses quatuor, & dies nouẽ: ex quibus duobus & uiginti annis regnauerat, menses septẽ, et dies septem. Cæteri omnes, Orosius, Eutropius, Beda, Iornandes & Honorius, uigintitres annos attribuunt. Sed menses illi superflui, pro anno supputantur. Volo itaq; ex Tacito hos Coss. uigesimitertij anni Tiberij subscribere, licet inferius à Casiodoro locentur: & quid sub ijs gestum sit, annotare breuiter.

38. 789 Cn. Acerronius Proculus, & C. Portius Niger. CCIIII. 23

De his ita scribit Cornelius Tacitus in fine quinti: Neq; multo pôst supremi Tiberio Coss. Cn. Acerronius, C. Pontius magistratũ occœpere, nimia iam potentia Macronis, qui gratiam C. Cæsaris nunquam sibi neglectã acrius indies souebat: impuleratq; post mortẽ Claudię, quam nuptũ ei retuli, uxorem suã, Ennio immittendo, amore iuuenẽ illicere, pactoq; matrimonij uincire: nihili abnuentem, dum dominationis adipisceretur. Subiungit dein Tacitus, quomodo Tiberius de successore cogitauit: sed cum nihil certi in animo suo reperiret, fato permisit. Indies igitur augebatur ualetudo aduersa. Sed non remisit quippiã è libidinibus suis, medicorũ artes eludens: quanquã & uires & corpus aperte deficerẽt, tamẽ idem animi rigor sermone & uultu simulabatur, manifestamq; defectionẽ tegebat. Tandẽ mutatis sæpius locis, in uilla Luculliana apud promontoriũ Miseni consedit, ingrauescẽte quotidie morbo. Cum Macro à Charicle medico intellexisset, ipsum ultra biduũ uiuere nõ posse: & C. Cæsar primordia imperij missis crebris nuncijs meditaretur, decimoseptimo Calendas Aprilis interclusa anima, creditus est mortalitatẽ expleuisse. Sed postquã iterum respiraret, cibũ recreandę defectionis afferri iubẽs: Macro intrepidus, opprimi senẽ iniectu multę uestis iubet, discediq; ab limine. Sic finiuit Tiberius, octauo & septuagesimo ætatis anno. hæc Tacitus. Quæ cum ijs conueniunt, quæ Ioannes Monachus Gręcus scribit in Tiberio, in hanc sententiam: Cum iam longo Tiberius Cæsar tempore aduersa detineretur ualetudine, nihil à solido uiuendi genere remisit, medicis nunquam usus: ob consilium Thrasylli mathematici, qui & diem & horam mortis probè tenebat. Sed decem ei annos amplius promittebat, ne sæuiret crudelius in mortem multorum. Cum itaq; nunc acrius ægrotaret, nunc rediret antiqua sanitas: hos in gaudium, hos in tristitiam impellebat. Lætabantur enim homines, cum acutã eius ægritudinẽ intelligerent: & tristabantur, cum conualescere audirent. Caius itaq; timens ne restitueretur pristinæ sanitati, ei cibum, ne petenti quidẽ, porrexit nocuũ: multaq; cooperimenta addidit, ut magis febrili aduretur æstu: & ita eum suffocauit. Sed Tacitus, more etiã suo, qui hoc anno sint accusati & damnati, pluribus recenset. sicut Anitia P. Vitellij uxor, Albucilla Satrij Secundi uxor: dein Gn. Domitius, Vibius Marsus, & L. Aruntius. Vide illic mirabilem exitũ Sex. Papinij. Subdamus nunc uerba Casiodori, quæ prioribus Coss. subnexa sunt: licet aliter nos sentiamus, ut iã pluribus cõprobauimus.

His Coss. Tiberius imperator in Campania moritur. cui succesit C. Cæsar, cognomento Caligula: qui regnauit annis tribus, & mensibus XI. Sub quo hi Coss. fuerunt.

Hunc Orosius tertium, non quartum appellat Imperatorem: quia Cæsarem Iulium metatorem potius appellat. de hoc libro septimo, capite tertio sic scribit: Anno ab ur. con. septingentesimo nonagesimo, tertius ab Augusto C. Caligula cœpit regnare, mãsitq; in imperio annis non plenis quatuor: homo ante se omnium flag-

Olym. Imp. Cal. um flagitiosissimus, et qui uerè dignus Romanis blasphematibus et Iudæis persequutoribus punitor asiduus haberetur: & reliqua quæ sequuntur. Sed Eutropius illũ Drusi priuigni Augusti filiũ appellat, cum passim ab omnibus Germanici filius dicatur: eiusq; uitam paucis perstringit, capite tertio septimi libri. sicut & Eusebius tam in Chronicis, quàm in Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 4. & tribus sequentibus. quos imitantur recentiores, Beda, Iornandes, & Honorius: sed locupletius Iosephus lib. 18. Suetonius li. 4. & Sex. Aurelius Victor huius uitam describunt. Scripsit & ubertim de hoc nimirum Tacitus, sed libri desiderantur: nisi Deus hos quinq; etiam sequentes, ut priores nuper repertos, è tenebris eruat, & euoluat in lucem. CHRISTI

C. CALIGVLA IIII. IMP. RO.

PROCVLVS, & NIGRINVS.

Paulo antè narraui ex Cor. Tacito, & Suetonio Trãquillo, Tiberiũ his Coss. esse mortuum: licet eos ponat Caßiodorus sub Caligula, quia decimoseptimo Calendas Aprilis obijt Tiberius. Poterant hi Coss. decem reliquos menses dominari, ut quatuor anni darentur imperio Caligulæ. Sed autor ignotus, ubi sola nomina Consulum cum diebus & epactis scribuntur, alium ordinem, alios fortasse Annales sequutus, continet: quem etiam non grauabor subdere. Incipiemus autem à Gallieno & Plautiano, qui ultimi erant in Tiberio apud Caßiodorum. Ibi sic scribuntur:

B. Gallieno	&	Plautio, Sol. XI.
Proculo		Nigrino, Mar. XXII.
Iuliano		Asprenate, Mer. III.
Cæsare II.		Cesiano, Iou. XIIII.
B. Cæsare III.		Solo, Ven. XXV.
Cæsare IIII.		Saturnino, Sol. VI.
T. Claudio III.		Longo, Lun. XVII.
Tito Claudio III.		Vitellio, Mar. XXIX.
B. Crispo II.		Tauro. Mer. IX. illi à Caßiodoro ponuntur
Vinitio		Coruino, Ven. XX. inferius sub Claudio.

Sed quis in tanta rerum obscuritate rectè dijudicabit? cum aliqui consulatus titulotenus gesserint, quidam ordinarij, quidam suffecti fuerint Coss. & autores pro suo arbitrio hos uel illos Coss. suis ascripserint libris? Satis sit mihi, hæc studiosis indicare.

2, 1 IVLIANVS, & ASPRENAS.

Meminit horum Coss. Iulius Frontinus, libro de Aquæductibus, in hæc uerba: Caius Cæsar, qui Tiberio succeßit, cum parum & publicis usibus, & priuatis uoluptatibus septem ductus aquarum sufficere uiderentur, altero imperij sui anno, M. Aquilio Iuliano, P. Asprenate Coss. anno ur. con. septingentesimo nonagesimo, duos ductus inchoauit: quod opus Claudius magnificentißimè consummauit, dedicauitq; Suillio & Ticiano Coss. anno post ur. con. octingentesimo, sexto Calendas Augusti. Alteri quod ex fõtibus Cerulo & Curio perducebatur, Claudiæ datũ: hæc bonitate proxima Martiæ. Altera, quoniã duæ Anienis aquę in urbẽ fluere cœperãt, ut facilius appellationibus distinguerẽtur, Anio nouus uocari cœpit. Alias omnes præcedit: priori Anieni cognomẽ ueteris adiectum. Sed & paulo pòst in eodem libello, iterũ horum Coss. meminit, licet nomina sint parũ deprauata. sic enim inquit: Aquila Lumano, & Nonio Asprenate Coss. M. Portius Cato curator aquarum fuit. Suetonius in Caligula, rubrica uigesimaprima: Inchoauit autem aquæductum regioni Tiburti, & amphitheatrũ iuxta septa: quorum operũ à successore Claudio alterum peractũ, amis- 39.790

sum

CHRI- Ab ur. Olym. Imp.
STI. con. Cali.

sum alterum est. Narrat Eusebius, quomodo Caius Agrippā uinculis à Tiberio ligatum liberauit, & regem Iudææ constituit: & qualis seditio apud Iudæos orta sit, cum Flaccus Attilius præfectus Aegypti, Iudæos multis calamitatibus premeret: & Philo legatus, qui per hæc tēpora floruit, doctissimus uir, philosophus & orator, ad Caium in urbem proficisceretur. Quæ omnia, & quo pacto Petronius legatus Syriæ, & Vitellij successor, Iudæis simulachrum Cæsaris in templum statuere uolens, sit à proposito deterritus, narrat copiosissimè Iosephus libro decimooctauo Antiquitatum, qui à decimoquinto capite ad finem libri à studioso est relegendus, ut res gestas in Iudæa bene teneat. Cæterùm arbitror hunc esse Asprenatē, cuius Iosephus decimonono libro, cap. primo meminit: qui, cum C. Cæsar sacrificaret, antequā occideretur à coniuratoribus, tota uestis eius sanguine uictimæ commaculata, auguriū accepit uicinæ mortis sibi imminētis, licet C. rideret: quod & euenit. Nam occiso Caio, dum Germani milites, qui custodes erant corporis Cæsaris, tumultuantur, inquirentes percussores Caij: Asprenas primus occurrēs, exoluit pœnas, trucidatusq; est. nam et ipse particeps operis fuit, cuius caput à militibus ad spectandum est delatum. Meminit autem & Eusebius cuiusdam Iuliani, in secundo historiæ Ecclesiasticæ libro, capite sexto: qui magni nominis fuit, si fortè hic est.

PVBLICOLA, & NERVA. 3. 2

40. 791 Tradit Eusebius, hoc anno tertio Caium Cæsarē Lolliam Paulinā C. Memmij Reguli, cuius in decimonono Iosephus crebrò meminit, uxorem duxisse: impulisseq; eum, ut uxoris suæ patrem se esse diceret. De qua multa Trāquillus in Caligula, rubrica uigesima quinta. Plinius libro nono scribit, se uidisse Lolliam Paulinam, Caij principis uxorem, in sponsalium ceremoniarū cœna smaragdis margaritisq; opertam, alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, spiris, auribus, collo, manibus digitisq;. Nec dona prodigi principis illa fuerunt, sed auitæ opes, prouinciarum scilicet spolijs partæ. Preterea addit Eusebius, hoc anno Matthæum in Iudæa Euangelium tum primùm scripsisse.

His Coss. Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit.

Hoc idem Eusebius & in Chronicis, & in Ecclesiastica historia libro secūdo, capite septimo. Licet ex sexto capite pleraq; de Pilato scribat, quæ studioso scire interest, & quæ etiam Iosephus in decimooctauo scribit. Egesippus præterea libro secundo, capite duodecimo, Pilatū scribit non excusandum, cū resurrectionem Domini agnoscens, eam credere perfidus contempserit. Nam & in Anacephalæosi ponit epistolā Pilati ad Tiberiū, in qua de resurrectione disserit. Licet Tertulianus in Apologetico, cap. uigesimoprimo, scribat: Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus, tunc Tiberio nunciauit.

CAESAR, & IVLIANVS. CCV. 3

41. 792 In ignoto autore, ut superius scripsimus, hoc loco scribitur, Cæsar III. solus. adeò ut fortasse proximè præcedenti anno secundū egerit Consulatū, cū Cæsiano, titulotenus: & substituerit Publicolam & Neruam. Quandoquidem huius Consulatus ita mentio fit apud Tacitum, in uita Iulij Agricolæ, ijs uerbis: Natus erat Agricola Caio Cæsare ter Cos. idibus Iunijs. Meminit & huius Plinius undecimo libro Historiæ naturalis, capite trigesimoseptimo: Caio principi Calendis Ianuarijs, cum consulatū iniret, sacrificanti, defuisse iecur: quo anno interfectus est. Cæterùm de Caij Cæsaris consulatibus, Tranquillus rubrica decimaseptima sic scribit: Consulatus quatuor gessit, primum ex Calendis Ianuarij per duos menses, secundum ex Calendis Ianuarij per triginta dies, tertium usq; in Idus Ianuarij, quartum usque in septimum Idus eiusdem. Ex omnibus duos nouissimos coniunxit: tertium autem Lugduni inijt solus, non ut quidam opinantur, superbia, negligentiá ue, sed quòd defunctum sub Calendarum diem

collegam

Olym. Imp. Tib. collegam rescisse absens non poterat. Consulibus igitur detulit honorẽ. Et olim Coss. oblitis de die natali suo edicere, abrogauit magistratum: fuitq; per triduum sine summa potestate Respub. Quondam uerò Coss. quærentibus, quid nam rideret? blandè: Quid, inquit, nisi uno meo nutu iugulari utrunq; uestrûm statim posse? Idem autem rubrica decimaquinta tradit, ab initio principatus patruum Claudiũ collegam sibi in Consulatu assumpsisse. Vnde & in Claudio legimus, rubrica sexta: Sub Caio fratris filio secundum æstimationem circa initia Imperij, omnibus lenocinijs colligente honores, auspicatus Consulatum, gessit unà per duos menses. Euenitq;, ut primitùs ingredienti cum fascibus forum, præteruolans aquila dexteriore humero consideret. Sortitus est & de altero consulatu in quartum annum. noster autem Cassiod. non ponit illos Consulatus, sed tantum ordinarios Coss. & mox subiungit, CHRISTI.

His Coss. Caius Cæsar, cognomento Caligula, à protectoribus suis occiditur, in Palatio, anno ætatis uigesimoquarto.

Error est Cassiodori, uel potius librariorum, qui numerorum notas perperam transcribunt. Nam fuit uigintinouem annorum: quod tum ex Tranquillo ac Eusebio, tum ex uera supputatione patet, cũ genitus sit, Germanico patre suo & C. Fonteio Capitone Coss. à quibus hucusq; numerantur uigintinouẽ Consulatus. Par menda occupauit libros Eutropij, ubi scribitur trigintanouem, pro uigintinouẽ. Neq; quatuor annos & decem menses, sed tres tantum annos cum decẽ mensibus imperauit. Et ideo etiam anni Olympiadũ & anni Christi confunduntur in Eusebio, & fit transpositio, quam nemo nisi bene oculatus perspitit. Item Iosephus decimonono Antiquitatum, cap. secũdo, tradit Caium quarto Imperij sui anno, minus quatuor mensibus, defunctum: uirum & ante Regnum nequitia summum, libidinibus subiugatum amicum, in rebus terribilibus timidum, & pronæ potestatis semper auidum. Vide in eo libro quomodo occisus sit, & à quibus, latissimè, & quæ eius natura, ac quanta ingenita crudelitas.

V. IMP. CLAVDIVS.

Cui successit Claudius, qui imperauit annis tredecim, menses octo, diebus uiginti octo.

Orosius libro septimo, capite quarto: Anno ab ur. con. septingentesimo nonagesimoquinto, Tiberius Claudius, ab Augusto quartus, regnum adeptus est, mansitq; in eo annos quatuordecim. Numerorum notæ deprauatæ sunt. Eutropius lib. septimo, ca. quinto: Post Caium Claudius fuit, patruus Caligulæ, Drusi, qui apud Moguntiacum monumentum habet, filius: cuius Caligula nepos erat. Hic inediæ imperauit, multa gerens tranquillè ac moderatè, quædam crudeliter & insulsè. Vixit annos quatuor & sexaginta, imperauit quatuordecim. Post mortem cõsecratus est, Diuusq; appellatus. Sex. Aurelius plura de hoc. Similiter et Iosephus libro decimonono Antiquitatũ. Sed & uigesimo lib. ca. 10. sic scribit: Claudius defunctus est, cum imperasset annis tribus & decẽ, mensibus octo, diebusq; uiginti. Est aũt sermo quorundã, quòd ab uxore Agrippina fuerit ueneno peremptus: cuius Agrippinæ pater fuit Germanicus, Cæsaris frater: uir aũt eius Domitius Barbatus, nobilissimus Romanorũ. quo moriente, uiduatã multo tempore, Claudius duxit uxorẽ, habentem filium qui patris nomine Domitius uocabatur. Claudius ergo propter zelum Agrippinæ, Messalinam peremit uxorem, ex qua filios habuerat Britannicum & Octauiam. Erat aũt ei antè una filia senior, quam ex prima uxore nomine Petronia habuerat. Octauiam itaq; desponsauit Neroni. sic enim eum postea uocitauit, cum Cæsar eum filium adoptasset. Agrippina autẽ metuens, ne Britannicus crescens, regnum à patre perciperet: & uolens imperium suo filio præparare, de morte Claudij tractauit. Quo mortuo, repentè

misit

CHRI- Ab ur. con. | Olym. | Imp. Claud.
STI

misit principem militiæ Burrum, & cum eo tribunos libertorum ualde præpo-
tentes, qui deducerēt de castris Neronem, & eum more principis adorarēt. Scri-
bunt de eo, & Suetonius Tranquillus, & Cornelius Tacitus, qui ab initio unde-
cimi libri mancus est, quia cæteri desunt. Tamen ibi sextus annus imperij Clau-
dij inuenit. Iuniores, Beda, Iornādes, Honorius, et Ioannes Monachus eadē hęc.

Sub quo hi Coss. fuerunt:

42. 793 CAESAR II. & SATVRNINVS. CCII. 1

De consulatibus Claudij Tranquillus sic scribit, rubrica tertiadecima: Consu
latus super pristinum quatuor gessit: ex quibus duos primos iunctim, sequentes
per interuallū, quarto quemq; anno: semestrē nouissimū, bimestres cæteros. Ter
tium aūt, nouo circa principē exemplo, in locū demortui suffectus. Sed ita uene-
ratus est Coss. Claudius, teste Suetonio, ut de maiore negotio acturus, in curia
medius inter Coss. sellas, Tribunitio subsellio sederet. Et cum moriturus esset, ne
minē consulē ultra mensem designauit. Verùm, ut idē scribit rubrica uigesima se
xta, uigesimo Imperij die, inq; secūdo cōsulatu, natus est ei filius Britannicus ex
Messalina: quem paruulū pro cōcione manibus suis gestās, & militibus & plebi
per spectacula cōmendabat, faustisq; ominibus cum acclamantiū turba eum pro
sequebaī. Id siue hoc anno, quod non credo, siue tertio acciderit, quo Britanniā
subegit: & à nostro Cassiodoro Tiberius, nō Cęsar appellaī, iam intelliges. Hinc
lector collige, cur noster autor nūc ipsum Cæsarem, paulo pòst Tiberiū uocabit:
ac tres cōsulatus Tiberio, duos Cæsari ascribit. Cum planè id quoq; cōstet, Tibe-
rium Claudiū quinq; gessisse cōsulatus, ut inferius ex Tacito atq; Iosepho cōpro
babimus. Sed omnino diuersi annales uariāt scriptorū historias. Cæterū ut ad hi-
storiā reuertar, tradit Iosephus decimonono libro, cap. quarto, sub id tempus Ale
xandriæ magnā esse ortam seditionē, inter Iudęos atq; paganos, post mortē Cali
gulæ. Hunc ut cōpesceret Claudius, primū edictū misit in Alexandriā atq; Syriā,
quod incipit hoc modo: TIB. CLAVDIVS CAESAR PIVS GERMA-
NICVS TRIBVNITIAE POTESTATIS D. Subiungens dehinc, ut Iu
dæi non inquietarenī. Dehinc in uniuersum orbē aliud emisit, cuius est hoc prin
cipiū, penè simile priori: TIB. CLAVDIVS PIVS GERMANICVS TRI
BVNICIAE POTESTATIS COS. ORDINARIVS, II. D. & cæ-
tera, quę sequunī. uide Iosephum. Idem quoq; cap. 2. eiusdem libri, meminit Sen
tij Saturnini: si fortè ille est, cuius elegantissima illic legitur oratio, quam habuit
post mortē Caligulæ, suadens ut pristina libertas resumatur, & tyranni abijcian-
tur: ubi etiam mentio fit Coss. omissis nominibus. Per Cn. item Sentium, scribit
Tranquillus, & item Eutropius confirmat, bellum Britannicum confectum.

43. 794 SATVRNINVS II. & VENVSTVS. 2. 2

In ignoto autore hoc loco alij scribuntur Coss. Tib. Claudius secundū, & Lon
gus. Puto hunc esse Saturninum, de quo Plinius in septimo libro, cap 48. inquit:
M. Perpenna, & nuper L. Volusius Saturninus, omniū quos in consulatu senten
tiā rogauerāt, superstites fuere. Eodē quoq; libro, cap. 13. ait: Nuper etiā Volusio
Saturnino in urbis præfectura extincto, notū est Corneliā è Scipionū gente Vo
lusium Saturninū, qui fuit consul post sexagesimumsecundum annum, genuisse.

His Coss. Petrus apostolus Romam mittitur, ubi Euangeliū præ-
dicans, xxv. annis eiusdem urbis episcopus perseuerat.

Eusebius in Chronicis: Anno secundo Claudij, Petrus apostolus natione Ga-
lilæus, Christianorū pontifex primus, cum primùm Antiochenā ecclesiam fun-
dasset, Romā proficiscit: ubi Euangeliū prædicans, uigintiquinq; annis eiusdem
urbis episcopus perseuerat. Paulus Orosius libro septimo, cap. quarto, aduentū
S. Petri in urbem, causam fuisse prodit, cur omnia salutaria Romæ acciderint. Et
quod Claudius obliuionē actorum, quam Græci ἀμνηστίαν uocant, introduxerit:

Olym. Imp. Claud. & quod ciuilia bella, quæ Furius Scribonianus excitauerat, extinxerit. Nostra tempestate tumultus quidā inter solidos Ecclesiæ doctores & Scholasticos theologistas (Deo certè sic uolēte, quandoquidē omnia in deterius abierūt) excitatus est: spero futurum aūt saluberrimū exitum. In ijs quidam opinanī, S. Petrum Romæ nunquam fuisse: ecōtrariò aliter alij sentiūt. Extant utriusque opinionis opuscula sanè non contēnenda. Ego, ut ingenuè quid sentiā, fatear, nō dubito, quin S. Petrus Romæ fuerit. Sed quòd autor fuerit tantarū ceremoniarū, quę incitamentū sunt potius superbiæ & libidinis, quam humilitatis & deuotionis, planè pernego. Huius assertionis talem affero causam, quòd uetustissimū comperi in Bibliotheca quadā opusculū anonymi autoris, quo continenī Pontifices Romani, sub quibus Coss. fuerint, à diuo Petro usque ad Marcellinū, q sub Diocletiano fuit, quēadmodum deinceps narrabimus. In hoc sic legitur: Petrus ann. XXV. M. I. D. IX. fuit temporib. Tiberij, Caij, Claudij & Neronis, à cōsulatu Vinicij & Longini usque Nerone & Vetere. passus aūt cum Paulo die 3. Cal. Iulias, Coss. ss. imperante Nerone. Coss. hi omnes leguntur in Cassiodoro, sed non conueniūt anni: quemadmodū de passione Domini annotauimus. Consulatus quidē, sed uarietatem annorum nemo facile concordabit, quinimò etiam dierum. Puto ob id scriptores res istas uariasse, quòd nullus ea uixit ætate, qua hæc gesta sunt, sed ex sola relatione posteris illa tradiderunt: unde nata est talis tantaque ambiguitas. Quia sub Diocletiano ecclesiæ demolitæ sunt, & libri Dominici cōbusti: & ea quæ poterant nobis suffragari in noscendis gestis eius seculi, perierūt. Omnes tamen in hoc conueniunt: S. Petrum Romę fuisse. Nec tamen suspicandum est, tantis ceremonijs usos esse tunc Pontifices, quibus nunc utuntur: quibus etiam superbia usque ad aram progreditur. Quamuis non censeam, omnes usquequaque ceremonias in uniuersum tollendas, quia in primitiua ecclesia non fuerūt. Eadem enim ratione deberent homines hodie glandibus uesci, & frugibus terra nascentibus: ut faciebant, priusquā urbes & oppida condebanī: cum tamen hodie cibos arte preparemus, quo fiant corpori utiliores & saniores. sed hæc aliàs. Digressi sumus, ob sanctum Petrum: de quo liberū sit credere quod quisque sentiat, sed tamen non cōtra fidem catholicam. Ob id in alijs uetustissimis annalibus reperio, S. Petrum apostolum Romam uenisse anno Christi 44. Neque per annos 26, menses duos, dies tres, prædicasse.

CHRISTI. Ab con.

3 TIBERIVS, & GALLVS. 44. 791

Claudiū intelligo, quem prius Cæsarem uocauit, qui Tiberius Claudius pòst dictus est. Hoc anno, teste Eusebio, Marcus euangelista, interpres Petri, in Aegypto & Alexandriæ Christum annunciauit. De quo uide Historiam ecclesiasticam libro secundo, cap. tertio & quarto. In uetustissimis item annalibus legitur, quòd eodem anno Iacobus, qui dicitur frater Domini, Hierosolymis episcopus ab Apostolis est ordinatus, & sedit annis 30. In alio autore scribitur hoc loco: Tib. Claudius 3. et Vitellius: & hoc cōuenit cum illo Suetonij, rubrica secunda, in Vitellio: Mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios cōsulatus, cēluramque gessit: curam quoque Imperij sustinuit, absente eo in expeditione Britannica, uir innocens, & industrius: sed amore libertinæ perinfamis, & miri in adulando ingenij. & reliqua quæ sequuntur.

4 CRISPINVS, & TAVRVS. 45. 798

Crispini prefecti prætorij meminit Cornelius Tacitus lib. undecimo, ut nunc sunt huius scriptoris illustrissimi libri distincti, qui ex Baijs rapuit Valeriū Asiaticum ad iudiciū, cui ob hoc sunt decreta insignia Præturę. Nescio si hic sit: quemadmodum & non satis constat, an is Statilius Taurus sit, qui pòst Proconsul Aphricæ fuit, & accusatus sub Claudio repetundarum, & de magicis superstitionibus, sibi mortem attulit, teste Tacito libro duodecimo. Suetonius in Nerone.

ne, rubrica tricesimaquinta, meminit Statilij Tauri bis consulis: cuius abneptam Statiliam Messalinam uxorem duxit Nero.

His Coss. Claudius de Britannis triumphauit, & Orcades insulas Romano adiecit imperio.

Eadem uerba ponit Eusebius in Chronicis. Hoc tamē adijcit: In cuius gloriæ memoriam filium suum Britannicum appellauit. Orosius lib. septimo, cap. quarto: Claudius quarto Imperij sui anno, cupiēs se utilem Reip. ostentare principē, bellum ubiqꝫ & uictoriā undecunqꝫ quæsiuit. Itaqꝫ expeditionē in Britanniam mouit, quæ excitata in tumultū propter non redditos transfugas uidebatᷓ: transuectusqꝫ insulam est, quam neqꝫ antè Iulius Cæsar, neqꝫ post eum quisqꝫ adire ausus fuerat. Ibiqꝫ, ut uerbis Suetonij loquar, sine ullo prælio ac sanguine, intra paucissimos dies plurimā insulę partem in deditionē recepit. Orcadas etiam insulas, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano adiecit imperio: ac sexto quàm profectus erat mense, Romam redijt. Idem Eutropius lib. septimo, capite quinto. Sed Tranquillū uideas, rubrica decimasexta: quanquàm is Stœchades appellat, non Orcadas. Subdit Orosius: Eodē anno Imperij eius fames grauissima per Syriam facta est, quam etiam Prophetæ prænunciauerāt. Sed Christianorū necessitatibus apud Hierosolymam, cōuectis ab Aegypto frumentis, Helena Adiabenorū regina cōuersa ad fidem Christi, largissimè ministrauit. Iosephus lib. uigesimo, cap. octauo: Horum temporibus cōtigit illa maxima fames, qua etiam Helena regina multis pecunijs frumenta cōparans ex Aegypto, indigentibus est partita. Cæterùm de fame quæ fuit sub Claudio in uniuerso orbe, Eusebius in Chronicis, & in Ecclesiastica historia lib. secundo, capite octauo: cuius & Lucas meminit in actis Apostolorum undecimo capite, quæ quidem fames prædicta fuit per Agabum prophetam, ut illic scribitur.

VINICIVS, ET CORNELIVS. CCVI. 5

46. 797 Hoc loco iterum in ignoto autore uariantᷓ Coss. Nam hic scribitur Vinicius & Coruinus, & sequēti anno scribitᷓ Asiaticus & Sillanus: siue sint ijdē, siue diuersi.

His Coss. inter Theram & Therasiam exorta est insula, habens stadia triginta.

Idem Eusebius in Chronicis, & Orosius libro septimo, cap. quarto. De Thera insula Strabo libro octauo, multa. Sed libro decimo, de Thera & Therasia. Plin. libro secundo, cap. octogesimonono, rationem insularum enascentium scribit.

ASIATICVS, ET CORNELIVS. 2. 6

47. 798 Hic est ille Valerius Asiaticus, cuius Cor. Tacitus mentionē faciens in 11. Augustæ historiæ, tradit bis consulem, raptum ad Claudium, & accusante Suillio, quòd milites pecunia & stupro corrupisset, & quòd adulteriū cum Poppea fecisset, condemnatū, uenas sibi exoluisse, extructo tamen ante rogo, & uiso. Tantum illi securitatis nouissimæ fuit. Id tamen sequentibus annis est, & fortè proximis Coss. factum. De hoc Valerio Asiatico scribit Iosephus in 19. Antiquitatū, capite quarto: Cum Caius Cæsar esset occisus, & percussores inquirerentur: Vtinam, inquit, ego fecissem. Tanta fuit constantia uir ille consularis. Multa de hoc Tacitus. Meminit huius quoqꝫ consulis Seneca secundo Quæstionum naturalium, ubi de fulguratione scribens, causas reddit, cur insulæ quandoqꝫ ardentes fumum eijciant, & saxa. Imò, inquit, nostra memoria Valerio Asiatico cōsule iterum accidit, &c.

His Coss. descriptio Romæ facta est, & inuenta sunt ciuiū Romanorum sexaginta nouem centena milia. & Thracia hucusqꝫ regnata, in prouinciam Romanorum redigitur.

Descriptionis census ijsdem penè uerbis meminit Eusebius in Chronicis,

Olym. Imp. Clau. no quinto factam. Sed Cor. Tacitus in annum octauũ reijcit: in numero tamen hominum planè omnino concordat, ut paulo inferius annotabimus. De Thracia uerò in prouinciam redacta, scribit Eusebius sexto anno factam: si modò codices sunt fideles, quod nunquam sine præfatione dico: quia facilè postponenda transponuntur. Et eo anno dicitur mater Iesu Maria in cœlum assumpta, quæ post Christum annis quatuordecim uixisse, & sexagesimum tertium ætatis annum attigisse circiter fertur. CHRISTI

3. 7 TIBERIVS II. ET VITELLIVS. 48. 799

In alio autore scribitur: Tiberius IIII. & Vitellius III. cum quo concordat & Censorinus in libello de Die natali, describẽs distinctiones ætatũ hominis secundum opiniones multorum. ubi de ludis Secularibus mentionem faciens, inquit: Sextos autem ludos Seculares fecit Tiberius Claudius Cæsar, se quintùm, & L. Vitellio III. cõsulibus, anno octingentesimo. Licet perperam sit illic scriptũ, septuagesimo. quod ex Cornelio Tacito lib. 11. facile potes ediscere, qui sic scribit: Iisdem cõsulibus ludi Seculares octingentesimo post Romam cõditam, quarto & sexagesimo quàm Augustus ediderat, spectati sunt. Licet, ut paulo inferius uidebimus ex Solino, hic nõ sit octingẽtesimus. Subiungit autem, se scripsisse in libris de Domitiano, qui desiderantur, rationes, cur Augustus, cur Claudius ludos Seculares fecerint. Vtinam adhuc libri illi ad nos ueniant. Porrò hos ludos Claudius quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos exhibuit: quamuis ipse in historijs suis prodidisse memoretur, intermissos eos Augustum multo pòst, diligentissimè annorũ ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare uox etiam irrisa pręconis tradit̃, inuitãtis more solenni ad ludos, quos nec spectauisset quispiam, nec spectaturus esset: cum superessent adhuc qui spectauerant: & quidã histrionũ producti olim, tum quoq; producerent̃, ut Tranquillus in Claudio rubrica uigesima scribit. Etenim Stephamonẽ (cuius & Tranquillus in Augusto meminit) qui primus Togatis saltare instituit, utriusq; Secularibus ludis, Augusti uidelicet & Claudij, saltasse accepimus, qui octogintatres nõ amplius anni interfuere. quamuis & ille diu uixerit, ut Plin. in 7. scribit, cap. quadragesimooctauo, ubi huius cõsulatus meminit. Suntq; ludi Circenses acti, & ludicrum Troiæ, in quo Britannicus & L. Domitius Nero præcesserũt: sed maior fauor plebis in Neronẽ accessit. Sub ijs præterea Coss. teste Tacito, & Valerius Asiaticus, & equites Romani illustres à Claudio interfecti sunt. Patresq; legem Titiam flagitant, qua cauet̃ antiquitùs, ne quis ob causam orandam pecuniam domum'ue accipiat. Quæ tum ijs Coss. & Romæ & apud exteros gesta sunt, uide apud Tacitum in undecimo, & Iosephum 19. Antiquitatum: qui in 20. libro, cap. decimo, magnam illam seditionẽ factam tradit, qua multa milia Iudæorum sub Cumano præside sunt obtrita. Quam Eusebius & Orosius hoc anno, id est, septimo Claudij factam tradunt. Et in Ecclesiastica historia libro secundo, capite decimonono, similiter traditur.

4. 8 VITELLIVS, ET PVBLICOLA. 49. 800

Cornelius Tacitus hoc loco in 11. ponit Coss. A. Vitellium, & L. Vipsanum. Sic enim hi appellabant̃. Sub quibus Claudius censuram nouam egit, ac lustrũ cõdidit, quo censa sunt ciuiũ sexagintaocto centena milia. Quod Caßiodorus & Eusebius prioribus annis factum scribunt, ut superius paulo antè patuit. Hoc item tempore Messalina cum Sillio nouas nuptias celebrans, Cæsare apud Hostiam sacrificante, paulo pòst accusante Narcisso, in hortis Lucullianis interficit̃. quod eleganter Tacitus explicat, & Tranquillus rubrica uicesimaquinta. Vide in Tacito, quot sint tum equites & Senatores ob Messalinam interfecti. item in lib. duodecimo, quo pacto tres liberti, Callistus, Pallas, & Narcissus, tres diuersas uxores Claudio ducendas suadebãt. Et quomodo tandem duxerit Agrippinam, cuius filius Domitius Nero Octauiæ filiæ Claudij copulat̃, licet esset Sillano de-

CHRI-STI Ab ur. con. no desponsata, qui est Senatu ac prætura iniustè amotus. Cæterùm A. Vitellium
consulem puto, qui post Othonem imperauit. nam Suetonius in Vitellio, tertia
rubrica sic scribit: L. Vitellius decessit duobus filijs superstitibus, quos ex Sexti-
lia probatissima, nec ignobili femina editos, consules uidit, & quidē eodem an-
no ambos, totoq; anno, cum maiori minor in sex menses successisset. Tradit Ta-
citus, Gallis ciuitatem Romanam adeptis, ius adipiscendi honoris tamdiu detra-
ctum, donec A. Vitellio L. Vipsano Coss. Claudius imperator uniuersæ Galliæ
Comatæ illud quoque indulserit, habita super hoc ornatissima oratione, quam
undecimo libro Tacitus refert.

VERANNIVS, & GALLVS. CCVII. 9

50. 801 Tacitus in duodecimo, sub C. Pompeio & Q. Verannio Coss. tradit nuptias
incestas Claudij & Iuliæ Agrippinæ, Germanici filiæ, suasu Pallantis celebratas:
cum Senatus decreto, quo iustè inter patruos fratrumq; filias nuptiæ etiam in po
sterum statuebantur: licet unus solus Talledius Seuerus Romanus eques, Agrip
pinæ gratia simile matrimonium faceret. Sed Claudij & Agrippinæ nuptiarum
die Sillanus, cui desponsata fuerat Octauia Cæsaris filia, eiq; erepta, ac delata
Neroni filio Agrippinæ, sibi mortem consciuit: quod & Tranquillus rubrica ui-
gesimaoctaua edocet. Ac Iulia Caluina eius soror, Italia pulsa. Tum uenia exilij
Anneo Senecę data, cui ob claritudinem studiorū puericia Neronis tradita. Eis-
demq; etiam Coss. referente Tacito, Lolia, quod & matrimonium principis ten-
tasset, suggerente causas Agrippina, quæ Chaldæos & Magos ab ea consultos
super nuptijs Imperatoris obiecerat, in exiliū est acta. Cætera uide apud Tacitū,
de salutis augurio repetito, & pomœrio urbis aucto à Claudio. Cæterum ex Ve
rannij illius familia, is fortè fuit Verannius, quem Catullus Veranniolum uocat,
unaq; cum Fabullo unicè dilexit: quod ex Epigrammatis ipsius liquidò apparet.
Vt certè plurimum mirandi sint, qui in Plinij præfatione malūt Vernaculis & Fa
mulis, nullo sensu, quàm Veraniolis & Fabullis, apertissimo intellectu legere &
interpretari. Scripsit Onosander, Græcus autor, eruditissimū libellum, de opti
mo Imperatore eligendo, ad quintum Verannium: quem Nicolaus Sangundi-
nus in latinum uertit. Verannij meminit Iosephus decimonono Antiquitatum,
cap. tertio, describēs quomodo Claudius sit imperiū assequutus. Horū Coss. insu
per meminit Solinus in suis collectaneis, à principio opusculi, ubi disputat, Ro-
mam esse conditā primo anno septimæ Olympiadis. Inter cætera sic scribit: Inter
exortū urbis & Troiam captā, esse annos quadringētos & triginta tres constat.
Huic argumēto illud accedit, quòd cum C. Pompeius Gallus & Q. Verannius
anno urbis cōditæ octingentesimoprimo fuerūt Coss. cōsulatu eorū Olympias
septima et ducētesima actis publicis annotata est. Quater ergo multiplicatis sex
& ducentis Olympiadibus, erūt anni octingēti uigintiquatuor: quibus septimæ
Olympiadi annectēdus est unus annus, ut in solidū colligant octingenti uiginti-
quinq; anni. Ex qua summa detractis quatuor & uiginti annis Olympiadū retrò
sex, manifestè anni octingenti & unus reliqui fient. Quapropter cum 81. anno ur.
con. ducētesimaseptima Olympias cōputet, par est Romā septimæ Olympiadis
anno primo credi conditā. Verū apud Iuliū Frontinū lib. de Aquæductibus, ubi
agit de curatoribus aquarū, sic horū Coss. meminit: Verannio ac Pompeio Lon
gino Coss. Domitius Apher curator aquarū erat. Orosius scribit in septimo, an-
no nono Claudij expulsos Iudęos, secundū Iosephū. Sed me magis, inquit, Sueto
nius mouet, qui ait hoc modo: Claudius Iudæos impulsore Christo assiduè tu-
multuantes, Roma expulit. Quod, utrū cōtra Christū tumultuantes Iudæos coer
ceri & cōprimi iusserit, an etiā Christianos simul uelut cōgregatæ religionis ho-
mines uoluerit expelli, nequaquā discernit. Hoc Suetonius in Claudio, rubrica
uigesimaquarta. Iosephus uerò lib. decimono Antiquitatū, abundè multa de Iu-
dæis, quibus Claudius edictū dedit, ut sine prohibitione sua sacra celebrarēt. Sed

Olym. Imp. Clau. 2. 10 Tacitus in duodecimo, ijs. Coss. tradit Ituræos & Iudæos, defunctis regibus Sohennio atque Agrippa, prouinciæ Syriæ additos. CHRISTI con. 51. 802

VETVS, & NERVILIANVS.

Hoc loco Tacitus ponit C. Antistiũ et M. Suilliũ Coss. qui ijdem sunt cum ijs, sub quibus L. Domitius Nero, Agrippinæ ex Cn. Domitio Aenobarbo filius, adoptatur à Claudio, suasu Pallantis, qui nuptias Claudio suaserat: Agrippinæ ob id deuinctus, & eidẽ etiã stupro illigatus. Agrippina Augusta cognominatur. quæ ut uim suã socijs quoque nationib. ostenderet, in oppidũ Vbiorũ (sic enim olim nominabantur Colonienses Vbij, & ita legendũ in Cor. Tacito) in quo genita erat, Veteranos Coloniáque deduci impetrat: cui nomẽ inditũ ex uocabulo ipsius. Ac fortè acciderat, ut eam gentẽ Rheno transgressam, anus Agrippa in fidẽ acciperet. Quæ tum in Germania & Britannia gesta sint, uide apud Tacitũ lib. 12. copiose. Sed id obseruandum, quod tradit: Cum Catti latrocinarentur, & Vangiones ac Nemetes, quos hodie Vuormacienses & Spirenses appellamus, auxiliares aduenirẽt L. Pomponio legato, illi ipsi cum præda circumuenti sunt: et quidã è clade Variana post quadragesimũ annũ seruitio sunt exempti. In 13. Tacitus mentionẽ facit Nerulini, qui filius fuit P. Suillij: ut de illo nomine subdubitẽ, Nerulinúsne an Neruilianus sit appellandus. Et simul de altero consule dubiũ. quoniã si sincerus est liber Frontini de Aquæductibus, hoc anno Claudius cõsummauit aquæductus, licet Tacitus nihil de hoc scripserit. Vnde sic scribit Iulius Frontinus libello de Aquæductibus: Anno post ur. con. octingentesimosexto, Suillio & Titiano Coss. Claudius Cæsar duos aquæductus à Caio inchoatos cõsummauit, dedicauítque. Pluráque dehinc subiũgit de Claudia aqua ab eo dicta, ut etiã superius annotaui. Numerus annorũ urbis corruptus est, propter notas. Cum enim II. fortè scriberentur, VI. indoctus librarius peruertit, ut sæpe fit. Vnde & Suetonius rubrica decimanona: Claudiæ aquæ gelidos & uberes fontes, aquarũ, quorũ alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomẽ est, simulque riuum Anienis nouo lapideo opere in urbẽ perduxit. Vide illic, quę latè ibi scribit Tranquillus. At Plin. lib. tricesimosexto, cap. decimoquinto: Vicit antecedentes aquarũ ductus nouissimũ impendiũ operis inchoati à C. Cæsare, & peracti à Claudio. Quippe à lapide quadragesimo, ad eam excelsitatẽ, ut in omnes urbis mõtes leuarentur, influxere Curtius atque Caeruleus fontes, erogata in id tempus sestertia DLV. M.

3. 11 CLAVDIVS, & ORFITVS. 52. 803

In alio autore scribitur: Claudius Tiberius quintũ, & Orfitus. sic & Tacitus in duodecimo: Tiberio Claudio quintũ, Ser. Cor. Orfito Coss. uirilis toga Neroni maturata, quo capessendę Reip. habilis uideretur: et Cæsar adulationibus Senatus liberis cessit, ut uicesimo ætatis anno consulatũ Nero iniret, atque interim designatus proconsulare Imperiũ extra urbẽ haberet, ac princeps iuuentutis appellaretur. Additũ nomine eius donatiuũ militi, congiariũ plebi. Tum ludi Circenses acti, in quibus inter Neronem & Britannicũ odia exorta sunt. Multa eo anno prodigia euenere. Insessum diris auibus Capitolium, crebris terræmotibus proruptæ domus. Frugum quoque egestas, & orta ex eo fames in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantũ questus: sed iura reddentẽ Claudiũ, circumuasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremã fori partem urgebant, donec militum globos infestos perrupit. Quindecim dierũ alimenta urbi, nõ amplius superfuisse, constitit. De qua fame & Suetonius in Claudio, rubrica decimaseptima: & Orosius lib. septimo, cap. quarto: Tanta fames Romę fuit, ut medio foro Imperator correptus, à populo cõuicijs & fragminibus panis turpissimè infestatus, ægrè per pseudothyrum in Palatiũ refugiẽs, furorẽ excitatę plebis euaserit. Huius famis & Eusebius in Chronicis meminit. De hac fame scribitur in Actis Apostolorũ, cap. 11. Sed horum Coss. & Plinius libro secundo, capite 37. meminit, ubi de pluribus solibus agens, sic scribit: Et nostra uidit ætas diuo Claudio principe, consulatu eius

Cornelio

Anni CHRISTI. Ab ur. con. — Olym. Imp. Clau.

Cornelio Orſito collega, tres ſoles. Quod & Euſebius nono Imperij anno ſub Claudio eueniſſe ſcribit. Eſt etiam hoc anno, referente Tacito, bellũ inter Armenios Iberosq́ geſtum, quod latè in duodecimo ſcribitur libro. 4. 12

SILVANVS, ET SILVIVS.

53. 804 Autor ignotus hoc loco habet, Sulla & Otho. Cornelius Tacitus lib. duodecimo: Fauſto Sylla, Siluio Othone Coſſ. Furius Scribonianus in exiliũ agitur, quaſi finẽ principis per Chaldęos ſcrutaretur. adnectebatur crimini Iunia mater eius, ut caſus prioris: nã relegata, erat impatiens. Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam mouerat, ut in uita Claudij ſcripſimus. & hinc de Mathematicis Italia pellendis factum S.C. atrox & irritum. Laudati dehinc oratione principis, qui ob anguſtias familiares ordine Senatorio ſponte cederent: motiq́, qui remanendo impudentiam paupertati adijcerent. Inter quæ refertur ad Patres de pœna feminarum, quæ ſeruis coniungerentur. Scribit Tacitus, in Iudæa tum ſeditionem ortam, cum Felix præſes Syriæ eſſet, cum Ventidius Comatius Galilæam regeret, Felix Samariã. quæ latiſsimè, quomodo excitata fuerit, à Ioſepho uiceſimo libro deſcribitur. Cęterùm eodem libro, cap. 3. epiſtola Claudij ſcribitur, quæ data eſt decimoquarto Calendas Iunij, Coſs. Ruffo & Pompeio Syluano, quorum nomina in Caſsiodoro non inuenio: ſuſpicor, aut fuiſſe Verannium ac Neruilianum, qui tertio antè anno fuerant, aut præſentis potius. Circiter id tẽpus eam ſcriptam, titulus epiſtolæ Claudij indicat, qui talis eſt: CLAVDIVS CAESAR GERMANICVS TRIB. POT. V. COS. ORDINARIVS. IIII. IMP. X. PP. HIEROSOLYMITARVM PRINCIPIS CVRIAE, POPVLO IVDAEORVM, & CVNCTAE GENTIS. Sed ſtudioſe lector, nihil ſtatuo: tu quoq; cogita, & meliora citra inuidiam quæras, & apponas. In fine decimitertij Tacitus Pomponij Syluani meminit. tanta eſt nominũ diuerſitas, ob deprauatos codices. Scribit Tacitus, ſub ijs Coſs. Claudiũ edidiſſe naualẽ prælium, cum ſpectaculo gladiatorum, perrupto monte inter lacum Fucinum, & amnẽ Lirim. quod & Tranquillus narrat, rubrica uiceſima. Euſebius in libro Temporum, anno quinto Claudij, prodit Fucinum lacum à Claudio exiccatũ, undecim annos, triginta hominũ milibus ſine intermiſsione operantibus. Et per eadẽ tempora portum Hoſtiæ extruxiſſe, dextra læuaq; quaſi brachijs obiectis. Hoc Suetonius rubrica decimanona. Itẽ emiſſariũ Fucini lacus, portumq́; Hoſtienſem, quanquã ſciret, ex ijs alterum ab Auguſto precantibus Marſis negatum: alterũ à diuo Iulio deſtinatum, ob difficultatem omiſſum. De lacu Fucino, qui eſt Marſorum, Plinius in tertio Naturalis hiſtoriæ, & Strabo in quinto. Vergilius:

Te nemus Angitiæ, uitea te Fucinus unda,
Te liquidi fleuere lacus, &c.

Cæterùm præter ea quæ de Fucino lacu emittendo Suetonius ſcribit, & Euſebius in Chronicis repetit, uide decimum caput Plinij, in fine libri triceſimiſexti.

TIBERIVS III. ET ANTONIVS. CCV 13

54. 805 Sic in Caſsiodori exemplo unico inueni. Quanquam de Claudij Tiberij con- III.
ſulatibus abundè iam ſcripſerim, nolui tamen quicquam in Caſsiodoro friuolè, ne quis temeritatis me accuſaret, immutare. In opuſculo ignoti autoris ſcribitur, Silano et Antonino. Cor. uerò Tacitus hoc loco ſic habet: D. Iunio et Q. Atherio Coſs. ſedecim annos natus Nero, Octauiã Cæſaris filiam in matrimonium accepit. Vtq́; ſtudijs honeſtis & eloquẽtiæ gloria niteſceret, cauſa Ilienſium ſuſcepta, Romanum Troia demiſſum, & Iuliæ ſtirpis autorem Aeneã, aliaq́; haud procul fabulis uera facunditate executus, impetrat, ut Ilienſes omniũ publico munere ſoluerentur. Multi dehinc ſunt populi, Rhodij, Apamienſes, Coi, & Biſantij, libertate donati, & tributis ſoluti: ut Tacitus in duodecimo ſcribit. Sed Tacitus in decimotertio, Atherium Antoninum appellat, non Antoniũ: ut fortè, ſicut ignotus autor habet, Q. Atherius Antoninus conſul ille fuerit dictus.

Clym. Imp. Clau. 2. 14

SILVANVS, ET OTHO.

CHRI-STI. 55. Ab. con. 806

Cornelius Tacitus in fine duodecimi libri, si est castigatus codex, ponit hoc loco Coss. M. Asilinũ & M. Aciliũ (legendũ aũt est M. Asinius Marcellus, & M. Aciolus Auiola) sub quibus tradit multa accidisse prodigia, quæ rẽ in deterius labi portendebant: & quæ præsagia erãt mortis Claudij, ut Trãquillus scribit rubrica quadragesimaquinta, in fine Claudij. Quo pacto autẽ mors Claudio sit procurata per Agrippinã, et quomodo ueneno interierit, lege Tacitũ in fine duodecimi, & apud Suetoniũ rubrica quadragesimatertia. Sed quadragesimaquarta scribit, Claudiũ excessisse tertio Idus Octobris, Asinio Marcello & Acilio Auiola Coss. qui sunt illi ijdẽ Coss. quos Tacitus ponit, & qui paulo inferius à Cassiodoro sub principatu Neronis ponũtur: adeò ut in Syrtes iterũ uehi uidear. Nullũ enim hactenus authorẽ uidi, qui hos Coss. Siluanũ & Othonẽ, neq; Sillanũ secundũ & Antoniũ secundũ citaret. Sed omnes sub Auiola & Marcellino Claudiũ perijsse scribũt. Nolo tamẽ hos Coss. temerè abijcere, quos fortè Cassiodorus ex antiquissimis annalibus excerpsit. Satis sit admonere lectorẽ, ut diligẽtius inquirat. Nã & apud Liuiũ sæpe est diuersitas Coss. ob diuersitatẽ annaliũ. Nisi fortè hoc Cassiodori exemplar unicũ, quod ego habui, sit librariorũ uicio deprauatũ: quod etiã facilè accidere potest. Nã & in fine Coss. Neronis iterũ ponit Siluanũ & Othonẽ, sub quibus Neronẽ occisum scribit. De quib. nihil inuenio apud autores, cũ sub Telesino & Paulino sit occisus, ut inferius dicemus. Itaq; hæc in medio relinquo. Sed crebra est mentio Siluani Cesij, et Põponij Siluani, in Epist. Plinij. Siluanũ rhetorẽ, tradit Lãpridius ab Heliogabalo occisum. Sed hęc obiter.

His Coss. Claudius moritur in palatio, anno ætatis sexagesimoquarto. Cui successit Nero, qui regnauit annis XIII. mensibus VII. diebus XXVIII. sub quo illi Coss. fuerunt.

Orosius lib. 7. ca. 4. Anno ab ur. con. octingẽtesimosexto, Nero Cæsar ab Augusto quintus principatũ adeptus est: mansitq; in eo annis nõ plenis quatuordecim. Caij Caligulæ auunculi erga omnia uicia ac scelera sectator, immò transgressor. Petulantiam, libidinẽ, luxuriam, auariciam, crudelitatem, nullo nõ scelere exercuit: & reliqua quæ sequuntur, quibus breuiter uitam eius enarrat. Eutropius quoq; cap. 6. lib. 7. uitam eius perstringit. Quos iuniores sequuti sunt, Iornandes scilicet, Beda & Honorius, & cæteri. Copiosius autem Tranquillus lib. 6. & Tacitus 4. libris, à tredecimo ad decimumseptimum, ubertim uitã eius prosequutus est. Iosephus res Iudaicas ad duodecimum annum Neronis, in uigesimo libro Antiquitatum exequitur. qui lib. uigesimo, cap. decimo sic scribit: Nero Agrippinæ matris ope adeptus regnũ, principatu sumpto, Britannicũ ueneno latenter occidit: matrem uerò propriã interemit, hoc ei retributionis munus impendens, non solum pro matris officio, sed etiam quod ei suis machinamentis Romanorũ prębuerat principatum. Peremit etiam Octauiam suam uxorem, multosq; uiros insignes, quia insidias ei fecissent. Multi autem de Nerone historiam scripserunt, quorum quidam pro gratia beneficiorum, eius neglexere ueritatem. Alij uerò propter odiũ & eius inimicitias sic impudenter mendacijs inuoluti sunt, ut aperta reprehensione sint digni, &c. Zonaras autem, qui & Iohannes appellatur Monachus, Græcus, ex singulis colligit uitã Neronis. quam etiã Eusebius in Chronicis, & in secundo Ecclesiasticæ historiæ paucis complectitur. In ijs omnibus, quicquid lector desideras, inuenies. Nos etiam excerpsimus ex singulis, in Catalogo nostro, quod usui futurum arbitrabamur.

VI. IMP. RO. NERO.

SILLANVS II. ET ANTONIVS II.

Tacitus libro tertiodecimo Historiæ Augustæ, ubi res gestas Neronis descri-

bere

56 807

CHRI-STI. Ab urb. con. Olym. Imp. Ner.

bere incipit (si liber non est mancus) nullos Coss. ponit ante Neronem & Veterem: licet in initio principatus eandem tradat decimumseptimum annum tantum egisse. Constat autem inter omnes (quemadmodum referente Tacito didicimus) Claudium Neroni detulisse consulatum anno uigesimo, ut interim proconsulare gereret imperium. à quo etiam anno, usq; ad obitum suum, numerantur triginta duo anni, quibus uixit. Cæterùm quid gestum sit ab initio principatus, require à Cornelio Tacito libro tertiodecimo, ubi etiam Sillani mors describitur, cuius & Plinius in septimo meminit, capite decimotertio in hæc uerba: Diuus Augustus in reliqua exemplorum raritate, neptis suæ Nepotem uidit genitum, quo excessit anno, M. Syllanum: qui cum Asiam obtineret, post consulatũ, Neronis principis successione, ueneno eius interemptus est. Sic enim legi debet Plinius, alioqui nullus erit sensus, nullus intellectus. Fuit enim is M. Syllanus abnepos Augusti, ut clarè ex Tacito colligimus. Antonini Atherij meminit Tacitus in decimotertio. Verùm hos Coss. hactenus apud nullum reperi scriptorem, nisi apud ignotum autorem, & hunc nostrum Cassiodorum. Tacitus non ponit, neq; aliquis quem uiderim. ideo id examinandum censeo.

57 808 5

MARCELLVS, ET AVIOLA.

Superius scripsi, Suetonium in Claudio hos citare Coss. rubrica quadragesimaquarta, quibus Claudium excessisse scribit: ut scrupulus mihi nõ modicus injiciatur, cum autor ignotus nullos ponat ante Neronem. sed in medio hoc relinquo. Nam et libellus ille nuper repertus L. Annei Senecæ, de Morte scilicet Claudij Cæsaris ludus inscriptus, sic orditur: Quid actum sit in cœlo ante diem tertio Idus octobris, Asinio Marcello, Aciolo Auiola Coss. anno nouo, initio seculi felicissimi, uolo memoriæ tradere, &c. E' quibus patet, Suetonium, Tacitum, Senecam, tres insignes autores conuenire, sub Marcellino scilicet & Auiola Claudiũ excessisse uita: qui fortè etiam durabant toto anno, donec Nero in imperio confirmaretur, dum Claudium patrem in numerum deorũ referret, & ipse formam futuri principatus præscriberet: ut elegãter docet Tacitus ab initio tertijdecimi. In quo loco ostendit etiam, quæ tum in Oriente facta sunt, & quo modo Nero Cæsar effigiem Cn. Domitio patri, consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petiuit à Senatu: sibiq; statuas argento uel auro solidas aduersus offerentes prohibuit. Nec Decembrem mensem, quo erat ortus, principium anni esse uoluit: ob ueterem religionem Calendis Ianuarij, quibus anni principium concessit, ut erat olim.

His Coss. S. Paulus apostolus Romam uinctus à Felice præside Iudçæ destinatur. Probus etiam eruditissimus grammaticus, Romæ cognoscitur. Vrsulus Colossensis celeberrimè in Gallia rhetoricã docet.

In Chronicis Eusebius: Festum in gubernatione Iudææ Felici successisse, apud quem præsente Agrippa rege, Paulus apostolus religionis suæ rationem exponens, uinctus Romam mittitur. In Sacra uerò historia libro secundo, capite uigesimosecundo, hoc addit: A' Nerone Festus mittitur in Iudæam, apud quem causa dicta Paulus uinctus mittitur Romam, Aristarcho secum comitante: quem consequenter in Epistolis suis concaptiuum appellat. Sed & Lucas, qui & acta eius, cæterorumq; Apostolorum describit, subiungit in fine, quòd biennio in urbe Roma uerbum Dei prædicabat, nemine prohibente: quem tamen affuisse sibi, & defendisse se apud Neronem, & rursum profectum esse ad prædicationis officium, sermo confirmat: & post hoc denuò redijsse ad suprà dictam urbem (ubi & martyrio consummatus est) tunc, cũ in uinculis positus secundam ad Timotheum scribebat Epistolam: in qua & de prima sua defensione, & de præsenti simul indicat passione. Repetit partim ea Beda in suo libro Temporum. Idem Eusebius in Chronicis Probi Berythij eruditissimi grãmatici meminit;

Ann. Imp. Ner. nit, de quo Suetonius, Tranquillus de claris Grammaticis, ultimo capite: M. inquit, Valerius Probus Berythius, diu centuriatũ petijt, donec tædio ad studia se contulit: multa deinceps de hoc subiungens. Valerij Probi, qui de notis literarũ scripsit, meminit Gellius in decimoseptimo: & eius libellus circũfertur hodie impressus. Quẽ uerò hic Caßiodorus Vrsulũ Colossensem appellat, Eusebio dicitur Statius Surculus Tholosanus rhetor: ut in alterutro menda appareat. CHRISTI. Ab con.

3. 1 NERO, ET VETVS. 56. 807

Claudius Nero, & L. Antistius Vetus Coss. ut in tertiodecimo scribit Tacitus, iuxta ueterẽ religionem Calendis Ianuarij inchoando annum, magistratum inierũt. Quanquã patres censuissent, ut principiũ anni inciperet mense Decẽbri, quo ortus erat Nero. Sub quibus Coss. ortæ sunt dissensiones inter Neronem & Agrippinã matrẽ, ac Octauiam uxorem, ob amorem Actæ libertæ: ut latè Cornelius explicat. Nam & Britannicũ fratrem decimumquartũ ætatis annũ agentem, ueneno sustulit. De quo, præter Tacitũ, etiã Suetonius in Nerone, rubrica trigesimatertia. Sed uberius omnia Cornelius, qui in fine anni scribit, principẽ urbem lustrasse è responso aruspicum, quod Iouis ac Mineruæ ædes de cœlo tactæ erãt. Vide aũt illic in tertiodecimo Taciti, atrocitatẽ Agrippinę matris Neronis, & multas accusationes quæ factæ, & quomodo Iulia Syllana missa sit in exiliũ, & accusatores relegati, & quæ hoc anno in urbe facta sint. Sed neq; illud obmitẽdũ cẽseo, quòd is L. Antistius Vetus, qui collega Neronis in hoc cõsulatu erat, undecimo anno imperij Neronis pòst est ab eo crudelißimè occisus, cum filia & nepote: quæ quidẽ historia, quia est pulchra, & scitu digna, require eã in principio decimisexti libri Cor. Taciti, & lætaberis te legisse. Illud etiã memoria repetẽdum, quod superius scripsi in Tiberio, in opusculo illo anonymi autoris, ubi nomina Pontificũ scribuntur, fieri mentionẽ Coss. Neronis & Veteris, ad quos usq; Pontificatus S. Petri durasse scribitur: quia mox sub sequẽtibus Coss. describitur Pontificatus Lini episcopi. Et ideo in quibusdã Annalibus reperi, Nerone & Vetere Coss. paßi sunt Petrus et Paulus, tertio Calẽdas Iulias. Sed noster Caßiodorus longè est diuersus ab illis, qui ultimo Neronis anno scribit eos trucidatos. Errorem quispiam, uix non subolebit: quia sub Italico & Turpiliano alij scribunt initium Pontificatus Clementis. Cæterùm post hos Coss. ignotus autor, & Tacitus similiter, subiungunt Coss. quos Caßiodorus in hoc loco obmittit. Nam in ignoto autore scribuntur consules, Saturnius & Scipio. Et opusculum illud ano

4. 2 nymi de Pontificibus, etiam horum Coss. ita meminit: LINVS ANN. XII. M. IIII. D. XII. Fuit ergo temporibus Neronis, à consulatu Saturnini & Scipionis usq; Capitone & Ruffo. quandoquidẽ in ignoti autoris libello scribitur: Nerone Cęsare & Vetere Coss. paßi sunt Petrus & Paulus, tertio Cal. Iulij. Cor. uerò Tacitus appellat Q. Volusiũ et P. Scepionẽ Coss. quo anno ociũ foris, domi fœda lasciuia, qua Nero itinera urbis & lupanaria et diuerticula ueste seruili in dissimulationẽ sui cõpositus pererrabat, comitantib. qui raperent ad uenditionẽ exposita, & obuijs uulnera inferrẽt. quod etiã Suetonius tradit. Ludicraq; & ars histrionum eo tẽpore in prælia cõuersa est, quibus sæpe cõmixtus Nero fuit: sed postea histriones Italia pulsi sunt. Est per idẽ tempus S. C. de libertis factũ, duæq; manumittendi species inuentæ. Dehinc de tabulis publicis Quæstorũ actum est. Iisdẽ Coss. damnati sunt: Vipsanius Lenas, ob Sardiniã prouinciã auarè habitã: Clodius Quirinalis damnationẽ ueneno anteuertit: Cestus Proculus repetundarũ absolutus: Amnius Rebius, misso per uenas sanguine obijt. Omissum hũc à Caßiodoro cõsulatũ, uel hinc etiã patêre potest, si diligenter uerba Suetonij in Nerone, rubrica decimaquarta examinẽtur, sic scribẽtis: Cõsulatus quatuor geßit, primũ bimestrẽ, secundũ & nouißimũ semestres, tertiũ quadrimestrem, medios duos continuauit: reliquos intra annua spacia uariauit. Præterea cum idẽ rubrica deci- 57. 808

maquinta

cimaquinta scribat, consulatum in senos plerunque menses dedisse: uerisimile est, & alios, quos Cassiodorus hic non ponit, Coss. temporibus Neronis fuisse: quemadmodum Tacitus quosdam Coss. designatos nominat, ut Iunium Marullum & L. Pisonem Cerealem, Anitium Plautium Lateranum. Et iureconsultus Vlpianus ff. trigesimo sexto, ad Senatusco͂sultum Trebellianum, factum id esse scribit temporibus Neronis, octauo Calẽdas Septẽbris, Anneo Seneca & Trebellio Maximo Coss. qui ijdem Coss. repetuntur Institu. libro secundo, de Fideicommissarijs hæreditatibus. De Trebellio Maximo Tacitus libro decimoquarto, & decimoseptimo: quæ forte substituti in cæteros menses sex fuerunt, ut plerosque inferius notabimus sub cæteris imperatoribus. Hinc etiam scribit Trãquillus, rubrica quadragesimatertia: Cum iam Galliæ & Hispaniæ à Nerone defecissent, quòd consules ante tẽpora priuauerit honore: atque in utriusque locum solus inijt consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi à consule, &c. cuius itẽ consulatus hic nulla fit mentio. Sed hæc sunt diligentius obseruanda: quandoquidem & in Lampridio legimus, differre ordinarios Coss. à suffectis. Et nos deinceps dabimus operam, ut ex singulis bonis autoribus undique congeramus Coss. suffectos. Quod si non debito ordine illos locabimus, ignoscendum erit, donec & alij Annales inuenientur.

58. 809 NERO II. ET PISO. CCIX. 3

Scribit Tacitus: Nerone II. & L. Pisone Coss. amphitheatrum ligneũ in campo Martio à Cæsare extructum. Capuam atque Nuceriam colonias, additis ueteranis firmatas esse, uectigaliaque remissa: ac S. C. factum, de spectaculis in prouincia faciundis. Plures hoc anno reos describit idem Cornelius, P. Celerẽ, Cossutianum, Capitonem, Eprium Marcellum: de quibus etiã Suetonius. Huius Pisonis fit mentio à Plinio, tertio Epistolarum, ijs uerbis: Nuper L. Piso, pater Pisonis illius qui à Valerio Festo per summum facinus in Aphrica occisus est, dicere solebat: Neminem se uidere in Senatu, quẽ consul ipse sententiã rogauisset. Hic postea Piso à Nerone imperatore uectigalibus publicis, cũ Decẽnio Geminio & Pompeio Paulino præpositus, Vespasiano & Tito Coss. Aphricæ præfectus fuit. Sed quomodo eius filius occisus sit, latissimè Tacitus explicat. In antiquis annalibus inueniẽs, hucusque Lucam actus Apostolorum perduxisse.

59. 810 NERO III. ET MESSALA. 2. 4

Tacitus in decimotertio, horũ Coss. mentionẽ faciens, Nerone tertiũ Coss. simul inijt consulatum Valerius Messala. Huius Valerij Messalæ proauus orator Coruinus erat, diui Augusti, abaui Neronis, collega, teste Tacito: quẽ in eo magistratu pauci senũ meminerant. Sed nobili familiæ honor auctus est, oblatus in singulos annos quingentis sestertijs, quibus Messala paupertatẽ innoxiã sustentaret. Aurelio quoque Cottæ, & Atherio Antonino, annuam pecuniã statuit princeps, quamuis per luxũ habitas opes dissipassent. Sub ijs Coss. bellũ in Parthos à Romanis gestum est, duce Domitio Corbulone: quod elegantissimè Tacitus describit. In cuius uictoria supplicationes habitæ, statuæque & arcus & cõtinui cõsulatus principi sunt decreti. Hoc anno initiũ amoris cũ Poppea Sabina factum est. Rei quoque à Tacito enumerantur, qui & damnati & absoluti sunt. Vbi inter cætera lege, quæ P. Suillius obiecit Senecę. Tũ res Germanicæ narrãtur, usque ad finem libri: quo loco memorabile illud factum Germanorum describitur. Cum enim legati Germanorum in theatro, consessum caueæ, & discrimina ordinum percunctati quosdam, externo cultu in sedibus senatorum legatos uidissent, digrediuntur, & inter patres considunt, exclamantes: Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse. Quod comiter à uisentibus exceptum est, & à Nerone sunt ciuitate donati Romana. Scribũtur dehinc etiam certamina Hermundorum & Cottorum. Et postremò annotatur Ruminalis arbos in campo Martio, post octingentos quadraginta amplius annos arefacta.

Olym. Imp. Ner. Vipsanus, Fonteius. CHRISTI. CON.

C. CAPITO, & APRONIVS.

3. 5 Post tertium Neronis consulatum, ignotus autor iterũ alios subiungit Coss. 60. 811
quos omittere uidetur Casiodorus, siue alios sit sequutus annales, siue negligentia scriptoris sint obmissi. Nã, ut paulo antè ex Suetonio annotauimus, inter primũ & secundũ, ac inter tertium & quartũ consulatus, singuli interuenerunt, medios duos cõtinuauit. Ne igitur sciens quicquã prætercam, hos quoq; interserã. Autor uerò incertus hos nominat, Capitonẽ & Aproniamũ. Cor. Tacitus in principio decimiquarti, C. Vipsanum & Fonteium: quod idem est. Sub quibus Coss. ut idem tradit, scelus Neronis diu meditatũ erupit. nam ut Poppæa potiretur, & Octauiam à se separaret, opus erat Agrippinam matrem è medio tollere. Quemadmodum igitur illa occisa sit, elegãtissimè Tacitus in decimoquarto describit: & Suetonius in Nerone, rubrica trigesimaquarta narrat: Nero ut crudele facinus obtegeret, literas ad Senatũ misit, quibus se purgauit, multosq; exules ab Agrippina in exilium missos reuocauit. Tum se in omnes libidines effudit, ac studiũ citharæ & quadrigariorum apertè exercuit. Ludos iuuenales instituit, histrionicamq; exhibuit, qua & uiri & feminæ apud nemus prostituebantur: equitesq; Augustanos conscripsit, artesq; ludicras omnes aperuit, ex coalito imperio audacior iam factus. de quibus passim legendus est Tranquillus. Multa sub ijs Coss. accidisse prodigia, Tacitus latè describit. In quibus & sol repentè obscuratus traditur: quod Eusebius libro Temporũ, si menda caret liber, quarto Imperij anno factum scribit. Plinius libro septimo, capite uigesimo, tradit, se Vipsano & Fonteio Coss. uidisse annos nouem genitum puerum, à meridie ad uesperã septuaginta milia passuũ cucurrisse. Et libro secũdo, capite septuagesimosecundo: Solis defectum Vipsano & Fonteio Coss. qui fuere ante paucos annos, factũ pridie Calendas Maias, Campania hora diei inter septimam & octauam sensit.

4. 6

NERO IIII. & CORNELIVS.

Nerone Cæsare quartùm, Cornelio Cosso & Lentulo Coss. quinquẽnale ludicrum Romæ institutum est à Nerone, ad morem Græci certaminis, uaria fama, & cuncta fermè noua: ut in decimoquarto Tacitus, & Tranquillus in Nerone, rubrica duodecima, abundè scribunt. Hoc tempore cometes effulsit, de quo opinio est, tanquam mutationem regis portenderet. Vnde cum Rubellius Plautus ab omnibus futurus Cæsar crederetur (nam & ante mensam Neronis fulmẽ cecidit, quod octauo anno Imperij factum Eusebius tradit: sed secundum Tacitum, est sextus) huic Nero consulit, ut cum Antistia coniuge & familiaribus in Asiam ad auitos agros proficiscatur. Iisdẽ diebus nimia luxus cupido, infamiam & periculum Neroni tulit: quia fontem aquæ Martiæ, ad urbẽ deductæ, nando incesserat, uidebaturq; potus sacros & cerimoniã loci corpore toto polluisse. Sequutaq; anceps ualetudo, irã deûm affirmauit. Vnde & Frõtinus libro de Aquæductibus, horũ mentionẽ faciens, sub ijs scribit L. Pisonẽ fuisse, curatorem aquarum. Eodem Domitius Corbulo in Armenia bellum gerens, Tigranocertam urbem expugnauit. In Asia, Laodicea & multæ urbes terræmotu conciderunt. In Italia, Puteoli colonia facta. 61. 812

CCX. 7

PIVS, & TVRPILIANVS.

A' Tacito in decimoquarto appellantur Coss. Cesonius Petus, & Petronius Turpilianus. Sub quibus Coss. idẽ scribit copiose, grauissimã cladem in Britannia acceptã: quæ quo pacto facta sit, illinc require. Pòst duo recenset insigna scelera: alterũ senatoris, alterum serui. De hoc C. Petronio Turpiliano, qui cum indignationem Neronis incidisset, moriturus testamentum cõscripsit, quo omnia flagitia Neronis continebantur. Multa scribit Tacitus lib. 16. lege diligenter. 62. 813

2. 8

MACRINVS, & GALLVS.

In ignoto autore scribitur hoc loco, Marius & Gallus: ut suspicandus sit corruptus 63. 814

ruptus Casiodorus. nisi Marij cognomento sit Macrinus. nam & in Tacito legitur, P. Marius & L. Asinius. sub quibus Coss. Antistius Prætor condemnatur: Burrus, qui iuuentuti Neronis præfuit, ueneno tollitur. Cuius & Tranquillus meminit in Nerone, rubrica tricesimaquinta. Seneca præceptor à delatoribus clàm accusatur: & à Romano, nihil proficiente expurgatione, quam coram Cæsare fecerat, Sylla in Gallijs circa Masiliam est interfectus, caput eius Neroni allatum. Rubellius Plautus in Asia interficitur, & caput eius refertur: utriusque turbidum ingenium apud Senatum, accusante literis Nerone, interficiuntur. & ueneno liberti potissimi: Doriphorus, quòd nuptijs Poppeæ aduersaret: Pallas, quòd immensam pecuniã longa senecta detineret. Est aũt & interfecta uxor Neronis Octauia, quæ primũ tanquã sterilis domo est exturbata, dehinc reuocata: pòst in exilium missa, ac occisa est. Vnde in fine decimiquarti libri Taciti, crudelem necem Octauię reperies, quę materiam dedit Senecę tragico poetæ ut tragœdiam scriberet, cui titulus est Octauia: si liber Cor. Taciti mancus non est, sed integer, & cui sincera haberi fides potest. Sub id tempus bellum Armeniæ factum est, quo legiones sub iugum sunt missæ. quod latissimè in 15. libro, ut nunc sunt partiti libri, describitur. Est autem ille octauus annus Imperij Neronis, ut patet in oratione Senecæ ad Neronem: & quartusdecimus, quo præfuit eius ætati.

64. 815 Regulus, & Ruffus. 3. 9

Cæterùm, quem toties cito autorem ignotum, post Marium & Gallum Coss. alios iterum subiungit, quos & Cor. Tacitus in decimoquinto ponit, & Casiodorus hoc loco obmittit, Regulum scilicet, et Ruffum, de quibus scribit Tacitus: Memmio Regulo & Virginio Ruffo Coss. natam sibi ex Poppea filiam Nero, ultra mortale gaudium accepit, appellauitque Augustam, dato & Poppeæ eodem cognomẽto. Locus puerperio Colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. Iam Senatus interim uterum Poppeæ cõmendauerat dijs, uotaque publicè susceperat: additæque supplicationes, templumque Fœcunditati, & certamẽ ad exemplar Atticæ religionis decretum. Quæ tamen omnia fluxa fuere, quartũ intra mensem defuncta infante. Huius filiæ & Suetonius in Nerone rubrica tricesimaquinta meminit. Sed de legatis Parthorum, & quid Corbulo in Armenia cum Tyridate & Vologese gesserit, Tacitus abundè in decimoquinto. Eodem anno Cæsar nationes alpium maritimarum in ius Latij transtulit. Equitum Romanorum locos sedibus plebis anteposuit apud Circum, namque ad eam diem indiscreti ibant: quia lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priori. Sed feminarum illustrium, Senatorumque plures per arenam fœdatæ sunt. Iulius Frontinus libro de Aquæductibus scribit, Petronium Turpilianum curatorem fuisse aquarum, Virginio Ruffo & Memmio Regulo Coss. Meminit horum item Coss. in sexto Naturalium quæstionum Seneca, ubi de terræmotu agit, quo desedit Pompeios celebris Campaniæ urbs, sic scribens: Nonis Februarij fuit motus hic, Regulo & Virginio Coss. Sic enim legendum est ibi, non Vergilio, ut corrupti habent codices. Marcus euangelista Alexandriæ hoc anno passus fertur.

65. 816 CRASSVS, ET BASSVS. 4. 10

Horum Consulum meminit Frontinus de Aquæductibus sic: Crasso Frugi & Licinio Basso consulibus, P. Marius Turpiliano successit in curatione aquarum. Tacitus in quintodecimo, post superiora sic scribit: C. Lexanio, M. Licinio consulibus, acriore indies cupidine adigebatur Nero, promiscuas scenas frequentandi. nam adhuc per domũ aut hortos cecinerat, Iuuenalibus ludis, quos ut parum celebres, & tantæ uoci angustos spernebat. Non tamẽ Romæ incipere scenas ausus, Neapolim quasi Græcam urbem delegit, inde initium fore sperans, ut transgressus in Achaiam, insignesque & antiquitùs sacras coronas adeptus, maiore fama studium ciuium eliceret. In Neapoli tunc theatrum corruit.

Olym. im. Ner. dehinc urbem reuisit: & cum meditaretur iter in Aegyptum, mutato proposito Romæ mansit, conuiuijs ac luxui inseruiens. Quale autem conuiuium instituerit circa stagnum Agrippæ, & quomodo illustres feminas in crepidinibus stagni prostituerit, uide apud Tacitum in decimoquinto. Eodem tempore Pythagoræ exoleto Nero denupsit, transformatus in omnia scelera. Graueq; illud incendium urbis fuit, quod sex diebus durauit, à Tacito copiose in 15. descriptum: & à Tranquillo rubrica tricesimaoctaua. de quo & inferius Casiodorus scribit, ut patebit. Quinimò, ut Tacitus subiungit, ut incendij illius rumorem aboleret, Christianos exquisitißimis pœnis affecit: quos ferarũ tergis contectos, canibus obiecit. quidam crucibus sunt affixi, ante flammis in usum nocturni luminis immersi. Suetonius rubrica decimasexta, unà cum Tacito, afflictos supplicijs Christianos superstitiosum genus hominum appellat. Sed Tertullianus in Apologetico, illi mendaciorum loquacißimo fidem præstare prohibet: Appellat hæc loquacißima bellua, nostram ueram religionem Christi, execrabilem superstitionem, qui nescijt ueram religionem à superstitione disiungere. Eodem tempore fossa Neronis, cuius & Plinius in decimoquarto meminit, & Tacitus, & Tranquillus rubrica trigesimaprima, inchoata est: sed irrito labore. Sub id tempus peruastata Italia, prouinciæ euersæ, socijq; populi conferendis pecunijs, spoliataq; templa auro egesto, quod triumphis & uotis populo Romano sacrauerat: per Asiam Achaiamq; missi, qui non dona tantum, sed simulachra simul abriperent. Sed de rapinis, extorsionibus ac sacrilegijs, Suetonius rubrica tricesimasecunda. Cæterùm plures per ea tempora leguntur Basi. Galbium Bassum præfectum oræ Ponti, uirum integrum & probum, & Saleum Bassum poetam excellentißimum, suo tempore commemorant Tacitus & Iuuenalis. Iulium Bassum declamatorem recitat Seneca in Controuersijs. ubi corruptè scriptum est, Iouium. Facit tamen Fabij testimonium, legi debere Iunium Bassum: quem hominem dicacem, & cognomento Asinum album, ac à se puero cognitũ, idem testatur. In Bassum interdum Martialis. Aurelio Basso, prodit Vlpianus, diuum Pium rescripsisse. Plinius senior Iulium Bassum, qui de Medicinis Græcè scripsit, nominat. Plinius iunior ad Traianum, asserit acta Iulij Basi rescissa, dictumq; à Senatoribus omnibus ius, de quibus ille aliquid constituisset, ex integro agendi per biennium. Libro uerò quarto Epistolarum, scribit Pomponio Basso, cuius pueri Vrbici mortem immaturam deflet Martialis. Meminit item Tacitus in decimosexto Cesellij Basi Pœni. Noster autem Casiodorus subiungit:

CHRI-STI Ab urb. con.

His Consulibus thermæ à Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellauit. Cuius odio, mutato uocabulo, nunc Alexandrinæ nominantur.

Eusebius has factas anno nono Imperij Neronis scribit, quo & Persius poeta mortuus est. Thermarum meminit & Eutropius: sed nihil de ijs Tacitus.

SILVANVS, ET PAVLINVS.

Hos Coss. neq; in Tacito reperi, neq; alibi. Inferius enim de C. Suetonio Paulino uidebimus: qui sine dubio fuit consul. sed non hoc anno. Et ideo autor ignotus hos Coss. etiam nõ ponit: quod mihi scrupulũ inijcit, ne fortè liber Casiodori sit deprauatus, potißimum cum decimo Imperij Neronis anno graue illud urbis incendiũ sit factum, quod omnes alij historici fatentur, & superior cõsulatus fuit decimus imperij Neronis annus. De quo hic subiungit Casiodorus:

His Coss. Nero, ut similitudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem urbis incendit.

Similia uerba Eusebius in libro Temporum ponit, decimoq; anno imperij Neronis factum esse scribit incendium illud. quod & Orosius libro septimo, capite quar-

CHRISTI Ab urbe con. pite quarto describit. De quo paulo antè plura scripsimus: quoniam & Cassidorus in decimum Neronis annum illud reijcit, & Tacitus similiter in decimũ annum supputat: licet sub diuersis Coss. ponant, diuersos puto sequuti Annales. Nam & post superiores Coss. prioris anni, Crassum uidelicet & Bassum, ignotus autor hoc loco ponit Neruam & Vestinum: cui conuenit Tacitus in decimoquinto, à quo ponuntur consules illius anni, Silius Nerua, & Atticus Vestinus. Sub quibus coniuratio C. Pisonis in Neronem, per proditionem est detecta. Suntq́ iugulati plures Senatores, equites, milites, ac feminæ: in quibus & Seneca & Lucanus apertis uenis sunt occisi, multi in exilium innocentes acti, plures sibi ipsis mortem consciuerunt. Pars sponte urbem reliquit: & Vestinus consul mori iussus, aqua calida mersus, scidit uenas, & moritur. Adulatores uerò Neronis triumphalia & consularia suscipiunt insignia. Fiunt decreta, ut Aprilis mensis Neronis dicatur, templum Saluti extruatur, & templum Neroni: quæ omnia diligentissimè perscripsit Tacitus in decimoquinto, & Tranquillus in Nerone rubrica trigesimaquinta. Quemadmodum uerò in Aphricam miserit, qui thesaurum Didonis effoderent: ipse Romæ quinquennale ludicrum secundo lustro celebrans, sua carmina recitauerit, ut coronam facundiæ perciperet: Poppeaq́ Neronis uxor mortua sit, multiq́ iterũ exilio sint damnati, multiq́ occisi: magnaq́ uentorum uis in Campania, uillas, arbusta, fruges, passim disiecerit, pestilentiaq́ urbem depopulata sit hoc tempore: docet Tacitus in decimosexto, Tranquillus in Nerone passim, rubrica tricesimaquinta & sequentibus, item rubrica tricesimanona, & alibi: Orosius libro septimo, capite quinto. Vbi etiam hoc annotandum, quòd Nero hunc Atticum Vestinum consulem in ipso honore trucidauit, ut potiretur eius uxore Statilia Messalina, Tauri bis consulis ac triumphalis abnepte, quam ipse post occisam Poppeam uxorem duxit. Olym. Imp. Ner.

66. 817 CELSINVS ET APVLEIVS. CCXI. 11

Celsinus quis fuerit, nondum inueni: Cesennius Siluanus in Tacito sæpenumero narratur. Si hic sit, incertum est. Fortè per inuersionem quarundam literarum, Celsinus pro Telesinus ab indocto librario repositum est, sicut & Apuleius pro Paulinus. Sed uolui reponere nomina Coss. ut scripta erant. iudicium sit acrioribus ingenijs.

His Coss. duæ prouinciæ factæ sunt: Pontus Palemoniacus, & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto.

Vndecimo Imperij Neronis id factum, Eusebius sub ijsdem uerbis explicat: & Eutropius libro septimo, capite sexto: & Aurelius Sextus in Nerone, Tranquillus rubrica decimaoctaua. Ammianus Marcellinus Alpes Cottias scribit attolli ad solis ortus, atque eas extructas molibus magnis à Cottio rege, qui receptus fuit in amicitiã Octauij Cæsaris: quod & Tranquillus narrat. In his alpibus Cottijs, quarum initium à Segusia est, oppido præcelso, erigitur iugum, nulli ferè sine discrimine penetrabile. Sed & superius in Ruffo Sexto, de ijs prouincijs scripsimus abundè.

TELESINVS, ET PAVLINVS.

Cæterùm ut ingenuè fatear, iterum dubito qui nam hi fuerint Consules. nihil enim hactenus de ijs inueni. Sed hoc loco habet ignotus autor, Telesinum & Paulinũ. & Cornelius Tacitus in decimosexto, C. Suetonium & L. Telesinum Coss. ponit: sub quibus iterum, sed non sine præfatione, illustrium uirorum cædes elegantissimè describit, quas nemo unquam sine commiseratione leget: quorum & Tranquillus, & Plinius iunior in Epistolis crebrò meminit. Illic ergo legas, quomodo crudelissimus gladiator & lanius Nero, uirtutẽ ipsam excindere cupiẽs, in uiros probitate insignes desæuijt. Scribit eo tẽpore Tacitus, Tyridatẽ regẽ pro accipiendo Armeniæ regno tum in urbem aduentasse: de quo Tranquillus in Nerone, rubrica 13. Sed, nisi omnino fallor, Tacitus circa finẽ sextidecimi li.

 deficit.

Olym. Imp. Ner. deficit. Nam cum decimumseptimũ librum orditur: Initium, inquit, mihi operis Seruius Galba iterum, T. Iunius cõsules erunt. cum inter hos plures mediarint cõsules, ut patebit. Et hoc principium insinuat, aliam olim fuisse librorum diuisionem. Quod ex Tertulliano in Apologetico obseruaui, qui quintum appellat Taciti librum, uigesimumprimum, ubi de Iudæis agitur. Verùm horum consulum meminit Iulius Frontinus de Aquæductibus, qui scribit, L. Telesino & Suetonio Paulino Coss. curatorẽ aquarum fuisse Fonteium Agrippam. Suetonius autem Paulinus dux copiarum fuit inter duces Othonianos clarissimus, quem cunctatorem natura memorat Tacitus. Alius fuit Suetonius Leuis, pater scilicet Suetonij Tranquilli scriptoris Cæsaris, & historiæ, candidissimi sub Hadriano Epistolarum magistri, uiri (iudicio Plinij iunioris) probissimi, honestissimi, eruditissimi, quem ob morum elegantiam & studia in contuberniũ suum assumpsit. Et sicut Tacitum Plinius, ita Tranquillus Plinium est ueneratus. Alius præterea est Valerius Paulinus, qui circuniectas Galliæ Narbonensi ciuitates Vitelliana tempestate in uerba Vespasiani, cuius ante fortunam amicus erat, adegit: concitisq; omnibus qui exauctorati à Vitellio, bellum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniã claustraq; maris præsidio tuebat̃: ad quem Plinius iunior scribit secundo Epistolarũ. Fuit etiam Paulinus Valerius tribunus missus à Vespasiano ad Iosephum latitantẽ, & postea præfectus Alexandriæ. Tum accusatus est, & à pluribus proditionis insimulatus, dum Celso ociose auxilium fert, quòd propter religionẽ non esset functus ducis officio. Prædia in Foroiuliensi possedit, famæ ac immortalitatis unicus possessor, amator, consul creatus, ut suprà patuit: Plinio iuniori tanta familiaritate coniunctus, ut moriens ei ius liberorũ suorũ relinqueret. Sed de hoc Suetonio Paulino Plinius senior in quinto Naturalis historiæ, cap. primo sic scribit: Suetonius Paulinus, quem consulem uidimus, primus Romanorum ducum transgressus quoq; Atlantem aliquot milium spacio, prodidit de excelsitate quidem eius quæ cæteri: & reliqua quæ sequuntur.

CHRISTI Ab urb. cond.

2. 12 CAPITO, ET RVFFVS. 67. 818

In decimosexto Tacitus meminit Capitonis Cossutiani, generi Tigillini: qui Anneum Melam, fratrem Senecæ, & patrem Lucani, ad mortem compulit. Hic Thraseæ Peti fuit accusator, ut ibi latissimè explicat. Sed nescio si consul fuerit, nusquam id inueni. Legitur & in 17. Fonteius Capito. Horum etiam Coss. mentio fit in opusculo de Pontificibus, ut superius de Lino Pontifice scripsimus. ubi legitur: Linum sedisse à cõsulatu Saturnini & Scipionis, usq; Capitone & Ruffo. Cæterùm neq; hos Coss. neq; sequentes inuenies in Tacito, quia mancus est codex, & decimussextus liber imperfectus est. non enim habet defectionẽ Galliarum per Iulium Vindicẽ factam: neq; Hispaniarũ per Sergium Galbam. nec etiam cõtinet mortem Neronis: quia mox in 17. libro continetur status urbis, qui tum erat post Neronis interitum. Iccirco desiderant̃ hic quædam in Tacito: è quibus discere hos consules & nonnulla alia possemus, si extaret integer.

3. 13 ITALICVS, & TVRPILIANVS. 68. 819

Apud autorem ignotum inuenio hoc loco Trachallum & Italicum: ut suspicandum sit alterum nomen desiderari. nam & Iulius Frontinus libro de Aquæductibus scribit, Sillio Italico & Galerio Trachallo consulibus, Albium Crispum fuisse curatorem aquarum. In Opusculo Pontificum sic scribitur: Clemens annis IX. menses XI. D. XII. fuit temporibus Galbę & Vespasiani, à consulatu Trachalli & Italici, usque Vespasiano VI. & Tito. Tacitus præterea in decimoseptimo Galerij Trachalli mentionem facit, de gestis Othonis scribens: & tamen Petronium Turpilianum consularẽ scribit occidisse. Et iunior Plinius libro tertio Epistolarũ, septima epist. ad Caninium Ruffum, de Sillio Italico scribens, sic inquit: Vtq; nouissimus à Nerone factus est cõsul, ita postremus ex omnibus quos Nero consules fecerat decessit. Illud etiam notabile, ultimus ex Ne-

CHRI-STI Ab ur. con. Olym. Imp. Ner.

roniatis conſularibus obijt, quo conſule Nero perijt. Quod ob id ſcriptum exiſtimo à Plinio, quia aliqui tradunt Neronem trigeſimoſecundo, alij trigeſimoprimo mortem obijſſe, & diſparuiſſe, ut in eius uita ex diuo Auguſtino enarraui. Præterea Tranquillus in Nerone rubrica quadrageſimatertia tradit, Neronem cum iam ex defectione Galliarum atque Hiſpaniarum in deſperationem ueniſſet, conſules ante tempus priuaſſe, atque in utriuſque locum inijſſe conſulatum: quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari niſi à conſule. & mox ſubiungit: Ac ſuſceptis faſcibus, quum poſt epulas egrederetur, innixus humeris famulorum affirmauit, ſimulac prouinciam attigiſſet, inermem ſe in conſpectu exercituum prodit urum, nec quicquam aliud quàm fleturum. Tacitus libro decimoſeptimo, nouam ſectionẽ operis inchoans, Seruium Galbam iterum & T. Iunium conſules ponit, quos etiam ignotus autor prioribus ſubiungit. Sed noſter Caſſiodorus Siluanum & Othonem locat, niſi ſint ij dem.

69. 820 SILVANVS ET OTHO. 4. 14

His conſulibus, Romæ ſanctus Petrus & Paulus apoſtolus trucidati ſunt à Nerone.

Superius annotauimus, in opuſculo ignoti autoris, ubi ſola nomina conſulum ſcribuntur, Petrum ac Paulum paſſos tertio Calendas Iulias, Nerone Cæſare & Vetere conſulibus. Et poſt Petrum ſediſſe Linum annis XII. & dehinc Clementem. Cur autem Caſsiodorus hic illos trucidatos prodat, planè non conſtat. Cæterùm quòd ſub Nerone ſint paſsi, tradũt Euſebius & Eutropius: ſed omniũ pulchrius de prima perſequutione Chriſtianorũ Oroſius lib. ſeptimo, cap. quinto: Auguſtinus lib. decimooctauo, cap. quinquageſimoſecũdo: Tertullianus in Apologetico: Euſebius lib. 2. Sacræ hiſtoriæ, cap. 25. Omnium tamẽ copioſiſsimè Egeſippus in 3. lib. Commentariorũ, cap. ſecundo, ubi ordine narrat cauſas cur Petrus trucidatus ſit. Sed ueritas ſic ſe habet. Et numerus annorũ ubiqꝫ etiã in uetuſtiſsimis annalibus cõuenit plenè: quia uetuſtiſsimi omnes in hoc conueniũt, anno Chriſti LXIX. Petrum crucifixũ, Paulum decollatũ, & Neronem ſeipſum occidiſſe. Sed & Linus libellũ ſcripſit Græcè, qui nunc latinè uerſus eſt, de Paſsione ſanctorũ Petri & Pauli: qui ſtudioſis legendus eſt. Licet noſtra ætate quidam hunc quaſi confictum coarguant.

Qui turpiter uiuens, cum à Senatu quæreretur ad pœnam, è palatio fugiens, ad quartum urbis miliarium, in ſuburbano, Nomentana uia, ſeſe interfecit, anno ætatis XXXII.

De hoc Nerone Tranquillus, Tacitus, Aurelius Sextus, Philoſtratus, Euſebius, Ioſephus, Egeſippus libro quarto, capite uigeſimo. Nos quoqꝫ ex ijs excerpſimus in eius uita memoratu digniora, ut ſuo loco apparebit.

Cui ſucceſsit Galba, qui regnauit menſibus VII.

De hoc Tranquillus, Plutarchus, Tacitus in 17. libro, capite quinto, qui anno ab ur. con. octingenteſimo uigeſimoſecundo ſcribit illum aſſumpſiſſe imperium in Hiſpania. Sed notas numerorũ ſuſpectas ſuſpicor. Eutropius lib. ſeptimo, cap. ſeptimo: Sex. Aurelius, Egeſippus lib. quarto cap. 21. Hoc loco illud obſeruandum duco, quòd ignotus autor, poſt Italicũ & Trachallũ Coſs. ponit mox, Galbam & Iunium. Et Cor. Tacitus, orſus nouum tomum operis, ſic ſcribit: Initium mihi operis Seruius Galba iterũ, & T. Iunius Coſs. erunt. Dehinc narrat, quis ſtatus urbis & Imperij erat, poſt Neronis mortem: quandoquidẽ prior liber Taciti imperfectus eſt, & fine caret. Et paulo pòſt eodem 17. libro: Cum Seruius Galba iterũ & T. Iunius cõſules inchoauere annum ſibi ultimũ, Reip. propè ſupremũ. Hic eſt ille T. Iunius, qui unà cum Cornelio Lacone & Icello liberto, abutebatũ pro ſua uolũtate Galba, ut horum trium arbitrio dicerẽt Galba quaſi à tribus pæ

Olymp. dagogis regi. Et qui paciscebatur cum Othone, si adoptaret à Galba, & successor CHRISTI Ab urb. con.
declararetur, ut filiam suam Crispinam uiduam uxorem duceret. Sed Galba Pisonem Licinianum adoptauit. Hic denique T. Iunius in Plutarcho Ouinius scribit, siue librarij uitio id acciderit, qui articulum græcum ὁ Iunio coniunxerit, & unũ nomen formauit: siue quòd Græci propria Latinorum nõ commodè enunciant, & sæpe literas inuertunt. sed iudicium sit penes eruditiores. Sed & ibi in Plutarcho horum Coss. fit mentio. At qualis ab ineunte ætate fuerit T. Iunius, eleganter Tacitus describit: & huius consulatum Plutarchus, ut dixi. Sed diligenter, & cum sale est legendus. Nec illud quidem obmittendum est, quod Suetonius in Vespasiano scribit, rubrica quinta: Quòd comitia secundi consulatus ineunte Galba, statua diui Iulij ad Orientem sponte conuersa, significauit, ex Oriente ac Iudæa proditurum Cæsarem Vespasianum. Quod & ex tertia aquila obseruabatur, à solis ortu ueniente, bello Bebriacensi. Hæc obiter annotasse, lector boni consule. Nam & si Cassiodorus hos non posuerit, alios sequutus annales, ut tempora metiretur: nos tamen, ut studiosos iuuaremus, quoscunque inuenimus, annotauimus. Nam & eo loco apud Tacitum memorantur consules designati, Ciconius, Varo & Marius Celsus apud Plutarchum in Othone, & alij plures, ut inferius patebit. Nunc iterum uerba Cassiodori subnectamus, sic scribentis:

Post hunc Otho mensibus tribus, diebus quinque.

Licet autem, ut omnes attestantur Historici, tribus tantũ mensibus Otho imperauerit: tamen, scribente Tacito in decimoseptimo historiæ Augustæ, Imperator factus Otho, munia Imperij obibat, quædam ex dignitate Reipublicæ, quædam contra decus, & præsenti usu properando: Consul cum Titiano fratre in Calendas Martias, ipse proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum, iungitur Verginio Pompeius Vopiscus, prætextu ueteris amicitiæ: plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Cæteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbæ mansere. Celio ac Flauio Sabinis in Iulias, Archio Antonio & Mario Celso in Septembres, quorum honori ne Vitellius quidem uictor intercessit. Sed Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit, &c. Obserua ex his Cornelij uerbis, candide lector, quo pacto consulatus in menses quosdam distribuebantur, quos Cassiodorus non ponit, Annales quasi scribens. Annotasse tamen hos, nullum est dispendium, sicubi horum fiat mentio. Et ob id inanis est istorum sciolorum temeritas, qui pertinaciter contendunt, Coss. omnes suos magistratus inijsse Calendis Ianuarij, ut etiam superius annotauimus. Cæterùm de Othone Plutarchus in eius uita, Cornelius Tacitus in decimoseptimo longè lateque: Aurelius, Suetonius, Orosius in septimo, capite quinto, Eutropius in septimo, capite octauo, Egesippus libro quarto, capite uigesimoquarto: ex quibus & nos breuiter uitã Othonis excerpsimus. Sed nunc iterum subiungam uerba Cassiodori:

Post Vitellius regnauit mensibus octo, die uno.

Tradit Tacitus in decimonono, quod cum Vitellius nihil è solito luxu remitteret, diffidentia properus, festinare comitia solebat, quibus consules in multos annos destinabat. Tranquillus uerò in Vitellio rubrica duodecima: Comitia, inquit, in decem annos ordinauit, seque perpetuum cõsulem. Verùm ut ex Tacito colligimus, priores consules Vitellius mutauit. nam Mario Celso consulatũ ereptũ, Cecilio Simplici dedit: & ut Fabio Valenti ac Cecinnæ uacuos honoris menses aperiret, aliorum consulatus coarctati sunt. Dissimulatus M. Macri tanquam Othonianarũ partium ducis, cõsulatus: & Valerium Marinum destinatũ à Galba consulẽ distuli nulla offensa: sed mitem, & iniuriã segniter laturũ. Pedianus Costa

CHRI-STI. Ab ur. con. Olymp.

nus Costa omittitur, ingratus principi: & quemadmodum sub C. Cæsare dictatore, ut superius annotauimus, Caninius Rebulus uno die consul creatus fuerat: sic sub Vitellio, cum unus dies Cecinnæ superesset, Roscius Regulus, pridie Calendas Nouembris consulatum iniit. Memoratur & à Tacito Q. Atticus consul, qui cum Flauio Sabino fratre Vespasiani interfectus est. Sed omnes hi Coss. suffecti, non ordinarii fuerunt. Cassiodorus autem noster annuos & ordinarios tantum Coss. ponit. Vitam Vitellii latissimè Tacitus in decimooctauo & decimonono libris exequutus est. Tranquillus libro nono, Sex. Aurelius, Orosius libro septimo capite quinto, Eutropius libro septimo, cap. nono, Egesippus libro quarto, cap. uigesimosexto & trigesimosecundo. Vnde & nos pauca excerpsimus è singulis. Sed nunc iterum subiungamus Cassiodori uerba:

Qui omnes infrà scriptos duos Coss. tenuerunt.

70 821 (72) (822)

VESPASIANVS, & TITVS. 2

Huius consulatus meminit Tacitus in uigesimo, scribens, literas Vespasiani alacritatem dedisse, tanquam manente bello scriptas: & ob id obsequium Senatus non defuisse. Ipsi igitur consulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & consulare Imperium decernuntur.

71 822 (73) (823)

VESPASIANVS II. & TITVS II. 3

Vtrumq; consulatũ iniisse, Vespasianum & Titum, & quidem absentes, latissimè Tacitus in uigesimo Actorũ diurnaliũ ostendit: Cum ciuitas mœsta & multiplici metu suspensa foret, instantia mala & falsos pauores induens, cum summum ius penes Mutianum esset: nisi quod pleraq; Domitianus instigantibus amicis ac propria libidine audebat. Nam qua die Senatum ingressus est, de absentia patris fratrisq; ac iuuenta sua pauca & modica disseruit, decorus habitu, & ignotis adhuc moribus: crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Quæ tum bella & in Italia & in Germania facta sint, elegantissimè & omnium copiosissimè explicat Tacitus pluribus. Tranquillus uerò rubrica quarta, sic de Vespasiani consulatu: Præterea consulatum, quem gessit per duos nouissimos anni menses, medium tempus ad proconsulatum usq; in ocio secessuq; egit, Agrippinam timens: & reliqua. Et rubrica octaua sic scribit: Acto de Iudæis triumpho, cõsulatus octo ueteri addidit: suscepit & censuram, & per totum Imperii tempus nihil habuit prius ac antiquius, quàm Rempub. stabilire. Vespasiano iterum & Tito Coss. Sex. Iulius Frontinus uir consularis Præturam urbanam gessit, teste Tacito in uigesimo. & eo eiurante, Domitianus Præturam cæpit. Frontinus igitur curam Britanniæ ac molem sustinens, quantum licebat ualidam & pugnacem Silurũ gentem armis subegit, super uirtutem hostium locorumq; difficultatem eluctatus. Aquarum præfectus à Nerua creatus, libellũ de Aquæductibus urbem influentibus edidit (quem crebrò hoc nostro Commentario citauimus) secessu Tarracinensi oblectabatur: auguratum gessit: rei militaris peritus, Traiano libros stratagematicos dicauit. Scripsit longè plura, quæ simul cum aliis communi literarum iactura intercidere. Summus Iurisconsultus, Plinio interdum respondet. Martialem, ac cæteros scriptores fouit. moriens uetuit sibi sepulchrum construi. Fuit & Iulius Fronto tribunus urbanarum cohortium, ab Othone exautoratus: & Claudius Frontinus sub Antonio Pio. Et ita

Olym. Imp. Vesp.	Galba Vitellius Otho Vespasianus	ab exercitu	Hispaniensi Germaniciano Prætoriano Iudaico	in	Hiberia Germania Vrbe Alexandria	ui imperiũ rapuerũt. Vnde subiungit Casiodorus:	CHRISTI. Ab urb. con.

His Coss. Vespasianus suscepit imperium: qui regnauit annis nouem, mensibus XI. diebus uigintiduobus. sub quo hi Coss. fuerunt.

Idem ijsdẽ uerbis scribit Eusebius de Temporibus. Orosius ac Eutropius dant eius Imperio nouem tantum annos. Sex: Aurelius & cæteri decem annos. Vide inferius quæ de hoc & nos conscripsimus. Vtinã Deus aliquis nobis posteriores Taciti libros amissos restituat, ut integram possimus reddere historiam. Addenda censeo quæ in uetustissimis annalibus reperio, ubi scribitur: ANNO DOMINI LXXII HIEROSOLYMA EXPVGNATA DESTRVITVR. ANNO À PASSIONE DOMINI XLII. À PRIMA CONDITIONE TEMPLI SVB SALOMONE.

VES. CAES. AVG. VII.

4. 1 VESPASIANVS III. & NERVA. 74. 824

Horum Coss. meminit Frontinus de Aquæductibus sic: Vespasiano tertiùm, & Cocceio Nerua Coss. Pompeius Siluinus curator aquarum Crispo Albio successit. Vnde & Romæ uetustissima legitur inscriptio talis:

IMP. CAES. VESPASIANVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P. Aquas Curtiam & Ceruleam perductas à diuo Claudio, & postea intermissas dilapsasq; per annos nouem, sua impensa urbi restituit.

Plinius quoq; libro secundo, capite decimotertio huius consulatus his uerbis meminit: Semel iam acciderit, ut in occasu luna deficeret, utroq; super terram conspicuo sidere. Nam ut in duodecim diebus utrumq; sidus quæreretur, & nostro æuo accidit Imperatoribus Vespasianis, patre tertiò, filio iterum Coss. Sed iam sępius dixi, duplices fuisse Coss. ordinarios & suffectos: & rursus alij, aliterq; consulatus Vespasiani, secundum diuersos annales ponunt, ut paulo infrà annotabimus. Scribit Eusebius, hoc primo Vespasiani anno Capitoliũ Romæ incensum. De cuius incendio multa Tacitus libro decimonono. Sed quę tum prodigia Hierosolymæ acciderunt in cœlo cum stellis & alijs, uide Egesippum libro quinto, capite quadragesimoquinto. Vespasianus præterea multas uias publicas destructas instaurauit, ut in uetustissimo lapide marmoreo ante ædes Conseruatorum Romæ posito hæ literæ indicant:

IMP. CAESARI VESPASIANO AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. III. IMP. XII. P. P. COS. III. DES. IIII. S. C. Quòd uias urbi negligentia superior. tempor. corruptas impensa sua restituit.

CCXIII. 2 VESPASIANVS IIII. & TITVS III. 75. 825

Ignotus autor habet hoc loco: Vespasianus quartò, & Titus secundò. Quoniam nisi unius tantum consulatus Titi prius meminit, & hunc alterum ponit. Vidi etiam uerum collegam Vespasiani in quarto consulatu, in quodam autore. Iuxta ripam Tybridis Romæ marmoreus lapis paucis ante annis effossus fuit, cum tali inscriptione:

EX

CHRI- Ab ur. STI. con. — Olym. Imp. Vesp.

EX AVCTORITATE IMP. CAES. VESPASIANI AVG. P. M. TRIB. POT. IIII. IMP. X. COS. IIII. V. CENSOR CAIVS CALEPETANVS RANTIVS QVIRINALIS, VALERIVS CESTVS CVRATOR RIPARVM ET ALVEI TYBERIS TERMINAVIT. R. R. PROX.

His Coss. Titus filius Vespasiani Iudæa capta, præter quos gladio interfecit, sexcenta milia captiuorum publicè uenundauit.

Hæc eadem Eusebius. Iosephus uerò scribit, undecies centena milia fame & gladio perijsse: & alia centum milia captiuorum publicè uenundata. Quod autem tanta multitudo Hierosolymus reperiretur, causam Azymorum fuisse refert: ob quam ex omni gente Iudeæ ad templum confluentes, urbe quasi carcere sunt reclusi. Oportuit enim ijsdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Saluatorem crucifixerant. A' cuius prædicatione à XV. anno Imp. Tiberij X. ab exordio Euangelicæ prædicationis numerantur in hunc secundū annum Vespasiani quadraginta duo anni. Eusebius 43. ponit, ut elegantissimè docet Egesippus in Anacephalæosi desolationis Hierosolymitanæ. Si à passione Christi numerabis, inuenies 40. Et ideo tam Egesippus quàm Eusebius examine indigent, quo ad numerum. Sed uide Eusebij de Historia sacra librum tertium, cap. quintum & septimum: Iosephum de bello Iudaico lib. 6. Egesippum libro 5. per totum. Sed de numero cæsorum, capite quinquagesimo.

76. 826 VESPASIANVS V. & TITVS IIII. 2. 3

Ignotus autor ante hos Coss. ponit Domitianum & Messalinum: siue fuerint suffecti Coss. prioris consulatus, siue peruersus sit Coss. ordo. Nam paulo inferius hi duo ponentur à Cassiodoro, Domitianus & Messalinus. Licet Frontinus pariter ante hunc quintum Vespasiani consulatum scribat, Valerio & Messalino Coss. T. Annium Flauianum curatorem fuisse aquarum, & Flauiano successisse Acilium Auiolam, Vespasiano quintò & Tito Coss. Item Censorinus de Die natali, ubi de lustro agit, sic prodit: Idem tempus anni magni Romanis fuit, quòd lustrum appellabant. Ita quidem à Seruio Tullio institutum, ut quinto quoque anno censu ciuium habito, lustrum conderetur. sed non ita à posteris seruatum. Nam cum inter primum à Seruio rege conditum lustrum, & id quod ab Imperatore Vespasiano V. & Cæsare III. Coss. factum est, interfuerint paulo minus sexcenti quinquaginta: lustra tamen per ea tempora non plura quàm septuaginta quinque sunt facta, & postea planè fieri desierunt.

77. 827 VESPASIANVS VI. & TITVS V. 3. 4

Autor ignotus habet, Vespasianus sextùm, & Titus quartū Coss. Horum etiā Coss. mentio fit ab autore qui de Pontificibus scripsit, ut suprà annotauimus, ubi de Clemente Pont. I. Clemens ann. IX. M. XI. D. XII. fuit temporibus Galbæ & Vespasiani, à consulatu Trachali & Italici, usque Vespasiano VI. & Tito.

78. 828 VESPASIANVS VII. & TITVS VI. 4. 5

Hic iterum ignotus autor scribit: Vespasianus septimùm, & Titus quartùm. Spartianus quoque huius consulatus in Hadriano sic meminit: Natus est Romæ Hadrianus IX. Calendas Februarij, Vespasiano septies, & Tito quinquies Consulibus.

His Coss. Vespasianus incensum Capitolium ædificare orsus est.

Idem scribit Eusebius libro Temporum, quinto anno Imperij Capitolium esse refectum. De quo multa prius, paulo antè. Subdit & in Alexandria factam seditionem. Tacitus in uigesimo tradit, curam restituendi Capitolij Vespasianum in L. Vestinum contulisse, equestris ordinis uirum, sed auctoritate famaque

inte

Olym. Imp. Ves. inter proceres ab eo contracti aruspices, monuere, ut reliquiæ prioris delubri in CHRISTI Ab. con.
paludes aueherentur, templum ijsdem uestigijs sisteretur: nolle enim deos mutari ueterem formã. Vndecimo Calendas Iulias, serena luce, spacium omne quod templo dicabatur, euinctũ uittis coronisq́;, ingressi milites, quibus sancta omina felicibus ramis: dein uirgines Vestales cũ pueris puellisq́;, patrimis matrimisq́;, aqua riuis & fontibus amnibusq́; hausta perluere. Tum Heluidius Priscus prætor, præeunte Plauto Heliatio pontifice, lustrata boue taurisq́; area, & secundum cespitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præsidesq́; Imperij deos precatus, ut cœpta prosperarent, sedesq́; suas pietate hominum inchoatas, diuina ope attollerent: & reliqua illic lege.

CCX 6
IIII COMMODVS, ET RVFFVS. 79. 829

Hos Coss. ignotus autor subiungit octauo Vespasiani consulatu: scribitq́; Commodum & Priscum. Eusebius hoc sexto Vespasiani anno scribit Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam, Comagenem, quę liberæ antea & sub regibus amicis erant, in prouincias redactas. De quibus multa Suetonius rubrica octaua. Et nos in eius uita pariter meminimus.

2. 7 VESPASIANVS VIII. & TITVS VII. 80. 830

Ignotus autor habet, Vespasianus octauò & Domitianus quintò. In opusculo quoq; de Pontificibus, sic fit horum Coss. mẽtio: Cletus annis sex, M. duo. d. x. fuit temporibus Vespasiani & Titi, & initio Domitiani à Coss. Vespasiano octauò & Domitiano quintò, usq; Domitiano nonò, & Ruffo.

His Consulibus, colossus erectus est, habens altitudinis centum & septem pedes.

Quo pacto colossi refectorem donauerit Vespasianus, uide Tranquillũ rubrica decimaoctaua. Eadem ijsdem uerbis scribit Eusebius libro Temporum, anno septimo, quo claruisse quoq; tradit Q. Asconium Pedianum historicum, qui septuagesimo ætatis suæ anno captus luminibus, duodecim postea annis in summo omnium honore tandem consenuit. qui orationũ Tullianarum doctissimus fuit interpres, licet ad nepotes minima pars lucubrationis temporũ iactura peruenerit. Aduertendum tamen hoc loco obiter, maximos uiros senescentes captos esse luminibus: ut etiam Timoleon Corinthius legitur, qui cum iam ætate prouectus esset, sine ullo morbo amisit lumina oculorum.

3. 8 VESPASIANVS IX. & TITVS VIII. 81. 831

Autor ignotus habet, Vespasianus IX. & Titus VI. Et est secundum ipsum decimus Imperij annus Vespasiani, si consulatus numerentur, quos ipse enumerat, & ego hic sigillatim obseruaui, sic scilicet sese mutuò sequentes:

	&
Vespasianus II	Titus
Vespasianus III	Nerua
Vespasianus IIII	Titus II
Domitianus II	Messalinus
Vespasianus V	Titus III
Vespasianus VI	Titus IIII
Vespasianus VII	Titus V
Vespasianus VIII	Domitianus V
Commodus	Priscus
Vespasianus IX	Titus VI.

Vnde & Suetonius rubrica uigesimaquarta, cõsulatu suo nono, scribit Vespasianũ tentatum in Campania motiunculis leuibus, ac protinus urbe repetita, Cu-

tilias

CHRI-Abr. STI. con. Olym. imp. Vesp.

tilias ac Reatina rura, ubi æstiuare quotannis solebat, petijsse, & paulo pòst mortem obijsse. Sed Casiodorus alios sequutus annales, licet etiam decē annis tradat imperitasse Vespasianum, alium seruat ordinem Consulum. Suffecti enim Coss. ordinem interturbāt. Quandoquidē & Tranquillus rubrica decimaquarta, scribit Vespasianum tam certam habuisse suam genesim, ut cum ab amicis admoneretur cauendum esse Metium Pomposianum, quòd & is Imperatoriam haberet genesim, ipsum consulem creauit, spondens quandoq; beneficij memorem futurum. Quod pòst & M. Antonius imperator fecit, qui dixit: Si Auidio Casio diuinitùs debetur Imperium, non poterimus interficere, etiam si uelimus, quoniam successorem suum nullus occidit. Sed & Sex. Aurelius hoc idem repetit de Metio Pomposiano: licet quo anno ipsum consulem creauerit Vespasianus, incertū sit. Cæterùm octaui consulatus Titi mentio colligatur ex uetustissima inscriptione, quæ Romæ legitur his uerbis:

IMP. CAES. DIVI F. VESPASIANVS AVGVSTVS PONT. Max. Trib. Pot. Imp. XVII. Pater patriæ. Censor. Cos. VIII. Aquas Claudiam & Anienem perductas à diuo Claudio, & postea à diuo Vespasiano patre suo urbi restitutas, cum capita aquarum à solo uetustate dilapsa essent, noua forma reducendas sua impensa curauit.

Sed neq; satis constat, quo anno Pegasus & Pusio Coss. fuerint: quod uel ex secundo Institutionum de Fideicomissarijs hæreditatibus patet, ubi sic scribitur: Postea uerò Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione Coss. Senatus censuit, ut ei qui rogatus esset hæreditatem instituere, perinde liceret quartā partem retinere. Quod idem inuenies trigesimosexto Digestorum libro, ad Senatusconsultum Trebellianum & Pegasianum. Libet nonnunquam ad ea digredi diuerticula, ut leguleios nostros è sopore excitem, ac ipsis stomachum moueam, quo sua Senatusconsulta suis temporibus scripta diligentius reforment. Sed redeundum ad Casiodorum.

82. 832 SILVANVS, ET VERVS. 4. 9

Hoc nono Vespasiani anno, tradit Eusebius luem ingentem Romæ factam, ita ut per multos dies in ephemeridem decem milia fermè mortuorum hominum referrentur. Sed ignotus autor hoc loco habet Titum VII. & Domitianū VII. nam & Suetonius in Tito, tradit ipsum non plures quàm septem consulatus gessisse, & cum patre suo collega. uide rubrica sexta.

83. 833 DOMITIANVS, & MESSALINVS. CCXV. 10

Puto hunc esse Catullum Messalinum, qui senator delationibus, nec minus adulatione, Domitiano charus fuit: quemadmodum Fabricius Veiento. unde utrosq; coniunxit Iuuenalis Satyra quarta:

Et cum mortifero prudens Viento Catullo,
Qui nunquam uisæ flagrabat amore puellæ,
Grande & conspicuum nostro quoq; tempore monstrum,
Cæcus, adulator, dirusq; à ponte satelles.

Hic Libyæ rector sub Vespasiano & Tito, multa crudelia commisit: sed eorum clementia, quamuis deprehensus, pœnam fugit. Non multo pòst multiplici morbo & insanabili correptus, acerbissimè non corporis tantum cruciatus sustinebat (nam erat illi maior animi morbus, & grauior) sed & terroribus expauescebat, & crebrò uidebat sibi instantes occisorum manes. Quare exiliebat stratis, tanquam tormentis sibi & flammis adhibitis:

Olym. Imp. Ti. Vesp. quo magis inualescente malo, extisq; defluentibus, ac intestinis exhaustis, moritur. Hūc igitur & crudelitatis indicio, & quòd sub Domitiano plurimū potuit, luscum, nec penitus cæcutientem, Iuuenalis, repræsentatum in tragœdia à Damasippo, cuius natales fuerant clari, taxat octaua Satyra: CHRISTI. Ab con.

Consumptis opibus uocem Damasippe locasti
Suppario, clamosum ageres ut phasma Catulli.

Id est, tragœdiā de Catullo Messalino, qui terroribus agitabatur. Quod & in tredecima Satyra repetit: —Mimum agit ille,

Vrbani qualem fugitiuus scurra Catulli.

Alius creditur Messalinus, quem Plinius senior tradit, ex consularibus patricijs admisisse hirudines ad genua, extrahendi sanguinis causa, quòd podagris laboraret. interijt autem propterea, quòd affixa sanguisugarum relicta capita fecissent uulnera incurabilia. Frontinus, ut superius annotaui, scribit Messalinum cum Valerio consulatum gessisse. De hoc etiam iunior Plinius li. 4. Epistolarum. Sed hos Coss. præposuit autor ignotus quinto consulatui Vespasiani, ut superius annotauimus, & hic ponitur Siluanus & Pollio. Immò subiungit & alium consulatum qui hic deest. scribit enim pòst: Domitianus octauò, & Sabinus. ut fortè undecim illi menses cum uiginti duobus diebus, imperio Vespasiani adijciantur. At nos Casiodorum sequimur, qui hæc uerba post nostros Consules subiungit:

His Coss. Vespasianus est mortuus, profluuio uentris, in uilla propria circa Sabinos. Cui Titus filius eius succedens, in utraq; lingua disertissimus, regnauit annis duobus, mensibus duobus. sub quo hi Coss. extiterunt.

Sed prius uerba Orosij ex septimo libro, cap. 6. subijcienda sunt hic: Anno ab ur. con. octingentesimo tricesimoquarto, Titus segregatis à numero principum Othone & Vitellio, ab Augusto octauus, biennio post Vespasianum regnauit. Cuius tanta tranquillitas in Imperio, ut nullius omnino sanguinem in Repub. administranda fudisse referatur. Et tamen tunc Romæ orto repentè incendio plurimæ ædes publicæ concrematæ sunt. Tunc & Vesuuij montis uerticem magna profudisse incendia ferunt, torrentibusq; flammarum uicina regionis cum urbibus hominibusq; delesse. Titus cum ingenti omnium luctu in eadem uilla, qua pater, mortuus est. Ex quibus Orosij uerbis, non modò Titi uitam sub compendio: sed cur etiam Octauus Cæsar dicatur, cum ab alijs undecimus numeretur, satis constat, quod & Casiodorus sentit.

TITVS VESP. VIII.

CAES. AVG.

2. 1 DOMITIANVS II. & RVFFVS II. 84. 834

Ignotus autor habet in hoc loco: Domitianus IX. & Ruffus. Autor quoq; de Pontificibus, ut suprà de Clero annotauimus, horū Coss. meminit. Fuerūt plures Ruffi. Caninius Ruffus municeps Plinij iunioris, qui plures ad eū scribit epist. Satrius Ruffus, quē aquis publicis præfectū scripsit Iul. Frontinus. Octauius Ruffus, qui carmina docta scripsit, ut Plinius testatur. Cornelius Ruffus, iuris consultus spectatissimus, à Cecilio Plinio cum admiratione dilectus, à quo in petendis honoribus suffragator & testis assumptus, in inchoandis deductor, in gerendis consiliarius, summæ auctoritatis apud Neruam Imperatorem fuit, mortuus sub Traiano. Pomponius Ruffus, uir consularis, tempore Domitiani, ut Plinius scribit: uir eloquens, peritus, & in dicendo uehemens fuit. & Caluisius Ruffus contubernalis Plinij, quem ut amicum in pluribus consulit. Iosephus tradit,

CHRI-STI Ab ur. con. dit, Terentium Ruffum, cum Tito in expugnatione Hierosolymarum fuisse. Tacitus in decimoseptimo M. Cluuium Ruffum historicum sui temporis diuitem, & eloquentia clarum, sub Nerone citat sæpius. Plinius nominat quendam Acilium Ruffum, suis temporibus.

His Coss. amphitheatrum Romę ædificauit, & in dedicatione eius quinq; milia ferarum occidit.

De amphitheatro sic scribit Tranquillus, rubrica septima, in Tito: Et tamē nemine ante se munificentia minor amphitheatro dedicato, thermisq; celeriter extructis, munus edidit apparatissimum, largissimumq; dedit, & nauale prælium in ueteri Naumachia, ibidem & gladiatores, atque uno die quinque milia omne genus ferarum. Idem Eutropius, atque Eusebius. Dion: Theatrum uenatorium, in quo feræ depugnarent, & balneum sibi cognomine dedicauit. Multa quoque admiranda fecit. Grues inuicem, & quatuor elephantes depugnarunt. Aliæ præterea ad nouem milia feræ cicures iugulatæ sunt, quas mulieres non admodum illustres interfecere. Viri præterea singulari certamine, multi pedestri pugna, alij nauibus decertarunt. & reliqua, quæ ibi copiosius Dion scribit. Sed hic incendium etiam commemorat Vesuuij montis Campaniæ, hoc primo Titi anno factum, de quo omnes scripserunt. Plinius iunior, qui auunculum suum Plinium seniorem hoc perijsse tradit: & Statius in quinto Syluarum de patre scribens ait

Iamq; & flere pio Vesuuina incendia cantu
Mens erat, & gemitum patrijs impendere damnis.

De hoc incendio Tranquillus in Tito rubrica octaua, & Aurelius Sextus: sed omnium copiosius Dion de conflagratione Vesunij montis scripsit, quem Merula in latinum uertit. Strabo quoque libro quinto, Vesuuium montem describit.

85. 835 DOMITIANVS III. ET SABINVS. 3. 2

Ignotus autor habet in hoc loco: Domitianus x. & Sabinus. Sic horum consulum meminit autor de Pontificibus: Anaclitus ann. XII. M. X. D. III. fuit temporibus Domitiani à cons. Domitiano x. & Sabino, usque Domitiano XVII. & Clemente. Miror cur Platina Anaclitum temporibus Traiani fuisse tradat. Sed confusio est apud scriptores, de Anaclito & Cleto Pontificibus. Nam Anacletus quartus post Petrum, Atheniensis erat, sub Traiano martyrij palmam accepit, seditq; annis nouem, M. II. eius memoria recolitur tertio Idus Iulij. Occurrunt legenti uarios scriptores, sub ijsdem penè temporibus plerique Sabini. Fuit Cæsius Sabinus, quem Plinius iunior ad præsidium & ornamentum sui sumpserat, Auli Pudentis municipem, totius Vmbriæ decus. Ad eum, librum septimum Martialis mittit, & coronam rosaceam, libro nono:

Seu tu Pestanis genita es, seu Tiburis aruis.

Memorante Pomponio, Cassio iurisperito successit Cæsius Sabinus, qui plurimum potuit Vespasiani temporibus: ad quem rescripsisse Hadrianum, retulit Vlpianus. Iustinianus refert, Iusium Sabinum male tractantem seruos, in quem rescripsit Antoninus Pius. eundem Imperatorem, autor est Vlpianus, Iubentio Sabino rescripsisse. Sabinus item Antonius matrem habuit Iuniam Valerianam, & filium Antoninum. Callistratus tradit, Sabinum Maximum fuisse sub Hadriano: Suidas, declamatorem.

His Coss. Titus morbo perijt, eodem quo pater eius: anno ætatis XLII. Qui ob insignem mansuetudinem, deliciæ humani generis appellatus est.

Olym. Imp. Idem Suetonius, Dion, Philostratus, Aurelius, Orosius, Eutropius. Vide infe CHRI- Ab.
Do. rius eius uitam. STI Con.

Cui successit Domitianus, frater Titi, crudelissimus: qui imperauit annis quindecim, mensibus quinque. Sub quo hi Coss. fuerunt:

Vide, quæ nos de hoc scripsimus ex autoribus paulo antè citatis: quem scribit in regnum successisse Orosius, anno ab urbe condita octingentesimo tricesimoquinto.

DOMITIANVS
CAES. AVG. IX.

A. 1 DOMITIANVS IIII. ET RVFFVS III. 86. 836

Ignotus autor hoc loco habet, Domitianus XI. & Furius. Cæterùm de consulatibus Domitiani sic scribit Tranquillus, rubrica decimatertia: Consulatus septemdecim cæpit, quod ante eum nemo, ex quibus septem medios continuauit. Omnes autem penè titulotenus gessit, nec quenquam ultra Calendas Maij, plures ad Idus usque Ianuarias. Ausonius in Panegyrico ad Gratianum: Scis, inquam, septem & decem consulatus Domitiani, quos ille inuidia alteros prouehendi continuando conseruit, ut in eius auiditate derisus, ut hoc eum pagina fastorum suorum, immò fastidiorum fecerit insolentem, nec potuerit præstare felicem. Dion refert, Domitianum consulatus decem continuos gessisse. Plinius in Panegyrico, per transitum longum annum consulatus Domitiani, significat quindecim annos quibus imperauit. Nam ante eius principatum duos gessit cōsulatus. Papinius in quarto Syluarum, etiam consulatuum Vespasiani meminit. Ignotus author hos consules Domitiani, ut Suetonius tradit, enumerat. Cassiodorus alios est sequutus annales.

His Coss. eunuchos fieri prohibuit Domitianus.

Hoc Suetonius in Domitiano, rubrica septima sic explicat: Castrari mares uetuit: spadonum, qui residui apud mangones erant, precia moderatus est. Idem Eusebius libro Temporum. Idem Philostratus libro sexto, de uita Apollonij. Ammianus Marcellinus scribit, in hoc esse laudandum Domitianum, quòd receptissima inclaruerit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Romanæ castraret quispiam puerum: quod ni contigisset, quisque eorum ferret examina, quorum paucitas difficile toleratur. Omnes enim detestantur memoriam Semiramidis reginæ, quæ prima omnium mares castrauit. Hinc in laudem Domitiani cecinit Martialis:

Non puer auari sectus arte
Mangonis, uirilitatis damna mœret ereptæ.

CCXVI. 2 DOMITIANVS V. ET DOLABELLA. 87. 837

Apud ignotum authorem legitur hoc loco, Domitia. XII. & Dolabella. Huius cōsulatus meminit Censorinus in libello de Die natali, ubi de lustro scribens, sic inquit: Rursus annus idem magnus per Capitolinas agonas cœptus est diligentius seruari, quorum agonum primus à Domitiano institutus fuit, die duodecimo eius, & Sergij Cornelij Dolabellæ consulatu. Et Iulius Capitolinus huius meminit consulatus in Antonino Pio, sic scribens: Ipse Antoninus Pius natus est tertiodecimo Calendas Octobres, sub Domitiano XII. & Cornelio Dolabella Coss. in uilla Laurina educatus Lori, in Aurelia, ubi palatium postea extruxit.

2. 3 DOMITIANVS VI. ET RVFFVS IIII. 88. 838

Habet hoc loco ignotus autor, Domitianus XIII. & Saturninus. Sed paulo inferius etiam Cassiodorus ponit consulatum Domitiani octauum, & Saturnini. Adeò quòd etiam suspicer, neque ignoto autori usquequaque credendum: tamen ex

men ex fide omnia affero. Sit iudicium penes lectorem. Inuenio autem Pompeiū Saturninum singulari doctrina uirum causidicum, & qui uersu ac prosa in orationibus ac historia fuit mirabilis: & quòd Plinium iuniorem moriens hæredem reliquerit. Meminit & Tranquillus Saturnini historici. Saturninum nominat Lucianus, ubi de morte Seueriani agit, & Q. Saturninum Iurisconsultum Pomponius citat. Plinius senior nominat quendam Volusium Saturninum, urbis præfectum, qui nonagesimum excesserat annum, omnium quos in consulatu sententiam rogauerat superstitem. Sed de Ruffo paulo inferius.

FLAVIVS, ET TRAIANVS. 3. 4

90, 839 Ignotus autor scribit hoc loco, Domitianus XIIII. & Ruffus. Arbitror hunc Flauium fuisse filium Flauij Sabini, fratris Vespasiani: de quo scribit Suetonius in Domitiano, rubrica decimaquarta: Deniq; Flauium Clementem patruelem suum cōtemptissimæ inertiæ, cuius filios etiamnum paruulos successores palàm destinauerat, & abolito priori nomine, alterum Vespasianum appellari iusserat, alterum Domitianum, repentè ex tenuissima suppūtatione tantum nō ipso eius cōsulatu interemit, quo maximè facto maturauit sibi exitum. Cæterùm Censorinus libello de Die natali prodit, Domitiano XIIII. & L. Minutio Ruffo Coss. anno octingentesimo quadragesimoprimo, septimos ludos Seculares factos à Domitiano (puto legendum, anno octingentesimo undequadragesimo, ut numerus rectè conueniat) de quibus ludis Suetonius rubrica quarta sic ait: Fecit & ludos Seculares, cōputata ratione temporum, ab anno non quo Claudius proximo, sed quo olim Augustus ediderat. Horum meminit Papinius in I. Sylua ad præfectum Gallicum, cui titulus Soteria:

Nec tantum induerint fatis noua secula crimen,
Aut instaurati peccauerit ara Tarenti.

DOMITIANVS VII. ET NERVA. 4. 5

91, 840 Ignotus autor hoc loco habet, Fuluium & Atratinum, si est emaculatus liber. nam fortè, si literarum esset lapsus, signarentur Flauius & Traianus, qui priori anno consulatum gesserunt: quandoquidem immediatè sequuntur in eodem autore, Domitianus XV. & Nerua. ut locus hic sit cogitatione dignus, quem doctioribus (ut pleraque alia) discutiendum post me relinquo. Nam & ludi Seculares, si est emaculatus Censorinus, alium annum exigunt, si debent anni numeris respondere. CCXVII. 6

TRAIANVS II. ET GLABRIO.

92, 841 Dion in Domitiano scribit, Traianum absentem, dum esset in imperio aduersus Germanos, cōsulem factum, apparuisseq; signa quibus Glabrioni mors, Traiano imperium portenderet. Interfecit autem Domitianus Glabrionem, quòd cum feris pugnaret, reuera propter inuictum robur, cui se consulem suffecit. Hoc Plinius iunior notat in Panegyrico ad Traianum, his uerbis: Fuit etiam qui in principatus sui fine consulatum, quem dederat, ipse magna ex parte iam gestum extorqueret, & raperet. Sed & huius cōsulatus sic meminit Tacitus in libello de Moribus Germanorum: Sexcentesimum & quadragesimū annum urbs nostra agebat, quū primùm Cymbrorū audita sunt arma, Cecilio Metello ac Papyrio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur. Tam diu Germania uincit. Iuxta numerum nostrum colligunt ducenti anni, & quadraginta: qui si adijcient sexingentis & quadraginta, erunt octingenti & octuaginta. Sed quis uerum discerneret numerum annorum, in tanta antiquitate? Habuit autem Acilius Glabrio filium eiusdem nominis, ac utrunq; nominauit Iuuenalis Satyra quarta:

Proximus eiusdem properabat Acilius æui,
Cum iuuene, indigno quem mors tam sæua maneret,

Olym. Imp. Et domini gladijs iam festinata.—

Dom. His Consulibus, primùm Domitianus dominum & deum se appellare iussit. CHRISTI

Idem Aurelius Sextus, idem Eusebius ac Eutropius, & Tranquillus rubrica tertia. Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus et deus noster sic fieri iubet. Vnde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquã appellaretur aliter. Orosius libro septimo, capite septimo: Is in tantam superbiam prolapsus fuit, ut dominum se ac deum uocari, scribiq; ac coli iusserit. Hinc assentator poeta Martialis:

Edictum domini Deiq; nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

2. 7 DOMITIANVS VIII. ET SATVRNINVS. 93. 841

Autor ignotus: Domitianus xvi. & Saturninus. Septimo Domitiani anno, scribit Eusebius Septembrẽ mensem Germanicũ, & Octobrẽ Domitianũ appellatos. De quibus sic Tranquillus rubrica decimatertia: Post duos triũphos Germanici cognomine assumpto, Septembrẽ mensem & Octobrem ex appellationibus suis Germanicũ Domitianumq; transnominauit: quòd altero suscepisset Imperium, altero natus esset. Ob hoc Martialis dixit, Domitianũ annis autumnos accommodare, cum ij menses autumnales sint. Cum aũt hoc nomen Domitianus decem literis constet, adulatoriè dixit Martialis,

Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat & illud
Nomen ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

Quo dicto intelligit Domitianus, sicut sequentibus Germanicus: quod nomen & totidem literis complectitur. Cæterùm de ijs mensibus, & eorũ appellatione, Macrobius primo Saturnalium sic refert: Mensis September principalem sui nominis retinet appellationẽ, quem Germanici appellatione, Octobrem uerò suo nomine Domitianus inuaserat. Sed ubi infaustum uocabulum ex omni ære uel saxo placuit eradi, menses quoq; usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt. Censorinus quoq; de Die natali, ubi de mensibus Iulij & Augusti scripsit, subiũgit: Postea uerò multi principes nomina quædam mensium mutauere, suis nuncupando nominibus, quod aut ipsi postmodũ mutauerunt, aut post obitum eorum illa nomina pristina suis reddita mensibus. Ad Saturninum plerasq; scribit epistolas Plinius iunior.

3. 8 SILVANVS, ET PRISCVS. 94. 842

Apud ignotũ autorem legitur hoc loco, Collega & Priscinus: siue ijdem sint, siue alij. nam & Cornelius Tacitus in uita Iulij Agricolæ horum meminit Coss. scribens, Agricolam defunctum Collega & Prisco Coss. Pompeij Collegæ meminit iunior Plinius secundo Epistolarum: & apud Iosephum septimo libro falsò legitur Colligas, pro Collega: Vix, inquit, motus eorum potuit reprimere Collega adhuc iuuenis legatus, postulatis sibi præmitti ad Cæsarem gesta, &c. Fuit autem quidam iureconsultus Notarius Priscus sub Traiano, quem semper consilio suo adhibuit.

His Coss. Quintilianus ex Hispania primus Romæ scholam publicam & salarium à fisco accepit, & claruit.

Quintilianus ex Calagurra Hispaniæ oppido oriũdus, inter patricios Romanos insertus, siue iure Tatij, siue principum liberalitate, quod multis factitatum uidemus, ut & Plinio iuniori. nam ille, autore Ausonio, consularia ornamenta per Clementem adeptus est. Vnde non mirum, si Iuuenalis eum nobilem per lunata calciamenta designauit; immò magis probetur esse ritus Romanus.

CHRI- Ab ur. nus. Videndum est Trebellij Pollionis dictum, ubi Posthumij iunioris elo- Olym. Imp.
STI con. quentiam laudat adeò probatam asserere, ut eius controuersiæ Quintiliano di- Do.
cantur insertæ: quem declamatorem Romani generis acutissimum, unius capitis lectio prima statim fronte demonstrat. Fuit autem iunioris Plinij præceptor, ut ipsemet in sexto Epistolarum attestatur.

95. 844 ASPRENAS, ET CLEMENS. 4. 9

Ignotus autor habet hoc loco, Asprenatem & Lateranum. Eusebius lib. Temporum scribit, hoc anno Domitianum mathematicos & philosophos Romana urbe amouisse: & post quatuor annos publico edicto iterum urbe expulit. Suetonius in Domitiano quoq;, rubrica decima, tradit philosophos omnes urbe Italiaq; submouisse Domitianum. Et Gellius lib. 14 Noctium Atticarum: Philosophi, inquit, Domitiano imperãte Senatusconsulto eiecti, atq; urbe & Italia interdicti sunt. Qua tempestate Epictetus quoq; philosophus, propter id S. C. Nicopolim Roma discesit. Item apud Philostratũ mentio fit de Philosophis eiectis à Domitiano: qui habitu mutato partim in Hispaniã, partim in Lybiæ Scythiæue deserta confugerunt. Quidam etiam uiuendi ratione mutata, scelerum consiliarios sese illi adiunxerũt. Ex quo Demetrius philosophus expulsus, instituta cum Apollonio sermociatione, dolenter dixit & grauiter: Cicadis licet impunè canere, nobis nec quidem mutire fas est.

His Coss. multa mœnia, & celeberrima Romæ facta sunt, in quibus Capitolium, forum transitorium, diuorum porticus, Isæum ac Serapium, stadium, horrea piperatoria, Vespasiani templum, Mineruę Chalcidicæ odion.

Eadem Eusebius. Sed adijcit forum Traiani, & alia quæ Cassiodorus in sequentes Coss. reijcit. Ad hæc allusit Martialis libro nono Epigrammatum:

Quantum iam superis Cæsar cœloq; dedisti,
Si repetas, & si creditor esse uelis:
Grandis in æthereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturq; Dei uendere quicquid habent,
Conturbabit Athlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse Deûm.

& reliqua quæ sequuntur. Vbi hoc est obseruandum, interpretes hoc loco non ex fide interpretari, quid sit Conturbare: quod uerbum est Iureconsultorum, quo Vlpianus & Alphenus usi sunt. Est autem conturbare, decoquere & dissipare pecuniam suam. & propriè de seruis dicitur, qui cum rationibus dominicis paria non faciunt. Iureconsultus hoc uerbo utitur ff. de Institoria actione. Et in hoc significatu accepit Cicero in oratione pro Cn. Plancio, in quarto Epistolarum ad Atticum, in octauo ad Cælium. Et Terentius in Eunucho: Ita conturbasti mihi rationes omnes. & Iunenalis:

Sic Pedo conturbat, Matho deficit.—

Vbi significantius exprimitur uis illius uerbi. Est enim conturbare medium inter decoquere, & ex fide soluere. Qui ex fide soluit æs alienũ, totum dissoluit: qui decoquit, nihil soluit: qui uerò conturbat, partim dissoluit æs alienum, partim decoquit. Sed redeamus ad historiam. Sextus quoq; Aurelius eadem tradit. sed clarius Tranquillus rubrica quinta, his uerbis: Plurima & amplissima opera incendio absumpta restituit, in quis & Capitolium, quod rursus arserat (nam & Marianis temporibus, & Vitelliano bello incendio absumptum, Vespasianus reparauerat, sed eius morte iterum exarsit) sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini autoris memoria. Nouam autem ædem excitauit in Capitolio custodi Ioui, & forum quod nunc Neruæ uocatur. Item Flauię templum gentis, & stadium, & Methodiũ, & Naumachiam: E' cuius postea lapide maximus Circus, deustis utrinq; lateribus, extructus est. Est autẽ Odium (ut pleriq; legunt apud

Olym. Imp. Do. Suetonium, pro methodio) locus ubi cantatur: quemadmodum olim Pericles ille Olympius inter cætera opera quæ Athenis magnificenter extruxit, fecit & Odion, in quo certamina musica spectabantur, quod multis sedibus exornatum fuit. Et Marcellinus tradit, Romæ fuisse stadium & odium spectata ab Imperatore Constantio inter cætera decora Romanæ urbis. Forum aũt transitoriũ dicebatur Neruæ, quod à Traiani ad alia fora transibatur, apud Palatium ipsius Neruę: ut adhuc cubitales literæ dirutæ apud decem columnas marmoreas apparẽt: IMP. NERVA CAES. AVG. TRIB. pot. III. Imp. Sed Helius Spartianus dicit: Statuas nudas uel equestres diuis Imperatoribus in foro diui Neruę, quod Transitorium dicitur, locabat cum titulis, & columnis, & alijs. CHRISTI

CCXV 10 III.

DOMITIANVS IX. & CLEMENS. 96. 849.

Ignotus autor habet hoc loco, Domitianus XVII. & Clemens. ut ille scilicet sit decimusseptimus, & ultimus Domitiani cõsulatus: cum secundum Suetonium decem & septem habuerit consulatus. Sed alios nimirum annales Cassiodorus sequutus est, ut sæpe memini. Facit etiam horum Coss. mentionem autor de Pontificibus, ut in Anacleto memini. Arbitror hunc fuisse Clementem Flauium consulem, cuius ex sorore neptis Domicilla Flauia in insulam Pontiam relegata est, quia se Christianam testata est: ut Eusebius tradit, tam in libro Temporum, quàm in Sacra historia lib. tertio, capite decimooctauo. Cæterùm ibi uide plura capita de persequutione Christianorũ. adeundus est & Tertullianus in Apologetico. Fuerunt autẽ ijsdem penè temporibus plures Clementes. Arrius Clemẽs, ad quem Plinius epistolas scribit: à quo uxor eius Atestina Sabina perdocta, Epigrammate celebratur. Salienus Clemens sub Nerone. Suedius Clemens, ab Othone classi præfectus. Aretinus Clemens, domui Vespasiæ per affinitatẽ coniunctus à Mutiano, prætorianis præpositus, & prius Domitiano gratissimus, familiarisq́: mox ab eo necatus, quemadmodum idem tyrannus Flauium Clementem patruelem suum iugulari iussit. Fuit & olim Coruinus Clemens eruditissimus, & poetarum suauissimus, Alexandri Macedonis gesta complexus, & Apuleio familiaris. Cælius Clemens in Proconsulatu successor dicitur à Plinio sibi. Clementis Patauini meminit Martialis.

His Coss. insignissima Romæ facta sunt opera: Forum Traiani, Thermę Traianę & Titianę, Senatus, ludus Matutinus, Meta aurea, Meta Sudans, & Pantheon.

Thermæ Titianæ à Tito ædificatæ, non longè sunt hodie ab ecclesia sancti Martini in montibus, quæ uulgo Capaces hodie dicuntur, ob aquarum capacitatem. Quo in loco inuenta fuere duo marmora, sculpta cum flamma. in uno erant literæ, IOVI: in altero uerò IMP. VESPASIANVS AVG. per collegium Pontificum fæcit. Vnde, inquit Eusebius, Domitianus tantæ superbiæ fuit, ut aureas & argenteas statuas sibi in templo poni iusserit.

2. 11

FVLVIVS, & VETVS. 97. 846

Autor ignotus hoc loco ponit, Neruam secundò, & Ruffum tertiò: quos prioris anni Coss. Cassiodorus posuit, si fortè uitio scriptoris transpositi sunt: & quos prius ipse Valerianum & Veterem nominauit, hi sunt quos Cassiodorus Fuluium & Veterem uocat. Inuenio enim alibi, quòd Fabius Valens (cuius iunior Plinius in quarto Epistolarum meminit) cum Vetere consul fuit, cum Respub. diu pressa, tandem in Neruam respirasset. Illo Antonius Pius, quòd erat uir peritus, usus est familiariter. Sed & Valentis Iurisconsulti meminit Paulus de Fideicommissarijs hæreditatibus. Alius est Fabius Valens apud Tacitum, Vitellianas partes sequutus. Coniector autem ego, hos duos esse consules, de quibus Dion in Nerua scribit, ut paulo inferius annotabimus, cum

de

de morte Domitiani loquemur. Quibus utrique fuit prænomē Caius, ut unus C. Fuluius Valens, alter C. Antistius Vetus dicti sint, & à scriptoribus nomina ipsorum uitiata: quod liquidò facile cuique apparet. Ob id scribit Dion, Domitianum Imperatorem sub ijs consulibus duobus Caijs esse occisum. Cui etiam subscribit Orosius, ut paulò infrà liquescet: Neruam Imperatorem esse factum anno urbis conditæ DCCCXLVI. licet Eutropius DCCCL. asserat, & is tantum undecimus annus Imperij dicatur Domitiani: cum tamen ferè omnes historici tradant, Domitianum annos quindecim imperitasse. Adhibe studiose lector & tuum laborem, quo ille noster fiat perfectior. Eusebius tradit, sub id tempus maximam uirginum Vestalium Corneliam cōuictam stupri, iuxta legem, uiuam defossam. De qua Tranquillus rubrica octaua inquit: Mox Corneliam uirginem maximam, absolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam, atque conuictam, defodi imperauit. Sed ponamus Consules, quos ijs præposuit Cassiodorus:

NERVA II. ET RVFFVS. 3. 12

98. 847 Hic iterum uariantur Consules apud ignotum autorem: quoniam hoc loco scribuntur, Valerianus & Vetus, qui priori anno ponuntur, ut patet. Autor de Pontificibus sic scribit: Euaristus annos tredecim, menses septem, dies duos: fuit temporibus nouissimis Domitiani, Neruæ & Traiani, à consulatu Valentis & Veri usque Gallo. Sed nimium corrupta sunt nomina Consulum, cum ille Valentem & Verum, ignotus autor Valerianum & Veterem nominet Consules. Sed literæ facilè confunduntur, ex socordia scribentium. At horum Consulum meminit Iulius Frontinus, libro de Aquæductibus: D. Imperatore Nerua tertiùm, & Virginio Ruffo tertiùm Consulibus, ad nos translata cura, eam cum portiuncula subiui. Ruffum hunc Verginium fuisse Imperatorem in Germania, qui Iulium Vindicem occiderat, ex Dione colligo, qui in uita Neruæ scribit hæc uerba: Ruffum uerò Virginium, quem Romanæ olim legiones Imperatorem nominauerant, minimè ueritus est uel in consulatu collegam assumere. In cuius etiam sepulchro illud quidam inscripsere:

Hic situs est Ruffus, pulso qui Vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Huius Ruffi uillam Aliensem Plinius Cecilius eleganter celebrat libro sexto Epistolarum, epistola decima, cum præsenti epigrammate. Sed eius res gestas & funus ac mortem describit libro secundo Epistolarum, epistola prima, ubi ter consulatu perfunctum ipsum tradit. nam primum consulatum gessit cum Memmio Regulo: alterum cum Pompeio Vopisco, referente Tacito: tertium cum Nerua Imperatore: autor Iulius Frontinus de Aquæductibus. Defunctus autem est sub Traiano Cæsare, annum tertium & octogesimum excedens, teste Plinio.

SABINVS, & ANTONIVS. 4. 13

848 Scribit Eusebius, sub id tempus Domitianum prohibuisse uites in urbibus seri. De qua re uide Tranquillum rubrica septima & decimaquarta. Eutropius tradit, Domitianum consobrinos suos interfecisse. nam Flauium Sabinum alterum ex patruelibus occidit, quòd eum comitiorum consularium die destinatum, perperam præco non Consulem ad populum, sed Imperatorem pronunciasset. Denique Flauium Clementem, alterum ex patruelibus, contemptissimæ inertiæ, repentè ex tenuissima suspicione, quo maximè facto maturauit sibi exitium.

NERVA III. & TRAIANVS III. CCXIX. 14

99. 849 Autor ignotus hoc loco habet, Nerua III. & Traianus II.

SENECIO, & PALMA. 2. 15

100. 850 Circa id tempus, scribit Euseb. Domitianū Christianos esse persequutū. Vnde

Olym. Imp. & Orosius libro septimo, capite septimo inquit: Idem efferatus superbia qua se CHRI- Ab
Do. deum coli uellet, persequutionem in Christanos agi secundus à Nerone impe- STI. con.
rauit. Quo tempore etiam beatissimus Ioannes apostolus in Pathmos insula fuit. In uetustissimis Annalibus (nihil enim indiscussum relinquo) iuuenio: Anno Domini CI. IOANNES APOSTOLVS APVD EPHESVM DORMIVIT IN PACE, À PASSIONE DOMINI LXVIII. Et quia circa id tempus hoc cadit, huc adscripsi. Qui meliora inueniet, addat. Arbitror uerò hunc esse Palmam, qui sub Traiano Imperatore postea Syriæ præfectus fuit. De quo Dion multa in uita Traiani, cui mortuo statuam posuit. De hoc suspicor scriptum illud epigramma Martialis in duodecimo, ad Cæsarem:

Palma regit nostros mitissime Cæsar Hiberos,
Et placido fruitur pax peregrina iugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates,
Misisti mores in loca nostra tuos.

3. 11 TRAIANVS IIII. & FRONTO. 101. 851

Ignotus autor habet hoc loco, Traianus tertiò & Frontinus. Spartianus in Hadriano scribit, Traianum gessisse quartum consulatum cum Articuleio, quibus Consulibus Hadrianus quæstor fuit. Fronto consul à Dione memoratur in Nerua. Sed multos lego fuisse Frontones. nam Frontonis cum Tito amicitia coniuncti, bis meminit Iosephus. & Tacitus Iulij Frontonis in rebus Othonis, & Licinium Fontonem monstrat Vlpianus fuisse sub imperatore Antonino. Frontonem consulem sub Nerua Dion, quem Martialis & bello & pace clarum prædicat. Cornelius Fronto Catius, orator nobilissimus, Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus: quanquam illi Macrobius siccum dicēdi genus ascribat, Antonini Philosophi præceptor. Dion testatur in Adriano, plurimum floruisse, & primas in agendis causis partes habuisse. Vlpianus de Pœnis tradit, Adrianum Iulio Fontoni rescripsisse. Inueni ueterem inscriptionem, in qua quarti consulatus Traiani fit mentio, his uerbis: Ex auctoritate IMP. CAES. DIVI NERVAE TRAIANI AVG. Germanici, Pont. Max. Trib. pot. V. Coss. IIII. P. P. Ti. Iulius Ferox curator aluei & riparum Tiberis, & cloacarum urbis terminauit ripā, R. R. ad prox. rip. p. XXII. ff. II. S. Cæterùm ut ad Frontonem redeam, siue Frontinus sit, scribit Dion, ingentem tumultum exortum, quòd Nerua principe facto statim omnes suos inimicos accusarunt. Vnde ferunt Fontinum consulem dixisse: Malum esse Imperatorem habere, sub quo nulli liceret aliquid facere (demonstrans sanè Domitianum) sed peius, sub quo omnibus omnia. Quare Nerua in posterum uetuit. Deniq; ut Spartianus tradit, Traiano quater & Articuleio Coss. Hadrianus Quæsturam gessit (siue is, siue alius fuerit consulatus) in qua cum orationem Imperatoris in Senatu agrestius pronuncians, risus esset, usq; ad summam peritiam & facundiam Latinis operam dedit. De Iulio Frontino paulo superius, etiam in Vespasiani secundo consulatu, quædam annotauimus ex Tacito, quæ huc referri possunt.

His Coss. Apollonius Tyaneus philosophus insignis habetur.

Hoc idem Eusebius in Chronicis, qui addit & Euphratem philosophum. Sed de Apollonio philosopho, & eius rebus gestis, scripsit græcè Philostratus libros octo, qui extant & Græci, & tralati Latini legūtur. Subiungit autē Cassiodorus:

Et Domitianus occisus in Palatio, anno ætatis tricesimoquinto.

Eusebius tradit, ætatis tricesimosexto Domitianū occisum, & à uespillonibus, asportatum,

CHRI- Ab ur. asportatum, clypeosq; & eius imagines passim per Romam in terras deiectas, Olymp. Imp. Ner.
STI. con. & per ignominiam conculcatas. Dion in uita Neruę tradit, Domitianum perijsse duobus Caijs, Valēte & Antistio Coss. cũ eò iam deuenisset Domitianus per scelera cædesq;, ut omnes homines suspectos haberet, neq; satis libertis fideret: neq; præfectis quidem iudiciorum summam secundum principalem potestatem permiserat: ac Epaphroditum quendam Neronis libertum necasset, ut à tali audacia suos deterreret, ob id facta coniuratione, cuius participes fuere Parthenius, cubiculo prępositus: Entellus curator actorum Imperij, siue à libellis, Stephanus libertus, Domitia uxor, Norbanus præfectus, ac Petronius secundus collega, horũ consilio perijt. Nam & Domitia uxor reperit horum omnium nomina in duplici pugillari ex tilia, quod puluino subditũ Domitianus semper habuit: & à puero dormienti subtractũ, Domitia puero abstulit, coniurationemq; maturauit. Hæc Dion. Eutropius ab initio octaui libri, horum Coss. in hæc uerba meminit: Anno octingentesimo & quinquagesimo ab ur. con. Vetere & Valente Coss. Respub. ad prosperrimũ statum redijt, bonis principibus ingenti felicitate cõmissis. Paulo autem superius ex ignoto autore, & quodam alio de Pontificibus, meminimus Valentis & Veteris Coss. ubi perperam scriptum est, Valerianus & Verus, lapsu quarundam literarum: si fortè sub ijs Coss. occisus sit Domitianus. nam illi fuerunt anno ur. con. DCCCXLVI. ut superius annotauimus. quem numerum etiam Orosius ponit: adeò ut Cassiodorus, licet alios sequutus sit annales, omnino uideatur peruersus & deprauatus, quemadmodum (ut paulo inferius annotabimus ex ueteri quodam Eutropij exemplari) Traianus fertur DCCCXLVII imperium suscepisse, & Nerua DCCCXLVI. adeò ut cum Dione Orosius & Eutropius conuenire uideantur. Quod si uerũ est, quomodo Domitianus quindecim annis imperauerit, numerare nescio: nec annos eius ætatis colligere. Quanquam hoc etiam uerum est, quòd Cassiodorus raro cum ueteribus autoribus concordat in descriptione Cæsarum occisorum: quod etiam superius sæpe obseruaui, unde subiungit,

Cui Nerua succedens, regnat annum, & mensibus quatuor.

De hoc ita Orosius scribit: Anno ab ur. con. octingentesimo quadragesimo sexto (quamuis Eutropius quinquagesimum hunc esse annum scripserit) Nerua admodum senex, à Petronio præfecto prætorio, & Parthenio spadone interfectore Domitiani, Imperator decimus ab Augusto creatus, Traianum in regnum adoptauit, per quem reuera afflictæ Reipub. diuina prouisio consuluit. Hic primo edicto suo cunctos exules reuocauit. Vnde & Iohannes Apostolus hac generali indulgentia liberatus, Ephesum redijt: emensoq; anno imperij sui Nerua confectus morbo, diem obijt. Idẽ Eusebius libro tertio Sacræ historiæ, ca. secundo, ubi numerus annorum omnino falsus est. In Orosio puto legendũ pro quadragesimosexto, quadragesimosecundo, et notas numerorũ esse transpositas.

NERVA COCCEIVS X.

Sub quo ij Coss. fuerunt,

TRAIANVS V. & ORPHITVS. 4. 1

102. 852 In hoc consulatu, si licet ex antiquitatibus coniectari, Traiano fuit statua posita à tribubus triginta tribus, ob instaurati Circi beneficiũ ad Circum maximum, qua parte Herculis Victoris templum erat, Eius inscriptio nunc ad diui Iohannis in marmore his uerbis legitur:

IMP.

Olym. Imp. Ner. IMP. CAES. DIVI NERVAE F. TRAIANO GERMANICO DACICO PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. IIII. COS. V. P.P. TRIBVS XXXV. QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EARVM ETIAM LOCORVM ADIECTIONE AMPLIATA SVNT. CHRISTI. Abur con.

Sed an hoc consulatu hęc inscriptio facta sit, dubium est, cum nondum fuerit Traianus princeps & optimus cognominatus: ut ex Dione & cæteris liquet. Scribit Eusebius, sub id tempus Iustum à Tiberiade Iudæorum scriptorem inclaruisse. Sed ut nihil sciens obmittam, ignotus autor ponit hoc loco Coss. hoc modo: Traianus quartùm, & Petus: si fides est habenda libro. nam de Traiani consulatibus paulo inferius plura scribam.

CCXX. 2 SENEGIO II. & SVRA. 103. 853

Ignotus autor habet hic, Seruilo & Sura.

His Coss. Nerua morbo perijt in hortis Salustianis, anno ætatis LXXII. cum iam Traianum adoptasset in filium. Cui succedens imperauit annos XIX. mensibus quatuor, diebus XV. Sub quo hi Coss. fuerunt.

Eusebius & Cassiodorus in annis Neruæ conueniunt. Cum Dion & alij huic tribuant tantum sexagintaocto annos, non septuaginta duos. ut suspicandum sit, numerorum notas esse deprauatas: quemadmodum & in Eutropio, ut paulo antè scripsimus, Neruam imperium suscepisse diceus anno urbis conditæ octingentesimo quinquagesimo: cum mox in Traiano, ut ex uetustissimo Eutropij codice manu scripto, quē meus mihi Stabius exhibuit, didici, scriptum sit, huic successisse Traianum anno urbis conditæ octingentesimo quadragesimoseptimo. Sed quantum sit credendum, patet cuiq; erudito & studioso, qui innititur puræ eruditioni & doctrinæ, acriq; iudicio. Multis enim annis nemo hoc saxum uoluit. Ego nescio quo fato incidi in huiusmodi labyrinthum, nisi optimo zelo iuuandi studiosos omneis. Iuuent posteri hunc meum laborē, quæso enixè. Orosij exemplar mendosum libro septimo, capite octauo, sic habet: Anno ab ur. con. octingētesimo quadragesimo septimo, Traianus genere Hispanus, undecimus ab Augusto, Reipub. gubernacula suscepit, ac per annos decem & nouem tenuit.

TRAIANVS IMP. XI.

2. 1 TRAIANVS VI. & MAXIMVS. 104. 854

Plinius in Panegyrico, quem Traiano dixit, dum consul ipse gratias ageret pro se & Cornuto Tertullo, trium consulatuū Traiani meminit, tertiumq; scribit recusasse: siue hoc intelligendum sit, in principatu, siue post principatum. Inquit enim, An consularis uiri, triumphalisq; filius, cum tertio consul creatur, ascendit, non debitum hoc illi, non uel sola generis claritate promeritum? Huius tertij itē consulatus fit mentio à Martiali in undecimo:

Et qui purpureis iam tertia nomina Fastis
 Iane refers Neruæ, uos precor ore pio,
Hunc omnes seruate ducem, seruate Senatum:
 Moribus hic uiuat principis, ille suis.

Creauerat autem Traianus, Plinio teste, se, & alterum collegam tertiū Coss. in sex menses, Alium uerò designauerat consulem in posteriores sex menses, ut suo

consulatu

CHRISTI. Ab ur. con. Olym. Imp. Tra. consulatu duos tertiũ Coss. faceret. Vni non semper collega extitit: nam per totũ annũ duos collegas habuit. Vnde ut utrosq; cõplecteretur, pertulit suũ consulatũ usq; in finẽ anni, quem tantũ semestrem gessisset. Hoc igitur anno, quo Traianus Cos. erat, C. Plinius Cecilius secundus & Cornutus Tertullus simul etiam gesserunt consulatum, per aliquot menses. Licet potius sequenti anno id factum crediderim, quòd in Panegyrico ait: Quo fit ut propè in immensum diffundatur oratio mea, & necdum de biennio loquor. Hos enim simul gessisse consulatum, Plinius & in quinto Epistolarum fatetur, & in Panegyrico, sic scribens: Quid, quod eundem in annum consulatum nostrum contulisti? Ergo non alia nos pagina, quàm te consulem accipiet: & nostra quoq; nomina addentur Fastis, quibus ipse præscriberis. Hos tamen Coss. Cassiodorus non ponit, sicut nec alios quidem suffectos, contentus ordinarios tantum enarrare: sequutusq; alios Annales, quàm autor ille ignotus, quem toties cito. qui post priores Coss. Seruilium & Suram, subiungit: TRAIANVS V. ET MAXIMVS II. Cum etiam hactenus nulla sit facta mentio consulatus primi Maximi. Licet autem & superius scripsimus de quinto Traiani consulatu ueterem inscriptionem, tamen & hæc Romæ legitur:

IMP. CAES. DIVI NERVAE T. TRAIANO AVG. GERMANICO. DACICO. PONT. MAX. TRIB. POT. IX. IMP. IIII. COS. V. MARCELLI CVLTORIS DOMVS AVGVSTA.

105. 855 SENECIO III. & SVRA II. 3. 2

Hic est ille Licinius Sura, de quo scribit Dion in Traiano. Quamuis enim Licinius Sura eò & potentiæ & opum uenisset, ut gymnasium Romæ à solo extruere non dubitasset: eum tamen mutua beneuolentia ac fide coluit. & cum aliquando delatum inuidi absentem criminando uehementius premerent, eius domum adijt, atq; dimisso comitatu, medicum tonsoremq; Licinij curandis oculis ac tondendæ barbæ adhibuit. amoto deinde tonsore lotus, cœnauit quoq; apud Licinium. Postridie uerò præsentibus ijs †amissis, qui de Licinio sinistrum quid ingerebant: Heri, inquit Traianus, occidisset me Licinius, si uoluisset occidere. Magnam itaq; rem præstitit in eo, quòd apud hominem delatum uoluit periclitari. Longè uerò maximum illud fuit, quòd nihil omnino se credidit perpessurum. Huic quoq; ipsi Licinio prætorianorum præfecturam daturus, gladium quo illum pro more accingebat, extulit, nudatumq; tradens: Accipe, inquit, gladium hunc Licini, quo pro me, si rectè imperauero: sin secus, contra me utare. cuius & Plinius in Panegyrico meminit. Eum autem uita functum, publico funere & statua princeps honorauit. Fuit autem uir alti ingenij, & profundæ doctrinæ, quòd uel libro septimo Martialis testatur: †amicis

Doctorum, Licini celeberrime, summe uirorum,
Cuius prisca graues lingua reduxit auos. & reliqua quæ sequutur. Diuitias eius explicauit & Satyra decimaquarta Iuuenalis:
Dispositis prædiues hamis uigilare cohortem
Seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro, signisq; suis, Phrygiaq; columna,
Atq; ebore & lata testudine: &c.

Ad hunc Licinium Suram scribit pulcherrimam epistolam iunior Plinius, de suo fonte, in fine quarti Epistolarum. Deniq; referente Spartiano in uita Hadriani, suffragante Sura, Hadrianus ad amicitiam Traiani pleniorem redit, nepte per sororem Traiani uxore accepta, fauente Plotina. Et ut nihil omittam, in Annalibus uetustis legitur: Anno Domini C V. Simon Cleophæ filius Hierosolymis episcopus crucifigitur.

VRBA-

Olym. Imp. Tra. CHRISTI. Ab urbe con.

VRBANVS, & MARCELLVS,

4. 3 Ignotus autor habet, Surranus & Marcellus: & ita legendum omnino censeo. 106. 856
Nam Spartiano teste, Surranus bis consul fuit sub Traiano: & Hadrianus prætor factus est sub Surrano bis, & Seruiano iterum Coss. cum sestertiûm iterum uicies ad ludos edendos à Traiano accepit. Aestimo igitur, Cassiodori exemplar deprauatum, & non Vrbanum, sed Surranum legendum. Inuenio Priscum Neratium Marcellum unicè à Traiano dilectum (si fortè hic sit) adeò ut frequens opinio fuerit, id animi fuisse Traiano, relinquendi illum, non Hadrianum, successorem imperij, multis amicis consentientibus, usque eò, ut Prisco aliquando dixerit: Commendo tibi prouincias, si quid mihi fatale contigerit. Hunc postea Hadrianus in consilio habuit, quem gessisse cõsulatum cum Antonio testatur Venuleius, ad legem Corneliam de Sicarijs. & Pomponius de Origine iuris, consulatus Neratij meminit. Neratium etiam Atticilianum inter Iurisconsultos memorat Paulus. In antiquis annalibus legitur, Anno Domini CVI. IGNATIVS ANTIOCHIAE EPISCOPVS ROMAE BESTIIS TRADITVR.

CCXXI. 4 CANDIDVS, & QVADRATVS. 107. 857

Ignotus autor habet: Candidus II. & Quadratus. sicut & Spartianus in Hadriano, qui ita scribit de eo: Post quæsturam acta Senatus curauit, atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius prosequutus est. Quandoquidem indulsisse uino se dicit, Traiani moribus obsequentem, atque ob hoc se à Traiano locupletissimè muneratum. Tribunusplebis factus est Candido & Quadrato iterum Coss. in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatẽ, omen sibi factum asserit, quòd penulas amiserit, quibus uti tribuniplebis pluuiæ tempore solebant, Imperatores autem nunquam: unde hodieque Imperatores sine penulis à togatis uidentur. hæc Spartianus. Candidus ille Iulius Vespronius dicebatur, qui postea missus est à Senatu legatus ad Septimiũ Seuerũ, qui in Syria cũ exercitibus quibus preerat à Iulio desciuerat. Erat autem Cãdidus Vetus consularis olim militibus inuisus, ob durum & sordidum ingeniũ. Iulio Candido rescripsisse diuum Pium, Vlpianus memorat in Digestis, quadragesimo octauo lib. titulo de Accusationibus. Candidi Iulij meminit Plinius iunior, lib. quinto Epistolarũ. & Martialis epigrammate Candidi uxorem momordit, tanquam adulteram, lib. 12.

Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris
Incedit, tota notus in urbe minis.

Quadratus autem alter consul, Numidius dictus (non Vinidius, ut inemendati habent codices Spartiani) hæres relictus ex besse à Numidia Quadratilla auia, conspicuus forma fuit, & omnes sermones malignorũ puer & iuuenis euasit: intra uigesimum annũ maritus. Apud auiam tanta seueritate uixit, ut Pantomimos illius nunquam spectauerit, familiarissimè adamatus à Plinio Cecilio, qui in Epistolis crebram facit eius mentionem. Hadrianus grauiter Quadratũ prosequutus est. Huius puto filium fuisse hunc Quadratum, qui à Commodo occisus est, de quo Lampridius. Quadrati historici meminit Dion in uita Antonini Pij. Fuit & Quadratus discipulus Apostolorũ, qui Hadriano Imperatori oratione splendidissima Apologeticum librum pro nostra religione conscriptum, & ualidissimis communitum assertionibus, obtulit. cuius Eusebius meminit libro quarto Historiæ sacræ, capite tertio.

His Coss. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit.

Idem Eusebius lib. Temporum: & Eutropius lib. 8. cap. 2. Daciam Decibalo uicto subegit, prouincia trãs Danubiũ facta, in his agris quos nũc Taiphali, nũc Victohali & Terungiti habent. Ea prouincia decies centena milia passuũ in circuitu tenuit. Diu me torsit, fateor, ubi nã fuerit põs Traiani super Danubio, sed quũ

nuper

nuper inuenerim descriptiones regni Hungariæ, & tabulam eiusdem edidi, ac regi Hungariæ FERDINANDO dicaui, quæ iam impressa circunfertur, opus herclè insigne, absit inuidia uerbo. Eum pontem in hac descriptione posui. Similiter in Austria nostra, ubi omnes fluuios Danubium irrumpentes, ab eius fonte usq; in mare Euxinum, cum suis hostijs, mentionem feci illius pontis. Eadem Dion in Traiano. De aduentu Traiani in urbem, Martialis libro decimo cecinit hoc epigramma:

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus arctois, sideribusq; ducem. & reliqua.

108. 858 COMMODVS, ET CEREALIS. 2. 5

Plures fuerunt sub id tempus Cereales dicti. Martialis ad Iulium Cerealem libro undecimo epigramma scripsit:

Cœnabis belle Iuli Cerealis apud me.

Hic bellum Giganteum heroico uersu descripsit, ut ex Martiali colligimus. Fuit & Tutius Cerealis, uir consularis, cuius & Plinius libro secundo Epistolarum meminit. Scribit idem alibi ad Velleum Cerealem. Turullij Cerealis, & Petilij, Tacitus cum Iosepho & Dione meminere. Mimus Cerealis, & Iunius filius, sub Hadriano. Suidas primum Cerelem citat.

His Coss. Traianus Hiberos, Sauromatas, Hosdroenos, Arabas, Bosphoranos, Colchos, in fœdus accepit. Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupauit, & tenuit.

Idem Eusebius in libro Temporum: idem Orosius libro septimo, capite octauo. Eutropius libro octauo, capite secundo: Armeniã, quam occupauerant Parthi, recepit, Sarmatho Syriæ occiso, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Hiberorum regem, & Sauromatarum, & Bosphoranorum, & Arabum, & Osdroenorum, & Colchorum insulam accepit. Carduenos, Marcomedos occupauit, & Anthemusium magnam Persidis regionem, Seleuciam & Ctesiphontem, Babylonem, Messenios uicit, ac tenuit. Vide superius Ruffum hæc eadem scribentem uerbotenus. Paria Dion in Traiano. Sed in Spartiano sic legimus de Hadriano: Quare omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo, ut dicebant, Catonis: qui Macedones liberos pronunciauit, quia tueri non poterant Sarmatas. Syrim, quem Traianus regem Parthis fecerat, quòd eum non magni ponderis apud Parthos uideret, proximis gentibus regem dedit. Adeò ut aut Eutropius, aut Spartianus, in nomine regis sit corruptus. Quamuis Dion in uita Traiani scribat, Parthis regem à Traiano datum Parthenaspatem.

109. 859 SENECIO IIII. ET SVRRA III. 3. 6

Fuerunt plures Seneciones. Herennius Senecio in Bethica natus, & ibi Quæstor, accusante Metio Caro interficitur à Domitiano, quòd nullum magistratum post Quæsturã longo tempore medio petijsset, quòd Heluidij Prisci uitam composuisset, acceptis à Fannia uxore commentarijs. Vnde Tacitus: Nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Fuit & Sosius Senecio, & Sempronius Senecio, ijsdem penè temporibus. Ad Sosium Senecionem scribit Plutarchus uitam Dionis. Suspicor mendam in Spartiano esse haud leuem, ubi uitam Hadriani describit. nam postquam sub Candido & Quadrato Coss. Quæsturã adeptum tradit, paulo pòst subiungit: Prætor factus est sub Surano II. & Seruiano iterum Coss. Cum autem nullum inueniam Suranum per hæc tempora, arbitror sub Sura III. & Senecione, siue Seruiano, Hadrianum Quæstorem factum. nam de Seruiano paulo pòst in Hadriano dicemus: & id mihi similius uero apparet.

His Coss. Traianus in mari rubro classem instituit, ut per eam Indiæ fines uastaret.

Olym Imp. Tra. Hæc eadem uerba, ut pleraque alia, Cassiodorus ex Eusebio mutuauit, sicut alter ab altero Valentiniani temporibus scriptores Eutropius & Ruffus Sextus, qui sic tradunt: Usque ad Indiæ fines post Alexandrum accessit, in mari rubro classem instituit. Alter uerò, usque ad Indiæ fines, & ad mare rubrum accessit. CHRISTI Abu con.

4. 7 GALLVS, ET BRADVA. 110. 860

Horum Coss. mentionem fecit autor de Pontificibus, ut suprà in Aristo, siue Euaristo meminimus. Inuenio plures quoque Gallos. C. Asinius Gallus, magnus orator, nisi illum magnitudo patris obruisset: libros scripsit, in quibus eloquentiam & doctrinã patris, sui Asinij Pollionis & Ciceronis cõparat, superioremque patris conatur ostendere. Contra eos libros defensionem M. Tullij satis eruditam, composuit Claudius imperator. De hoc scribit iunior Plinius libro septimo Epistolarum:

Cum libros Galli legerem, quibus ille parenti
Ausus de Cicerone daret palmamque decusque, &c.

Sed hic à Tiberio interfectus est, ut superius annotauimus. Alius fuit Didius Gallus, ad quem iunior Plinius scripsit. Fuit & Aquinius Gallus Iureconsultus, ut Scæuola & Florentinus attestãtur. Fuit item Gallus, cuius fauore Hadrianus Traiano fuit acceptus. Galli præfecti urbis fit mentio apud Iuuenalem Satyra sextadecima, cui hanc dicauit. Martialis libro decimo, Numatium Gallum tradit fuisse simplicitate prisca & bonitate Socrati parem, hoc epigrammate:

Simplicior priscis Numaci Galle Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem.

Vlpianus testatur fuisse temporibus diui Traiani Rubrium Gallum, cum Celio Pisone consulem, per quos subuentum libertatibus est Senatusconsulto: libro Digestorum quadragesimo, titulo de Fideicommissarijs hæreditatibus. Sed an hi sint, hæsito.

CCXX. 8 II APHRICANVS, ET CRISPINVS. 111. 861

Ignotus autor hoc loco habet, Palmam iterum & Tullum. Et in opusculo de Pontificibus sic scribitur: Alexander annis VII. mensibus II. D. uno. fuit temporibus Traiani à cons. Palmæ & Tulli usque Veliano & Vetere. Palma hic fuit, de quo Martialis in duodecimo scripsit:

Palma regit nostros mitissime Cæsar Hiberos,
Et placido fruitur pax peregrina iugo.

Cæterùm Iulius Aphricanus, nepos Iulij oratoris, memoratur à Plinio 7. Epistolarum: quem Iulium Aphricanum oratorem uidisse se, testatur Fabius. Fuit enim concitatus orator, sed in cura uerborum & compositione nimius. Nonnunquam longior, & translationibus parũ modicus. Hic est ille Aphricanus, cuius inopinata insigniter sententia apud Neronem de morte patris profertur: Rogant te Cæsar Galliæ tuæ, ut felicitatem suam fortiter feras. De Aphricano scripsit Martialis libro duodecimo:

Habet Aphricanus millies, & tamen captat:
Fortuna multis nimis dat, satis nulli.

2. 9 CRISPINVS II. ET BOLENVS. 112. 862

Ignotus autor habet hoc loco, Priscinum & Ortitum: siue ijdem sint, siue diuersi. Circa id tẽpus, tradit Tertullianus in Apologetico, rescripsisse Traianum Plinio, qui prouinciam tunc rexerat, Christianos inquirendos non esse, sed oblatos puniri debere. & hanc nominant quidam tertiam persequutionem.

Piso

CHRI- Ab ur. Olym. Imp.
STI con. Tra.

PISO, & RVSTICVS.

113. 863 Autor ignotus habet, Pisonem & Bolanum, in hoc loco. Sed plures fuerunt 3. 10
per eadem penè tempora, qui Rustici nomen habuerant. Iunius Arulenus Rusticus, quem Domitianus interfecit, quòd philosopharetur, & Thraseam laudasset, uirumq; sanctum dixisset. Neq; in ipsum modò autorem, sed in libros quoq; eius sæuitum est, delegato triumuiris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in foro urerentur, teste Dione Græco, & Tacito: apud quem insuper scribitur, Arulenum Rusticum sub Nerone tribunũ plebis, cupidine laudis flagrantem obtulisse se intercessiuum Senatusconsulto, quod fieret contra Thraseam, nisi eius ingentes spiritus Thrasea cohibuisset. nam uana, & reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet. Hunc iam interfectum, ad se cum ense accedentem uidit per quietem Domitianus, antequam trucidaretur, referente Dione. Fuit item Rusticus filius Antistij Rustici, quem Martialis memorat perijsse in Cappadocia. Iulius Capitolinus scribit, Iunium Rusticum Stoicum fuisse philosophum, qui præceptor Antonini Philosophi erat, domi militiæq; potens, quem idem imperator in primis reuerebatur, cui omnia consilia & publica & priuata communicabat, & ante præfectos prætorio osculum dabat: quem consulem iterum designauit, ac ei post obitum statuas à Senatu postulauit.

TRAIANVS VII. & APHRICANVS.

114. 864 4. 11

Ignotus autor hoc loco habet: Traianus sextò, & Aphricanus. Sed de Traiani consulatibus paulo antè sumus loquuti.

CELSVS, & CRISPINVS.

CCX 12
115. 865 XIII

Celsum ita amauit Traianus, scribente Dione, ut ei statuam locaret publico iussu, tanquã uiro optimati. Fuit & hic prætor sub Traiano, quod in sexto libro Epistolarum annotat Plinius, & Iuuenalis octaua Satyra:

Nec dubitant Celsi Prætoris uendere ludis.

Vbi blaterant meras nugas interpretes. Dictus autem est Iubentius Celsus. Fuit alius Cellus, qui curam equitũ in bello Othoniano egit, ut Tacitus prodit. Iubentius autem Celsus cum primoribus urbis coniurationem iniens contra Domitianum, accusatus mirabiliter uitauit periculum. Nam cum inijcerent ei manus, dixit se quædam secretò uelle Domitiano deferre, & supplex Dominum Deumq; inuocãs, inquit: Nil tale admisi. uerùm si mihi dilationẽ dederis, quorum princeps non sum, omnia explicabo, multosq; manifestabo ac conuincam. Inde dimissus, nullum detexit: aliquando alias causas prætexens, distulit confessionem, usq; in Domitiani necem.

His Coss. Plinius secundus Nouocomensis, orator & historicus insignis habetur, cuius ingenij plurima opera extant.

Hæc eadem Eusebius in libro Temporum. Sed in præmisso codice Eusebij error intolerabilis est, quia subditicia clausula illic ponitur: Perijt dum inuisit incendium Veseui. quod neq; in scripto manu reperitur, neq; in Cassiodori hoc libro, neq; in Honorij Chronicis, qui tamen ambo Eusebium imitati sunt. Nam hoc de seniore Plinio, auunculo suo, iunior Plinius scribit, libro Epistolarum sexto, qui Vesuuij montis conflagratione perijt, quæ sub Tito fuit, ut ex Dione superius annotauimus. Adeò ut frustra quidam ex hoc, Plinium maiorem Nouocomensem fore comprobabunt. Cæterùm huius iunioris Plinij opera, quæ extant, sunt: Panegyricus ad Traianum, Epistolarum libri nouem familiarium, & unus ad Traianum. Cum autem hic Plinius Bithyniam prouinciam regeret, multosq; Christianos interfecisset, multitudine & cõstantia eorum perterritus, quæsiuit à Traiano quid facto opus esset, cum adulteria, homicidia & latrocinia ueta

Olymp. Imp. Tra. rent, & Christo sacrificarent. Traianus rescripsit, inquirendos non esse: oblatos uerò, puniri oportere. ut Tertullianus in Apologetico, cap. secundo elegantissimè. Quem Eusebius citat lib. tertio historiæ sacræ, capite tricesimosecundo, & tricesimotertio, ac in libro Temporum: Paulus Orosius libro septimo, capite octauo. Extant epistolæ quoque lib. 10. Epistolarum Plinij, super hac re, quàm elegantes, quarum altera incipit: Solenne est mihi domine, omnia de quibus dubito ad te deferre. Altera uerò Traiani: Actum quem debuisti, mi Secunde, in executiendis causis eorũ qui Christiani ad te delati fuerant, & reliqua. Tradit tamen Suidas, etiam Traianũ uetuisse Christianos supplicio affici. Hic, inquit, Christianis quietẽ penè quandam reddidit afflictionũ, quas magistratus diuersas inferebant. Vnde Tiberianus primę Palæstinorum gentis prefectus renunciauit, eum nihil proficere in occidendis illis, sua sponte ad supplicium currentibus. Tunc Traianus uetuit, quempiam Christianorum occidi. Eusebius præterea libro tertio Sacræ historię, capite tricesimosecundo, refert ex Egesippo, Simeonem Cleophæ filium episcopum, sub Traiano apud Atticum consularem, martyrem effectum. id quod etiam suprà annotauimus anno Christi C V. CHRISTI Ab urb. con.

2. 13

ASTA, & PISO.

Ignotus autor habet, Vopiscus & Hasta. 116. 866

3. 14

MESSALA, & PEDON.

Dion in Traiano, elegantissimè describens terræmotum apud Antiochiam factum, ubi crudelitatem ipsius latissimè, & calamitates hominum describit, inquit: Quamuis cladem nonnulli ut infinito ex numero, duntaxat citra mortem euaserint, è quibus debilitati quidã cruribus atque humeris, alij fracto capite. Nec defuere qui sanguinem redderent, uti consul Pedo statim est mortuus. 117. 867

4. 15

AEMILIANVS, ET VETVS.

Autor ignotus habet, Aelianus & Vetus. In alterutro oportet ut sit error. In opusculo de Pontificibus, ut suprà in Alexandro meminimus, scribitur, Veliano & Vetere, si non est error. Arbitror Aelianum & Veterem legendum Coss. Clemẽs in Epistolis, epistola tertia Alexandri pontificis, meminit horum Coss. scribẽs: Data Calend. Maij Aeliano & Vetere, uiris clariss. Coss. Eusebius dat ei Alexandro annos decem, de quo dubito. 118. 868

CCX XIIII 16

NIGER, ET APRONIANVS.

Dion in Hadriano, scribens qua arte, quó ue consilio Hadrianus sit imperium ope Plotinæ uxoris Traiani assequutus, citat patrem suum Apronianum, qui tunc Ciliciæ præerat, & de adoptione Hadriani singula nouerat. quẽ ego suspicor hunc fuisse. Horum autem Coss. meminit autor de Pontificibus, in hæc uerba: Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus uiginti uno. Fuit temporibus Adriani, à cons. Nigri & Aproniani, usque Veronio & Ambidaulo. De quibus uide infrà. 119. 869

His Coss. Traianus Armeniam, Assyriam, & Mesopotamiã prouincias fecit.

Eadem ijsdem uerbis Eusebius libro Temporum scribit. Orosius libro septimo, capite octauo. Copiosius autem Eutropius libro octauo, capite 2. Tres, inquit, prouincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cum ijs gentibus quæ ad eum attingunt. Paria Ruffus Sextus. Sed tu lector Dionem uide, qui abundè hæc omnia describit: adeò ut intelligas quid Florus scripserit,

sub Traiano mouisse rempublicam

lacertas,

Clarus

CHRISTI Ab urb. con. — Olym. Imp. Tra.

CLARVS, ET ALEXANDER.

120. 870 Hos Coſs. omittit autor ignotus, ſiue negligentia ſcriptoris id factum ſit, ſiue 2. 17
alia cauſa. Euritius, ſiue Erutius Clarus (utrunq; enim legitur) uir ſanctus, antiquus, diſertus patronus & conſtans, morum literarumq; ueterũ ſtudioſiſsimus, bis conſul fuit. Sub altero eius conſulatu naſcitur Seuerus, qui pòſt imperauit. ambiguum an is fuerit, quem multo pòſt tempore interfecit idem Seuerus ob crudelitatem, cum tamen uideri uellet clementiſsimus: an eius filius. Scribit enim Spartianus in Seuero: Ipſe natus eſt Erutio Claro II. & Seuero Coſſ. ſexto idus Aprilis. de quo conſulatu inferius. Quia ſatis conſtat, hos hoc tempore non fuiſſe conſules, ſed ſub Antonino Pio, ut inferius patebit. Sicut hauddubiè conſtat, ipſum fuiſſe ad quem Iulianus libro primo Digeſtorum refert, diuum Antoninum ſcripſiſſe. Quanquam ibi pro Euritio Claro, corruptè lęgatur Euriptio Claro, quemadmodum facile propria inuertuntur. Illius Spartianus, Gellius, & Plinius meminere: qui inſuper Plinius Septitio Claro opus Epiſtolare dedicauit, ut prima oſtendit epiſtola: qui Euricij Clari auunculus fuit, ac præfecto prætorio Turboni, Hadriano uolente, ſucceſsit. Deinde tamen illi ſucceſſorem dedit Imperator, quòd apud Sabinam uxorem iniuſſu eius familiarius ageret, quàm reuerentia domus Cæſareę poſtulabat, moxq; loco hoſtis habuit.

HADRIANVS, ET SALINATOR.

121. 871 — 3. 18

Traianus in Epiſtolis ad Plinium teſtatur, Fuſcum Salinatorem uirum fuiſſe clariſsimum, & plurimum autoritate apud ſe ualuiſſe. Qui Salinator poſtea Seruiani filiam duxit: & domo Patricia genitus, parentes habuit honeſtiſsimos: uir eruditus & eloquens, puer ſimplicitate, comitate iuuenis, grauitate ſenex. Spartianus ſcribit, Fuſcum in ſumma deteſtatione habitum, quòd imperium præſagijs & oſtentis agitatis ſperaret. Plinius iunior Fuſco Salinatori uitæ ſuæ ordinem pulchra epiſtola explicat libro octauo. Hadrianus autem conſul factus eſt, teſte Spartiano, quòd legatus prætorius diſciplinam militarem tenuit. In hoc magiſtratu, ut à Sura comperit, ſe à Traiano adoptandum eſſe, ab amicis Traiani contemni deſijt, ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Traiani ei familiaritas creuit, cauſa præcipuè orationum: quas pro imperatore dictauerat. Vſus quoq; Plotinæ fauore, cuius ſtudio etiam legatus expeditionis Parthicæ tempore deſtinatus eſt: qua quidem tempeſtate utebatur Hadrianus amicitia Soſij Papi, & Pletorij Nepotis, ex Senatorio ordine: ex equeſtri autem, Tatiani, & Luciani Turbonis. in adoptionis ſponſionem uenit, Palmoris quondam ſui, & Celſo inimicis ſemper ſuis: & quos ipſe poſtea inſequutus eſt, in ſuſpicionem adiectę tyrannidis lapſos. Vnde & Dion in Hadriano, cum de eius adoptione ſcribit: Nec ullam, inquit, egregiam ab eo dignitatem accepit. Sed nec conſul niſi ſerò fuit. In uetuſtis annalibus lego, Anno D. XXI. apud Pariſios Dionyſius epiſcopus martyrizatur.

HADRIANVS II. ET RVSTICVS.

122. 872 — 4. 19

Hadrianus ſecundò conſul creatus eſt, teſte Spartiano, fauore Plotinę: & totam præſumptionem adoptionis emeruit. Corrupiſſe eum Traiani libertos, curaſſe delicatos, eoſdemq; ſepeliſſe per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmauit. Quinto Iduum Auguſti die legatus Syriæ literas adoptionis accepit, quare & natalem adoptionis celebrari iuſsit. Cæterùm ne id quoq; omittam, quod Spartianus in Hadriano tradit, licet nullum deinceps Caſsiodorus Hadriani conſulatum ponat: inquit, Tertio Cos. cum ipſe III. fuiſſet, plurimos fecit: infinitos autem ſecundi Conſulatus honore cumulauit. Ipſum autem tertium conſulatum & quatuor tantum menſibus egit, & in eo

 ſæpe

Olym. Imp. Had. sæpe ius dixit. Eusebius scribit, hoc anno Iudæis Mesopotamiæ rebellantibus, præcepit Imperator Traianus L. Quieto, ut eos prouincia exterminaret. Aduersus quos Quietus aciem instruens, infinita milia eorum interfecit, & ob hoc procurator Iudeæ ab Imperatore decernitur. Vide & in Historia sacra Eusebium libro quarto, capite primo & secundo, de Iudæorum clade: & Dionem, & Spartianum. Annales uetusti habent hoc loco: Anno Domini CXXII. apud Tyburtinam Symphosia cum 7. filijs passa. CHRISTI Ab. con.

CCXXV 20 SERVILIVS, & FVLVIVS. 123. 873

Ignotus autor habet Seuerum & Fuluium, hoc loco: cui ego quidem assentior. nam hic Catilius Seuerus, ut ex Plinio iuniore didici, à Traiano, & iterum ab Hadriano creatus est: ut inferius clarius ostendam. Alius est Seruilius Nonianus, quem Plinius senior consulem uidit, & Quintilianus audiuit, ingenio clarus, & sententijs creber, minus pressus quàm historiæ autoritas postulabat: cuius & iunior Plinius in Epistolis mentionem facit. Fuluius uerò hic aut auus aut pater fuit Antonini Pij imperatoris. nam teste Iulio Capitolino, T. Aurelius Fuluius auus Antonini, per diuersos honores ad secundum consulatum & præfecturam urbis peruenit. Pater Aurelius Fuluius, homo tristis & æger, pariter consul fuit.

His Coss. Traianus apud Seleuciam Isauriæ profluuio uentris extinctus est, anno ætatis LXIII. mense nono, die quarto: cuius ossa in urna aurea collocata, sub columna fori, quod eius nomine uocatur, recondita sunt: cuius columnæ altitudo in CXL pedes erigitur.

Eadem Eusebius in libro Temporum, sed addit: Solusque omnium intra urbem, & in foro sepultus est. Ceterùm forum Traianum ab ipso Traiano extructũ est, & dicatum, apud columnam eius Coclidem, in quo posuit lapidem marmoreum cum ijs literis:

TALEM PRIVATIS IMPERATOREM ESSE OPORTERE, QVALES SIBI PRIVATOS OPTAT HABERE. Bracteatum dictum, si cum sale legatur.

Huic succesit Hadrianus, utraque lingua peritissimus Italicè, natus ex consobrina Traiani: qui regnauit annis uiginti, mensibus X. diebus XXIX.

Paulus Orosius libro septimo, capite octauo: Anno ab urbe condita octingentesimo sexagesimoseptimo (scribe, septuagesimotertio) Hadrianus Consobrinæ Traiani filius, duodecimus ab Augusto principatum adeptus, uno & uiginti annis imperauit. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem, uirum fide & sapientia plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis, instructus atque eruditus, præcepit per epistolam ad Minutium Fundanium proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare. Idem quoque continuò Pater patriæ in Senatu ultra morem maiorum appellatur, & uxor eius Augusta. Sed & Eutropius ac Eusebius, Aurelius Sextus, Dion & Spartianus, sunt uidendi de Hadriani gestis.

P. Aelius

CHRI- Abur. STI con. | Olym. Imp. Had.

P. AELIVS HADRIANVS

IMP. XII.

Sub quo hi Coss. fuerunt.

124. 874 **P. VERVS, & AVGVR.** 2. 1

Ignotus autor habet in hoc loco, Verus II. & Augur. Nescio an hic sit Annius Verus pater, quē Dion in Hadriano ter consulem & tribunū fuisse scribit: an filius L. Aelius Verus, quem Hadrianus adoptauit. Sed ob ualetudinem antè mortuus, quàm imperium adeptus est. Cuius uitam diligētissimè Spartianus scripsit. eumq; tradit statim prætorem factum; & Pannoniæ ducem ac rectorem, mox consulem creatum: & quia imperio deputatus erat, iterum consul designatus est. Sic dubitanti mihi sese obtulit Iulius Capitolinus, qui in uita M. Antonini philosophi, scribit hunc Annium Verum auum Marci, iterum consulem & præfectū urbi ascitum in patricios à principibus Vespasiano & Tito Censoribus. & paulo pòst subiungit: Natus est Marcus Romę sexto Calend. Maias, in mōte Cælio, in hortis, auo suo iterum & Augure Coss. quemadmodum ignotus autor habet. Superius enim sub Vespasiano, Verus etiam consulatum gessit.

His Coss. Hadrianus Alexandriam à Romanis subuersam, publicis instaurauit expensis.

Hæc eadem ijsdem uerbis Eusebius in libro Temporum.

125. 875 **AVIOLA, & PANSA.** 3. 2

Plinius senior cuiusdam Auiolæ meminit lib. septimo, capite quinquagesimo secundo: Auiola consularis in rogo reuixit. & quoniam subueniri non poterat, præualente flamma uiuus crematus est.

His Coss. Hadrianus reliqua tributorum urbis relaxauit, chartis publicè incensis: plurimos etiam ipsis tributis liberos præstitit.

Eadem Eusebius libro Temporum. Dion: Romam ubi uenit, per edictū condonauit omnia debita, siue ea pertinerent Regi, siue ad ærarium: decenniū præscripsit, à quo tempore debere quisquam desineret, nec postea debiturus esset. Spartianus: Ad colligendam gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, priuatis debitoribus in urbe atq; Italia, in prouincijs uerò etiam ex reliquijs ingētes summas remisit: syngraphis in foro diui Traiani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis. Vide illic multa quæ sequūtur de liberalitate Hadriani, qua in omnes usus est.

126. 876 **PATERNVS, ET TORQVATVS.** 4. 3

Ignotus autor habet hoc loco, si liber menda caret, Petinus & Apronianus: & sequenti anno, Glabrio & Torquatus: adeò ut transpositi uideantur consulatus.

His Coss. Plutarchus philosophus insignis habetur.

Fuit hic Plutarchus præceptor Traiani, cum quo familiarissimè uixit, & qui multa ingenij sui reliquit monumenta: quæ etiam ad nepotes uenerunt, partim Latinè reddita, partim adhuc Græca lingua doctioribus tantum patescūt. Addit autem Eusebius, & Sextum, & Agathobulum, & Oenomaum, philosophos claros ac insignes, tunc extitisse.

127. 877 **GLABRIO, ET APRONIANVS.** CCXX VI 4

Dion ille Bithynius, Cæsarum scriptor, refert in Hadriano, patrē suum Aproniani Ciliciæ præfuisse, quum Traianus moreretur: ab eoq; didicisse, quo ordine & quo consilio quæq; facta erant, cum ope Plotinæ Hadrianus adoptaretur.

Olym. Imp. Had. CHRISTI Ab urbe con.

His Coſs. Nicomedia & Nicenæ urbibus plurimis collapſis, Hadrianus ad inſtaurationem earum publicas largitur expenſas.

Euſebius: Terræmotu facto Nicomedia ruit, & Nicenæ urbis plurima euerſa ſunt: ad quarum inſtaurationem Hadrianus de publico largitus eſt impenſas.

2. 5 ASIATICVS, ET QVINTVS. 128. 878

Ignotus autor habet, Aſiaticus II. & Aquilinus: Quintillus etiam legitur.

3. 6 VERVS, ET AMBIGVVS. 129. 879

Apud ignotũ autorem leges, Verus III. & Ambibulus, ſiue Ambigolus: ut in alterutro appareat menda. Eorundem fit mentio in Sixto Pontifice, ut ſuprà ſcripſimus. Sed & ſuperius annotauimus, Verũ conſulem à Spartiano, à Dione tertiò fuiſſe conſulem. Sed de ſuffectis conſulibus res eſt ignota & incerta. Scribit enim in Hadriano Spartianus hæc uerba: Tertiò Coſs. cum ipſe ter fuiſſet, plurimos fecit: infinitos autem ſecundi conſulatus honore cumulauit. Ipſum autẽ tertium conſulatum, & quatuor tantum menſibus egit, & in eo ſæpe ius dixit. Cæterùm parem animaduerti mendam in Capitolino, in uita Pertinacis, ubi nimirum hi Coſs. deſignantur: licet alterius conſulis nomen aliud ſit. Verba eius hæc ſunt: Natus eſt, ſcilicet Pertinax, Calendas Auguſtas, Vero & Bibulo conſulibus. Apparet ergo, quòd diuerſitas nominum in conſulibus, eſt ex librorum corruptione.

His Coſs. Athenienſibus leges petentibus, Hadrianus ex Draconis & Solonis reliquorumq́ꝫ libris iura poſuit.

Eadem iiſdem uerbis Euſebius in libro Temporum. Spartianus: Poſt hoc per Aſiam & inſulas ad Achaiã nauigauit, & Eleuſina ſacra, exemplo Herculis Philippiq́ꝫ ſuſcepit. Multa in Athenienſes cõtulit, & pro agonotheta reſedit. Dion: Hadrianus per hæc tempora ædem Iouis Olympij, in qua & ipſius ſtatua fuit, Athenis ædificauit. Impoſuit in ea draconẽ ex India deportatum. Feſta præterea Liberi patris, quod apud eos maximũ eſt, princeps in ueſte indigena magnificẽ concelebrauit: atqꝫ templum eius, quod Græci Panhellinon uocãt, ædificare eis conceſsit. Certamen & ludos cõſtituit, pecunias multas: frumentum annuum, & inſuper uniuerſam Cephaleniam Athenienſibus largitus eſt: leges multas tulit. Paulo infrà Spartianus ſcribit: Apud Neapolim Demarchus in patria ſua quinquennalis, & itẽ Hadriæ quinquennalis quaſi in alia patria, & Athenis archon fuit. Quę ut intelligas, ſcito Demarchum populi eſſe principem. Archon autem, Athenis ſummus eſt magiſtratus: qualis Carthagini Suffes, & Romæ Dictator. Enumerabatur autã Archon Athenis inter Theſmothetas, id eſt legum cõditores, qui erant ſex. Inter hos Archon rex, qui ſedebat in loco qui uocabatur Buccoleum, uel in Prytaneo. Polemarchos uerò erat imperator, ſedebatq́ꝫ in Lycio. Archon etiam in Theſmotheſio nonnunquam ſedebat: is erat locus, ubi Theſmothetæ, id eſt, iuridici iudices ſedebant.

4. 7 GALLICANVS, ET TITIANVS. 130. 880

Horum Coſs. ita meminit autor de Pontificibus: Teleſphorus annis XI. Fuit temporibus Antonini Macrini à Conſ. Titiani & Gallicani, uſqꝫ Cæſ. & Albino. Euſebius, quem & Caſsiodorus noſter imitatur, non ſub Antonino, ſed Hadriano ponit. Nec quid ſit Macrini, ſatis compertum eſt. Plinius iunior lib. 1. & 8. Epiſtolarum, ſcribit ad Ticianum quendam, ſi fortè hic eſt. Spartianus uerò in Hadriano, Cælium Ticianum equitem Romanũ cum Vlpio Traiano conſobrino ſuo tutores fuiſſe ſcribit. Sed nomẽ corruptum ſuſpicor. Paulo enim inferius ſcribit, eum

CHRISTI Ab ur. con. bit, eum uſum amicitia multorum Senatorum, ex equeſtri autem Actiani tutoris quondam ſui. Iterũ inferius hæc uerba ſcribit: Cum Ticiani præfecti ſui & quondam tutoris potentiam ferre non poſſet, niſus eſt eum obtruncare: ſed reuocatus eſt, quia iam quatuor conſularium occiſorum, quorum quidem necem in Atticiani conſilia refundebat, premebatur inuidia, &c. At Dion tradit, Hadrianum imperatorem ac Cæſarem factum factione Plotinæ, cum Actianus municeps eius, & Cęſaris procurator diligenter laboraret. Nota igitur nominis diuerſitatē. Capitolinus in Antonino Pio: Vnus tantum proſcribebatur affectatæ tyrannidis reus, hoc eſt, Attilius Ticianus, Senatu puniente: à quo conſcios inquiri uetuit, filio eius ſemper ad omnia adiuto. Vulcatius Gallicanus, uir conſularis, Auidĳ Caſsĳ tyranni uitam, qui cum M. Philoſopho imperitabat & rebellabat, deſcripſit. Olym. Imp. Had.

His Coſs. iuxta Eleuſinam ciuitatem, Cephiſo fluuio Hadrianus pontem conſtrauit.

Euſebius libro Temporum: Cephiſus fluuius Eleuſinā inundauit, quem Hadrianus ponte coniungens, Athenis hyemem exegit. Corrige ibi. nam mali codices habent Sponte, pro ponte. De ſacris Eleuſinis uide Spartianum ſuprà paulo citatum. Euſebius ſubiungit, Hadrianum ſacris Eleuſinæ initiatum, multa Athenienſibus bona eſſe largitum.

TORQVATVS, & LIBO. CCXXVII 8

131. 881 Ignotus autor habet hoc loco Aſprenatem & Libonē, ſi codex menda caret. Cæterùm Capitolinus recitat, M. Antonini philoſophi patruum Annium Libonem, conſulem & legatum eiuſdem imperatoris, in Syria interĳſſe, non ſine ueneni ſuſpicione. Plinius iunior in Epiſtolis meminit Libonis Frugi.

CELSVS, ET MARCELLINVS. 2. 9

132. 882 Vlpianus Digeſt. quinto: Pridie Idus Martias, Q. Iulius Balbus & P. Iubentius Celſus Coſſ. uerba fecere de ĳs quæ imperator Cæſar Hadrianus Traiani Parthici filius propoſuit. De hoc Iubentio (non Iulio Celſo, ut corrupti Spartiani codices habent) qui fuit maximus Iureconſultus, libro Digeſtorũ trigeſimooctauo, de operis Libertorum, ſcribitur. Sed & Pomponius de Origine iuris, Celſos patrem & filium Iuriſconſultos fuiſſe tradit: & Marcellus libro trigeſimoſecundo, & uigeſimonono. Extat Plotinæ Epiſtola ad Iubentium Celſum, & eiuſdem ad illam. Quanquā plures omnino fuerũt, penè per eadem tempora, Celſi. Sed incertus autor habet hoc loco, Coſſ. Marcellum II. & Marcellinum: deinde, quos etiam neq; Caſsiodorus, Catulinum & Aprum. Sed nos Caſsiodorũ ſequimur, qui mox ponit ſequentes:

PONTIANVS, & RVFFVS. 3. 10

133. 883 Ignotus autor habet, Pontianus & Ruffinus. Verùm Euſebius libro quarto Hiſtorię ſacrę, capite ſexto, meminit Ruffi, pręſidis Iudęæ ſub Hadriano: qui tumultuantes Iudæos repreſsit, ac ipſorum inſolentiam acerrimè caſtigauit. lege caput illud. An uerò hic Ruffus ſit, dubito.

AVGVRINVS, ET SERGIANVS. 4. 11

134. 884 Circiter id tēpus, tradit Euſebius, quòd Quadratus diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Athenienſis philoſophus, libros pro Chriſtiana religione Hadriano edidere: & Aquila interpres claruit.

Tiberius,

Had. TIBERIVS, ET SILVANVS. CHRISTI Ab urbe con.

CCXXVIII 12 Ignotus autor habet, Kiberum & Sisennam. Spartianus in Hadriano meminit Laberij Maximi, qui suspectus de imperio, in exilium erat missus. 135. 885

His Coss. Hadrianus à Christianorum persequutione cessauit, & Pater patriæ est appellatus.

Eusebius in libro Temporum, scribit Serenum Granium legatum, uirum apprimè nobilem, literas ad Imperatorem misisse: quibus iniquissimum esse dixit, clamoribus uulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, Minutio Fundano Proconsuli Asiæ scripsit, sine obiectu criminum Christianos non condemnandos. Cuius epistolæ formam idem Eusebius ponit libro quarto sacræ Historiæ, capite nono. Meminit huius Minutij Fundani & Orosius libro septimo, capite octauo. Ad hunc quoque iunior Plinius scripsit epistolas libro primo. Sed quòd imperator Hadrianus hoc anno Pater patriæ sit appellatus, & uxor eius Augusta, attestatur Eusebius libro Temporum. Spartianus sic inquit: Patris patriæ nomen delatum sibi statim, & iterum postea distulit, quòd hoc nomen Augustus serò meruisset.

2. 13 SERGIANVS, ET VERVS. 136. 886

Ignotus autor habet, Seruianus & Varro. Fuit Seruianus uir summæ autoritatis apud Hadrianum, teste Spartiano, qui legatus Pannoniæ sub Traiano fuit: & eo imperante, bis consulatum gessit. Illi Hadriani soror Paulina nupsit. Cui is Imperator tantum detulit, ut uenienti de cubiculo semper occurreret. Tertium consulatum, ne esset secundæ sententiæ, non petenti ac sine precatione concessit. Filiam habuit, quam Fusco Salinatori destinauit. Cum incidisset Hadrianus in morbum letalem, factus de successore sollicitus, primùm de Seruiano cogitauit. Postea quasi affectatorem imperij, quòd serius regis cœnam misisset, quòd in sedili regio iuxta lectum posito sedisset, quòd erectus ad stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coegit: reuera, ne sibi superstes adesset. Hunc Dion Seuerianum appellat, eum successorem Traianus aliquando & imperio dignum iudicauit. Nam in conuiuio olim quæsiuit ab amicis, ut decem nominarent uiros, quibus summa reipublicæ & rerum fastigium demandari posset. Tum uerò compresso aliquantulum sermone: Nouem, dixit, per uos discere cupio, unum ego Seuerianum habeo. Hunc cum Fusco eius nepote, quòd Commodi adoptionem ægrè ferre uiderentur, suspectos & inuisos occidi iussit Hadrianus: Seuerianum nonagenarium, alterum decem & octo annos natum. Sed Seuerianus antequam iugularetur, ignem poposcit, incensoque thure: Vos, inquit, deos testor, me nihil malè commisisse. Hadriano hoc tantum imprecor, ut cum mori cupiet, non possit. Hæc Dion. Flauius Vopiscus recitat epistolam Hadriani, scriptam Seruiano consuli, de moribus Aegyptiorum, pulcherrimam: quam in uita Saturnini tyranni inuenies. Lege, & lætaberis. Plinius iunior octauo Epistolarum, Seruianum uirum exactissimum nominat. Seueriani Aphricæ Proconsulis meminit Apuleius, & Lucianus de Conscribenda historia. Item Vlpianus refert, Seuerianum consulem Hadriano imperante, apud quem in Digestis libro quinto litera est corrupta: ubi commemorat, Hadrianum scripsisse Seriano. tu lege, aut Seruiano, aut Seueriano.

3. 14 POMPEIANVS, ET ATTILIANVS. 137. 887

In ignoto autore legitur hoc loco, Lupercus & Atticus.

His

CHRI- Ab ur. His Coss. templum Romæ Veneris factum est, quod nunc Vrbis Olym. Imp. Had.
STI con. appellatur.

Eusebius libro Temporum: Templum Veneris ab Hadriano Romæ factum. De hoc templo Veneris, quomodo Hadrianus illud extruxerit, & quo pacto Apollodoro architecto insultauerit, uide longiusculam Dionis historiam in Hadriano.

POMPEIANVS II. & COMMODVS. 4. 15

138. 888 Puto hunc esse Ceionium Commodum, quem adoptauit Hadrianus inuitis omnibus, appellauitque eum Elium Verum Cæsarem. In cuius honorem ludos Circenses fecit, donatiuum militibus dedit, dehinc Prætura honorauit, ac statim Pannonijs imposuit, decreto consulatu cum sumptibus. Eundem Commodum secundò Consulem designauit. Sed cum minus sanum uideret, sæpissime dictitauit, In caducum parietem inclinauimus: quia ante Hadrianum mortuus est, ut latè Spartianus scribit in Hadriano.

His Coss. Hadrianus, cum insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecam miri operis extruxit.

Eadem Eusebius libro Temporum, & Spartianus, qui Hadrianum pro agonotheta, hoc est præside agonum resedisse scribit.

SERGIANVS, & ALBINVS. CCXX 16

139. 889 Ignotus autor habet, Cæsar II. & Balbinus, alios omnino sequutus annales. Autor quoque de Pontificibus, habet: Cæsar & Albinus. ubi de Telesphoro Pontifice scribitur: ut in alterutro suspicanda sit labecula. Puto esse suffectum consulem, Commodum Cæsarem. IX

CAMERINVS, ET NIGER. 2. 17

140. 890 Per hoc tempus quidam scribunt, referente Eusebio, quadragesimale ieiunium à Telesphoro septimo Pontifice Max. institutum, ac præceptum. Spartianus in Hadriano meminit cuiusdam Nigrini, uiri consularis, qui cum esset suspectus de futuro imperio, Fauētię occisus est. An hic sit, dubitari potest. Fuit etiam Pescennius Niger, qui se Cæsarem fecit in Oriente. Quem etiam Commodus imperator Cos. designauit, teste Spartiano, de quo inferius scribemus.

ANTONINVS, ET PRAESENS. 3. 18

141. 891 Horum Coss. fit mentio apud Censorinum de Die natali, capite decimosexto, ubi de annis Romanis agit in hæc uerba: Quique hic anno fuit ante diem septimum Calendis Iulij, eum abhinc annos centum, Vlpio & Brutio Præsente Romę Coss. Iisdem dies fuerunt ante diem duodecimū Calendis Augusti, quo tempore solet canicula in Aegypto facere exortū, &c. Sed de hac re paulo inferius, ubi de Maximino Cos. narrabimus, plura ex Censorino scribemus. Cæterùm ad Brutium Præsentem scribit iunior Plinius libro septimo Epistolarum: qui tantæ fuit autoritatis postea, ut Antoninus philosophus Imperator eius filiam Commodo filio suo, qui deinceps imperauit, matrimonio iunxerit, celebratis exemplo priuatorū nuptijs. Ignotus autor habet hoc loco, Antoninus II. fortè quòd prius suffecti hi Coss. fuerant: uel uerè potius, quòd Capitolinus scribit M. Antoninum Philosophum decimooctauo ætatis anno adoptatum in secundo consulatu iam patris sui Antonini. & Hadriano ferente, gratia ætatis facta est, Quæstor est designatus. Si autem numerabis consulatus à principio imperij Hadriani usque huc, inuenies decem & octo annos. Dion, qui latissimè bellum

Olymp. Imp. Had. bellum Iudaicum describit, & Iudæorum rebellionem per hæc tempora notat. Hic Antoninus est Vlpius cognominatus. CHRISTI Ab u. con.

4. 19

ANTONINVS II. & PRAESENS II. 142. 892

Hic autor ignotus habet, Antoninus III. & Aurelianus Cæsar. Sub id tempus, scribit Eusebius libro Temporum, bellum Iudaicum, quod in Palæstina gestum est, finem accepisse, rebus Iudæorũ penitus oppresis. Vide quoq; eundem libro quarto Historiæ sacræ, capite sexto. Sed in primis uidendus est Dion in Hadriano, & Spartianus.

CCXX 20

SEVERVS II. & SILVANVS. 143. 893

Autor ignotus habet, Siloga & Seuerus: si non est error codicis. Credo hunc esse Catilium Seuerum, cuius Spartianus meminit, qui Traiano consule, iterum ab Hadriano creatus, dein Syriæ præpositus, mox præfectus urbis sub eodem, cum Antonini Pij adoptionem factam doluisset, re perdita quòd sibi imperium pararet, accepto successore, dignitate priuatus est, prius tamen grauiter ab Imperatore obiurgatus. Fuit autem Catilius Maternus proauus Antonini philosophi, qui postea imperauit. Apud Spartianum eius nomen est deprauatũ. nam quandoq; Catulius, quandoq; Attilius scribitur falsò. Et hinc etiam Iurisconsultorum libri deprauantur. nam Iustinianus in Institutionibus prodidit, Statilio Seuero diuum Hadrianũ rescripsisse: cum legendũ arbitrer, Catilio Seuero, cuius etiã iunior Plinius in epistolis meminit: & Iulius Capitolinus tradit, Antoninum Pium cõsulem fuisse cum Catilio Seuero. Licet per ea tempora multi fuerint Seueri. Curtium Seuerum recitat Tacitus: Septimij Seueri doctrinam laudat Statius in Syluis. Seuerum doctum fuisse, Martialis undecimo libro testatur hoc epigrammate:

Miraris docto quòd carmina mitto Seuero,
Ad cœnam quòd te docte Seuere uocem,
Iuppiter ambrosia satur est, & nectare uiuit. & reliqua.

Iurisconsultus Decium Seuerum, imperãte Seuero claruisse scribit. Sicut idem Iulij Seueri meminit, qui (Dione tradente) à Britannia in Iudæos deficientes ab Hadriano missus est, uir iustus & sapiens, dignitate & autoritate insignis, postmodum regendæ Bithyniæ destinatus. Curio Seuero scribit Plinius iunior, libro tertio Epistolarum.

His Coss. Helia ciuitas, id est, Hierosolyma, ab Helio Hadriano condita est: & in fronte eius portæ, qua Bethleem egredimur, sus scalptus in marmore, significans Romanæ potestati subiacere Iudæos.

Eadem Eusebius in libro Temporum. Sed lib. 4. Historiæ sacræ, capite sexto sic tradit: Aristo Pelleus historiographus ista prosequitur. Ita factum est, ut ciuitas post interitum Iudaicæ gentis, incolis mox in eam peregrinæ nationis confluentibus, permutatis ciuibus Romanorum, uis tota conuersa ritum pariter mutaret, & nomen. Dionysius interea Hierosolyma pridem euersa, rursus habitari iussit, atq; urbem Aeliam Capitolinam appellauit. Latißimè inde prosequitur Iudæorum cladem & famem, & Solomonis sepulchrum describit multa eius incommoda significasse. uide Dionem.

2. 21

RVFFINVS, & TORQVATVS.

Plures inuenio Ruffinos. Per illa tempora Fabius Ruffinus, uir egregius: item Cecilius Ruffinus, tradente Dione: Iunius Ruffinus, quem Vlpianus meminit præfectum uigilum sub Seuero & Antonino: & Calistratus, proconsulem Macedoniæ. Sub Hadriano fuit & Apuleius Ruffinus. Licinium 144. 894

Ruffinum

CHRISTI | *Ab ur. con.* | | *Olym. Imp. Ant.Pi.*

Ruffinum rescripsisse Iulio Paulo, iurisconsultus Paulus recitat. Treboni Rusti- ni, uiri egregij, meminit Plinius iunior. Ignotus autor habet hoc loco, si non est sine menda liber, Ruffinum & Quadratũ.

His Coss. Hadrianus morbo intercutis aquæ apud Baias moritur, maior sexagenario.

Scribit Dion, Hadrianum, cum morbo tentari cœpisset, in fluxum incidisse san guinis, qui ei consuetus erat per nares effundi. Dehinc nimio sanguinis defluxu in phthisim corpus tabidum resolutum est: atq; hydropisi tandem corripitur. Cæ terùm Hadrianus magicis artibus & incantamentis quibusdam (quorum erat e- doctus) aquam omnem intercutẽ eduxit, qua tamen rursus & celeriter fuit re- pletus. Postquam igitur morbus auctus est, & iam undique adhibitis remedijs indies deficiebat, mori decreuit, sæpe aut uenenum aut gladium postulans: & frustra quidem, nullus enim porrigebat. Vide etiam Spartianum. Eutropius: O- bijt in Campania maior sexagenario, Imperij anno XX. mense decimo, die XX. Senatus nolebat ei tribuere diuinos honores: tamen cum successor illius T. Au- relius Fuluius Antoninus hoc uehementer exigeret, & uniuersi Senatores pa- làm restiterunt, tandem obtinuit. Est autem tumulo honestatus, qui moles Ha- driani dicitur. de quo ita scribit Procopius: Hadriani Romani imperatoris sepul chrum extra portam Aureliam extat, & ad lapidis iactum à mœnibus procul ex tructum, spectatu proculdubio dignum. Pario namque ex lapide ædificatum est, saxa quadrata illi inuicem nexa, alia nulla intermixta materia, & quaternis partitũ pari dimensione lateribus, eã porrectis in altitudinẽ, ut iactus ex angulo lapis alterum ferè pertingeret: altitudinem tamen hæc urbis mœnia superant. Sta tuæ ex eodem & Pario marmore, uirorum equorumq; miro artificio factæ, de- super insident. Sepulchrum id prisci homines illi, cum uelut moles & arcis in spe ciem urbi impositum uideretur, brachijs duobus à mœnibus ipsis ad sepul- chrum id usque porrectis, inædificatisq;, complexi sic sunt, ut murorum sit pa- rium pars quædam effectum. apparet namque altissimæ id turri persimile.

Cui successit Antoninus Pius, qui regnauit cum liberis suis Aure- lio & Lucio, annis XXII. mensibus tribus.

Orosius libro septimo, capite nono: Anno ab urbe condita octingentesimo nonagesimo nono, Antoninus cognomento Pius, tredecimus ab Augusto Im- perator creatus, cum liberis suis Aurelio & Lucio, uiginti & non plenis tribus annis Rempublicã gubernauit: adeò tranquillè & sanctè, ut meritò Pius & pa- ter patriæ nominatus sit. Sed uide discordiam autorum, si modò emendati sunt codices. Eutropius libro octauo, capite quarto: Anno ab urbe condita D- CCCLXXVIII. Hadriano successit M. Antoninus Fuluius Boionius, idem etiã Pius nominatus, genere claro, sed non admodum uetere: uir insignis, & qui meritò Numæ Pompilio conferatur, ita ut Romulo Traianus exæquetur. Sed quomodo conueniant numeri Consulatuum cum annis Imperij, dijudica acutissimè lector: quandoquidem omnia sunt corrupta.

ANTONINVS.

PIVS CAES. XIII.

Sub quo hi Consules fuerunt,

145 895 TORQVATVS II. & HERODES. 3 1

Ignotus autor habet, Torquatus & Atticus: quod idem est, nam Iulius Capito

Olym. Imp. Ant.ph. linus in M. Antonino philosopho tradit, eũ usum oratoribus, inter quos nomi- CHRI-Ab.
nat Herodem Atticum, Collatinũ Frontonem, Cornelium, & alios paßim. Scri STI con.
bit Eusebius, Antoninum hoc anno Patrem patriæ appellatum. Iulius Capitolinus sic inquit: Patris patriæ nomen delatũ à Senatu, quod primò distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit. Galenum medicum his temporibus claruisse, Eusebius recitat.

4. 2

AVIOLA, & MAXIMVS. 146 896

Ignotus autor habet Auitum & Maximum. Plures autem fuerunt Maximi per ea tempora. Iulius Capitolinus in Antonino Pio, scribit Ganium Maximum præfectum prætorij, usque ad uicesimum annũ sub eo peruenisse, uirum seuerissimum. Cui Tacitus Maximus succeßit, in cuius demortui locum duos præfectos substituit, Fabium Repentinũ & Cornelium Victorinum. Fuit etiam Claudius Maximus Stoicus, inter præceptores diui Antonini: & Albius Maximus, quem uirum doctum Martialis commemorat. Item Plinij secundi extant epistolæ, quibus testatẽ Domitianum scripsisse Terentio & L. Appio Maximis. Refert Dion, aduersum Antonium rebellantem, eundem Imperatorem misisse L. Maximum & Traianum. Idem autor est, Maximum præfectum, cum ipse ad Oceanum nauigaret, destinasse aduersum deficientes, à quibus pugna uictus interijt. Vrbio Maximo diuos fratres rescripsisse, Vlpianus mentionem facit. Laberius Maximus Procurator Iudææ, sub Vespasiano fuit. Sed apud Iosephum corruptè legitur, Liberium Maximum, ut omnem terram Iudæorum uenderet. Meßio Maximo scribit Plinius libro quarto Epistolarum.

CCXX XI 3

ANTONINVS III. & AVRELIVS. 147 897

Autor ignotus habet aliter: Antoninus quartum, & Aurelianus Cæsar secundum. Volo subscribere uerba Capitolini ex uita Marci, quæ ad hunc locum faciũt: Post excessum Hadriani, statim Pius per uxorem suam Marcum sciscitatus est de dissoluendis sponsalibus: & ijs gestis adhuc Quæstorem & Consulem secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit. & paulo pòst: Secundum etiam consulem designauit, cum ipse quartum pariter inierit. Sub id tempus Valentinus hæresiarches & Cerdo magister Macronis Romam uenerunt. Vide Eusebium libro quarto Historiæ sacræ, capite decimo, & undecimo, ubi pulcherrima de illis hæreticis inuenies. Sed uide obsecro eiusdem caput decimumtertium, ubi Epistola Cæsaris pro defensione nostrorum ad Asiaticos scribitur, quæ incipit: IMP. CAES. M. AVRELIVS ANTONINVS AVG. ARMENICVS PONT. MAX. TRIB. POT. XV. COSS. III. Vniuersis simul plebibus Asiæ S. & quæ sequuntur.

2. 4

GRATVS, & SELEVCVS. 148 898

Ignotus autor habet hoc loco & sequentibus, Consules paululum diuersos: hoc enim loco illic scribitur, Clarus & Seuerus, qui siue desint in Caßiodoro, siue suffecti sunt Consules, alij tamen alio ordine locantur & ponuntur. Vtriusque tamen Consules & Caßiodori & ignoti autoris ponam, ut inde & anni Imperij colligantur, & diuersitas patescat. Subuereor enim, in alterutro obmissos esse quosdam, si annos Imperij saltem ex Consulibus colligere uolumus. Tamen & Capitolinus in uita Marci inquit: Et Seuerum turmis equitum Romanorum iam cõsulem designatum creauit. Præterea Spartianus in Seuero horum Consulum meminit, in hæc uerba dicens: Ipse natus est Erutio Claro bis & Seuero Cõsulibus, sexto Idus Apriles. Si igitur ab hoc consulatu numerabis usque ad finem Imperij Seueri, prouenient sexaginta quinque anni, quot quiuis uixisse

scribitur

CHRI-STI Ab ur. con. scribitur. & ideo etiam numerus Imperij XXII. annorum cum tribus mensibus non proueniet: quoniam alij dant uiginti tantũ annos Antonino Pio, ut Orosius & Cassiodorus noster. Sed de ijs Coss. paulo inferius, in consulatu Præsentis & Ruffini, plura. Olymp. Imp. Ant.

His Coss. Iustinus philosophus librum pro Christiana religione scriptum, tradidit Antonino Cæsari.

Hæc eadem ijsdem uerbis Eusebius in libro Temporũ, & libro quarto Historiæ sacræ, capite octauo, undecimo & duodecimo, uberrimè explicat. Et Paulus Orosius libro septimo, cap. nono inquit: Iustinus philosophus librum pro Christiana religione compositum Antonino tradidit, benignumq; eum erga Christianos homines fecit. Qui nõ longè pòst, suscitante persequutionem Crescente Cynico, pro Christo sanguinem fudit, ut Eusebius libro quarto sacræ Historiæ tradit, capite decimosexto. Hunc Iustini philosophi & martyris librum contra gentes, nuper Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus Princeps, uir eruditissimus, & mihi longè amicissimus, eleganter & feliciter è Græco in Latinum uertit. & cum cæteris suis operibus impressus circumfertur. Quot autem libros à se scriptos Iustinus posteris dereliquerit, docet Eusebius lib. quarto Historiæ sacræ, capite decimooctauo. Sed in ea oratione quam contra gentiles pro Christianis scripsit, tradit, cum esset Alexandriæ, in Pharo se uidisse uestigia domuncularum Septuaginta Interpretũ, quæ ad id tempus incolumia extiterunt. Quod dictum Hieronymus in præfatione Geneseos, quasi sibi ignotum, Eusebio & Augustino in eo inficiando, aduersatur.

ANTONINVS IIII. & AVRELIVS II. 3. 5

149. 899 Hic consulatus fuit ab autore ignoto superius alio loco positus, ut patuit ex Annotatis.

LARGVS, & MESSALINVS. 4. 6

150. 900 Eusebius tradit, sancitum esse à Pio sub id tempus, ut resurrectio Dominica die Dominica celebretur: quod à pluribus Pontificibus confirmatum est. Vnde occasio nata est inquirendi nostris, de die uera Paschæ. Paulus Mittelburgensis episcopus Forosemproniensis, ingens uolumen nostra ætate scripsit: quod studioso cuiq; est legendum. CCXX 7

TORQVATVS III. & IVLIANVS. XII

151. 901 Sub id tempus, scribit Eusebius libro eTmporum, Mesomedem Cretensem, citharœdorum carminum musicum poetam claruisse: cuius etiam meminit Iulius Capitolinus, in Antonino Pio sic scribens: Nihil esse sordidius dixit, quàm si Reipub. ij arriderent, qui uel in eam suo labore conferrent. Vnde etiam Mesomedi lyrico salarium imminuit. Cæterùm Spartianus in Didio Iuliano scribit, proauum Iuliani Imperatoris, Saluium Iulianum, bis consulem, & præfectum urbi, ac consultum iuris fuisse. Quærendum, si hic est.

ORPHITVS, & PRISCVS. 2. 8

152. 902 Iulius Capitolinus in Antonino scribit, Orphitum præfectum fuisse urbis. Inquit enim: Successorem uiuenti bono iudici nulli dedit, nisi Orphito præfecto urbis petenti.

GLABRIO, & VETVS. 3. 9

153. 903 Ignotus autor habet hoc loco, Gallicanus & Vetus: & in margine scribitur, Romulus. ut credã Glabrionẽ Gallicanũ, & Veterẽ Romulũ cognominatos: nisi fortè sit alter Coss. Vespronius Candidus Vetus, cuius uiri consularis meminit Spartianus in Didio Iuliano. Sed & autor de Pontificibus, horum sic Coss. meminit: Higinius annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus

Olymp. Imp. Ant. Veri à Conſ. Gallicani & Veteris, uſque Præſente & Ruffino. Sed uereor & hoc corruptum: cum alij hunc quatuor tantum annis ſediſſe ſcribant, ut Euſebius libro Temporum, quod paulo pòſt pateſcet, non duodecim. CHRISTI Ab urb. con.

4. 10 GORDIANVS, & MAXIMVS. 156 904

Autor ignotus habet hoc loco, Maximus & Gordianus, ſi litera non eſt corrupta. Quandoquidem, teſte Capitolino, Gordianus ſenior, qui poſt Maximinum hoſtem iudicatum, cum filio imperauit, originem paternam ex Græcorum genere habuit, maternam ex Traiani Imperatoris patre, auo, proauo Coſſ. ſocero, proſocero, & duobus abſoceris Coſſ. Cæterùm multi fuerunt per ea tempora Maximi. Ganius Maximus, uir ſeueriſsimus, Præfectus Prætorij, uſq; ad uiceſimum annum: cui poſtea Tatius Maximus ſucceſsit, quorum Iulius Capitolinus in Antonino Pio meminit. Fuit & Claudius Maximus Stoicus, inter præceptores Diui Antonini: & Albius Maximus, uir doctus, à Martiali dictus. Vrbio Maximo diuos fratres reſcripſiſſe, Vlpianus mentionem facit. & Dion L. Maximi meminit.

CCX XX 11 GLABRIO II. & ROMVLVS. 155 905

In ignoto autore non Romulus, ſed Homulus ſcriptum eſt: ſiue error ſit, ſiue ueritas. Quandoquidem apud Capitolinum in M. Philoſopho, mentio fit Valerij Homuli, qui apud Pium, Marcum detulit. & in Antonino Pio idem tradit, quòd cum domum Homuli uiſens Pius, miransq; columnas Porphyreticas, requiſiſſet unde eas haberet? atque Homulus ei dixiſſet, Cum in domum alienam ueneris, & mutus & ſurdus eſto: patienter tulit. Lampridius quoque in Alexandro inquit, ab Homulo ipſi Traiano dictum, cum ille diceret Domitianum peſsimum fuiſſe, amicos autem bonos habuiſſe: atque illum magis odio fuiſſe, qui Rempub. peioris uitæ hominibus commendauerat: quia melius eſt unum malum pati, quàm multos. Multi enim mali non poſſunt ab uno, quamuis bono, ulla ratione ſuperari. Ob id Marius Maximus ſcripſit: Meliorem eſſe Rempub. & propè tutiorem, in qua princeps malus eſt, ea in qua ſunt amici principis mali: cum unus malus poſsit à pluribus bonis corrigi, multi autem ab uno minimè.

12 PRAESENS & RVFFVS. 156 906

Ignotus autor habet hoc loco, Præſens II. & Ruffinus. quorum & autor de Pontificibus meminit, ut paulo antè ſcripſi. Hoc in loco iterum neceſſe habeo admonere lectores, ut lotis auribus hæc qualiacunq; audiãt, quippe qui pro ſtudioſorum commodo omnes ſchedas euoluo. Nam in eo opuſculo quo Pontifices traduntur, ſub Coſſ. quidam nominantur, quos hic non inuenio: quamuis anni non ſunt omnino ab eo numero diuerſi. Verba igitur illius autoris nunc ſubſcribam, quæ talia ſunt: PIVS ANN. XX. M. IIII. D. XXI. Fuit temporibus Antonini Pij, à Conſ. Clari & Seueri, uſq; duobus Auguſtis. Sub huius epiſcopatu frater eius Hermes ſcripſit, in quo mandatum continetur, quæ ei præcepit angelus, cum uenit ad eum in habitu paſtoris. Sed cõſulatus Clari & Seueri ſuperius eſt poſitus: & ordo Pontificum ſic uideretur præpoſterus, ideo altius cogitandũ. Nam & Euſebius libro Temporum, poſt Higinium Pontificem ponit Anicetum Romanæ eccleſiæ epiſcopum decimum, quem & decem annis ſediſſe ſcribit. Sed error eſt.

3 13 COMMODVS, & LATERANVS. 157 907

Huius conſulatus mentio ſic fit à Capitolino in L. Vero Antonino: Fuit priuatus in domo Imperatoria uiginti & tribus annis, qua die togam uirilem accepit

accepit Verus Antoninus Pius, ea occasione qua patris templum dedicabat, populo liberalis fuit: mediusq; inter Pium & Marcum resedit, cum Quæstor populo munus daret. Post Quæsturam statim consul est factus, cum Sestillo Literano. Interiectis annis iterum factus consul. Cur autem hic Commodus, ut eius erat nomen, scribatur, mox explicat Capitolinus, sic scribens: Dato igit̃ Imperio, & indulta tribunitia potestate, post consulatus etiam honorẽ delatũ, Verum uocari præcepit, suum in eum transferens nomen, cum antè Commodus uocaretur. Fuit autem insignis Lateranorũ familia Romæ, ut magnæ urbis parti nomen dederit. Vnde & olim Romanus Pontifex, Lateranensis episcopus dictus fuit.

His Coss. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus, & Basilides Syropolitanus, philosophi illustres habentur: qui Veri quoq; Cæsaris præceptores fuerunt.

Eadem Eusebius in libro Temporum iisdem uerbis. Cæterùm Capitolinus huius Apollonij philosophi sic meminit in Antonino Pio: Cum Apollonium, quem Chalcide acciuerat, ad Tiberinam domum, in qua habitabat, uocasset, ut ei M. Antonium traderet: atq; ille dixisset, Non magister ad discipulum debet uenire, sed discipulus ad magistrum. risit eum, dicens: Facilius fuit Apollonio à Chalcide Romam uenire, quàm à domo sua in Palatium. Cuius auariciam in mercedibus notauit. In uita uerò M. Antonini Philosophi sic scribit Capitolinus: Vsus est Apollonio Chalcedonio, Stoico philosopho. Tantum autem studium in eo fuit philosophiæ, ut ascitus iam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonij discendi causa ueniret.

158 908 VERVS, & SABINVS. 4. 14

Ita Casiodori exemplar habet. Ignotus autem autor habet Seuerum & Sabinum. Quamuis etiam Capitolinus in Pio scribat, Verum, Antoninum post Quæsturam fecisse consulem, & sic nominatum pro Commodo, ut paulo antè patuit.

159 909 SILVANVS, & AVGVRINVS. CCXX XIIII 15

160 910 BARBATVS, & REGVLVS. 2. 16

161 911 TERTVLLVS, & SACERDOS. 3. 17

Superius annotaui, Cornutum Tertullum, uirum sanctum, fuisse collegam Plinio in præfectura ærarij, & consulatu: qui Aemiliæ uiæ curator fuit. Tertulli & Maximi consulatus meminit Vlpianus ad legem Iuliam, de adulterijs. Fuit etiam Tertullus designatus consul cum Nerua: & Tertullianum Senatusconsultum, quod factum est temporibus diui Hadriani, Iustinianus asserit traxisse appellationem à Tertullo. Diuus Augustinus irridendo autor est, Tertullum uirum grauem & philosophum, ædilem futurum clamasse, in auribus ciuitatis inter cætera sui magistratus officia, sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam. De alio Tertullo, eiusdem fortè familiæ, Capitolinus scribit, quem M. Antoninus philosophus prandentem cum uxore deprehenderit. hic fortè consul hoc tempore fuit.

Olymp. Imp. Ant. — CHRISTI — Ab urbe con.

QVINTILLVS, & PRISCVS,

4. 18 Spartianus in Iuliano meminit Quintilli, in hæc uerba: Cum Iulianus Senatum rogaret, ut Virgines Vestales & cæteri sacerdotes cum Senatu obuiam exercitui Seueri prodirent, prætentis infulis: Faustius Quintillus consularis augur contradixit, asserens, non debere imperare eum, qui armis aduersario non posset resistere. Cui multi Senatores consenserunt. Iulius Capitolinus in L. Annio Vero meminit Statij Prisci, quem Imperator cum Auidio Casio & Marco Vero ad Parthicum bellum conficiendum misit. 162. 912

CCXX 19

XV

VERVS II. & BRADVA.

In ignoto autore scribitur, Bradua & Varo: sed corruptum arbitror exemplar. 163. 913

2. 20

ANTONINVS V. & AVRELIVS III. 164. 914

Neque hunc, neque sequentem consulatum ponit autor ignotus in suo libello. Vnde sequitur, Consulatum fuisse aliquot annis continuatum ab Antonino & Aurelio. quod sequens consulatus ostendit, ubi scribitur: P. C. Antonini V. & Aurelij III. quod est, Post consulatum Antonini & Aurelij: quod sæpius dehinc factum est, ut patebit. & hinc etiam manifestatur error annorum Imperij Antonini Pij, cui quidã dant uiginti tres annos, alij uiginti duos, alij uinginti unum.

3. 21

P. C. ANTONINI V. & AVRELII III. 165. 915

Id est, Post consulatum Antonini & Aurelij. fortè si Pius uigintitres annos imperauit, poterant tres anni hi in consulatu durasse.

Hoc tempore Antoninus Pius apud Lorium uillam suam, duodecimo ab urbe miliario, moritur, anno uitę septuagesimoseptimo.

Eutropius ei dat ætatem eam, quã hic Casiodorus: si non sunt utriusque corrupta exemplaria. Eusebius ei tribuit septuagintaduos annos. Septuagesimo, scribit Capitolinus, anno Antoninum excessisse. Par diuersitas est annorum Imperij.

Vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerunt, cui successerunt filij sui: id est, M. Antoninus Verus, & L. Annius Antoninus Verus: qui regnarunt annis decem & nouem. Sub quibus hi Cõsules fuerunt.

Orosius libro septimo, capite nono: Anno ab urbe con. noningentesimo quintodecimo, M. Antoninus Verus, decimusquartus ab Augusto, regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit, mansitque in eo annis quatuordecim. Hi primi Rempublicã æquo iure tutati sunt. Cæterùm omnes alij autores M. Antonino dant decem & octo annos Imperij. cum Casiodorus & Eusebius tam in libro Temporum, quàm in Historia sacra, dent decem & nouem. Eutropius libro octauo, capite quinto sic: Post hunc imperauit M. Antoninus Verus, haud dubiè nobilissimus: quippe cum eius origo paterna à Numa Pompilio, materna à Salentino rege penderet. & cum eo L. Annius Antoninus Seuerus, tumque primùm Romana respub. duobus æquo iure Imperij administrantibus paruit, cum usque ad eos singulos semper habuisset Augustos. Inuenio in quibusdam Chronicis scriptum, quòd à C. Iulio Cæsare usque ad duos Augustos, sunt anni ducenti quadragintaquatuor: quod non procedit. Sed propius uero accedit Herodianus, qui in præfatione Historiæ suæ, ab Augusto ad Marcum circiter ducentos annos numerat. Sed in numeris annorum facilis est lapsus, propter notas. Nam & Eutropius & Capitolinus ponunt tantum

CHRI- Ab ur. tum decem octo annos pro Imperio M. Philosophi: cum Cassiodorus & Euse- Olymp. Impp. Augg.
STI con. bius decem & nouem ponant, si est liber emaculatus.

M. ANTONINVS VERVS, ET LVCIVS ANTONINVS VERVS, IMP. XIIII.

DVO AVGVSTI COSS. 4. 1

164. 916

Huius consulatus in hæc uerba meminit Spartianus in Aelio Vero: Verus cum Marco æquale gessit imperium. Nam ipsi sunt, qui primi duo Augusti sunt appellati: & quorum Fastis consularibus sic nomina præscribuntur, ut dicantur non duo Antonini, sed duo Augusti. tantumq; huius rei & nouitas & dignitas ualuit, ut fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem consulum. Sed & in Hadriano inquit Spartianus: Hi sunt, qui postea pariter duo Augusti primi Rempublicã gubernauerunt. Capitolinus in M. Philosopho: Post excessum Diui, à senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in Imperio designauit: atq; ex eo pariter cœperunt Rempublicã regere. Tuncq; primũ Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit. Lampridius in Commodo, tradit eum Lanubij esse genitum, cum fratre Antonino Gemino, Calendis Septembris, patre patruoq; Coss.

RVSTICVS, & AQVILINVS. CCXX XVI 2

165. 917

Suspicor hunc esse Iunium Rusticum, quem Capitolinus scribit à Marco uehementer adamatum, eumq; audisse, & præcipue ante alios dilexisse cum reuerentia quadam, & ipsum sectatum domi militiæq;. Pollebat hic Stoica disciplina præ cęteris, & ob id cum eo communicauit publica priuataq; consilia: cui etiam ante præfectos prætorio semper osculum dedit. Quem & consulem iterum designauit, cui post obitum à Senatu statuas postulauit.

His Coss. L. Cæsari Athenis sacrificanti, ignis in cœlo ab oriente in occidentem ferri uisus est.

Idem eisdem uerbis scribit Eusebius libro Temporum. Capitolinus in L. Vero tradit, Lucium, cum ad Parthicum proficisceretur bellum, Athenis inter symphonias & cantica nauigasse.

L. AELIANVS, & PASTOR. 2. 3

166. 918

Sub id tempus, scribit Eusebius, Vologesum Parthorum regem, uicinas sibi Romanas prouincias depopulatum esse. De quo Vologeso rege Capitolinus in M. Philosopho: & Orosius libro septimo, capite decimo.

MACRINVS & CELSVS. 3. 4

167. 919

His Coss. Fronto orator insignis habetur, qui M. Antoninum Verum latinis literis erudiuit.

Eadem scribit Eusebius in libro Temporum. & Eutropius libro octauo, capite sexto, de M. scribens inquit: Latinas aũt eum literas Fronto orator nobilissimus docuit. & Capitolinus in Marco: Vsus est oratoribus † Gero Annio Macro, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino Frontone Cornelio. sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuam in Senatu petijt. Pa- †Greco

Olym. Imp. Aug. ria scribit idem in L. Vero. Fuit autem Herodes Atticus cognomento, diuitijs CHRISTI Ab u. con.
& literatura percelebris: qui Athenas præcipuè patriam præclaris operibus exornauit, à Gellio in suis Noctibus frequentatus. Is cum ingenio & eloquentia nulli secundus haberetur, filiam habuit adeò hebetem, ut ne elementa quidem literarũ perciperet, teste Philostrato, qui in secundo libro Sophistarum multo plura de hoc tradit. Neque illud obmitttendum, Philostratum libros sophistarum duos Antonino Imperatori tum Consuli dedicasse: quod ex præfatione liquet. Cornelius autem Fronto insigni fuit eloquentia, cui siccum genus dicendi Macrobius adscribit, ut superius annotauimus, bimestri consulatu ab Antonino insignitus. Nuper Ianus Parrhasius in lucem edidit libellum de Nominum uerborumq; differentijs, quod Frontonis esse dicitur. Habuit autem & pronepotem, M. Aufidium Frontonem.

4. 5 ORFITVS, & PVDENS. 168 920

Meminit Orfiti Capitolinus in M. Philosopho sic scribens: Crimini ei datum est, quòd adulteros uxoris promouerit, Tertullum, & Vtilium, & Orfitum, & Moderatum, ad uarios honores: cum Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit.

His Coss. L. Cæsar de Parthis, cum fratre Antonino triumphauit.

Eadem scribunt Eusebius, Eutropius & Orosius. Capitolinus in M. Philosopho: Petijtq; L. ut secum M. triumpharet. Petijt præterea L. ut filij M. Cæsares appellarentur. Sed M. tanta fuit moderatione, ut cum simul triumphasset, tamen post mortem L. iam tum Germanicum se uocaret, quod sibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos M. utriusq; sexus secum uexerunt. Ita tamen, ut & puellas uirgines ueherent. ludos etiam ob triumphum decretos spectauerunt, habitu triumphali.

CCXX XVII 6 PVDENS II. & POLLIO. 169 921

Horum Coss. mentionem facit Lampridius in Commodo, ijs uerbis: Nominatus inter Cæsares quartum Iduum Octobrium, quas Herculeas postea nominat, Pudente & Pollione Coss. Sub id tempus tradit Eusebius, persequutionem ortam in Asia, & Polycarpum cum pluribus alijs subijsse martyriũ. Vnde Orosius libro septimo, capite nono: In diebus Parthici belli persequutiones Christianorum, quarta iam post Neronem uice in Asia & Gallia graues præcepto eius extiterunt, multiq; sanctorum martyrio coronati sunt. Hoc elegantißimè & uberrimè tradit Eusebius, libro quarto Historiæ sacræ, capite quintodecimo, ubi Polycarpi martyrium graphicè describitur. Sed quæ paßi sunt martyres in Gallia, Eusebius libro quinto explicat, capite primo, & sequentibus.

2. 7 VERVS III. & QVADRATVS. 170 922

Quadrati, Parthici belli scriptoris, meminit Capitolinus in L. Antonino Vero: dubium, si hic sit. Herodianus, Quadrati nobilißimi locupletißimiq; adolescentis meminit: cum quo stupri consuetudinem habere existimabatur Lucilla, L. Veri Imperatoris uxor, & soror Commodi. Capitolinus in M. tradit, quòd bonorum maternorum partem Vindio Quadrato sororis filio dederit, quia illa iam mortua erat.

3. 8 APRONIANVS, & PAVLVS. 171 923

Circa id tempus, tradente Eusebio, lues multas prouincias occupauit. Roma ex parte uexata. Sic Orosius: Sequuta est lues, plurimis infusa prouincijs: totámque Italiam pestilentia tanta uastauit, ut uillæ, agri, atque oppida, sine cultore atque habitatore, deserta, in ruinas syluásque concesserint.

Exercitum

CHRI- Ab ur. con. STI Exercitum uerò Romanorum, cunctasq; legiones per longinqua latè hybernа dispositas, ita consumptas ferunt, ut Marcomannicum bellum, quod continuò exortum est, non nisi nouo delectu militum, quem triennio iugiter apud Carnuntum mancus tenuit, gestum fuisse referatur. Coniectantur pleriq; docti Carnuntum esse, quod hodie in Austria Petronella dicitur, ubi situs castrorum & moles uisuntur. Capitolinus tantam fuisse tum pestilentiam scribit, ut uehiculis cadauera sint exportata. Vide illic latè de sepultura leges Cæsaris, & quo pacto quidam mundi finem affuturum prędixit, mirabili usus industria. Eusebius quarto Historię sacræ libro, capite uigesimosexto, meminit Sergij Pauli proconsulis Asiæ, quem arbitror hunc fuisse Paulum, tamen consulem.

PRISCVS & APOLLINARIS. 4 9

172. 924 Capitolinus in Marco, meminit Prisci cuiusdam, quem hunc esse reor: Gestæ sunt, inquit, res in Armenia prosperè, per institutum Priscum, Artaxatis captis: delatumq; Armeniacum nomen utriq; Principum, quod Marcus per uerecundiam primò recusauit, postea tamen recepit.

CETHEGVS & CLARVS. CCXX 10 XVIII

173. 925

SEVERVS & HERENNIANVS. 2. 11

174. 926 Horum Coss. mentio fit ab autore illo de Pontificibus, ubi scribuntur hæc uerba: SOTER ANN. IX. M. III. D. II. Fuit temporibus Antonini & Commodi à cons. Veri & Herenniani, usque Paterno & Bradua. Fortè hic erat scribendum Seueri, non Veri: & Materno, non Paterno. Nec numerus annorum conuenit, IX. Si enim Soter usque ad consulatum Materni & Braduæ sedit, XIIII. non IX anni numerabuntur. Et hoc idem conuenit cum Eusebio, qui libro Temporum sic scribit: Romanæ Ecclesiæ episcopatum suscepit XI. Soter, anno XIIII. Sed anni Imperij minimè concordant. Ob id obseruandum est, in Eusebio, quod sæpe testatus sum, plena omnia esse errorũ. Item Imperatori M. Antonino Vero, ut tradit Eusebius, scripsit Melito episcopus Sardensis Apologeticum, pro fide ac religione Christiana. cuius libri sæpe meminit idem in historia sacra. Sed libro quarto, capite uigesimosexto, quot libros scripserit Melito, qui ad nepotes usq; uenerunt, explicat.

His Coss. L. Annius Antoninus Verus, anno regni undecimo, inter Concordiam & Altinum apoplexi extinctus est, sedens cum fratre in uehiculo.

Eadem Eusebius, Eutropius, Orosius, Aurelius Sextus. Capitolinus autem in L. Vero sic scribit: Composito bello in Pannonia, urgente Lucio ut Aquileiam rediret (nam urbanas desiderabat Lucius uoluptates) in urbem destinatus est. Sed non longè ab Altino, subitò in uehiculo, morbo quem apoplexin uocant, correptus Lucius, depositus è uehiculo, detracto sanguine, Altinum perductus, cum triduò mutus uixisset, apud Altinum perijt. Fuit sermo, quòd & socrũ Faustinam incestasset: & dicitur Faustinæ socrus dolo, aspersis ostreis ueneno, extinctus esse: idcirco quòd consuetudinem, quam cum matre habuerat, filiæ prodidisset. Multi etiam mortis flagitium uxori eius asignãt, quòd Fabię nimium indulserat Verus: cuius potentiã uxor Lucij, uel M. ferre non poterat. Tanta sanè familiaritas inter Luciũ & Fabiam sororẽ fuit, ut hoc quoq; usurpauerit rumor, quòd inierint consilium ad Marcum è uita tollendũ: idq; cum esset per Agaclitũ libertũ proditũ, Marco ante aduentũ Lucij Faustina pręuenerit. Subiungit pòst, quòd quidã scribunt, Marcum partẽ uuluę ueneno illatã, eã execuisse cultro una

Olymp. Imp. Aug. CHRISTI Ab. con.

parte uenenato, & Vero porrexisse: quod nefas est credere de Marco, tanto uiro, tamque probato.

3. 12 ORFITVS, & MAXIMVS. 175. 927

Circa hoc tēpus floruit Oppianus Cilix poeta insignis, qui Halieutica, opus insigne de piscibus, miro splendore conscripsit: & nostro seculo latinitate donatus, à doctis amatur passim. Cæterùm horum Coss. mentio fit in Commodo apud Aelium Lampridium, his uerbis: Appellatus est Commodus scilicet Germanicus, Idibus Herculeis, Maximo & Orfito Coss.

4. 13 SEVERVS II. & POMPEIANVS. 176. 928

Tradit Eusebius, tantam circa hæc tempora pestilentiam per totum orbem fuisse, ut penè usque ad internecionem Romanus exercitus deletus sit. Capitolinus in Marco meminit cuiusdā Pompeiani, quem arbitror hunc esse, in hæc uerba: Proficiscens ad bellum Germanicum, filiam suam, non decurso luctus tempore grandæuo equitis Romani filio Claudio Pompeiano dedit, genere Antiochensi, nec satis nobili: quem postea bis consulem fecit, cum filia eius Augusta esset, & Augustæ filia. Sed has nuptias & Faustina, & ipsa quæ dabatur, inuitæ habuerunt. Meminit item huius Pompeiani Volcatius Gallicanus in Auidio Cassio, ubi in epistola quadam Marci ad Faustinam inquit: Pompeianum nostrum in annum sequentem Consulem dixi. & quæ sequuntur, ibi legito. Herodianus libro primo Historiarum, Pompeiani meminit, qui ætate reliquos anteibat, & Commodi sororem natu maximam in matrimonium habebat. Eius orationem ponit ad Commodum, elegantem.

CCXX 14
XIX GALLVS, & FLACCVS. 177. 929

Scribit Eusebius libro Temporum, Antoninum Marcum Imperatorem per hæc tempora aduersum Quados & Sarmatas fortissimè dimicasse. & cum pertinaciter eius exercitus siti oppressus pugnaret, pluuia diuinitùs missa est. Cū ecōtrariò Germanos et Sarmatas fulmina persequerentur, plurimosque interficerent. Subdit Eusebius, & repetit Orosius libro septimo, capite nono. Extant literæ M. Aurelij, grauissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Id autem latissimè Eusebius libro quinto Historiæ sacræ, capite quinto recenset: & Tertulianus in Apologetico, capite quinto. Capitolinus huius rei sic meminit: Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluuia impetrata, cum siti laborarent.

8 15 PISO, & IVLIANVS. 178. 930

Lampridius in Commodo sic horum meminit Coss. Assumptus in omnia collegia sacerdotalia sacerdos, decimotertio Calendas Inuictas, Pisone & Iuliano Coss. profectus in Germaniam decimoquarto Calendas Aelias, ut postea nominauit, ijsdem Coss. Vt aūt ea intelligas, subscribenda duxi uerba Lampridij, sic scribentis: Menses in honorem eius, pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Inuictum, pro Nouembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex signo ipsius adulatores uocabant. Sed post mortem Commodi, Cingius Seuerus Pontifex censuit abolendas omnes statuas eius, nomēque ex omnibus priuatis publicisque monumentis eradendum. Mensesque ijs nominibus nuncupandos, quibus nuncupabantur, cum primùm illud malū in Repub. incubuit, ut idem Lampridius scribit. Herodianus libro primo: Idem mensium nomina demutauit, ac pro uetustis appellationibus nouas de suis cognominibus imposuit. Quorum ad Herculē pleraque, tanquā scilicet ad fortissimū referebantur.

bantur. Sed ut ad Coss. redeam, ni fallor, hic est Iulius Didius Iulianus, qui Imperator fuit post Pertinacem. Cuius uitam diligentissime perscripsit Spartianus, ubi hæc uerba continentur: Aedilitatem suffragio Marci consequutus est: Prætor eiusdem suffragio fuit. post præturam legioni præfuit in Germania uicesimæ secundæ primigeniæ. Inde Belgicam sancte & diu rexit: ibi Cauchis Germaniæ populis, qui Albim fluuium accolunt, erumpentibus restitit, tumultuarijs auxilijs prouincialium: ob quæ consulatum meruit, testimonio Imperatoris. Hic igitur debet esse Iuliani consulatus, ratione temporum: quia circa id tempus Marcus contra Germanos bellum gessit. Fuit autem alius Saluius Iulianus, cuius filium Commodus ad stuprum frustra tentauit. Et ideo Iuliano insidias tetendit, & post interfecit, teste Lampridio. Sed & Spartianus in Seuero scribit, quod Seuerus successerit Iuliano in Proconsulatu, & fuerit collega eius in consulatu, & in Imperio eius successor: forte autem substitutus, non ordinarius Cos.

179 931 POLLIO II. & APER. 3 16

Horum Coss. meminit Lampridius in Commodo, in hæc uerba: Post hæc uenia legis annariæ impetrata Consul est factus, & cum patre Imperator est appellatus, quinto Calendas Decembres die, Pollione & Apro Coss. & triumphauit cum patre: nam & hoc patres decreuerant. & paulo post togam uirilem accepit, cum patre appellatus Imperator, quinto Calendas Exuperatorias, Pollione iterum & Apro Coss. Triumphauit decimo Calendas Ianuarias, ijsdem Coss.

180 932 COMMODVS, & QVINTILLVS. 4 17

Capitolinus in Marco Philosopho scribit: Cum compositæ essent res in Hispania, quæ per Lusitaniam turbatæ erant, filio Commodo accersito ad limitem, togam uirilem dedit: quare congiarium populo diuisit, & eum ante tempus consularem designauit. Lampridius in Commodo: Profectus est commendatus militibus, cum patre in Syriam & Aegyptum, & cum eo Romam redijt. Post uenia legis Annariæ impetrata Consul factus est, & cum patre Imperator est appellatus. De Quintiliorum domo omni per Commodum extincta, uide Lampridium in Commodo. Spartianus in Iuliano meminit Fausti Quintilli, consularis auguris. Quærendum, si hic sit.

His Coss. M. Antoninus Verus Imperator Commodum filium suum consortem regni facit.

Idem Eusebius libro Temporum. Sed quo pacto M. filio suo Rempub. commendauit, cum eum moriturus successorem designaret, eleganter docet Capitolinus in Marco. Sed longe pulchrius ac elegantius Herodianus, libro primo Historiarum sui temporis, ubi pulcherrimam leges Marci ad milites orationem. Lampridius in Commodo inquit: Appellatus autem est Cæsar puer cum fratre Seuero. quartodecimo ætatis anno, in collegium sacerdotis ascitus est: coaptatus inter tres solos principes iuuentutis.

181 933 ORFITVS, & RVFFVS. CCXL 18

Lampridius sic horum Coss. meminit: Profectus tertio Nonas Commodias, Orfito & Ruffo Coss. in Germaniam.

His Coss. Imperatores de hostibus triumphant, & pecuniam quæ fisco debebatur, prouincijs concedentes tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro, incendio concremarunt: ac ne quid bonitati deesset, seueriores quasque leges nouis constitutionibus temperarunt.

Idem Eusebius libro Temporum, Eutropius libro octauo, capite sexto: Pannonijs

Olym. imp. Ant.ph. nonijs à seruitio liberatis, Romæ rursus cum Commodo filio suo, quem iam Cæsarem fecerat, triumphauit. Ad cuius belli sumptum, cum ærario exhausto largitiones, quas militibus impenderet, non haberet: neque indicere prouincialibus aut Senatui aliquid uellet, instrumentum regij cultus (facta in foro diui Traiani sectione) distraxit: uasa aurea, pocula crystallina & murina, uxoriam ac suam sericam & auream uestem, & multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menses uenditio habita est, multumq; auri redactum. Post uictoriam tamen emptoribus precia restituit, qui reddere comparata noluerunt. molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere. Hæc eadem ijsdem uerbis Aurelius Sextus. Paria Iulius Capitolinus in Marco: Cũ, inquit, ad hoc bellum omne ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, ut extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret, in foro diui Traiani auctionem ornamentorum Imperialium fecit, uendiditq; aurea pocula, crystallina & myrrhina, uasa etiam regia, & uestem uxoriam sericam & auratam: gemmasq; etiam, quas multas in repositorio sanctiore Hadriani repererat: & per duos quidem menses hæc uenditio celebrata est, tantumq; auri redactum, ut reliquias belli Marcomannici ex sententia prosequutus, postea dederit potestatem emptoribus, ut si quis uellet, empta redderet, atq; aurum recipere liceret. Nec molestus ulli fuit, qui uel non reddidit empta, uel reddidit.

CHRI-STI AB-CON.

2. 20 COMMODVS II. & VERVS II. 182 914

His Coss. Antoninus Verus adeò in editione munerum magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuerit.

Idem Eusebius atq; Eutropius. Sed & Capitolinus sic in Marco scribit: In munere autem publico tam magnanimus fuit, ut centum leones una missione simul exhiberet, & sagittis interfectos. Subiungit Caßiodorus:

Qui pòst in Pannonia morbo perijt repentino. Commodus filius eius à Senatu Augustus est appellatus, qui regnauit annis tredecim: sub quo hi Coss. fuerunt.

De morte Marci pulcherrima apud Capitolinum inuenies, & apud Herodianum in primo Historiarum sui temporis. Sed de Commodo sic Orosius libro septimo, capite decimo: Anno ab ur. con. noningentesimo tricesimotertio, L. Antoninus Commodus decimusquintus ab Augusto, patri successit in regnum: mansitq; in eo annis tredecim, & aduersus Germanos bellum feliciter gessit, cæterùm per omnia luxuriæ & obscœnitatis dedecora deprauatus: & reliqua. Vide Eutropium libro octauo, capite septimo. sed & Aurelius Sextus, & Aelius Lampridius plura de eo scribunt. Sed abundè nimium Herodianus in libro Historiarum sui temporis.

AVRELIVS.

COMMODIVS IMP. XV.

3. 1 PRÆSENS II. & GORDIANVS. 183 935

Ignotus autor habet in hoc loco, Præsentem & Condianum, non Gordianum, si est error libri. nam & Lampridius Conditiani cuiusdam meminit, si fortè is est. eius uerba ex Commodo subscribam: Domus præterea Quintiliorum omnis extincta, quòd Sextus Conditiani filius specie mortis ad defectionem diceretur euasisse. Sed in eo loco legunt aliqui non Conditiani, sed Codiciani

CHRISTI Ab urbe con. ciani filius: quemadmodũ etiã superius in Antonino Pio admonui, ex ignoto autore, ubi pariter pro Gordiano scribitur Cocidianus. Et ob id emẽdandus est locus in Lampridio in uita Cõmodi, quẽ hactenus à nullo uidi animaduersum (bona uenia id dictum sit, contra morem meum: qui hos uehementer detestor gloriosos homines, qui se primos inuenisse pleraq; cõtendũt) Neq; illi qui scholia ediderunt, id obseruauerunt. Inquit autem ita Lampridius: Datus in perpetuum ab exercitu & Senatu in domo Palatina Commodiana conseruãdus undecimo calendas Romanas, Præsente iterum Cos. tertiò. Quis Oedipus hoc mihi explicabit? Si Præsens fuit iterum Consul, quia superius in Pio primũ eius consulatum uidimus, ut hic Cos. tertio dicatur? Ob id locum deprauatum mox deprehendi: & potius legendum censeo, Pręsente iterum & Condiano Coss. Facilis enim fuit lapsus iterarum: & ignarus quispiam scriptor, Cos. tertium scripsit pro Cocidiano: siue scripsit Gordiano, uel Coticidiano. propria enim illa leui causa deprauantur, quæ ideo sunt omnibus obuia. Non autem ignoro, quòd Capitolinus etiam scribit, Gordianum seniorem Cos. fuisse & ditissimum ac potentissimum, inq; Pompeij domo habitasse. Sed huic attribuit collegam Alexandrum, quem consulatum in Cassiodoro non inuenio: ut suspicer ipsum suffectum, non ordinarium Consulem fuisse. Et ob id eo loco Condicianus potius, quàm Gordianus, scribendum est.

COMMODVS III. ET BIRRVS. 4. 2

184. 936 Birri mentio fit in Lampridio, quum uitam Commodi describit, in hæc uerba: Cleander tantum per stultitiam Commodi potuit, ut Birrum, sororis Commodi uirum, reprehendentem nunciantemq; Commodo quæ fiebant, in suspicionem regni affectati traheret, & occideret, multis alijs qui Birrum defendebant interemptis. Capitolinus in Pertinaci tradit eum insimulasse apud Commodum affectati imperij Antistiũ Burrum, & Arrium Antoninum. In ignoto autore hoc loco scribitur, Commodus tertiùm, & Verus secundùm.

MAMERTINVS ET RVFFVS. CCLXI

185. 937 Lampridius ubi describit interemptos uiros bonos & consulares à Commodo, Mamertini etiam meminit ab eo occisi. Mox, inquit, Antium Lupum & Petronios, Mamertinum & Syram, filiumq; Mamertinum Antonianũ, ex sorore sua genitum, & post eos simul sex Coss. interemit, Allium Fuscum, Cælium Felicem, Luceium Torquatum, Latium Euripiatium, Valerium Bassianum, Pactuleium Magnum cum suis. Eo etiam lubentius hos Coss. subscripsi, ut eorum nomina hic inter Consules annotarentur, qui fortè aut designati erant Consules, aut suffecti.

COMMODVS IIII. ET VICTORINVS. 2. 4

186. 938 Hic credo est ille Aufidius Victorinus, de quo Capitolinus scribit in Marco. Amauit ex condiscipulis præcipuos senatorij ordinis, Seium Fuscianum, & Aufidium Victorinum. Hic contra Cattos missus est à Marco. Est & illic descriptus Furius Victorinus Præfectus prætorio, qui fuit in bello Marcomannico & contra Quados missus.

MARVLLVS ET HELIANVS. 3. 5

187. 939 Iulius Capitolinus in gestis Gordianorum tradit Seniorem Gordianum patrem habuisse Cetrum Carullum: & cum subiungat patrem auum & proauum Coss. fuisse: iccirco facile adducor, ut Carullum hunc credam ex hac fuisse familia.

His Coss. thermæ Commodianæ Romæ factæ sunt.

Idem Eusebius libro Temporum, Lampridius inquit: Opera eius propter la-

uacrum, quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla extant. Sed nomen eius alienis operibus incisum, Senatus erasit. Herodianus libro primo: Gymnasium quoque maximum ædificauerat, publicatis etiam balneis, ut eo modo populum inescaret.

4. 6 MATERNVS ET BRADVA. 188. 940

Materni cuiusdam militis sub Commodo meminit in primo Herodianus: qui tertiò insidias contra Commodum struxit. Quam conspirationem luculenter & abundè Herodianus describit. Sed Capitolinus in Pertinace Materni senatoris ita meminit: Denique tertium nonarum die uotis ipsis, milites Triarium Maternum Lasciuium senatorem nobilem, ducere in castra uoluerunt, ut eum rebus Romanis imponerent. Sed ille nudus fugit, atque ad Pertinacem in Palatium uenit, & pòst ex Vrbe decessit. Sed Paterni præfecti crebrò Lampridius in Commodo meminit. Sed horum quoque Consulum, mentio facta est in autore pontificum, qui scribit usque ad hunc consulatum sedisse Sotera pontificem Romanum.

CCXLIII 7 COMMODVS V. ET GLABRIO. 189. 941

Glabrionis meminit Herodianus libro secundo suæ historiæ, de Pertinace scribens, quòd Glabrionem, cum ipse ad imperium uocaretur, manu comprehensum in imperatoriam sellam sessitare iusserit. Erat enim (inquit Herodianus) ille omnium patriciorum nobilissimus, ad Aeneam, Veneris & Anchisæ filium, seriem generis referens, idemq́ iterum Consul, qui ita tamen loquutus est: Equidem egomet quem tu putas dignissimum, cedo tibi imperio: atque unà mecum Senatus omnis summam tibi potestatem decernimus. Ignotus autor hoc loco ponit Marullum & Glabrionem.

2. 8 CRISPINVS ET AELIANVS 190. 942

Aelius Spartianus in uita Didij Iuliani meminit cuiusdam Tullij Crispini, quem Iulianus præfectum prætorij fecit, occiso Pertinace, & aduersus Seuerum misit, à quo etiam interemptus est.

3. 9 FVSCIANVS ET SILLANVS 191. 943

Apud Lampridium leguntur hæc uerba in Commodo: Vota pro eo facta sunt nonis Pijs Fusciano iterum Cos. Sed cum non ab uno Consule hac tempestate anni numerarentur, sed à duobus, puto iterum esse Lampridij uerba deprauata & manca: quemadmodum paulo superius, ubi etiam unus Cos. Præsens scriptus fuit, sicut annotauimus. Et censemus potius legendum Fusciano & Sillano Coss. uota esse pro Cæsare Commodo facta. Huius Fusciani meminit Capitolinus in Pertinace. Post hoc præfectus Vrbi factus, in qua præfectura post Fuscianum hominem seuerum Pertinax mitissimus & humanissimus fuit. Fuit etiã Seius Fuscianus condiscipulus Marci, quẽ plurimũ dilexit, teste Capitolino.

4. 10 DVO SILLANI. 192. 944

Lampridius inter cæsos à Commodo numerat Seruilium & Duillium Sillanum cum suis.

His Coss. Commodus Imperator Colossi capite sublato, suæ imaginis caput iussit imponi.

Eadem Eusebius libro Temporum. Lampridius in Commodo sic scribit: Ornamenta sana quædam Colosso addidit: quæ postea cuncta sublata sunt. Colossi autem caput dempsit, quòd Neronis esset: ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit, ut illum gladiatorium effœminatum non prętermitteret. Herodianus libro primo: Eò uesaniæ prouectus est, ut deserere principalem aulam, atque in ludum gladiatorium migrare instituerit: neque se amplius Her-

culem

CHRI- Ab ur. culem appellari patiebatur (fuit enim prius dictus Commodianus, teste Lam-
STI con. pridio) adoptato nobilissimi gladiatoris nomine, qui iam uita excessisset. quin
simulacro illi Colosseo, quod Romanis uenerabile est, Solis effigiem gerens,
capite dempto, suum imposuit, atque in basi subscripsit, non quos consueslet im-
peratorios, paternosque titulos, sed pro Germanico mille gladiatorum uictorem.
In Antiquitatibus Romanis adhuc legitur, Colossus Commodi Ant. altitudo
cuius erat cubitûm tricenûm, ut adhuc marmoreum caput cum pedibus in con-
seruatorum manibus apparet.

COMMODVS VI. ET SEPTIMIANVS. CCXL 9 III

193. 945 In Commodi uita posuimus ueterem inscriptionem, pro eius memoria, in
monumento positam, qua VI. Cos. scribitur. Plures ipse Consules fecit, teste
Lampridio. Qui tradit uigintiquinque Coss. in unum annum ab eo creatos,
omnesque prouincias uenditas. Et Spartianus in Pescennio Nigro scribit: A Cō
modo denique Pescennius Consul declaratus, Seuero præpositus est, & quidem
irato, quòd primipilaribus commendantibus consulatum Niger mereretur.

APRONIANVS ET BRADVA II. 2. 12

194. 946 Sub id tempus, teste Eusebio, incendio Romæ facto, Palatium, & ædes Ve-
stæ, plurimaque urbis pars, solo æquantur. Vnde inquit Orosius libro septimo, ca
pite decimo: Flagitia regis pœna urbis insequitur. Nam fulmine Capitolium
ictum, ex quo facta inflammatio. Bibliothecam illam maiorum cura studioque
compositam, ædesque alias iuxtà sitas rapaci turbine concremauit. Deinde aliud
incendium postea Romæ ortum, ædem Vestæ & Palatium, plurimamque Vrbis
partem solo æquauit. Illud incendium inter prodigia, quæ ante obitum Cæsa-
ris Commodi euenerant, elegantissimè & latissimè Herodianus describit libro
primo. Vide illic & alia prodigia quoque, quorum & Lampridius meminit.

COMMODVS VII. ET PERTINAX. 3. 13

295. 947 Capitolinus in Pertinace scribit, Pertinacem, postquam Rhetias & Nori-
cum ab hostibus uindicarit, eminēte industria, studio Marci Imperatoris, Consu
lem esse designatum. Sed hunc consulatum absens gessit. Alius fuit hic consula-
tus. Vnde & illud quoque obseruandum, quod Spartianus in Didio Iuliano
scribit, his uerbis: Fuit Consul cum Pertinace, & in proconsulatu Africę eidem
successit, & semper ab eo collega est & successor appellatus: maximè eo die, cum
filiam suam Iulianus despondisset affini suo. Quod & Capitolinus inter prodi-
gia mortis Pertinacis enumerat.

His Coss. Commodus strangulatur in domo Vectiliani.

Idem Eusebius. Orosius libro septimo, capite decimo: Commodus, cunctis
incommodus, in domo Vectiliani strangulatus interijsse fertur, hostis huma-
ni generis etiam uiuus iudicatus. Eutropius libro octauo, capite septimo: Obijt
morte subita, adeò ut strāgulatus, uel ueneno interemptus putaretur, cum annis
duodecim post patrē & octo mensibus imperasset: execratione tanta omniū, ut
etiam hostis humani generis mortuus iudicaretur. Cæterùm acclamationes po-
puli Romani post eius interitum habitæ, copiose leguntur apud Lampridium,
ubi de eius morte plura. Sed pulchriora apud Herodianum de morte eius in-
uenies libro primo. Capitolinus in Pertinace: Commodus in Vectilianis occisus
est. Subiungit autem Cassiodorus:

Cui successit Aelius Pertinax, qui regnauit mensibus sex. Sub
quo fuerunt Coss. hi.

Orosius: Post hunc à Senatu creatus est senex Aelius Pertinax, decimussex-
tus ab Augusto, qui sexto mense quàm regnare cœperat Iulianus, iurisperiti sce
lere in Palatio occisus est. Iulianus interfecto Pertinace inuasit imperium. Sed

Olymp. Imp. Per. mox à Seuero apud pontem Miluium bello ciuili uictus & interfectus est, mense septimo postquam cœperat imperare. Ita in Pertinacem & Iulianum unus annus consumptus est. Idem Eutropius libro octauo, capite nono. Sed capite octauo Pertinacem octogesimo die imperij eum tradit occisum: Sex. Aurelius, octogesimoquinto die: quemadmodum & Capitolinus in Pertinace scribit. Imperauit mensibus duobus, diebus uigintiquinque: quod idem est. Sed notæ numerorum de uita Pertinacis sunt deprauatæ apud eundem Capitolinum. Inquit enim: Natus est Calendis Augustis, Vero & Bibulo Coss. Interfectus est quinto Calendas Aprilis, Falcone & Claro Coss. Vixit annis quadraginta, mensibus septem, diebus uigintisex. At si numerentur anni ab ijs Coss. qui fuerunt sub Hadriano, ad præsentes, erunt sexaginta & amplius anni, non quadraginta. cum & Aurelius Sextus annos natum scribat Pertinacem septem atque sexaginta, cum uulneribus Iuliani obtruncaretur.

CHRISTI Abur. con.

P. AELIVS PERTINAX IMP. XVI.

Huius uitam Capitolinus scripsit. Sed & Herodianus libro secundo Historiarum sui tẽporis. Orosius, Eutropius, Sextus Aurelius, Eusebius, & nos quoque ex ijs quædam excerpsimus.

FALCO ET CLARVS.

Falconis Consulis sic meminit Capitolinus in Pertinace: Pertinax nocte 198. 949 Imperator salutatus post laudes suas à Coss. dictas: & post uituperationem Commodi acclamationibus senatus ostensam, egit gratias Senatui, & præcipuè Læto præfecto prætorij, quo auctore & Commodus interemptus, & ipse imperator est factus. Sed cum Læto gratias egisset, Pertinax Falco Consul dixit: Qualis imperator es futurus, hinc intelligimus, quòd Lętum & Marcianum, ministros scelerum Commodi, post te uidemus. Cui Pertinax respondit: Iuuenis es Consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerunt inuiti Commodo: Sed ubi habuerunt facultatem, quod semper uoluerunt, ostenderunt. Iterum idem paulo pòst: Insidias parauit ei Falco, uolens imperare. De quo conquestus est in Senatu: quod quidem Senatus credidit, dum sibi quidam seruus, quasi Fabiæ esset filius, ex Ceionij Commodi familia, Palatinam domum ridiculè uindicasset, cognitus, iussus est flagellis cæsus domino restitui. In cuius uindictam hi qui oderant Pertinacem, occasionem seditionis inuenisse dicuntur. Falconi tamen pepercit, & à Senatu impunitatem eius petijt. Denique Falco in rebus suis securus uixit, & hærede filio, perijt.

His Coss. Pertinax occiditur in Palatio maior septuagenario.

Paulo antè de ætate Pertinacis ex Capitolino scripsimus, qui eum sexagenario maiorem tradit esse adeptum imperium. Sed Eutropius cum Cassiodoro scribit Pertinacem, cum septuagenariam attigisset ætatem, præfecturam tum Vrbis agentem ex S.C. imperare iussum. At Eusebius, quem aliàs sequitur plerunque Cassiodorus, hoc loco sic scribit, nulla facta mentione ętatis: Pertinax occidit in Palatio, Iuliani iurisperiti scelere, quem postea Seuerus apud Miluium pontem interfecit. Cæterùm quia Iulianus & Pertinax uix annum adimplerunt, ideo nullam de Didio Iuliano mentionem Cassiodorus facit.

Nã uno eodemque tẽpore teste Capitolino, post Pertinacem, qui autore Albino interemptus est,	Iulianus Septimius Seuerus Pescẽnius Niger Clodius Albinus	ab	Senatu Romæ exercitu in Syria militibus in oriente exercitu & Seuero Britãnico	Imperatores appellati sunt.

Sed inter Cæsares nostros de illis fit mentio.

Cui

Cui successit Seuerus, prouincia Tripolitana natus, oppido Lepti. Solusq; Afer imperator Romanus fuit. Qui regnauit annis decem & octo. Sub quo hi Coss. fuere.

Orosius libro septimo, capite undecimo: Anno ab Vrbe condita noningentesimo, quadragesimoquarto: Seuerus genere Afer, Tripolitanus, ab oppido Lepti, qui se ex nomine Imperatoris, quem occisum ultus fuerat, Pertinacem appellari uoluit, decimus & septimus ab Augusto, destitutum adeptus imperium, decem & sex annis tenuit. Hic natura sæuus, multis sæpe bellis lacessitus, fortissimè quidem Rempub. sed laboriosissimè rexit, & reliqua quæ sequuntur. Quæ penè cum his conueniunt, quæ Eutropius libro octauo, capite decimo scribit, ac Eusebius libro Temporum. Sed præter hos uidẽdus est Aurelius Sextus: tum Spartianus, qui eius uitam diligentissimè scripsit: Herodianus quoque libro secundo, ac tertio. E' quibus & nos uitam eius excerpsimus.

SEPTIMIVS SEVERVS IMP. XVII.

SEVERVS ET ALBINVS.

197. 949 CCX LIIII 1

Spartianus in uita Seueri scribit ipsum sub Commodo post accusationem absolutum, calumniatore in crucem acto: & consulatum cum Apuleio Ruffino primum egisse, Commodo se inter plurimos designante. Sed hunc consulatum in Casiodoro non inuenio: quemadmodum nec illum, de quo idem scribit, quòd filias suas dotatas maritis Probo & Aetio dederit, quos Coss. dehinc fecit. Cæterùm quis fuerit Albinus is, quæritur. Nam & Ceionius Albinus enumeratur à Spartiano inter senatores & consulares uiros à Seuero occisos: & Clodius Albinus, qui se in Britannia Cæsarem fecit. Verùm fuit ab eo occisus. De cuius uita Spartianus & Herodianus scripserunt multa. Sed totam eius uitæ seriem Capitolinus, qui sic de Clodij Albini consulatu scribit: Denique Seuerus eum Consulem designauit, quod utique nisi de optimo uiro non fecisset, homo in legendis magistratibus diligens. & paulo infrà: Consul à Seuero declaratus est eo tempore, quo illũ sibi parauerat Pescennio subrogare, cum ad imperiũ uenit. 2. 2

TERTVLLVS ET CLEMENS.

198. 950

3. 3

DEXTER ET PRISCVS.

199. 951

Spartianus in Seuero meminit Domitij Dextri, quem in locum Basi præfectum Vrbi reliquit. An is sit, ambigitur. 4. 4

LATERANVS ET RVFFINVS

200. 952

Memoratur à Spartiano inter occisos illustres uiros à Seuero & Memmius Ruffinus, si hic est. Laterani meminit Aurelius Sextus in Seuero. In uetustissima incerti autoris Chronica scribitur: His Coss. reuolutus est cyclus solaris. In epistolis Clemẽtis scribit̃ epistola Victoris ad episcopos Africanos, ubi in fine fit mẽtio horũ Coss. data cal. Septẽbris Laterano & Ruffino Coss. uiris clarissimis. CC LXV 5

SATVRNINVS ET GALLVS.

201. 953

Herodianus libro tertio meminit cuiusdam Saturnini tribuni, cuius opera Plautianus uoluit Seuerum & Antoninum Cæsares interficere, & ipse arripere imperiũ. Sed hic Tribunus detexit Seuero insidias, ut latissime ibi Herodianus explicat. Horũ Coss. fit mẽtio ab autore qui de Põtificibus scribit, in hæc uerba: Victor ann. IX. menses II. dies X à Consulatu Saturnini & Galli usq; Præsente & Extricato. Sed ad illum consulatum numerantur non IX, sed XIX anni. Licet Eusebius lib. Temporum Victori tribuat tantum annos X.

ANVLINVS ET FRONTO.

2. 6 Sextus Aurelius: Fuit Seuerus beneuolẽtia quò inclinasset mirabili ac perpetua, ad quærendũ diligens, ad largiendum liberalis, in amicos inimicosq́ pariter uehemens. quippe qui Lateranum, Chilonem, Anulinum, Bassum, cæterosq́ alios ditaret. Ignotus autor iterum Coss. uariat, si fides est habenda codici, quod uereor. Scribit enim hoc loco: Antoninus & Fronto. Sed fortè primum nomen ex uicinitate literarum est deprauatum, ut certo indicio coniectari potest. 202. 954

His Coss. Seuerus Parthos & Adiabenos superauit, Arabesq́ interiores ita cæcidit, ut regionem eorum Romanam prouinciam faceret. Ob quæ Parthicus, Arabicus & Adiabenicus cognominatus est.

Idem Eusebius libro Temporum. Eutropius libro octauo, capite decimo: Parthos, inquit, uicit, & Arabes interiores & Adiabenos, Arabasq́ superiores, ut etiam prouinciam ibi faceret. Iccirco Parthicus, Adiabenicus, & Arabicus est dictus. Sed quomodo regiones illas superauerit, uide Herodianum libro tertio. Spartianus: Fuit præterea delendarum cupidus factionum, propè à nullo cõgressu non uictor. Persarum regem Abagarem subegit, Arabas in deditionem accepit, Adiabenos in tributarios coegit.

3. 7 SEVERVS II. ET VICTORINVS.

Scribit Spartianus in Geta, Antonino Cæsare, natum esse Getam Seuero & Vitellio Coss. Mediolani sexto Calendas Iunias, ex Iulia. Cum autem nusquam illi Coss. reperiantur, & Geta in iuuentute à fratre Antonino Caracalla sit occisus, suspicor Spartiani codicem fortè deprauatum: & pro Vitellio, Victorinum esse scribendum. Dijudicent docti, & meliora afferant, si ista displicebunt. 203. 955

4. 8 FABIANVS ET MVTIANVS.

Ignotus autor scribit hoc loco, Tertullus & Clemens secundùm, siue ijdem sint, siue diuersi; qui tamen superius à Cassiodoro sunt positi, & fortasse ordo est peruersus. 204. 956

His Coss. thermæ Seuerianæ apud Antiochiam & Romæ factæ sunt, & Septizodium instructum est.

Idem Eusebius libro Temporum. Spartianus: Opera publica præcipuè eius extant, Septizodium & Thermæ Seuerianæ. Nonnulli Septisolium uocant, quod in uia Appia cernitur hodie pro templo diui Gregorij. Pomponius Lætus à septem zonis dictum putat. Spartianus dicit: Cum Septizonium faceret, nihil aliud cogitauit, quàm ut ex Africa uenientibus suum opus occurreret. fortè illud à septeno columnarum ordine est appellatum. Qui Septodium, à septem uijs cognominant, nescio si bene sentiant. Nam septisolium quid sit, planè ignoro.

CCXLVI 9 SEVERVS III. ET ANTONINVS.

Huius consulatus Spartianus sic meminit: Deinde cum Antiochiam transijsset, data uirili toga maiori filio, secum eum Consulem designauit: & statim in Syria inierunt. Sed ignotus autor habet hic Dexter II & Priscus II. 205. 957

2. 10 GETA ET PLAVTIANVS.

Geta hic fuit frater Seueri, qui & spem imperij cæperat. Sed ut hunc submoueret Seuerus, Bassianum filium & Aurelium Antoninum Cæsarem dixit. Plautianus uero fuit Seueri amicissimus: quamuis cũ eo in grauissimum odium uenerat, iterum reconciliatus. Cuius filiam uxorẽ dedit Bassiano filio. Sed postea cum occidit, teste Spartiano. Sed longiusculam de Plautiano historiam, quo pacto Seuero & Antonino Cæsaribus insidias struxerit, ut imperium arriperet, uide Herodianum diligentissimè rem omnem enarrantem. Reperi in uetustissimis 206. 958

stissimis Chronicis sine nomine autoris hæc uerba: His Coss. passæ sunt Perpetua & Felicitas Nonas Martias. Sed in alijs Chronicis sub Coss. alijs, Antonino scilicet & Geta, passas inueni, utrumque tempus annotaui. Diuus Hieronymus libro de Viris illustribus: Origenes, qui & Adamantius, decimo Seueri Pertinacis anno, aduersum Christianos persequutione commota, à Leonide patre, Christi martyrio coronato, cum sex fratribus, & matre uidua, pauper relinquitur, annos natus circiter decē & septem, &c. Sed de illo paulo inferius plura.

CHILO ET LIBO.

207. 959 Chilonis meminit Aurelius Sextus, ut paulo antè annotaui: & Lampridius 3. 11
in Commodo, sic scribens: Et cum iussu Pertinacis Liuius Laurensis, procurator patrimonij, Fabio Chiloni Cōsuli designato dedisset, per noctem Commodi cadauer sepultum est. Meminit Chilonis item & Lampridius in Caracalla, quòd in summum discrimen etiā Chilo iterum præfectus & Consul uenit, ob hoc, quòd concordiam inter fratres suaserat: & cum idem Chilo, sublata ueste senatoria, nudis pedibus, ab urbanis raptus esset, Antoninus seditionem compressit. Et Censorinus in libello de Die natali, (quāquam corruptè ibi scribātur nomina Coss.) inquit: Octauos ludos seculares fecit Imperator Septimius Seuerus, & Aurelius Antoninus Cæsar, Chilone & Libone Coss. anno tricentesimo sexagesimo septimo. Qui numerus penitus est corruptus & falsus. Sed meo iudicio sic castigandus, anno noningentesimo quinquagesimonono. Sæpe enim testatus sum, notas numerorum facile corrumpi. Sed subiungit Censorinus: Hinc animaduertere licet, neque post centum annos uti referuntur ludi, statutum esse seculum, neque post centum & decem. Quorum etiam si alterutrum retro fuisset obseruatum, non tamen satis id esset argumenti, quo quis his ludis secula discerni constāter affirmet. Hos ludos seculares & uidisse se memorat Herodianus, & Dion ætate sua factos, memorię prodidit. Herodianus in tertio sic scribit: Vidimus, inquit, sub illo quosdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, simulq́ue supplicationes & peruigilia ad formam Cereris initiorum: seculares hi tunc appellabantur, celebratos (ut aiunt) decurso trium spacio ætatum, siquidem Vrbe tota atque Italia præcones itabant conuocatum omnes ad ludos, quos nec uidissent hactenus, nec uisuri postmodum forent: ita scilicet interuallum præteritæ futuræq́ue celebritatis, supra omnem esse hominum ætatem significantes. Zosimus negat post Seuerum instauratos ludos seculares. Quoniam hic annorū centum & decem penè receptus authoritate ambitus in Consulatum Constantini Christiani Principis & Licinij, quem dein bello ipse uicit, incurrisset. Tamen Philippum legimus huiuscemodi ludum instaurasse, ut pòst uidebimus.

ANTONINVS II. ET GETA.

208. 960 Huius consulatus pariter mentio fit à Spartiano in Seuero. Inquit enim: Ge- 4. 12
tæ maiori filio togam uirilem dedit. Maiori Plautiani filiam uxorem iunxit. filios deinde Coss. designauit. Getam fratrem extulit. Obseruandum, quod Spartianus in Geta scribit: Septimius Seuerus quodam tempore, cum consuluisset ac petijsset, ut sibi indicaretur, quo esset successore moriturus, in somnis uidit Antoninum sibi successurum. Quare statim ad milites processit, & Basianum filium maiorem natu, M. Aurelium Antoninum appellauit. Quod cum fecisset, & à patricia cogitatione, uel ut quidam dicunt, à Iulia uxore commonitus, quę gnara erat somnij, quod memori filio hoc facto ipse interclusisset aditum imperandi, etiam Getam minorē filium, Antoninum uocari iussit. Itaque semper ab eo in epistolis familiaribus dictus est Antoninus, cum si fortè abesset, scriberet, Salutate Antoninos filios & successores meos. Sed nihil ualuit patris matrisq́ue cautio. Nā solus ille succesit, qui primus Antonini nomen accepit. In uetustissimis

Olymp. Imp. Seu. Chronicis incerti autoris legi, his Coss. passas esse Perpetuā & Felicitatem uirgines, Carthagine non. Martias sub Seuero Imperat. ut etiam superius annotaui. CHRISTI Ab ur. con.

CC- XLVII 13 ALBINVS ET AELIANVS. 209. 961

Ignotus author habet hoc loco, Albinus & Anulinus, uel si fortè Aemilianus esset scribendum. Nam & Spartianus inter occisos illustres uiros à Seuero, nominat Casperium Aemilianum. Meminit idem & cuiusdam Aemiliani, qui cum Nigro hostis iudicatus fuit, cuius & Herodianus mentionem facit. Cæterùm cur Albinus nomen hoc habuerit, Capitolinus in eius uita sic explicat: Albinus fuit Adrumetinus oriundus, sed nobilis in Africa inter suos, & originem à Romanis familijs trahens, Posthumiorum scilicet, & Albinorum Ceioniorum. natus parentibus sanctis, patre Ceionio Posthumio, matre Aurelia Messalina: cum exceptus utero, quòd cotra cõsuetudinem puerorum qui nascuntur, & solent rubere, esset candissimus, Albinus dictus est. Subiungit deinde epistolam patris ad Aelium Basianum, qua idem testatur.

2. 14 APER ET MAXIMVS. 210. 962

His Coss. Seuerus in Britannos bellum mouit: ubi ut receptas prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, uallum per centum triginta passuum millia à mari ad mare duxit.

Idem Eusebius libro Temporum, qui addit, Clodium Albinum, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, apud Lugdunum tunc interfectum. Orosius libro septimo, capite undecimo: Seuerus uictor in Britanniam defectu penè omnium sociorum trahitur. Vbi magnis grauibusq; prælijs sæpe gestis receptam partem insulæ à cæteris indomitis gentibus, uallo distinguendam putauit. Itaque magnam fossam, firmissimumq; uallum, crebris insuper turribus munitum, per centum triginta duo millia passuum à mari ad mare duxit. Idem Eutropius libro octauo, capite decimo. Spartianus in Seuero: Britanniam, quod maximum eius imperij decus est, muro per transuersam insulam ducto, utrinq; ad finem oceani muniuit. Vnde & Britannici nomen accepit. Quo pacto in Britannia pugnauit Seuerus, inprimisq; curam habuit pontibus occupare paludes (paludosa enim Britannia est) ut stare in tuto milites possent, atque in solido præliari. Herodianus eleganter circa finem tertij libri docet.

3. 15 ANTONINVS III. ET GETA II. 211. 963

Geta dictus est uel à patrui nomine, uel aui parui. Fuit autem Antoninus Geta etiam ob hoc ita dictus, quòd in animo habuit Seuerus, ut omnes deinceps principes, quemadmodum Augusti, ita etiam Antonini dicerentur: atque amore Marci, quem fuisse fratrem suum dicebat, & cuius philosophiam literarumq; institutionem semper imitatus est. Dicunt aliqui, non in Marci honorem tantum Antonini nomini delatum, cum id Marcus adoptiuus habuerit: sed in eius qui Pius cognominatus, Hadriani scilicet successoris: & quidem ob hoc, q Seuerū ille ad fisci aduocationem delegerat. Scribit præterea Spartianus in Geta, q natus sit Seuero & Vitellio Coss. Mediolani, Calēdis Iunijs, ex Iulia. Sed de ijs paulo superius quædam annotaui. Hoc tēpore feruntur claruisse Symmachus & Theodotion interpretes: & annū Iubileum à maioribus obseruatum.

4. 16 POMPEIANVS ET AVITVS. 212 964

His Coss. Tertullianus Afer Christianorum scriptor celeberrimus habetur.

Eusebius: Tertullianus Afer, centurionis procōsularis filius, omniū ecclesiarū sermone celebratur. Qualis hic uir fuerit, diuus Hieronymus in catalogo uirorū illustrium docet. Quem Cyprianus suū magistrū appellabat, nullum diem ab eius le-

ius lectione abstinendum existimans. Multa præclarſsima extant illius doctiſsimi hominis uolumina. Quæ nuper bene emendata à Beato Rhenano doctiſsimo uiro prodiere in lucem. CCXL- 17 VIII

FAVSTINVS ET RVFFINVS.

213. 965 Caſsiodori exemplar habuit, Fauſtinus & Ruffus: ſed ignotus autor habet pro Ruffo, Ruffinum. cui magis accedo. Nam & Spartianus inter illuſtres & conſulares uiros à Seuero occiſos nominat Memmium Ruffinum, licet illic etiã Iulius Ruffus & Clodius Ruffus enumerentur.

His Coſs. Origenes ſcriptor Alexandriæ ſtudijs eruditur.

Origenes filius Leonidis martyris, quæ in pueritia fecerit, quo pacto ſtudijs fuerit eruditus, & quomodo in Eccleſia claruerit, abũdè Euſebius docet in ſacra hiſtoria libro ſexto, capite ſecundo, tertio, quarto, quinto & ſexto. Quantum uerò ſtudium dederit ſcripturis diuinis, uide eiuſdem libri caput duodecimum, tredecimum, decimumquartum, & decimumquintum. Præterea, teſte Hieronymo in primo libro contra Ruffinum ad Pammachium & Marcellum, ſex libros Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, Arrianæ quondã ſignifer factionis, pro Origene ſcripſit, latiſsimum & elaboratum opus. Extat & Apologia Pamphili martyris pro Origene. Sed & Diuus Hieronymus in catalago uirorum illuſtrium multa de hoc clariſsimo uiro ſcribit. Gauiſus equidem nuper fueram, cũ congeſta uolumina Origenis impreſſa cernerem: ex quo epiſtola illa diui Hieronymi non extat, qua index librorũ continebatur Origenis. Sed cum uiderem etiam in illo uolumine pleraq; deceſſe Origenis, rurſus indolui. Si enim libros epiſtolarum haberemus Origenis, multas res geſtas huius ſeculi obuiam haberemus. Scripſit enim ad Philippum Cęſarem, & ad matrẽ, & alios pleroſq;, è quibus multa diſcere poſſemus. Noſtra ętate duo magni uiri digladiati ſunt propter Origenem, an ſaluatus ſit, an damnatus, Petrus Garſias, & Ioannes Picus Mirandulanus princeps. Vtriuſq; opus extat. Lege lector ſtudioſe.

GENTIANVS ET BASSVS. 2. 18

214. 966 Fuit etiam Baſſus præfectus Vrbi, ut Spartianus in Seuero ſcribit.

His Coſs. Seuerus Imperator Eboraci in Britannia moritur. Cui Antoninus Caracalla Seueri filius ſuccedit, qui regnauit annis ſeptẽ. Sub quo hi Conſules fuerunt.

Oroſius libro ſeptimo, capite undecimo: Anno ab Vrbe condita noningenteſimo, ſexageſimoſeptimo, Aurelius Antoninus Baſsianus, idem Caracalla, decimuſoctauus ab Auguſto principatum adeptus eſt, manſitq; in eo annis non plenis ſeptem, uixit uerò patre aſperior, omnibus libidine intemperãtior, qui etiam nouercã ſuã Iuliam uxorẽ duxit. Hic contra Parthos bellum moliens, inter Edeſſam & Carras circunuentus, occiſus eſt. Idẽ de eo Eutropius libro octauo, capite undecimo: Sextus Aurelius titulo uigeſimotertio: Spartianus uerò in uita Antonini, & Herodianus in quarto Hiſtoriarũ uberius omnia proſequũtur.

ANTONINVS CARACALLA AVG. IMP. XVIII.

DVO ASPARI. 3. 5

215. 967

216. 968 ANTONINVS IIII. ET BALBINVS. 4. 2

Fuit, arbitror, hic Balbinus, qui poſtea Imperator cũ Maximo & Gordiano imperauit, uetuſtiſsimæ familiæ, à Cornelio Balbo Theophane originẽ ducens, qui per Cn. Pompeium ciuitatẽ meruerat, cum eſſet ſuæ patriæ nobiliſsimus, idemq; hiſtorię ſcriptor. Cuius uitam, unà cum Maximi, tradidit poſteris Capitolinus,

Cara. linus, & adhuc extat. Sed fuit idem Balbinus iterum Cos. quod quærendum est. CHRI- Ab urb.
Cæterùm ignotus autor in hoc loco nō scribit Balbinus, sed Albinus secundùm. STI con.
cui plus credendum sit, hæsito.

CCXLIX 3 MESSALA ET SABINVS. 217. 969

De Sabino sic scribit Lampridius in Heliogabalo: Sabinum consularem uirum, ad quem Vlpianus scripsit, quòd in Vrbe remansisset, uocato centurione, mollioribus uerbis iusit occidi. Sed centurio aure surdior, imperari sibi credidit, ut Vrbe pelleretur: itaq; fecit. sic uitium centurionis, Sabino saluti fuit. Verùm ignotus autor hoc loco non habet Sabinum, sed Saturninum. De Sabino paulo inferius scribit.

His Coss. Antoninus Caracalla nominatur, propter genus uestis quod Romæ erogauerat.

Idem Eusebius libro Temporum ijsdem uerbis, sed addit: Et è contrario Caracallæ ex eius nomine dictæ sunt Antoninianæ. Spartianus in uita Caracallæ: Nomen accepit à uestimento, quod populo dederat, demisso usque ad talos, quod antè non fuerat. Vnde hodieq; Antoninianæ dicuntur Caracallæ huiusmodi, in usu maximè Romanæ plebis frequentatæ. Sextus Aurelius: Cum è Gallia uestem plurimam deuexisset, talaresq; caracallas fecisset, coegissetq; plebem ad se salutandum indutam talibus introire, de nomine huius uestis Caracalla cognominatus est.

2. 4 LAETVS ET CEREALIS. 218. 970

Arbitror de hoc Læto scribere Spartianum in Caracalla: Lætum ad mortem coegit, misso à se ueneno. Ipse enim inter suasores Getæ mortis primus fuerat, qui & primus interemptus est. Ipse mortem eius sæpissimè fleuit.

3. 5 SABINVS II. ET VENVSTVS. 219. 971

Autor ignotus habet, Sabinus & Anulinus. Fuit enim Sabinus, ut suprà diximus, uir consularis, ad quem scripsit Vlpianus quinquaginta & unum libros: qui filium reliquit Fabium Sabinum, uirum insignem, & qui Cato sui temporis diceretur, Alexandro principi percharum, teste Lampridio.

His Coss. Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificauit.

Idem Eusebius libro Temporum. Idem Eutropius libro octauo, capite undecimo: Opus Romæ egregium fecit lauacri thermarum, quæ Antoninianę appellantur. Spartianus in Caracalla: Opera Romæ reliquit thermas sui nominis eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse ulla imitatione qua facta est, fieri. Nam & ex ęre uel cupro, cancelli suppositi dicunt esse, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spacij, ut idipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Reliquit & porticum patris nomine, quæ gesta illius contineret, & triumphos, & bella. Viam nouam præterea muniuit, quæ est sub Thermis. Visuntur autem & hodie Antoninianæ semidirutæ è regione S. Sixti euntibus dextrorsum ad portam Capenam. Dicta est autem Solearis cella (ut id quoq; intelligas) in qua solia balneatoria asseruarentur.

4. 6 PRAESENS ET EXTRICATVS. 220 972

Horum Coss. mentio fit ab autore de Pontificibus in hæc uerba: Victor annos IX, menses II. dies X. Fuit temporibus Antonini à Cons. Saturnini & Galli usq; Præsente & Extricato. Sed illos Cassiodorus posuit superius à principio imperij Septimij Seueri Cæsaris: à quo cōsulatu numerantur in Præsentis & Extricati consulatū anni decem & nouem cū aliquot mensibus & diebus. & fortè scribendum erat in illo autore, XIX ann. non IX. Licet Eusebius interserat alium Pontificem Zepherinum, cui dat septendecim annos. Vtrumque tamen tradit XIIII fuisse.

ANTONI-

CHRI- Abur.
STI con.

ANTONINVS, ET ADVENTVS.

221. 973 Idem autor de Pontificibus horum Coss. sic meminit: Calixtus annos V. menses II. dies X. fuit tẽporibus Macrini & Heliogabali, à Cons. Antonini & Aduenti usque Antonino secundum, & Alexandro. Capitolinus in Gordianis tradit Gordianum seniorem consulatum gessisse splendidissimum & amplissimum. Sed primum consulatum, iniisse cum Antonino Caracalla, secundum cum Alexandro. Sed neutrius meminit Cassiodorus. Sed multa de consulatu Gordiani Capitolinus scribit. CCL 7.

His Coss. Antoninus interficitur inter Edessam & Carras, anno ætatis quadragesimotertio.

Idem Spartianus, idem Eutropius libro octauo, capite undecimo. Defunctus est in Osroena apud Edessam, moliens aduersus Parthos expeditionem, anno imperij sexto, mense secundo, uix egressus ætatis quadragesimumtertium annum. Funere publico elatus est. Eusebius ponit quadragintaquatuor annos ætatis, & sex annos imperij.

Cui successit Macrinus, præfecturam prætorianam gerens. Regnauit autem anno uno. Sub quo hi Coss. fuere.

Orosius libro septimo, capite undecimo: Post hunc decimusnonus ab Augusto, Opilius Macrinus, qui præfectus prætorio erat, cum filio Diadumeno inuasit imperium. Sed emenso anno continuo, apud Archelaidem militari tumultu occisus est. Eutropius libro octauo, capite duodecimo: Anno Vr. con. noningentesimo sexagesimonono, Opilius Macrinus, qui præfectus prætorio erat, cũ filio Diadumeno facti Imperatores, nihil memorabile ex temporis breuitate gesserunt. Nam imperium eorum duorum mensium & unius anni fuit: seditione militari ambo occisi. Aurelius Sextus titulo uigesimoquarto: Macrinus cum Diadumeno filio ab exercitu Imperatores creati, imperauerũt menses quatuordecim. Ab eodem exercitu obtruncantur, pro eo, quia Macrinus militarem luxuriam stipendiaq; confusiora comprimeret. Sed Herodianus libro quarto Historiarum in fine, & ab initio quinti, plura de Macrino. Capitolinus item & Lampridius multa de utrisq; scripserunt, alter patris, filij alter uitam enarrans. E quibus & nos quędam excerpsimus.

OPILIVS MACRINVS IMP. AVG. XIX.

222. 974 AOTONINVS II. ET SACERDOS. 2. 1

Hic est Antoninus Heliogabalus, qui pòst regnauit. Hoc enim satis constat, tam amabile fuisse illis temporibus nomen Antoninorum, ut qui eo nomine non uteretur, mereri non uideretur imperium, teste Spartiano. Vnde etiam quidam & Seuerum & Pertinacem & Iulianum, Antoninorum prænominibus honorandos putant. Vnde postea duos Gordianos, patrem & filium, Antoninos cognominatos putant. Sed aliud est, cum prænomen asciscitur: aliud, cum ipsum nomen imponitur. Immo pluris fecerunt nomen Antonini, quàm dei alicuius. Derisus ideo fuit Commodus, cum Hercules appellari uoluerat. Capitolinus in Macrino scribit: Sub Antonino Pio, cum apud Carthaginem sciscitaretur de imperio uates, Antonini nomen Augusti octies clara uoce edidisse. Quod cum crederent annis octo imperaturum Antoninum, quẽ tamen iterũ superauit, aliud designatũ postea inuenerunt: octo scilicet Antoninos Imperatores ènumero: Pius primus, Marcus secundus, Verus tertius, Commodus quartus, Caracalla quintus, Geta sextus, Diadumenus septimus, Heliogabalus octauus. Nec inter Antoninos referendi sunt duo Gordiani, aut qui prænomen

nomen tantū Gordianorū habuerunt: aut etiā Antonij dicti sunt, nō Antonini. Vnde subdit Capitolinus, quendā poetā uersus cecinisse, quibus ostenditur Antonini nomen cœpisse à Pio, & paulatim per Antoninos usq; ad sordes ultimas peruenisse. Siquidem Marcus nomen illud sanctum, uitæ genere auxisse uidetur, Verus autem degenerasse: Commodus uerò etiam posuisse sacrati nominis reuerentiam. Iam quid de Caracalla Antonino, quid de Diadumeno dici potest? Postremò quid etiam de Heliogabalo? qui Antoninorum ultimus, in summa impuritate uixisse memoratur. Sed plura de nomine Antonini uide apud Spartianum, Capitolinum, & Lampridium, qui in Heliogabalo id nomen usque adeò charum fuisse gentibus testantur, ut etiam parricida Basianus causa nominis amaretur.

His Coss. Macrinus occiditur in Archelaide. Cui successit M. Aurelius Antoninus, qui regnauit annis quatuor. Sub quo hi Coss. fuerunt.

Orosius libro septimo, capite undecimo: Anno ab Vrbe con. noningentesimo septuagesimo, M. Aurelius Antoninus, uigesimus ab Augusto, imperium adeptus, tenuit annis quatuor. Hic sacerdos Heliogabali templi, nullam sui, nisi stuprorum & flagitiorum, totiusq; obscœnitatis, infamem memoriam reliquit. Tumultu autem militari exorto, Romæ cum matre interfectus est. Eadem Eutropius libro octauo, capite tredecimo. De hoc multa Sextus Aurelius, Lampridius, Herodianus in quinto: qui tamen, si ex fide translatus est, scribit sexennium imperio præfuisse Antoninum.

ANTONINVS HELIOGABALVS

IMP. XX.

3. 1 ANTONINVS III. ET COMAZON. 223 975

Ignotus autor habet in hoc loco, Antoninus septimùm, & Gomazon.

4. 2 GRATVS ET SELEVCVS. 224 976

His Coss. Heliogabalo templum Romæ ædificatur.

Idem Eusebius libro Temporū, & cæteri. Sed Lampridius in uita eius sic scribit: Opera publica ipsius, preter ædem Heliogabali dei, quem Solem alij, alij Iouem dicunt, & amphitheatri instauratio post exustionem, & lauacrum in uico Sulpitio, quod Antoninus Seueri filius cœperat, nulla extant, & lauacrum, quod Antoninus Caracalla dedicauerat, & lauando, & populum admittendo. Sed porticus defuerant, quæ postea ob hoc sub Decio Antonino extructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ. Cæterùm ut intelligas, qualis sit ille deus Heliogabalus, ex quinto libro Herodiani uerba quædam subscribam, unde intelliges: quandoquidem apud neminem alium reperi. Indigenæ Solem colunt, Phœnicum lingua Heliogabalum uocitantes: templumq; illi maximum constructum habent, auro argentoq; plurimo, ac lapidum eleganti magnificentia exornatū. Neq; solum indigenæ deum illum uenerantur, sed uicini quoq; satrapæ, regesq; barbari, certatim quotannis splendida offerunt munera. Simulacrum uerò nullum, græco aut Romano more manu factum ad eius dei similitudinem: sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam iactant cœlitùs decidisse. Eminent in lapide quædam, formæq; nonnullæ uisuntur: ac Solis imaginem illam esse affirmant, minimè artificio humano esse factam. Anienus ex Dionysio Afro urbem Emessam cum templo sic describit:

Et qua Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fouent, Emesus fastigia celsa renident.

Nam

CHRI-STI Ab urbe con.

Nam diffusa latus latè explicat, ac subit auras
Turribus in cœlum nitentibus: incola claris
Cor studijs acuit. Sed & amplius imbuit ordo.
Deniq; flammicomo deuoti pectore soli
Vitam agitant.

ALEXANDER ET AVGVSTVS. CCLI 3

225. 977 Incertus autor habet hoc loco, Antoninum quartùm & Alexandrum: quod idem est. fuerunt autem consobrini. Nam, ut Herodianus scribit, Mœsa Phœnissa mulier, ab Emesa urbe Phœniciæ, soror fuerat Iuliæ coniugis Seueri, & matris Antonini Basiani, quæ grandi pecunia abundabat: utpote longissimo tempore inter principalem potentiam enutrita. Reuersa igitur anus, domi agitabat. Erāt ei filiæ duæ, quarum natu maior Soænis, minor Mammea uocabatur. Illi filius Basianus, huic Alexianus: amboq; sub matribus, auiaq; educabantur. & quidē Basianus annos natus erat circiter quatuordecim, Alexianus autem decimum iam annum attigerat. sacerdotes ambo Solis. Auia igitur, facta militibus largitione, tantū effecit, ut Basianus, qui postea Heliogabalus dictus est, Imperator fieret, Macrino occiso. Cum uerò ille imperium adeptus, aurigaret, saltaret, suaq; uitia ne latêre quidem pateretur, sed pictis oculis genisq; purpurissatis, ut mulier in publicum prodiret, in odium uenit militum. Mulier itaq; Mœsa timens hoc quod accidit, interim Heliogabalum à militibus, ne priuata degeret, curauit ex altera filiarū nepotem, Mammea scilicet progenitum, à militibus in Imperatorem substitui. Vt autem illud effectum daret, conata est persuadere Heliogabalo, ut illum adoptaret. Quo facto, Alexianus Alexander appellatus, ac Cæsar delaratus, Consul factus est cum Antonino, senatu scilicet per ridiculum decernente, quod ille uoluerat, hoc est, uideri ipsum patrem, qui natus annos foret circiter quatuordecim: Alexandrū uerò filiū, qui tantū duodecimū attigisset. Sed quo pacto postea pœnituerit adoptiōis, & quales insidias, ut eum necaret, machinatus sit, latissimè Lampridius docet, prœter Herodianū.

His Coss. in Palæstina Nicopolis, quæ prius Emaus uocabatur, urbs condita est.

Eusebius libro Temporum: In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emaus uocabatur, urbs condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Iulio Africano, scriptore temporum. Hæc est Emaus, quam Dominus post resurrectionem suo ingressu, sicut Lucas narrat, sanctificare dignatus est. Historia Tripartita libro sexto, capite quadragesimosecundo: Est ciuitas Palęstinæ, Nicopolis nomine: hanc, dum uicus adhuc esset Emaus, sacer Euangeliorum liber appellat. Quam Romani post uastationem Hierosolymorum, Iudæamq; uictoriā, Nicopolim ex euentu uictoriæ uocauerūt. Ante hanc urbem triuio, ubi Christus cum Cleopha post resurrectionem noscitur ambulasse tanquam ad alium uicum, fons mirus quidam est salutaris, in quo pasiones hominum diluuntur, & alia pariter animalia diuersis detenta languoribus emundantur. Quod ut ita contingat, traditur, ex quodam itinere apparuisse Christum ad fontem cum discipulis suis, & lauisse pedes: ex quo est aqua facta diuersarum medicabilis pasionum.

MAXIMVS ET AELIANVS. 2 4.

226. 798 Horum Coss. sic facit mentionem autor de Pontificibus: Vrbanus ann. VIII. menses XI. dies XII. fuit temporibus Alexandri à Consul. Maximi & Aeliani usq; Agricola & Clementino. Meminit Iulius Capitolinus in uita Maximi & Balbini Imperatorum Celsi Aeliani in epistola congratulatoria de morte Maximini: qui cum fuit V.C. sine dubio prius gesserat consulatum. Coss. enim is dabatur titulus, ut dicerentur Viri clarissimi, ut liquet ex omnibus ueteribus historicis.

Q His

His Coss. M. Aurelius Antoninus Romæ occiditur tumultu militari. Cui successit Alexander, Mammeæ filius, qui regnauit annis tredecim. sub quo hi Coss. fuerunt.

Orosius libro septimo, capite undecimo: Anno ab Vrbe condita noningentesimo septuagesimoquarto, Aurelius Alexãder, uigesimusprimus ab Augusto, Senatus ac militũ uoluntate creatus Imperator, XIII annis dignus equitatus prçconio fuit. Cuius mater Mãmea Christiana Origenẽ presbyterum audire curauit. Nã statim expeditione in Persas facta, Xerxem regẽ eorũ maximo bello uictor oppressit. Vlpiano usus assessore, summã sui moderationem Reipub. exhibuit. Sed militari tumultu apud Moguntiacũ interfectus est. Eadem Eutropius libro octauo, capite tredecimo, ac ultimo. adi Sextum Aurelium titulo uicesimosexto. Copiosissimè autem Lampridius Alexandri uitam describit: & res gestas Alexandri Herodianus libro sexto.

ALEXANDER IMP. XXI.

3. 1 IVLIANVS ET CRISPINVS. 227. 979

Crispini uiri consularis mentio fit ab Herodiano in octauo Historiarum libro: qui cũ Menephilo à Senatu fuit deputatus in Aquileia, ut urbẽ contra incursum Maximini custodiret. Sed ignotus autor alterum Consulẽ Crispũ appellat.

His Coss. Alexander Xerxem regem Persarum uicit.

Idem Eusebius libro Temporum, qui tamen addit hæc uerba: Et disciplinæ militaris tam seuerus corrector fuit, ut quasdã tumultuãtes legiones integras exauctorauerit. Eutropius libro octauo, capite tredecimo: Suscepto aduersus Persas bello, Xerxem eorũ regem gloriosissimè uicit, militarẽ disciplinã seuerissimè rexit, quasdam tumultuantes legiones integras exauctorauit. Lampridius hæc omnia in Alexandro copiosissimè: sed regem Artaxerxem nominat, quẽ Herodianus libro sexto Historiarũ Artaxacen appellat: scribitq;, Alexandrum potius ab eo rege uictũ esse, ꝙ uictorẽ fuisse, eiusq; exercitũ, morbo, ferro, frigore perijsse. Quod tamen cæteri omnes negant, inprimisq; Lãpridius. Vterq; autẽ multa satis de eius seueritate in milites. Herodianus autem (id quod operçpreciũ duxi annotandum) tradit Alexandrum, cum iam sine querela cuiuspiam tredecim annos regnasset (nam tribuit eius imperio quatuordecim annos, quos dicit citra sanguinẽ, ne uno quidẽ occiso, gubernasse) allatas è Syria literas, quibus Artaxacen hostẽ intellexerat, expeditionẽ in Parthos sumpsisse, cũ tamen nullũ certũ tẽpus describat Lãpridius, sicut hoc loco facit Cassiodorus. Videnda est omnino apud Lampridium concio militaris, qua Alexander Seuerus milites castigat.

4. 2 FVSCVS ET DEXTER. 228. 980

Ignotus autor hos omnes & sequentes Coss. usq; ad Modestum & Probum uariat. hoc enim loco scribitur, Faustinus & Maximus.

CCLII ALEXANDER II. ET MARCELLVS. 229. 981

Lampridius inter familiares & amicos Alexandri enumerat Catilium Seuerum, cognatum eius, uirum omniũ doctissimum: Aelium Serenianũ, omnium uirum sanctissimum: Quintilium Caium Marcellum, quo meliorem ne historię quidem continent. Hunc credo ibi designari Marcellum. Ignotus autor scribit hoc loco, Alexander & Dexter.

2. 4 ANNIANVS ET MAXIMVS. 230. 982

Hoc in loco apud ignotum autorem scribitur, Albinianus & Maximus.

His Coss. Vlpianus iurisconsultus assessor Alexandri in[illegible]mus habetur.

Idem Eusebius, Eutropius atq; Orosius. Sed & Lāpridius multa de hoc Vlpia-
no scribit. Nam in Heliogabalo inquit: Remouit & Vlpianū iurisconsultum, ut
bonum uirum: & Siluinum rhetorem, quē magistrum Cæsaris fecerat. & Silui-
nus quidem occisus est, Vlpianus uerò reseruatus. In Alexandri uerò uita scri-
bit: Vlpianū pro tutore habuit: primùm repugnante matre, deinde gratias agen-
te: quē sæpe à militū ira, obiectu purpurę summę defendit. atq; ideo summus Im-
perator fuit, ꝙ eius consilijs pręcipuè Rempub. rexit. Vnde paulopòst idē subiun-
git: Negotia & causas prius à scriniorū principibus & doctissimis iurisperitis &
sibi fidelibus (quorū tūc primus Vlpianus fuit) tractari ordinariéq;, atq; ita referri
ad se præcepit. Paulo infra: Paulū & Vlpianum in magno honore habuit. Quos
præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos, alij ab ipso. qui ambo gręco uerbo
Coryphæi dicuntur, id est principes, assessores Papiniani in præfectura. Nam &
consiliarius Alexandri, & magister scrinij, Vlpianus fuisse perhibetur. Cum A-
lexander inter suos conuiuaretur, aut Vlpianū, aut doctos homines adhibebat,
ut haberet fabulas literatas, quibus se recreari dicebat & pasci. Fuit enim Do-
mitius Vlpianus & iuris & doctrinæ multijugæ eruditissimus, natione Tyrius,
ut ipse de colonijs agens, prodidit: quemadmodum Papinianus, iuris asylum, iu-
reconsultorum celeberrimus (à quo iuris auditores quandoq; Papinianistæ sunt
dicti) Serbidij Scæuolæ discipulus, Seuero Imperatori, non propter affinitatem
tantum, sed ob uirtutem inprimis charus. Cui etiam moriens uni filios commen
dauit. Sed ut reuertar ad Vlpianum, require lector apud Lampridium in fine ui-
tæ Alexandri, quales Imperator assessores consiliarios ac iuris doctissimos ha-
buerit, quibus & salaria statuit, & ab ijs optimus Imperator euasit. Fuit autē Vl-
pianus à Christi religione alienus, deosq; ethnicorū coluit. Nam ea tempestate
nondum recepta erat Christi fides. Ideo non mirum, si nostram fidem, supersti-
tionem Iudaicam appellauit, quoniā primùm in Iudæa Christiani fuerāt. l. gene
raliter s. fi. ff. de Decurionibus. Quod & Tacitus, eloquentissimus quidem, sed
impijssimus autor, Plinius Cæcilius, Suetonius & Quintilianus faciunt.

ALBINVS ET MAXIMVS. 3. 5

231. 983 Prioris anni Coss. autor ignotus non ponit, ut scripsi: sed hos arbitror negli-
gentia scriptoris obmissos. Sed in Cassiodori reperio exemplari. Sed ab eo po-
nuntur in hoc loco Fuscus & Marcellus, adeò ꝙ Consulum nomina omnia in-
ueniuntur, sed uariata, ut annotaui.

His Coss. Neronianæ thermæ Alexandrinæ uocatæ sunt.

De thermis sic scribit Lampridius: Braccariorum, linteonum, uitreariorū, pel
lionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & cæterarum artium uecti-
gal pulcherrimum instituit. Ex eoq; iussit thermas & quas ipse fundauerat & su-
periores, populi usibus exhiberi. syluas etiam in thermis publicis deputauit. addi
dit & oleum luminibus thermarum, cum antea non ante auroram paterent, &
ante solis occasum clauderentur. Opera etiam ueterum principum instaurauit.
Ipse noua multa constituit. In his thermas nominis sui iuxta eas, quæ Neronia-
næ fuerunt, aqua inducta quæ Alexandrina nunc dicitur. Nemus thermis suis
de priuatis ædibus suis quas emerat, diruptis ędificijs, fecit. His thermis & uete-
rum, ut idem testatur Lampridius, frequenter cum populo usus est. Vestigia ha-
rum hodie cernuntur apud Ecclesiam S. Eustachij in Vrbe.

MODESTVS ET PROBVS. 4. 6

232. 984 Horū Coss. mentionē reperi in quodā pulcherrimo saxo Budæ, cū essem in le
gatione Cæsaris Maximiliani ad Vladislaū rege Hungariæ, in domo thesaura-
rij, quæ est è regione templi S. Georgij. in eo sic scriptum legitur:

SCHOLA SPECVLATORVM LEGIONVM I. ET II. ADIVTRICIVM,
PIARVM FIDELIVM SEVERIANAR. REFECTA PER EOSDEM:

Alex. QVORVM NOMINA INFRA SCRIPTA SVNT: DEDICANTE FL. AELIANO LEG. AVG. PR. PR. CAL. OCTOB. MODESTO ET PROBO COSS. CHRISTI

AEL. OPTATVS AEL. CANDIDVS MARC. SABINIANVS. IV SECVNDANVS IVL. EMERITVS. CASS. FVSCIANVS. IVL. PROBINIS. AEL. VRBANVS RVB. MARTINVS VAL. FESTVS. IVL. ALEXANDER. FL. EMERITVS. VA. CLEMENTINVS IVL. PRISCIANVS VERISSIMVS IVL. INGENVVS. IVL. CELERINVS. IVN. ADIVTOR. AVR. LVPVS EL. CELSINVS CVRANTE AVR. PE. K II. N. ACT. FRVMENTARIO.

Sed ut intelligas hic de schola, scito, scholā militū dici, ut Vegetius autor est, sicut schola literarū, à græco σχολη, id est ab ocio. Meminit & Cicero in Tuscul. prima: & Seuerus Sulpitius in uita S. Martini. Vnde scholares, militantes in sacro Palatio dicunt. Titulus est in C. de Priuilegijs scholarū, ubi hæ intelligendæ sunt scholæ. Extat elegantissima oratio Eumenij de instaurandis scholis, qui sub Constantio floruit. Ausonius Scholā à uacatione dici sentit, & laxamento quod pueris dandū est: Grato schola nomine dicta est, Iusta laboriferis tribuantur ut ocia Musis Sed neq; prætereundū est, quæ sit Adiutrix legio. Cuius & iureconsultus meminit de Castrensi peculio: ubi Accursius multū se torquet. Est autē Adiutricis legionis cognomen, cuius mētio fit in Plutarcho, in uita Othonis. Cor. Tacito, & ceteris. Hoc enim legioni Othonianæ nomen erat, quę cū Rapace Vitellij conseruit manus. Mutabantur tamen plerunq; hæc nomina. Nam Spartianus in Adriano primam legionem appellat Mineruam, & secundam quoq; Adiutricem dictam, ostendunt antiquæ inscriptiones.

CCLIII 7

ALEXANDER III. DION. 233. 985

Huius consulatus sic meminit Lampridius in Alexādro: Consulatum ter inijt tantū ordinarium, ac primo nundino sibi alios semper suffecit. Vnde paulo pòst, duplices olim fuisse Consules insinuās, inquit: Coss. quoscunq; uel ordinarios uel suffectos creauit, ex Senatus sententia nominauit, sumptum eorum contrahens. Ignotus tamen autor habet pro Dione, Dionysium hoc loco Consulē. In uetusto codice annalium lego hic, Anno dicto CCXXXIII. passos VRBANVM papam, Cæciliam uirginem, Tiburtium & Valerianum.

2. 8

GRATVS ET SELEVCVS. 234. 986

Hi Coss. superius in Heliogabalo fuerūt etiā à Casiodoro positi. Suspicandū est inesse errorē Casiodoro. Nā ignotus autor hos non habet: sed eorū loco ponit, Agricolā & Clemētinū seu Clemētē, quod obseruādū est. Et autor in libello Pōtificum sic scribit, ut suprà scripsimus, Vrbanus ann. VIII menses XI. dies XII. fuit tēporibus Alexādri à Cōs. Maximi & Aeliani usq; Agricola & Clemētino.

His Coss. Origenes Alexandriæ clarus habetur.

De hoc Eusebius & lib. Temporū, & in Sacra historia libro sexto, capite decimooctauo, & uigesimosecundo. & superius etiā mentio Origenis facta est. Fuit autem Origenes tam præcellentis ingenij & doctrinæ, ut septē notarij sibi inuicem succedentes homini uix sufficerent. Liberarios habuit totidē, & puellas apprimè eruditas, quos omnes ingenij copiā & ubertatē effundēdo defatigabat. Ab Antiochia uerò accersitus Romā à Māmea Alexandri matre, in quā unicè pius filius fuit, in precio habitus est. Mulierem Christianam fidē edoctam relinquens, Antiochiam redijt. Videndus est Hieronymus de Viris illustribus.

3. 9

POMPEIANVS ET FELICIANVS. 235. 987

Ignotus autor, ubi scriptū est Felicianus, ponit Pelignianus. Facilis error literarū lapsu coeuntiū. Sed puto Pelignianū legendum. Nā & autor ille incertus qui Pōtifices describit, sic habet: Pōtianus ann. V. M. III. D. VII. fuit temporibus Ale-

CHRI- Ab ur. xandri à Conſ. Pompeiani & Pelígniani. Eo tempore Pontianus epiſcopus, &
STI con. Hippolytus presbyter exules ſunt deportati in inſulam nociuam Sardiniam, Seuero & Quintino Coſs. In eadem inſula diſcinctus eſt IIII. Cal. Octobris, & loco eius ordinatus eſt Anteros XI. Cal. Decem. 4. 10

LVPVS ET MAXIMVS.

236. 988 Autor ignotus hoc loco ſcribit, Lupulus & Maximus.

His Coſs. Alexander in matrem Mammeam unicè pius fuit, ob hoc cunctis amabilis.

Idem Euſebius, Eutropius, & Oroſius. Herodianus libro ſexto ſic de ea ſcribit: Mater illi ſupra modũ imperitabat, ac dicto audientẽ ſemper habebat: ut hoc tamen reprehendi in Alexandro poſsit, ꝙ mãſuetudine nimia & reuerentia maiore ꝙ̃ oportuit, etiã cõtra animi ſui ſententiã, matri obſequeretur. Erat enim pecuniæ auidior, & opum cumulandarũ ſtudioſior uidebat̃. Etenim cum ſimularet ideo ſe theſauros congerere Mãmea, ut ſuppeditare Alexandro poſſet, ꝙ is facile abũdãterꝙ́ ſuis largiret̃ militibus, ꝓprios domi theſauros extruebat. Quę res Imperatori notã infamię attulit, ꝙ illo ſcilicet inuito, atꝙ́ indignabundo etiã, mulier auida, per fraudẽ bona quorũdã atꝙ́ hæreditates ſuppilabat. Lãpridius in Alexãdro: Cum puer ad imperiũ perueniſſet, fecit cuncta cũ matre, ut & illa uidere t̃ pariter imperare: mulier ſancta, ſed auara, auri atꝙ́ argẽti cupida. Idẽ paulopòſt: In matrẽ Mammeã unicè pius fuit: ita ut Romæ in Palatio faceret diætas nominis Mammeæ, quas imperitum uulgus hodie ad Mammã uocant. Sed Euſebius in Sacra hiſtoria libro ſexto, capite ſedecimo, ſic de Mãmea ſcribit: Alexandri uerò Imperatoris mater Mãmea nomine, de raris religioſa fœmina, cũ de Origene fama magnifica ubiꝙ́ & celeberrima haberetur, ita ut ne principum quidẽ latêret aures, cõperta opinione uiri, ſummo niſu geſtire cœpit, quatenus ſibi eius pręſentia fieret, ut in literis, in ſermone, in fide, in prudentia, omniꝙ́ doctrina, quã cunctis in admiratione eſſe cernebat, per ſemetipſam ſumeret documẽta. Igitur Antiochiã urbẽ, ubi per idẽ tẽpus degebat, miſsis militarib. uiris cũ omni honore & ſupplicatione, ad ſe, tanꝙ̃ uerè diuini uerbi interpretẽ famulumꝙ́ Dei, orat ueníre. Quò cũ ueniſſet, & quãtum oportebat operis expleſſet, ac cæteris omnibus rítè peractis, quæ ad uerbum Dei & gloriã Domini ſpectãt, ſtabileſꝙ́ ac firmos in fide quos inſtruxerat derelinquens, præſentia ꝙ̃ fama longè clarior factus, ad proprias ſcholas Alexandriã rediјt. Hęc Euſebius. Neꝙ́ enim id mirandum in Mãmea, cũ & Alexãder Imperator Chriſtianos diligeret, reſcripſiſſetꝙ́ olim popinarijs, melius eſſe ut quocunque in loco quem illi occupabant Deus colatur, quàm ut popinarijs dedatur. Quinimo & in larario ſuo cum cæteris dijs Chriſtum quoque poſuit, ut latè Lampridius docet. CCL- 11

MAXIMVS ET PATERNVS. IIII

237. 989 Ignotus autor habet in hoc loco, Maximus II. & Paternus. 2. 12

MAXIMVS II. ET VRBANVS.

238. 990 Hoc quoꝙ́ loco ignotus autor ſcribit, Maximus III. & Vrbanus. Fortè hic eſt Maximus, qui à Senatu poſtea cum Balbino Imperator fuit. Cuius uitã diligenter perſcripſit Iulius Capitolinus. 3 13

SEVERVS ET QVINTILIANVS.

239. 991 Hos ignotus autor Coſs. non ponit. Sed poſt ſuperiores ſubiungit, Maximus IIII & Africanus, quos inferius aſsignaui, ſiue ſint hi omiſsi negligentia ſcriptoris, ſiue aliàs non ponat. licet autor ille de Pontificibus hos ſcribat, ut paulo antè annotauimus, Seuerũ ſcilicet & Quintinũ: ſub quibus occiſum ſcribit Pontianũ epiſcopum. In epiſtola catholica apud Clementem horum conſulum fit mentio in hæc uerba, Data Cal. Maij Seuero & Luciano Coſſ.

His Coſs. Alexander occiditur Moguntiaci tumultu militari.

Max. Quomodo bello Germanico occisus sit Alexander, elegãtißimè & copiosißimè Herodianus in fine sexti Historiarũ scribit. Cuius uerba nõ grauarer subscribere, nisi timerẽ ne fastidiũ pareret. Lãpridius quoq; omnino uidẽdus est, qui omnia, & causam mortis, latè prosequit. Herodianus quatuordecim annos eius imperio attribuit: Et nisi, inquit, filiũ mater auara infamasset, nihil planè desiderari in illius gubernatiõe imperij potuisset: ita cædibus & crudelitate abhorruit. CHRISTI

Cui succeßit Maximinus, regnans annis tribus, primus omnium ex corpore militari, sine Senatus autoritate Imperator electus. Sub quo hi Coss. fuerunt.

Orosius libro septimo, capite duodecimo: Anno ab Vrbe cõdita noningentesimo octogesimoseptimo, Maximinus, uigesimussecundus ab Augusto, nulla Senatus uoluntate, Imperator ab exercitu, postq; bellum in Germania prosperè gesserat, creatus. Persequutionẽ in Christianos, sextus à Nerone, exercuit. Sed cõtinuò, hoc est tertio q; regnabat anno, à Pupieno Aquileiæ interfectus, & persequutionis & uitæ finem fecit. Qui maximè propter Christianã Alexandri, cui successerat, & Mammeæ matris eius familiã, persequutionem in sacerdotes & clericos, id est doctores, uel præcipuè propter Origenẽ presbyterũ miserat. Eusebius quoq; libro sexto Historiæ sacræ, capite uigesimo, persequutionis à Maximino factæ meminit. Eutropius libro nono, capite primo: Maximinus ex consortio militari primus ad imperiũ accesit, sola militum uoluntate, cum nulla Senatus intercessisset auctoritas, neq; ipse Senator esset. Is bello aduersus Germanos feliciter gesto, cum à militibus esset Imperator appellatus, à Pupieno Aquileiæ est occisus, deserentibus eum militibus suis, cum filio adhuc puero, cum quo imperauerat triennio, & paucis diebus. Sextus Aurelius titulo uigesimo septimo: Iulius Maximinus Thrax ex militaribus imperauit annis tribus. Is dũ persequitur pecuniosos insontes pariter, noxiosq;, apud seditionẽ militum discerptus est unà cum filio, clamantibus cunctis militari ioco, Ex peßimo genere ne catulum habendum. Sed Capitolinus latißimè patris & filij uitam complexus est: & Herodianus libro septimo Historiarum, & octauo, è quibus & nos quædam excerpsimus in catalogo nostro.

MAXIMINVS AVG. IMP. XXII.

MAXIMINVS ET AFRICANVS. 240. 992

Apud ignotum autorem scribitur hoc loco, Maximus & Africanus. Et qui describit Pontifices, sic habet: Anteros mensem I. dies X. Dormit III. Nonas Ian. Maximo & Africano Coss. Et pòst subiungit: Fabianus annos XIIII. mensem I. dies X. fuit temporibus Maximini & Gordiani ac Philippi à Cons. Maximini & Africani usque Decio II. & Grato. Passus XII. Cal. Feb. Hic regiones diu isit diaconis, & multas fabricas per cœmeteria fieri iußit. Post paßionem eius Moses & Maximus presbyteri, & Nicostratus diaconus, comprehensi sunt, & in carcerem missi. Eo tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit de Ecclesia Nouatianum, & quosdam confessores, postquam Moses defunctus est in carcere, qui fuit ibi menses XI. dies XI.

PERPETVVS ET CORNELIANVS. 241. 993

CCLV 3 Ignotus autor habet hoc loco Perpetuum & Cornelium.

PIVS ET PROCVLVS. 242. 994

Inuenio & alios Coss. sub Maximino, qui siue suffecti fuerint, siue ordinarij, non ponuntur à Caßiodoro. Herodianus in septimo describit magnũ quendam patricium & consularẽ uirũ, qui delatus Imperatori, quasi manum cõtra ipsum compararet, ut imperium arriperet, à Maximino cæsum. Meminit idem eodem libro & Albini bis Consulis, & Gallicani Cõsulis, qui superius etiam sunt scripti à Caßiodoro.

CHRISTI Abur. con.

à Cassiodoro. Sed & Capitolinus in Maximino Iulij Sillani Consulis & Crispini meminit: ponitque epistolam congratulatoriam Claudij Iuliani de morte Maximini, in uita Maximi ac Balbini. Hoc uerò loco ponuntur in ignoto autore Pius & Pontianus, siue ij dem sint illi, & hæc eorum cognomina, siue diuersi. Aliqui etiam habent Vlpium & Pontianum, quasi dicti fuissent ij Coss. Vlpius & Proculus Pontianus. Autores enim sumunt diuersa nomina quandoque, cum tamen res eædem sint. Licet posteris sit illud difficile iudicare, quibus non sunt nomina & cognomina tam prompta, ut illa tempestate fuerant. Cæterùm per hoc intelligitur difficilimus locus Censorini libello de Die natali in capite decimosexto, ubi de annis Romanis agit, qui hactenus à paucissimis erat intellectus, quòd etiam nonnullæ mendę sunt & defectus quorundam uerborum in eo loco. Ideo non grauabor ea omnia subscribere. Candide lector boni consulas, & benignè quæso interpreteris. Vbi enim Censorinus ex Varrone tria discrimina temporum distinguit, mox ita subiungit: Sed hoc, inquit, quodcunque caliginis Varro discussit, & pro certa sua sagacitate nunc diuersarum ciuitatum conferens tempora, nunc defectus eorumque interualla retrò dinumerans, eruit uerum, lucemque ostendit, per quam numerus certus non annorum modò, sed & dierum perspici possit. Secundum quam rationem, nisi fallor, hic annus, cuius uelut index & titulus quidam est Pij & Pontiani consulatus, ab Olympiade prima millesimus est & decimusquartus, ex diebus duntaxat æstiuis, quibus agon Olympicus celebratur. A' Roma autem condita, nongentesimus nonagesimusprimus: & quidem ex Palilibus, unde Vrbis anni numerātur. Eorum uerò annorum, quibus Iuliānis nomen est, ducentesimus octogesimustertius: sed ex die Cal. Ianuarij, unde Iulius Cæsar anni à se constituti fecit principium. At eorum qui uocantur anni Augustani, ducentesimus sexagesimusquintus, perinde à Calendis Ianuarijs. quamuis & ante diem XVI. Cal. Feb. Iulij Cæsaris Diui filius, Imperator Augustus, sententia Munatij Planci, à Senatu cæterisque ciuibus est appellatus septimùm & M. Viscano Agrippa Coss. Sed Aegyptij, quòd biennio antè in potestatem ditionemque po. Ro. uenerunt, habent Augustanum annum ducentesimum sexagesimumseptimū. Nam ut à nostris, ita ab Aegyptijs quidam anni in literas relati sunt, ut quos Nabonnagarij nominant, quòd à primo eius imperij anno consurgunt. Quorū hic nongentesimus octogesimussextus est. Item Philippi, qui ab excessu Alexandri Magni numerantur, & adhuc usque perducti, annos quingentos sexagintaduos consummant. Sed horum initia semper à die primo mensis eius sumuntur, cui apud Aegyptios nomen est Thoth: quique hic anno fuit ante diem septimum Cal. Iulij. eum abhinc annos centum Vlpio & Brutio Præsente Romæ Coss. ij dem dies fuerunt ante diem XII. Cal. Aug. Quo tempore solet Canicula in Aegypto facere exortum. Quare scire etiam licet anni illius magni, qui ut suprà dictum est, Solaris & Canicularis & Trieteris uocatur, nūc agi uertentem annum centesimum. Initia autem istorum annorū, propterea notaui, ne quis eos aut ex Cal. Ian. aut ex aliquo tempore simul putaret incipere: cum in his conditorum uoluntates non minus diuersæ sint, quàm opiniones philosophorum. Iccirco alijs à nouo sole, id est à brumali: alijs ab æstiuo solsticio, plerisque ab æquinoctio uerno, partim ab autumnali æquinoctio, quibusdam ab ortu Vergiliarum, nonnullis ab earum occasu, multis à Canis exortu, incipere annus naturalis uidetur. Hæc Censorinus, & ita legendus est: licet uulgò sit deprauatissimus. Sic enim omnia correspondent: & usque ad Philippi tertium, & filij Philippi consulatum, ubi numerabitur millesimus conditæ Vrbis annus, uera supputatio eueniet. Sed ut iuniores etiam intelligant, qui mensis Thoth apud Aegyptios fuerit, & clarior reddatur Censorinus: obseruandum quòd ex Græco quædam Epigrammate annotantur ij s nominibus menses Aegyptiaci.

Olymp. Imp. Gor. | CHRISTI | Ab ur. con.

Mensis		In hoc mense
Thoth	In hoc mense	falcem racemis submittunt in uindemia.
Phaothi		insidias auibus moliuntur.
Athyr		Pleiades hybricæ exoriuntur.
Chocac		generatio spicarum semente obrutarum ostenditur.
Tybi		Purpurea uestis uires ferens quæritur, hoc tempore aperitur uer floricomum.
Mechir		ostenditur nauigationibus tempestiuitas.
Phamenoth		tempora ad Martia bella commoda notantur.
Pharmuthi		uernarum rosarum indicium fit.
Ananthēta		custodinntur incisæ messes falcibus.
Payni		nunciatur fructuosus autumnus.
Epephi		uindemia capitur.
Mesori		Nilus genitiuam aquam ferre consueuit.

E quibus facile studiosus lector intelliget, quomodo hi menses sint ordinati apud Aegyptios, & quãta oriatur diuersitas anni, si numeretur annus secundũ menses Romanos & Aegyptios. Sed quomodo sint cõferendi ad nostros, ut eis correspondeãt, etsi Theodorus Gaza pulcherrimũ libellulũ de mensibus ediderit: tamẽ adeò difficilis est, ut hactenus neminẽ repererim, qui posit illũ ipsum rectè intelligere: quando sæpius Marcus Musurus, uir eruditissimus nostro seculo, ingenuè fassus sit libellũ hunc plenũ esse nodis multiplicibus & inextricabilibus.

His Coss. Maximinus Aquileiæ occiditur. Cui succedit Gordianus, qui regnauit annis sex. Sub quo hi Coss. fuerunt.

Priusq; de Gordiano loquamur, annotandũ ex Capitolino, quòd occiso Maximino Senatus adhibuit Gordiano duos uiros consulares, ut essent tres. Ob id scribit Eutropius libro nono, capite secũdo: Postea tres simul fuerũt Augusti: Pupienus, Balbinus & Gordianus: duo superiores obscurissimo genere, Gordianus nobili. Quippe cuius pater senior Gordianus, consensu militũ, cum proconsulatum Africæ gereret, Maximino imperante princeps fuisset electus. Itaq; cũ Romam uenissent Balbinus & Pupienus, in Palatio interfecti sunt, soli Gordiano imperio reseruato. Et ideo Casiodorus de Balbino & Pupieno nullam facit mentionem. Horum tamen uitas diligenter exequutus est Capitolinus: per trãsitum Orosius & Sextus Aurelius.

GORDIANVS IMP. AVG. XXIII.

Eutropius libro nono, capite tertio: Anno ab Vr. con. noningentesimo nonagesimoprimo, Gordianus admodũ puer, cũ Tranquillinã Romæ duxisset, Ianũ geminũ aperuit: & ad orientẽ profectus, bellũ Parthis intulit, qui iam moliebanť erumpere. Quod quidẽ mox feliciter gesit, prælijsq; ingentibus Persas afflixit. Rediens haud longè à Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eũ imperauit. Milites ei tumulũ uigesimo miliario à Circesso, quod castrũ nunc Romanorũ est, Euphrati iminens, ędificarunt, ac Diuũ appellarũt. Orosius libro septimo, capite duodecimo: Anno ab Vr. cõdita noningentesimo nonagesimo primo, Gordianus uigesimustertius ab Augusto Imperator creatus est. Mãsitq; in eo annis sex. Nã & Pupienus, interfector Maximini, & frater eius Balbinus, qui usurpauerũt imperiũ, in Palatio mox interfecti sunt. Gordianus admodum puer in Orientẽ ad bellũ Parthicum profectus, sicut Eutropius scribit, Iani portas aperuit: quas utrũ post Vespasianum & Titũ aliquis clauserit, neminem scripsisse memini: cum tamen eas ab ipso Vespasiano post annum apertas Cornelius Tacitus probet. Igitur Gordianus ingentibus prælijs aduersum Parthos prosperè gestis, suorum fraude haud longè à Circesso super Euphratẽ interfectus est. Sextus Aurelius titulo uigesimooctauo: Gordianus, nepos Gordiani ex filia, ortus Romæ clarisimo patre, imperauit annis sex, apud Ctesiphontem à Philippo

præfecto

CHRISTI Ab urbe con. præfecto prætorio accensis in seditionem militibus occiditur, anno uitæ XX. Corpus eius prope fines Romani Persicique imperij positum, nomen loco dedit, sepulchrum Gordiani. Sequuntur Coss. 2. 1

GORDIANVS ET AVIOLA.

243. 995 Scribit Capitolinus in Maximinis, quod cũ senior Gordianus cum filio essent in Africa Imperatores delecti, & Maximinus cũ filio hostes iudicati, tales fuisse in Vrbe à populo factas acclamationes: Gordiani Augusti, dij uos seruẽt, ambo feliciter agatis, ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturã decernimus. Nepoti Gordiani Consulatũ spõdemus. Nepos Gordiani Cęsar appelletur. Tertius Gordianus præturã accipiat. Idẽ in Gordianis scribit: Postquam cõstitit apud ueteranos, solũ Gordianũ imperare, inter populũ & milites ac ueteranos pax roborata est. Et hic finis belli intestini fuit, cum esset delatus Gordiano puero consulatus. 3. 2

SABINVS ET VENVSTVS.

244. 996 Horũ Coss. sic meminit Capitolinus in Gordianis: Venusto & Sabino Coss. inita est factio in Africa cõtra Gordianũ tertiũ, duce Sabiniano: quẽ Gordianus per præsidẽ Mauritaniæ obsessum à cõiuratis, ita oppressit, ut ad eũ tradẽdũ Carthaginẽ omnes uenirent, & crimina cõfitentes, & ueniã sceleribus postulantes.

His Coss. Gordiano Romæ ingresso, Pupienus & Balbinus, qui imperium arripuerant, in Palatio occisi sunt.

Idem Eusebius, Orosius, Eutropius & Capitolinus passim in Gordianis & in Maximo atque Balbino. Est autẽ hoc loco animaduertendũ, quod Capitolinus tradit, & imperitiã quorundã historicorũ taxat, quod apud Herodianũ libro octauo legimus, Maximũ & Balbinũ Imperatores factos, & Maximũ contra Maximinũ missum, nõ Pupienũ. Quod & Dexippus græcus scriptor attestatur. Tandẽ subiungit Capitolinus: Sed apud latinos scriptores plerosque Maximi nomen nõ inuenio, & cũ Balbino Pupienũ imperatorẽ reperio. Inducor ut idẽ esse credatur Pupienus, qui Maximus dicitur. Pòst epistolã Iuliani Cõsulis citat, qua etiã probat eundẽ esse Pupienũ, qui à plerisque Maximus dicit nomine paterno: Siquidẽ, inquit, per hæc tẽpora apud Græcos nõ facile Pupienus, apud latinos non facilè Maximus inueniatur: & ea quæ gesta sunt contra Maximinũ, modò à Pupieno, modò à Maximo acta dicantur. Sed Fortunatiano credamus, qui dicit Pupeinum dictum nomine suo, cognomine uerò paterno Maximum, ut omnium stupores legentibus aboliti uideantur. 4. 3

GORDIANVS II. ET POMPEIANVS.

244. 997 Horũ Coss. itẽ mentio fit à Capitolino in Gordianis, in hæc uerba: Finita sollicitudine in Africa, Gordiano iam iterũ & Põpeiano Coss. bellũ Persicũ natũ est. Sed antequam ad bellũ adolescens Gordianus proficisceretur, duxit uxorẽ filiã Misithei, doctissimi uiri, quẽ causa eloquentiæ dignũ parentela sua putauit, & præfectũ statim fecit, post quod nõ puerile iam & contẽptibile uidebat imperiũ. Paulopòst subiungit: Fuit terræmotus his tẽporibus eousque grauis, ut ciuitates etiam terræ hiatu cũ populis deperirẽt. Ob quod sacrificia per totã urbẽ, orbẽque totũ terrarũ ingẽtia celebrata sunt. Et Cordus quidẽ dicit, inspectis libris Sibyllinis, celebratisque omnibus, quę illic iussa uidebant, mundanũ malũ esse sedatũ sedato terræ motu. CCLVI 4

ATTICVS ET PRAETEXTATVS.

245. 998 Horum Coss. item mentio fit in Gordianis apud Capitolinum. Prætextato, inquit, & Attico Coss. Gordianus aperto Iano Gemino, quod signum erat indicti belli, profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro, ut uel auxilijs uel militibus facile Persas uincere posset. 2. 5

ARRIANVS ET PAPPVS.

246. 999 In Capitolino perperam, ut reor, scriptum est Aprianus, Sic enim scribit: Apriano

Olymp. imp. Gor. Apriano & Pappo Coss. Mortuo Misitheo, in eius locũ præfectus prætorij factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus, qui se in nouitate atq; enormitate fortunæ non tenuit: ita ut statim Gordiano, qui eum in locũ parentis asciuerat, insidias per milites faceret. Lege ibi qualis uir Misitheus, socer Gordiani, & præfectus fuerit, quàm prudens & sagax, quomodo exercitum ordinauerit, & Vrbes prouiderit. CHRISTI — Ab Vr. con.

6 PEREGRINVS ET AEMILIANVS.

His Coss. Gordianus admodum adolescens Parthorum natione superata, cũ uictor ad patriam reuerteretur, fraude Philippi Præfecti prætorij, haud lõgè à Romano solo interfectus est. Gordiano milites tumulum ædificant supra Euphraten, ossibus eius Romã peruectis. 247.

Eadem Eusebius, Eutropius ac Orosius. Sed Capitolinus sic: Gordiani sepulchrũ milites apud Circeũ castrũ fecerũt, in finibus Persidis, titulũ huiusmodi addẽtes, & Græcis & Latinis & Persicis & Iudaicis & Aegyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur, legiq; posset: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM, SED NON VICTORI PHILIPPORVM. Quod ideo uidebatur additum, quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario prælio uictus, abscesserat: simul etiam, q; à Philippis uidebatur occisus. Quem titulum euertisse Licinius dicitur eo tempore, quo nactus est imperium, cum se uellet uideri à Philippis originem trahere.

Cui successit Philippus, qui regnauit annis septem. Qui mox Philippum, filium suum, consortem regni fecit: primusq; omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.

Orosius libro septimo, capite tredecimo: Anno ab Vr. con. noningentesimo nonagesimoseptimo, Philippus uicesimusquartus ab Augusto Imperator creatus, Philippũ filiũ suũ cõsortẽ regni fecit, mansitq; in eo annis septẽ. Hic primus Imperatorum omniũ Christianus fuit. Ambo tamen, quamuis diuersis locis, tumultu militari, & Decij fraude, occisi sunt. Eutropius libro nono, capite quarto: Philippi duo, filius ac pater, Gordiano occiso imperium inuaserunt: atq; exercitu incolumi reducto, ad Italiam è Syria profecti sunt: ambo deinde ab exercitu interfecti sunt: senior Philippus Veronæ, iunior Romæ. Annis quinq; imperarunt. inter diuos tamen relati sunt. Idem Sextus Aurelius, titulo uicesimonono.

PHILIPPVS IMP. AVG. XXIIII.

Sub quo hi Coss. fuerunt,

1 PHILIPPVS ET TITIANVS.

Philippũ hic intelligito patrẽ, seniorẽ scilicet. Nã duos legitur habuisse filios, Philippũ scilicet & Quirinũ. Et cũ primus dicatur fuisse Imperator Christianus, & Serena eius uxor pariter Christiana, Quirinus est in numerum sanctorũ relatus, & factus episcopus Laureacensis. Australes, qui tum Norici uocabantur, ad fidẽ Christi conuertit, & ideo Australium apostolus cognominatus, & de cuius uita, moribus, & rebus gestis in Austria nostra abundè scripsimus. Sed de Ticiano nihil dignum hactenus scitu reperi. 248.

2 PRAESENS ET ALBINVS. 249.

3 PHILIPPVS II. ET PHILIPPVS. 250.

Alter ex ijs, primus scilicet Philippus, fuit pater, & alter fuit filius, quẽ Sextus Aurelius appellat Gallũ Iulium Saturninum, cæteri omnes historici Philippum.

His

His Coss. millesimus annus Vrbis expletus est. ob quam solennitatem innumerabiles Philippus cum Philippo filio suo bestias in Circo magno interfecit. ludosq; in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus, populo peruigilante, celebrauit. Quadraginta etiam missus natali Romanæ urbis cucurrerũt, & agon mille annorũ actus.

Capitolinus in Gordianis sic huius rei meminit: Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti triginta, & duo: quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem: alces decem, tigres decem, leones mansueti sexaginta, leopardi mansueti triginta: belbi, idest hyænæ decem: gladiorum fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus, arcoleontes decem, camelopardi decem, onagri uiginti, equi feri quadraginta, & cætera huiusmodi animalia innumerata & diuersa. Quæ omnia Philippus ludis secularibus uel dedit, uel occidit. Has autem omnes feras mansuetas & præterea efferatas parabat ad triumphum Persicum. quod uotum publicum nihil ualuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit secularibus ludis & muneribus atque Circensibus, cum millesimum ab Vr. con. annum in consulatu suo & filij sui celebrauit. Eutropius libro nono, capite quarto: His imperantibus millesimus annus Romanæ urbis ingenti ludorum apparatu & spectaculorum celebratus est. Filiusq; iunior Philippus patrem ludis secularibus petulantius cachinnantem uultu auerso notauit. Orosius libro septimo, capite tredecimo: Post tertium imperij eius annum millesimus à conditione Romæ annus impletus est. Ita ludis magnificis augustissimisq; omnium præteritorum hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus huius tantæ deuotionis gratiam & honorem ad Christum & ad Ecclesiam reportarit, quando uel ascensum ab eo Capitolium, immolatasq; ex more hostias nullus autor ostendit. Eusebius libro Temporum eadem quæ hic Casiodorus ijsdem uerbis scribit. Sunt autem missus ludorum, ut illud quoque intelligas, equorum circuitiones in ludis Circensibus, dum à carceribus ad metas recurrunt. Seruius super tertio Georgicorum tradit, olim in ludis Circensibus uigintiquinque missus solitos exhiberi: quorum ultimus appellabatur ærarius, eo quòd de collatione populi exhibebatur. Vnde Domitianus, teste Tranquillo, cum ludos seculares exhiberet, in his Circensium die, quo facilius centum centum missus peragerentur, singulos à septenis spacijs ad quina corripuit. Totum tamen certamen ex missibus uigintiquatuor expediebatur ex horis diei computatis. Quatuor uerò facti, anni etiam tempora totidem notabant. Arbitror missus apud ueteres fuisse, ut nostra ætate sunt brauia, seu premia ob quæ toties currebatur. Dicimus autem & missus ludorum, & missus ferculorum. In ludis centum missus equestres exhibebantur. De missibus autem ferculorum & eduliorum Lampridius in Heliogabalo scribit, solitum struere omnes missus sola carne fasianorum. Idem celebrauit tale conuiuium, ut apud amicos singulos, singuli missus appararentur. Cæterùm de agone notandum, quoniam ἀγὼν græcè, certamen latinè nominatur. Nero quinquennale instituit, ac Neroneum appellauit. Strabo in quinto Geographiæ scribit, quòd apud Neapolitanos quinquennalis agon, hoc est, certamen, per complusculos dies celebratur. Qui agon erat musicus & gymnicus, illis agonibus æmulus, qui per Græciam clarissima celebritate agebantur. Quem agonem gymnicum & quinquennalem, iubente oraculo, Neapolitani celebrant. & in Syluis Statius meminit. Censorinus in libro de Die natali, ubi de anno magno agit, inquit: Rusus tamen annus idem magnus per Capitolinos agonas cœptus est diligentius seruari, quorum agonum primus à Domitiano institutus fuit die duodecimo eius, & Sergij Cornelij Dolabellæ consulatu, ut superius annotauimus in Domitiano.

PHILIP-

Olymp. Imp. Phil. | CHRISTI | Ab ur. con.

PHILIPPVS III. ET PHILIPPVS II.

CCLVII 4 His Coss. Philippus urbem sui nominis in Thracia construxit. 251. 1001

Eadem ijsdem uerbis Eusebius libro Temporum: Sed in Arabia Philippopolis urbs dicitur ab eo constructa, in paterno solo, natalique agro: adeò ut uerear errorem esse in Cassiodoro, qui nominis similitudine deceptus est, & Eusebius pariter. Nam quæ in Thracia est Philippopolis, regum Macedoniæ opus est, quam Scythæ diripuerunt.

2. 5 AEMILIANVS ET AQVILINVS.

Hunc puto esse Aemilianum, qui post interfectos Gallũ & Volusianũ imperauit, licet tribus tantum mensibus. Cuius & Trebellius Pollio in Galienis meminit. De quo inferius plura. licet non ignoro hunc Maurũ fuisse, humilis generis. 252. 1002

3. 6 DECIVS ET GRATVS.

Ignotus autor ponit hoc loco, Decius II. & Gratus. quasi Decius prius fuerit Cos. suffectus. Est autem hic Decius, qui pòst regnauit. Inuenio quoque in quadã ueteri Chronica sine autore, his Coss. tantam factã Christianorum persequutionem, ut cogerentur idolis sacrificare. In alijs quoque Chronicis scriptum est: His Coss. passus est Sixtus Episcopus, & Laurentius Diaconus, Romæ octauo Idus Augustas. Meminit horum Coss. etiam autor ille de Pontificibus, ut superius in Maximo annotauimus, ubi de Fabiano episcopo scriptum est. 253. 1003

3. 7 DECIVS II. ET RVSTICVS.

Eadem uetustissima Chronica habet, his Coss. passum esse S. Laurentiũ tertio Idus Augusti. Lege Prudentij elegantissimum hymnum, libro qui inscribitur περὶ στεφάνων. Ignotus autor ponit hoc loco, Decius III. & Decius Cæsar. Quorum Coss. meminit Trebellius Pollio in Valerianis, in hæc uerba: Duobus Decijs Coss. sexto Cal. Nouembris die, cum ob Imperatorias literas in æde Castoris haberetur Senatus, ireturque per sententias singulorum, cui deberetur censura deferri, (nam id Decij posuerant in Senatus amplissimi potestate) ubi primùm Prætor edixit, omnes una uoce dixerunt, Valeriani uita censura est, & reliqua quæ hic scribuntur. Autor quoque ille incertus, qui de Pontificibus scripsit, sic horum Coss. meminit: Cornelius ann. II. menses IIII. dies X. à Cos. Decij IIII. & Decij II. usque Gallo & Volusiano. Sub episcopatu eius Nouatus extra ecclesiam ordinauit Nouatianum in urbe Roma, & Nicostratum in Africa. Hoc facto, confessores qui se separauerunt à Cornelio cum Maximo presbytero, qui cũ Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reuersi. Post hoc centum cellis expulsi, ibi cum gloria dormitionem accepit. 254. 1004

His Coss. Philippus senior Veronæ, Romæ uerò iunior occiditur. His succesit Decius, qui regnauit anno uno, mensibus tribus. Sub quo hi Coss. fuerunt.

Orosius libro septimo, capite decimoquarto: Anno ab Vr. con. millesimo quarto, Decius ciuilis belli intentor & repressor, occisis Philippis, uigesimusquintus ab Augusto, inuasit imperium, tenuitque annis tribus. Idem continuò, ob quod se etiam Philippos interfecisse docuit, ad persequendos interficiendosque Christianos, septimus post Neronem, feralia sparsit edicta, plurimosque sanctorũ ad coronas Christi de suis cruciatibus misit: idemque filium suum Cęsarem lgit, cũ quo simul continuò in medio barbarorum sinu interfectus est. Eutropius libro nono, capite quinto: Post hos Decius è Pannonia inferiore Bubaliæ natus, imperium sumpsit. Bellum ciuile, quod in Gallia motum fuerat, oppresit. Filium suũ Cæsarem fecit. Cum biennio ipse & filius eius imperassent, uterque in barbarico bello interfecti sunt. E' quibus senior gurgite paludis immersus est, ita ut nec cadauer eius potuerit inueniri: digno damnatus iudicio, qui persuquutiones in

Christianos

CHRISTI Ab urbe con. Olymp. Imp. Decii

Christianos mouens, inter cæteros beatißimum Laurentium Leuitam & marty rem igne decoxit, de quo uide Aureliū Prudentiū in eius paßiōe & hymno. Idē Sex. Aurel. tradit, titulo trigesimo, de Decio, quemadmodū immersus sit paludi. Eusebius in Sacra historia libro sexto, capite uigesimonono: Philippo Decius succedit, qui pro eo q infestus esset Philippo, persequutionem Ecclesiis suscitat.

DECIVS IMP. AVG. XXV.

GALLVS ET VOLVSIANVS.

255. 1005 Hic est ille Gallus Vib. Trebonianus Gallus qui post Decium imperauit, ut inferius patebit. Alius fuit Antoninus Gallus Cos. cui Valerianus Augustus pulchram epistolam scripsit de seueritate Aureliani, ut Vopiscus in Aureliano scribit. Autor quoq ignotus, qui de Pontificibus scripsit, sic meminit: Lucius annos III. menses VIII. dies X. fuit tēporibus Galli & Volusiani usq Valeriano III. & Gallieno II. Hic exul fuit, & postea Dei nutu incolumis ad Ecclesiam reuersus est, tertio Nonas Martias. CCLVIII

His Coss. Decius lauacra publica ædificauit, quæ suo nomine appellari iussit.

Hæc lauacra Thermæ dicuntur Decianæ, quas in Auentino monte Senatus nomini suo extruxit.

Decius cū filio suo in Aprutio, Thraciæ loco, à Gotthis occiditur.

Abbrittum Mœsiæ urbem dicunt, ubi ara est Decij, qui locus nomen facti habet, ubi Decius dicitur occisus.

Cui successit Gallus cū Volusiano filio, qui regnarunt annis duobus, & mensibus quatuor. Sub quibus hi Coss. fuerunt.

Paulus Orosius libro septimo, capite decimoquarto: Anno ab Vr. con. millesimo sexto, Gallus Ostilianus uigesimussextus ab Augusto, regnū adeptus, uix duobus annis cū Volusiano filio obtinuit. Exoritur ultio uiolati nominis Christiani: & quatenus ad profligandas ecclesias edicta Decij cucurrerunt, eatenus incredibiliū morborū pestis extenditur. Nā nulla ferè prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non generali illa pestilentia correpta atque uastata sit. Hac sola pernicie insignes Gallus & Volusianus, dum contra Aemilianum nouis rebus studentē bellū ciuile moliuntur, occisi sunt. Aemilianus tamē tertio mense inuasæ tyrannidis extinctus est. Eutropius libro nono, capite sexto: Mox Imperatores creati sunt, Gallus Hostilianus, & Galli filius Volusianus. Sub his Aemilianus in Mœsia res nouas molitus est. Ad quē opprimendum, cum ambo profecti essent, in certamine interfecti sunt, non cōpleto biennio. Nihil omnino clarū gesserunt. Sola pestilentia, morbis atq ægritudinibus notus eorū principatus fuit. Aemilianus autē obscurißimè natus, obscurus imperauit, (siquidē Maurus fuerat) ac tertio mense extinctus est. Sex. Aurelius titulo tricesimoprimo: Vibius Gallus cū Volesiano filio imperauerunt annis duobus. Horum temporibus Perpenna à Senatu Imperator creatus, nec multo pòst pestilentia cōsumptus est. Sub his etiā Aemilianus in Mœsia superatus est. Contra quē ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu suo cæduntur, anno ętatis pater septimo circiter & quadragesimo. Creati in insula Menynge quæ nunc Girba dicitur. Aemilianus uerò menses quatuor dominatus, apud Spoletū siue Pontē, quē ab eius cęde Sanguinariū accepisse nomē ferunt, inter Otriculū, Narniamq & Spoletū & urbē Romam regione media positū. Fuit autem genere Maurus, pugnax, nec tamen pceps. Vixit annis quatuor minus quinquaginta. Trebellius Pollio in Gallienis mentionē sic facit Aemiliani: Per idē tēpus Aemilianus apud Aegyptū sumpsit imperium, occupatis horreis, multa oppida malo famis preßit. Sed hunc Dux

Olymp. Imp. Gall. Gallieni Theodotus conflictu habito cæpit, atque Imperatori Gallieno uiuum transmisit. Sed nimirum is alius fuit, ut inferius patebit. CHRISTI Ab urbe con.

GALLVS IMP. AVG. VOLVSIANVS FILIVS XXVI.

2. 1 VOLVSIANVS II. ET MAXIMVS. 256. 1006

Horũ Coss. meminit autor ille de Pontificibus in hæc uerba: Stephanus annos IIII. menses II. dies XXI. Fuit tẽporibus Valeriani & Galbini à cons. Volusiani & Maximi usque Valeriano III. & Gallieno II. Sed Coss. mirum uariantur ab autoribus cæteris.

His Coss. Nouatianus apparuit.

Eusebius libro Temporũ: Nouatus presbyter Romã ueniens, Nouatianũ & cæteros cõfessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitẽtes apostatas recepisset. Sed longè plura de Nouato & hæresi Nouatianorum Eusebius in Historia ecclesiastica libro sexto, capite tricesimotertio, & sequentibus, & diuus Hieronymus in libro de Viris illustribus etiam Nouatiani meminit.

3. 2 VALERIANVS ET GALLIENVS.

His Coss. Gallus & Volusianus Interamnæ interfecti sunt. 257. 1007

Eusebius libro Temporum: Gallus & Volusianus cum aduersum Aemilianum, qui in Mysia res nouas moliebatur, ex Vrbe profecti essent, in Foro Flaminij, siue, ut alij putant, Interamnæ interfecti sunt. Aemilianus tertio mense tyrannidis inuasę extinctus est.

Quibus successerunt Valerianus & Gallienus, qui regnauerunt annis quindecim. Sub quibus hi Coss. fuerunt.

Quomodo Valerianus à Persarũ rege Sapore uictus sit, Gallienus in omnem lasciuiã dissolutus, Rempub. perdiderit, ut triginta penè tyrannis Romanũ imperiũ sit lacessitũ, Eutropius lib. nono, cap. nono, decimo, undecimo, duodecimo abũde explicat. Orosius uerò libro septimo, capite decimoquarto sic scribit: Anno ab Vr. con. millesimo septimo, duo Imperatores uigesimoseptimo post Augustũ loco creati sunt. Valerianus in Rhetia ab exercitu Augustus est appellatus. Romæ autem à Senatu Gallienus in regno infeliciter sublimatus annis quindecim, respirante paulisper ab illa supra solitũ pestilentia & graui humano generi, prouocat pœnã suã obliuiosa malicia. Impietas enim flagella quidem excruciata sentit: sed à quo flagellatur, obdurata non sentit. & reliqua quæ sequuntur. Plura dehinc de Valeriano capto, & Gallieno in lasciuiã lapso, deque triginta tyrãnis sequenti capite decimoquinto idẽ Orosius latè explicat. De Valeriano quoque & Gallieno Sex. Aurelius titulo trigesimosecundo & trigesimotertio. Trebellius Pollio utriusque uitã & triginta tyrannos, qui hac tẽpestate diuersis regionib. Romanũ imperiũ occuparũt, latißimè scripsit. è quibus & nos quædã excerpsimus.

VALERIANVS CAES. AVG. GALLIENVS IMP. AVG. XXVII.

4. 1 VALERIANVS II. ET GALLIENVS.

Vopiscus in Aureliano prodit Valerianũ principẽ Aurelianũ & Vlpiũ Crinitũ suffecisse in consulatum Valeriani & Gallieni: siue is fuerit consulatus, siue sequens. Sic enim in quadã epistola ad eũ scripsit: Neque enim minor est in cuius locũ fideque delegi consulatũ cũ eodẽ Vlpio Crinito in annũ sequentẽ, à die undecimo Cal. Ianuarij in locũ Gallieni & Valeriani. Vide dehinc epistolã quã præfecto ærarij scribit, qua illi munera ad consulatũ aßignat, & quomodo adoptio 258. 1008

Aureliani

CHRI- Abur. Aureliani facta sit. Lege cũ diligentia illic Vopiscũ, & ut aiunt, cũ grano salis. Idẽ Val.
STI con. tradit Vlpiũ Crinitũ ter Consulẽ fuisse. Cũ hunc in manibus laborẽ haberem re- Gall.
cognoscendi Coss. ut studiosis prodessem, nullũ unq̃ ociũ habui. omnes schedas euolui, & omnes bibliothecas. Fortè fortuna aliũ reperi libellũ, quo Coss. nomina cũ præfectis urbiũ continebãtur, sine nomine autoris, à temporibus Gallieni usq; ad Constantinum. Ex eo quoq; præfectos Vrbis collegi, sub quibus fuerant Coss. Romulus enim, teste Dionysio, unũ elegit quẽ urbanis negocijs præfecit. Hunc præfectũ Vrbis fuisse, satis constat. Licet quidã arbitrentur Augustũ primũ instituisse præfectũ Vrbis, cũ noua officia excogitauerit, curã operũ publicorum, uiarũ & aquarũ, aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, & præfecturam Vrbis, ut Suetonius meminit. Tamen longo pòst tẽpore, tantũ sibi iuris pręfectura uindicauit Cęsarũ temporibus, ut crimina omniũ in Vrbe cognoscerentur. Et demũ cũ Cæsares ab Vrbe abessent, præfectus uelut alter Cęsar imperabat, de rebus omnibus quæ ad Vrbẽ pertinebãt censebat. Vnde Vlpianus Digestorũ primo: Omnia crimina præfectura Vrbis sibi uendicauit: nec tantum ea quæ intra Vrbẽ admittunt, uerùm ea quoq; quæ extra Vrbẽ intra Italiã. Initio epistolæ Diui Seueri missę ad Fabiũ Chilonẽ præfectũ Vrbis ita scriptũ fuit: Cum Vrbẽ nostrã fidei tuæ cõmiserimus, quicquid intra Vrbẽ admittitur, ad præfectum Vrbis pertinere uidetur. Sed & siquidẽ intra centesimũ miliariũ admissum sit, ad præfectum Vrbis pertinet. Si ultra ipsum lapidẽ egressum est, præfecti Vrbis cognitio nõ est. Quies quoq; populorũ & discrimina spectaculorũ ad pręfecti Vrbis curã pertinere uidetur. Idẽ potest Vrbẽ interdicere & negociatione & professione & aduocantibus & foro ad tẽpus & in perpetuũ. & quæ ab eodẽ iurisconsulto reciantur. Seneca duodecimo Epistolarũ, præfectũ Vrbis, custodẽ appellat: & Iuuenalis satyra quarta, uillicũ. & ut finiã, pręfectura Vrbis cunctis quæ intra Vrbem sunt, antecellit dignitatibus & potestatibus, tantũ ex omni parte deriuãs, quantũ sine omni iniuria ac detrimẽto alieni honoris usurpat. Et ideo Trebellius Pollio in Valeriani uita scribens Censorẽ ius habere in omnes, præfectum Vrbis excipit. M. Varro & Atteius Capito, referente Gellio, dicunt ius fuisse præfecto Senatus habendi. Mutius negauit, q̃ senator nõ esset. Vt igitur ad propositũ redeã, quia satis multa de præfecto autor ille mihi nõ cognitus nomine in eo libello sic scribit, Valeriano II. & Gallieno Coss. Lollianus præfectus Vrbis fuit. Lollianũ describit tyrannũ Trebellius Pollio libro de triginta tyrãnis. Si plura uolueris de præfecto Vrbis nosse, Vlpianum in primo Digestorum adeas de præfecto Vrbis. Vnde sumpsit Fenestella quæ suo operi indidit, titulo uigesimoprimo. Sed & Gellius libro quarto, capite ultimo, de præfecto Vrbis nonnulla, qui eundem esse contendit præfectum Vrbis.

MAXIMVS II. ET GLABRIO. CCL- 2

259. 1009 Idem autor quem paulo antè citaui de Coss. & præfectis mihi non cognitus IX
hoc loco ita scribit: Maximo & Glabrione Coss. Mũmius Albinus præfectus Vrbis fuit. Horũ itẽ Coss. meminit autor ille de Pontificibus, in hæc uerba: Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cepit à Cons. Maximi & Glabrionis usq; Tusco & Basso, & passus est octauo Idus Augusti, Aemiliano & Basso Coss. Eusebij exemplar de Tẽporibus habet hoc loco CCLIX. Olympiadẽ. quod stare non potest, sicut paulopòst sexto anno imperij Valeriani scribitur Olympias CCLXIX. quod minimè conuenit. Et inde sequuntur intolerabiles errores, quod accidit ex incuria librariorum.

VALERIANVS III. ET GALLIENVS III. 2. 3

260. 1010 Scribit Trebellius Pollio, Gallienũ in eam fuisse prolapsum libidinẽ, ut matronas ad suum consulatũ rogaret: ijsdem manum sibi osculantibus, quaternos aureos sui nominis daret. Require illic quas sibi uoluptates parauit, & qua tamen

 crudelitate

Olymp. Imp. Val. & Gall. crudelitate in milites fuit. Idem autor de Coss. & præfectis, cuius nomen ignoro, sic scribit hoc loco: Valeriano III. & Gallieno II. Coss. Valerius Maximus præfectus Vrbis fuit. Vbi obseruandũ, φ is Coss. uariat. Nam mox subiungit: Valeriano IIII. & Gallieno III. Coss. Iunius Donatus prefectus Vrbis fuit. qui tamen cõsulatus hic non ponitur. Sed & ille qui Coss. scripsit cũ Pontificibus, huius meminit cõsulatus, ut paulo antè obseruaui. De hoc consulatu etiã scribit Vopiscus in Aureliano, ubi recitat quandã Valeriani epistolã ad Aurelianũ, & in fine sic scribit: Ego de te spero tantũ Deo fauente, quantũ de Traiano, si uiueret, posset sperare respublica. Neq; enim minor est, in cuius locum fidemq; te legi. Consulatũ cum eodem Vlpio Crinito in annum sequentem à die undecimo Calendarũ Iuniarum, in locum Valeriani & Gallieni sperare te conuenit sumptu publico. CHRISTI

His Coss. Cyprianus primùm rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus martyrio coronatur.

Eadem Eusebius ijsdem uerbis libro Temporum. In autore uerò ignoto scribitur sequẽtibus Coss. Tusco & Basso. His Coss. passus est Cyprianus episcopus Carthagini decimooctauo Cal. Octobris. Hieronymus in libello de Viris illustribus. Passus sub Valeriano & Gallieno Principibus persequutione octaua, eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno. Eius opera elegantissima impressa feruntur, à Beato Rhenano emendata.

3. 4 TVSCVS ET BASSVS. 261.

Horum Coss. meminit Trebellius Pollio in triginta tyrannis his uerbis: Tusco & Basso Coss. cũ Gallienus uino & popinis uacaret, cumq; se lenonibus, mimis ac meretricib. dederet, ac bona naturæ luxuriæ cõtinuatione deperderet, Ingenuus qui Pannonias tũc regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator est factus, &c. De hoc Ingenuo Orosius quoq; libro septimo, capite decimo quinto: & Eutropius libro nono, capite nono. Trebellius in triginta tyrannis meminit cuiusdam Aurelij Fusci uiri Cõsularis, qui in locum Valeriani successerat, & in rogandis sententijs dixerat, Consul consule: ut mihi dubium occurrat, an hic Fuscus sit, qui Tuscus dicatur. Nam facilis est literarum lapsus. Preterea Vopiscus in Aureliano scribit Valerianum Augustum consedisse in Thermis apud Byzantiũ præsente exercitu, præsente etiam officio Palatino: asidentibus Memmio Fusco Consule ordinario, Bebio Macro præfecto pretorij, & alijs. Sed & ille autor, cuius nomen non inuenio, de Coss. & præfectis sic nominãt hos Coss. dicens, Tusco & Basso Coss. Cornelius Secularis præfectus Vrbis fuit. Tamen in plerisq; Trebellij exemplaribus inuenio Fuscum, non Tuscum, & ego suspicor Fuscum legendum.

His Coss. Valerianus in Christianos persequutiõe cõmota, statim à Sapore rege Persarum capitur, ibiq; seruitute miserabili cõsenescit.

Eadem Eusebius libro Temporum. Sed in Historia Sacra libro septimo, capite nono, ex Dionysii scriptis refert, quo pacto Valerianus ab initio & humanus & benignus extitit erga famulos Dei: ita ut in initijs multo tempore, etiã illis benignior uideretur, qui nomine saltẽ Christiani dicebantur. In tantũ uenerabatur seruos Domini, & omnis eius domus erat ecclesia Dei. Deprauatus autẽ est, à ueritate deiectus per quendam doctorẽ pessimũ, magistrũ & principem Aegyptiorum magorũ, ut iustos & sanctos uiros persequi & interimi iuberet, tanq; qui aduersarentur magicis artibus, quibus ipse se subdiderat. Erat enim reuera, & sunt etiam nunc qui possent uirtute meritorũ suorum restringere fallacias demonum. Nam ille ut impuros ritus & execranda mysteria ac sacra incesta conficeret, pueros inuestes iugulari iubebat, & orbari liberis patres, atque in teneris uisceribus humanas rimari per piaculum fibras: & uocem illic quærebat, ubi fugauerat uitam.

uitam. Ob id à barbaris captus, & luminibus orbatus, filios sceleris & impuritatis suæ reliquit successores. Vide caput decimumquintum Orosii libro septimo, ubi paria reperies. 4. 5.

262. 1012 AEMILIANVS ET BASSVS II.

Hos Coss. etiam nominat autor ille de Præfectis, cuius nomen nō inuenio, sic scribens: Aemiliano & Basso Coss. Cornelius Secularis præfectus Vrbis fuit. Et autor quoq; ignotus de Pontificibus horum meminit Coss. ut paulo antè notaui, sic scribens: Dionysius annis octo, mēsibus duobus, diebus quatuor, fuit, tēporibus Gallieni ex die undecimo Calendarū Augusti, Aemiliano & Basso Coss. usq; in diem septimum Cal. Ianu. Coss. Claudij & Paterni. CCLX 6

263. 1013 SECVLARIS ET DONATVS.

Autor de Præfectis ita scribit hoc loco: Seculare II. & Donato Coss. Cornelius Secularis præfectus Vrbis fuit. In Eusebij libro Temporum impresso notatur hic Olympias ducentesima sexagesimanona. quod non est tolerandum. 2. 7.

264. 1014 GALLIENVS IIII. GENTIANVS.

Autor ignotus hoc loco habet, Gallienus quartū. & Volusianus: siue unus & idem sit, siue diuersus, Volusianus & Gentianus. Quorū Coss. meminit Trebellius Pollio in Gallienis his uerbis: Gallieno igitur & Volusiano Coss. Macrianus & Balista in unū coeunt, exercitus reliquias conuocant: & cū Romanum in oriente nutaret imperiū, quem facerent Imperatorem, requirunt, Gallieno tam negligenter se agente, ut eius ne mentio quidē apud exercitū fieret. & reliqua ibi require, quomodo Macrianus cum filijs sit factus Imperator. Similiter autor ille de Præfectis mihi non cognitus, sic scribit: Gallieno IIII. & Volusiano Coss. Mūmius Albinus præfectus Vrbis fuit. Flauius tamen Vopiscus in Aureliano epistolam quandam ponit, quam Valerianus Augustus Ceionio Albino præfecto Vrbis scripsit: si fortè ille sit, & alterum nomen corruptum. Doctioribus & antiquarijs illud relinquo. 3. 8

265. 1015 GALLIENVS V. ET VICTORINVS.

Autor ignotus scribit hoc loco, Gallienus & Faustinus. quorū item Coss. ita meminit Trebellius in Gallieno: Gallieno & Faustino Coss. inter tot bellicas clades, etiam terræmotus fuit, & tenebræ per multos dies. Auditum præterea tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante. Quo motu multæ fabricæ deuoratæ sunt cum habitatoribus. Multi terrore mortui: quod quidem malum tristius in Asiæ urbibus fuit. Mota est & Roma, mota & Libya. Hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, cum aqua salsa in fossis appareret. Maria etiā multas urbes occuparunt. Pax igitur deûm conquisita, inspectis Sibyllę libris, factumq; Ioui Salutari, ut pręceptum fuerat, sacrificium. Nā & pestilentia tāta extiterat uel in Achaicis urbibus, ut uno die quinq; millia hominum pari morbo perirent, sæuiente fortuna, cum hinc terræmotus, inde hiatus soli, ex diuersis partibus pestilentia orbē Romanum uastaret. Meminit huius pestilentiæ & Orosius libro septimo, capite decimoquarto. Sed copiosissime de illa scribit Eusebius libro septimo, capite decimooctauo Sacræ historiæ, & duobus sequentibus. Sic & autor ille de Præfectis hos Coss. nominat, sic scribens: Gallieno V. & Faustino Coss. Mummius Albinus præfectus Vrbis fuit. De Ceionio Albino præfecto Vrbis Vopiscus. Auguror alterutrum esse mendosum. 4. 9

266. 1016 ALBINVS ET MAXIMVS.

Apud ignotum autorē inuenio hoc loco, Albinum & Dextrū. & autor similiter de Præfectis sic scribit: Albino secundū & Dextro Coss. Mummius Albinus præfectus Vrbis fuit. Vopiscus in uita Aureliani epistolam Valeriani ponit Augusti, ad Ceionium Albinum præfectum Vrbis, qua laudatur Aurelianus.

Olymp. Imp. Val. & Gall. His Coss. Græcia, Macedonia, Pontus & Asia depopulata per Gotthos. Aliasq; prouincias barbarorum quassauit irruptio. CHRI-STI Ab ur. an.

Eusebius libro Temporũ: Gallieno in omnẽ lasciuiã dissoluto, Germani Rauennam usq; uenerunt. Alemani uastatis Gallijs, in Italiã transiere. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia depopulata per Gotthos. Quadi & Sarmatæ Pannonias occupauerunt. Germanis Hispaniã obtinentibus, Tarracon expugnata est. Parthi Mesopotamiã tenentes, Syriam incursauerunt. Orosius libro septimo, capite decimoquinto: Soluuntur undiq; permissu Dei repentè ad hoc circũpositæ relictæq; gentes, laxatisq; habenis in omnes Romanorũ fines inuehuntur Germani. Alpibus, Rhetia, totaq; Italia penetratis, Rauennã usq; perueniunt. Alemani Gallias peruagantes, etiã in Italiã transeunt. Græcia, Macedonia, Pontus & Asia Gotthorum inundatione deletur. Nam Dacia trans Danubium in perpetuum aufertur. Quadi & Sarmatæ Pãnonias depopulãtur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania. Parthi Mesopotamiã auferunt, Syriamq; corradũt. Extant adhuc per diuersas prouincias in magnarũ urbiũ ruinis paruæ & pauperes ædes signa Mysiarum, & nominũ indicia seruãtes. Ex quibus nos quoq; in Hispania Tarraconem, nostram ad consolationem Mysiæ recentis ostendimus. Vide de Gotthorum irruptione in Asiam Trebellium Pollionem in Gallieno.

CC-LXI 10 GALLIENVS VI. SATVRNINVS. 267. 1017

Horũ Coss. sic meminit Trebellius Pollio: Gallieno & Saturnino Coss. Odenatus rex Palmyrenorũ obtinuit totius orientis imperiũ: iccirco præcipuè, quòd se fortibus factis dignũ tantæ maiestatis insulis declarauit, Gallieno aut nullas, aut luxuriosas, aut ineptas & ridiculas res agente. Deniq; statim bellũ Persis in uindictam Valeriani, quam suus filius negligebat, indixit. Nisibin & Carras statim occupat, tradentibus sese Nisibinis atq; Carrenis, & increpantibus Gallienum, &c. Vbi multa egregia Odenati gesta cõmemorat: quæ hic si omnia afferrẽ, fortè fastidiũ generaret, illic require. Hos quoq; Coss. nominat autor ille de Præfectis, sic scribens: Gallieno VI & Saturnino Coss. Paternus præfectus Vrbis fuit.

2. 11 VALERIANVS ET LVCILLIVS. 268. 1018

Horum Coss. pariter Trebellius Pollio in Gallieno commeminit, his uerbis: Laudatur sanè eius optimũ factum. Nam cõsulatu Valeriani fratris sui. & Lucillij propinqui, ubi comperit ab Odenato Persas uastatos, redactam Nisibim & Carras in potestatem Romanam, omnem Mesopotamiam nostram, deniq; Ctesiphontem esse peruentũ, fugisse regem, captos satrapas, plurimos Persarum occisos: Odenatum, participato imperio, Augustum uocauit: eiusq; monetam, qua Persas captos traheret, cudi iussit. Quod & Senatus & Vrbs & omnis ætas gratanter accepit. Fuit autem is Valerianus, filius Valeriani senioris capti à Sapore Persarũ rege, & frater Gallieni, ex alia tamẽ matre genitus. forma conspicuus, uerecũdia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucundus, atq; à fratris dissolutione seiunctus. A' patre absente Cæsar appellatus, à fratre Augustus, miserabiliter postea cum fratre iuxta Mediolanum interemptus. Cui Claudij iussu sepulchrum, addito titulo, positum, Valerianus Imperator. Quod aliqui de maiore Valeriano perperam intelligentes, quasi postliminio redditum esset corpus Imperatoris, qui in seruitute perijt: cum de minore sit intelligendum. Ob id autor ille, cuius nomen hactenus non inueni, qui de Coss. & præfectis opusculum edidit, sic scribit: Valeriano secundò & Lucullo Consulibus, Paternus præfectus Vrbis fuit. Et præterea Trebellius Pollio, siue Capitolinus, qui Gallieni uitam scripsit, cum de eius morte differit, hunc Valerianum fratrem secum obijsse scribit: quem narrat in fastis Valerianum Imperatorem Consulem nominari.

GALLIE-

CHRISTI | Ab ur. con. | | Olymp. | Imp. Gall.

GALLIENVS VII. ET SABINILLVS.

Horum Coss. mentionem sic facit autor de Præfectis ignotus, Gallieno VII. 3. 12
269. 1019 & Sabinillo Coss. Paternus præfectus Vrbis fuit. 4. 13

270. 1020 PATERNVS ET ARCHESILANVS.

Horum Coss. meminit autor ille de Præfectis, sic scribens: Paterno & Arcesilao Coss. Petronius Volusianus præfectus Vrbis fuit. CC-LXII 14

271. 1021 PATERNVS II. ET MAIRNVS.

Horum Coss. pariter præfatus autor de Præfectis sic meminit: Paterno II. & Marimano Coss. Petronius Volusianus præfectus Vrbis fuit. 2. 15

272. 1022 CLAVDIVS ET PATERNVS III.

Hic Claudius pòst imperauit: sed prius consulatum gessit. Vnde scribit Trebellius Pollio de eo: Cum esset nunciatum, illum cum Macriano fortiter contra gentes in Illyrico dimicasse, acclamauit Senatus: Dux fortißime habeas uirtutibus tuis, deuotioni tuę: Claudio statuam omnes dicamus. Claudium Cōsulem omnes cupimus. Qui amat Rempub. sic agit. Qui amat Principes, sic agit. Antiqui milites sic egerunt. Felicem te Claudi iudicio principū, felicem te uirtutibus tuis, te Consulem, te Præfectum, uiuas Valeri, ameris à principe. Subdit Pollio, quòd Claudium Senatus & po. Ro. ante imperium, & in imperio, & post imperium sic dilexit, ut satis constet, neque Traianum, neque Antoninos, neque quenquam aliū Principem sic amatum. Horum Coss. quoque meminit autor ille de Præfectis sic: Claudio & Paterno Coss. Flauius Antrocianus.

His Coss. Gallienus Mediolani occiditur. Cui succeßit Claudius, qui regnauit annū unū, mensibus nouem. Sub quo hi Coss. fuerunt.

Orosius libro septimo, capite decimoquinto: Anno ab Vr. con. M. uigesimoquinto, Claudius uigesimus octauus uoluntate Senatus sumpsit imperium. Statimque Gotthos, iam per annos quindecim Illyricum Macedoniamque uastantes, bello adortus incredibili strage deleuit. Cui à Senatu clypeus aureus in curia, & in Capitolio statua æquè aurea decreta est. Sed cōtinuò apud Syrmium priusquam imperium expleret, morbo correptus interijt. Eutropius libro nono, capite tredecimo: Claudius ei succeßit, à militibus electus, à Senatu appellatus Augustus. Hic Gotthos Illyricum Macedoniamque uastantes, ingenti prælio uicit: parcus uir, atque modestus, & iusti tenax, atque Reipub. tenendæ idoneus. Aduersus trecentos mille Alemanorum haud procul à lacu Benaco, in sylua quæ Lugumna dicitur, dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægrè pars dimidia superfuerit. Qui tamen intra imperij biennium morbo perijt, & Diuus appellatus est. Senatus eum ingenti honore decorauit: scilicet ut in curia ipsi clypeus aureus, item in Capitolio statua aurea poneretur. Vide de Claudio Aurelium Sex. titulo tricesimotertio, & Trebellium Pollionem, qui eius uitam longè lateque descripsit. Vnde & nos quædam sumpsimus.

M. AVRELIVS CLAVDIVS

CAES. AVG. XXVIII.

ANTIOCIANVS ET ORPHITVS. 3. 1

273. 1023 Horum Coss. fit mentio à Trebellio Pollione in Claudio. Sed alterutrum non est sine menda, ut patebit. Verba eius subscribam: Dum hæc à Diuo Claudio aguntur, Palmyreni ducibus Sabba & Timogene contra Aegyptios bellum sumunt, atque ab his Aegyptia peruicacia & indefessa pugnandi cōtinuatione uincuntur. Dux tamē Aegyptiorū Probatus Timogenis insidijs interēptus est. Aegyptij uerò omnes se Romano imperio dediderunt, in absentis Claudij iurantes uerba, Atticiano & Orphito Coss. Cæterùm, ut etiā scias qui Palmyreni fuerint,

Olymp. imp. Clau. CHRISTI Ab urb. con.

attende q̄ Palmyreni fuerunt inter duo summa imperia, Romanorũ & Parthorum medij. Palmyra horum metropolis, ut & genti nomẽ, uasto ambitu undiq; arenis includit, uelut cæteris terris exẽpta: media inter Damascũ & Seluciã Parthorum, quæ ad Tigrim nominatur. Condidit Palmyram urbẽ Solomon rex, si Iosephus uerus est autor, eamq; Thadamurum appellauit. Autor quoq; de Præfectis horum Coss. mentionem faciens, inquit: Antiochiano & Orphito Coss. Flauius Antiocinus præfectus Vrbis fuit.

4. 2 VALERIANVS ET BASSVS. 274. 1024

Sic in unico, quod uidi, scriptum erat Casiodori exemplari. Sed ignotus autor in hoc loco habet, Aurelianus, non Valerianus, & Bassus. & ita censeo esse scribendum. Nisi staret Valerius, quo nomine etiã Valerianus dictus est. Sed & autor ille de Pręfectis horum Coss. mentionẽ faciens, scribit: Aureliano & Basso Coss. Posthumius Varus præfectus Vrbis fuit. Sex. Aurelius tit. tricesimoquarto, mentionẽ facit Pomponij Basi, quem Consulem fuisse arbitror, ita scribens: Claudius uerò cum ex fatalibus libris, (quos inspici præceperat) cognouisset, sententiæ in Senatu dicendæ primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc erat Consul, se offerente, ipse uitam suam, haud passus responsa frustrari, dono Reipub. dedit: præfatus, neminem tanti ordinis primas habere nisi ipsum Imperatorem. Ea res sicut erat cunctis grata, non Diui uocabulum modò, sed ex auro statuam prope ipsum Iouis simulacrum, atq; in curia imaginem auream porceres sacrauerunt.

His Coss. Claudius barbaros, Gotthos, Illyricum & Macedoniam uastantes repellit, & Syrmij moritur. Cui successit Quintillius, Claudij frater, à Senatu Augustus appellatus. qui decimoseptimo Imperij die Aquileiæ occiditur.

Pollio in uita Claudij: Claudio ad deos & sidera demigrante, Quintillius frater eiusdem, uir sanctus, & sui fratris ut uerè dixerim frater, delatum sibi omni iudicio suscepit Imperium, non hæreditarium, sed merito uirtutum. Qui factus est Imperator, etiamsi frater Claudij principis non fuisset. Ob breuitatem autẽ temporis, nil dignum imperio gerere potuit. Nam decimaseptima die imperij interemptus est. Vnde cum Claudius eum consortẽ imperij habere uellet, & sorte de eo consuleret, responsum huiusmodi accepit, Ostendent terris hunc tantum fata. Vopiscus autor est, Quintillium sibi uenas secuisse, dum accepisset Aurelianũ ab exercitu Imperatorem dictum. De hoc Quintillio Eutropius libro nono, capite decimoquarto: Quintillius post eum, Claudij frater, consensu militum Imperator electus est: unicæ uir moderationis & ciuilitatis, æquandus fratri, uel præponendus, consensu Senatu appellatus Augustus, septimadecima imperij die occisus est. Idem Orosius libro septimo, capite decimoquinto: & Aurelius titulo tricesimoquinto.

Post quem Aurelianus factus est Imperator, qui regnauit annis quinq;, mensibus sex.

VALERIVS AVRELIANVS

IMP. AVG. XXIX.

Orosius libro septimo, capite decimoquinto: Anno ab Vr. con. M. uigesimoeptimo, Aurelianus, uigesimusnonus ab Augusto, imperium adeptus, quinque annis & sex mensibus tenuit, uir industria militari excellẽtissimus. Expeditione in Danubium suscepta, Gotthos magnis prælijs strauit, ditionemq; Romanam antiquis terminis statuit. Inde in Orientem conuersus, Zenobiam, quæ, occiso

Odenato

CHRISTI Ab urbe con. Odenato suo marito, Syriam receptã sibi uendicabat, magis prelij terrore, quàm prælio in potestatẽ redegit. Tetricũ in Gallia minimè sufficientẽ sustinere seditiones militũ suorũ, scribentemq; etiã, Me eripe his inuicte malis, ac per hoc proditorem exercitus sui sine labore superauit. Sic Oriẽtis & Aquilonis receptor magna gloria triumphauit. Vrbẽ Romanã firmioribus muris cinxit. Nouissimè cũ persequutionem aduersum Christianos agi, nonus à Nerone decerneret, fulmẽ ante eum magno astantium pauore ruit, ac non multo pòst in itinere occisus est. Eadem, sed uberius, Eutropius libro nono, capite decimoquinto, qui eum Alexandro Magno & Cæsari Dictatori comparat: eademq; ijsdẽ uerbis de Aureliano scribit, quæ Sex. Aurelius titulo tricesimosexto. Confer utrumq; simul. Meminit huius & Ruffus Sextus. Sed Flauius Vopiscus Aureliani uitam latissimè exequutus est, è quibus & nos quædam excerpsimus.

Sub quo hi Consules fuerunt:

QVIETVS ET VOLDVMIANVS. CCLX. 1

275. 1025 Horum Coss. mentionem faciens autor ille de Præfectis, sic scribit: Quieto & Voldumiano Coss. Flauius Antiocianus præfectus Vrbis fuit. III

TACITVS ET PLACIDIANVS. 2. 2

276. 1026 Autor de Præfectis inquit: Tacito & Placidiano Coss. Furius Orphitus præfectus Vrbis fuit. Sed alius itẽ de Coss. ignotus autor, quem frequenter citaui, Consulem alterũ Placidum, non Placidianum uocat. De quo puto illa scribi, quæ Vopiscus in Aureliano prodit in hæc uerba: Vidimus proximè consulatum Furij Placidi tanto ambitu in Circo editũ, ut non præmia dari aurigis, sed patrimonia uiderentur. Cũ darẽtur tunicæ subsericæ, lineæ paragaudæ, darẽtur etiã equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim, ut iam diuitiarũ sit, non hominum consulatus: quia utiq; si uirtutibus defertur, editorem spoliare non debent. Perierunt casta illa tempora, & magis ambitione populari peritura sunt. Sed nos hanc rem in medio relinquamus.

AVRELIANVS ET CAPITOLINVS. 3. 3

277 1027 Autor ille ignotus de Pręfectis horũ Coss. mentionem ita facit: Aurelian o secundo & Capitolino Coss. Furius Orphitus præfectus Vrbis fuit. Autor quoq; de Pontificibus sic horũ Coss. meminit: Felix annis quinq;, mensibus undecim, diebus uigintiquinq; Claudij & Aureliani à Cons. Claudij & Paterni usq; in cõsulatũ Aureliani secundũ & Capitolini, ut suprà scripsimus: quia iam Felix Papa cũ cęteris passus est, ut quidam scribunt, anno Christi 272. mense Augusto.

His Coss. Aurelianum Romæ triumphantem captiui Tetricus & Zenobia præcesserunt.

Eadem Eusebius libro Temporum ijsdem uerbis. Sed addit: Ex quibus Tetricus corrector postea Lucaniæ fuit. Zenobia in Vrbẽ summo honore consenuit. A qua hodie quoq; Romæ Zenobia familia nũcupatur. Eutropius libro nono, capite decimoquinto: Ingressus Romam Aurelianus, nobilẽ triumphum, quasi rector Orientis Occidentisq;, recepit, præcedẽtibus currũ Tetrico & Zenobia. Qui quidẽ Tetricus etiã corrector Lucaniæ postea fuit, ac priuatus diutissimè uixit. Zenobia autẽ posteros, qui adhuc manent Romæ, reliquit. Eadẽ Sextus Aurelius titulo tricesimosexto. De Tetrico uerò & Zenobia Trebellius Pollio multa in libello de triginta tyrannis. Quàm speciosus autem fuerit ille Aureliani triumphus, & quo ordine gestus, latissimè Vopiscus in Aureliano explicat.

278. 1028 AVRELIANVS I. ET MARCELLINVS. 4. 4

Autor mihi non cognitus nomine de Præfectis sic scribit; Aureliano tertio & Marcellino

Marcellino Coss. Posthumius Syagrius præfectus Vrbis fuit. & autor de Pontificibus sic horum meminit: Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani à Cons. Aureliani tertio, & Marcellini usq; in quartum diem Idus Decembris, Caro secundò & Carino Coss.

His Coss. Aurelianus templum Soli ędificat: Romam firmioribus muris circumuallat.

Eadem Eusebius iisdem uerbis libro Temporũ, Eutropius, & Sex. Aurelius. Hic muris ualidioribus & laxioribus Vrbẽ sepsit. Templum Soli ædificauit, in quo infinitum auri gemmarumq; instituit. Vopiscus in Aureliano: Templũ Solis magnificentissimum constituit. Muros urbis Romæ sic ampliauit, ut quinquaginta propè millia murorum eius ambitus teneant. In templo Solis multum auri ac gemmarum constituit.

CCLXIIII 5 PROBVS ET PAVLINVS. 279. 1029

Ordo Coss. Caßiodori, & duorũ authorũ, quos sæpe cito, ignotorũ, diuersificantur hoc loco. Ob id utriusq; ordinis Coss. ponam. Hoc enim loco, ubi Caßiodorus Probũ & Paulinũ ponit, duo ignoti autores Tacitũ secũdò & Aemilianũ locant. Autor quoq; de Præfectis sic scribit: Tacito secundò & Aemiliano Coss. Ouinius Pacatianus præfectus Vrbis fuit. Et post hos Coss. subiunguntur illi quos Caßiodorus ponit, Probus & Paulinus. Sub quibus item Ouinius Pacatianus præfectus Vrbis fuit. Adeò ut suspicandum sit, deesse unum consulatum in Caßiodoro: sed & sequenti anno, ubi ponuntur, quærẽdum itaq; est. Sicut apud Eusebium libro Temporum, ubi penè omnia sunt deprauata, hoc loco scribitur Olympias ducentesima sexagesimasecunda.

2. 6 PROBVS II. ET PATERNVS. 280. 1030

Autor ignotus scribit. Probus secundùm & Lupus: & sequenti consulatu adscribitur Probo Paternus. Vnde & autor de Præfectis inquit: Probo & Lupo Coss. Furius Lupus præfectus Vrbis fuit.

His Coss. inter Constantinopolim & Heracleam Aurelianus occiditur. Cui successit Tacitus, qui regnauit mensibus sex. Sub quo hi Consules fuerunt.

Orosius libro septimo, capite decimosexto: Anno ab Vrbe condita millesimo tricesimosecundo, Tacitus tricesimo imperium adeptus, sexto mense occisus in Ponto est. Eutropius libro nono, capite decimosexto: Tacitus post hunc imperium suscepit: uir egregiè morigeratus, & reipublicæ gerendæ idoneus. Nihil tamen egregium potuit ostendere. infra sextum enim mensem imperij morte pręuentus est. Aurelius titulo tricesimoseptimo: Tacitus post hunc suscepit imperium, uir egregiè moratus, qui ducentesimo imperij die apud Tarsum febri moritur. Taciti Vitam Vopiscus descripsit. Vnde nos quoque quædam excerpsimus.

P. ANNIVS TACITVS IMP.

CAES. AVG. XXX.

3. 1 PROBVS III. ET PATERNVS. 281. 1031

Autor mihi non cognitus de Pręfectis: Probo III. inquit, & Paterno Coss. Furius Lupus præfectus Vrbis fuit. Sed mihi hoc loco occurrit dubiũ. Nam Vopiscus in Tacito, quod etiã obseruandum est, scribit, ante electum à senatu Tacitum Imperatorẽ, fuisse interregnũ per sex menses. Quandoquidẽ milites ac exercitus eligẽdi Cæsaris copiã Senatui fecerũt. Quod senatores uicissim in milites reiecerunt, ac ita senis mensibus interregnum fuit. Sed cũ Senatus in curiam

Pompilianam

CHRI-STI Ab urb. con. Tac.

Pompilianam conuenisset Velius Cornificius, Gordianus Cõsul, ordinante Metio Falconi Nicomacho uiro cõsulari, Tacitũ Imperatorẽ designauit, & Aelius Cesetianus præfectus Vrbis hunc in cãpo Martio militibus cõmendauit. Neuter tamen ab illis autoribus memoratur, neq; Cos. Gordianus, neq; Aelius præfectus Vrbis, nisi fortè Gordianus ille, quod omnino credo, suffectus fuerit Cõsul, non ordinarius. Suffecti enim tum creabantur. Nã & Vopiscus cõmemorat in Probo in quadã epistola Taciti, Tacitũ seipsum cum Probo in proximum annũ Coss. destinasse. Sed cũ Tacitus Imperator factus, Floriano fratri suo consulatũ petijsset, nõ obtinuit. De qua re gauisus, testatus est scire Romanũ Senatũ quem Imperatorẽ legisset. Non impetrauit autẽ ieciro, q; iam Senatus omnis inuidia suffectorum Consulum clauserat. Idem præterea Vopiscus in Probo mentionẽ facit Consulis cuiusdam, qui inter hos non legitur, cui nomen est Aelius Scorpianus: qui fortè etiam ex suffectis fuit.

His Coss. Tacitus in Ponto occisus est, & obtinuit imperium Florianus diebus octogintanouem.

Eadem Eusebius libro Temporũ. Orosius: Post quẽ Florianus partem regni in sortem ferens, tertio demum mense apud Tarsum interfectus est. Eutropius libro nono, capite decimoseptimo: Florianus, qui Tacito successerat, duobus mẽsibus & diebus uiginti in imperio fuit. Neq; quicquam dignum memoria egit. Sex. Aurelius titulo tricesimooctauo: Huic succesit Florianus. Sed cum magna pars exercitus equitantium, Probum militiæ peritũ legisset, Florianus dierũ sexaginta, quasi per ludum imperio usus, incisis à semetipso uenis, effuso sanguine consumptus est. Sed & Vopiscus huius uitam conscripsit.

Hoc quoque apud Tarsum interfecto, Probus factus est Imperator, qui regnauit annis sex, mensibus tribus.

Orosius libro septimo, capite decimosexto: Anno ab Vr. con. millesimo tricesimotertio, Probus trigesimusprimus regnũ sortitus obtinuit, annis sex & mensibus quatuor. Gallias iã dudũ à barbaris occupatas, per multa ac grauia prelia, deletis tandem hostibus, ad Præfectum liberauit. Bella deinde ciuilia, equidem plurimo sanguine, duo gessit: unũ in Oriente, quo Saturninum tyrannide subnixum oppressit, & cæpit: alterum, quo Proculum & Bonosum Agrippinã magnis prelijs superatos interfecit. Ipse apud Symiũ, in Turre ferrata militari tumultu interfectus est. Sextus Aurelius titulo tricesimonono: Probus genitus patre agresti, hortorũ studioso, Dalmatio sanguine, imperauit annis sex. Iste Saturninũ in Oriente, Proculum & Bonosum Agrippinę Imperatores effectos, oppressit. Vineas Gallos & Pannonios habere permisit: opere militari Almũ montẽ apud Syrmiũ, & Aureũ apud Mœsiã supiorẽ uineis cõseruit. Hic Syrmio in Turri ferrata occidit. Eadẽ Eutropius libro nono, capite decimooctauo. Plura Vopiscus.

M. AVRELIVS PROBVS XXXI.

Sub quo hi Coss. fuerunt:

MESSALA ET GRATVS. 4. 1

282. 1032 Meminit horum Coss. autor ille ignotus de Præfectis, in hæc uerba: Messala & Grato Coss. Furius Lupus præfectus Vrbis fuit.

His Coss. Galliæ, quæ fuerant à barbaris occupatæ, à Probo Romano restituuntur imperio.

Eusebius libro Temporũ: Probus Gallias, à barbaris iterũ occupatas, ingenti uirtute restituit. Paulo antè ex Orosio & Aurelio illud annotauimus. Sed si bellũ illud Gallicũ clarius scire uolueris, Vopiscum adeas, qui luculenter te edocebit.

CCL-XV 2 PROBVS IIII. ET TIBERIANVS.

Horum item Coss. autor ignotus de Præfectis sic meminit, Probo IIII. & Tiberiano Coss. Ouinius Paternus præfectus Vrbis fuit. 283. 1033

2. 3 PROBVS V. ET VICTORINVS. 284. 1034

De his Coss. ita scribit præfatus autor: Probo quintò, & Victorino Coss. Pomponius Victorianus præfectus Vrbis fuit.

His Coss. insana Manichæorum hæresis in commune humani generis malum exorta.

Eusebius eadem libro Temporũ, eisdem penitùs uerbis: Quo pacto aũt hanc hæresim Persa quidam, nomine Manes, excitauit, pluribus id Eusebius docet libro septimo, capite uigesimoseptimo Ecclesiasticæ historiæ. Tradit Eusebius, q̀ Probus Gallos & Pannonios uineas habere permisit, Almeamq́ & Aureum montem militari manu consitos prouincialibus colendos dedisse.

3. 4 CARVS ET CARINVS.

De his Coss. sic scribit ignotus ille de Prefectis autor: Caro & Carino Coss. Titurius Robustus prefectus Vrbis fuit. Vopiscus in uita Carini, eius flagitia describens, inter cætera inquit: Inuito patre Consul processit, superbas ad Senatum literas dedit, & reliqua quæ sequuntur. Meminit & horum Coss. autor ille incertus de Pontificibus, ut superius annotaui. Tradit Eusebius, quòd iuxta hæc tempora Saturninus magister exercitus, nouam ciuitatem Antiochiæ orsus est condere; qui postea imperium molitus inuadere, Apameæ occiditur. 285. 1035

4. 5 CARINVS II. ET NVMERIANVS. 286. 1036

Ignotus autor habet, Carus II. & Numerianus. Et de præfectis, Caro secũdò, inquit, & Numeriano Coss. Ceionius Varus præfectus fuit Vrbis.

CCLX-VI 6 DIOCLETIANVS ET ARISTOBOLVS. 287. 1037

Ignotus autor habet, Diocletianus secundùm & Aristobolus, sub quibus prefectus Vrbis fuit Ceionius Varus.

His Coss. Probus apud Syrmium tumultu militari in turri, quæ uocatur Ferrata, occiditur. Cui succesit Carus cum filijs suis, Carino & Numeriano, qui regnauerunt annis duobus. Sub quo hi Coss. fuere.

Orosius libro septimo, capite decimosexto: Anno ab Vr. con. millesimo tricesimoseptimo, Carus Narbonensis trigesimussecundus suscepit imperium, ac biennio tenuit. Qui cum filios suos, Carinum & Numerianum, consortes regni efficeret, bello Parthico, postquam duas ualidissimas urbes & nobilissimas Parthorum, Cothem & Ctesiphontem cepit, super Tigridem in castris fulmine ictus interijt. Numerianus, qui cum patre fuerat, rediens, fraude Apri soceri sui interfectus est. Obseruandum subesse errorem in Orosii exemplaribus. Nam Eutropius & Ruffus Sextus Soænẽ & Ctesiphontem urbes Carum cæpisse scribunt, non Cothem. Par menda occupauit Eusebium. Eadem Eutropius, sed diffusius, libro nono, capite decimonono: & Sex. Aurelius titulo quadragesimo. Satis est enim digito indicare: ne si omnia huc congerantur, fastidium pariant. Vopiscus omnium uitas & res gestas abundè scripsit: è quibus & nos inferius quædam excerpsimus.

M. AVRELIVS CARVS CAES. AVG. XXXII.

2. 1 MAXIMVS ET AQVILINVS. 288. 1038

Ignotus autor de præfectis scribẽs, inquit: Maximo & Aquilino Coss. Iunius

CHRISTI. Ab urbe con. Olymp. Imp. Cari.

Maximus præfectus Vrbis fuit. Vopiscus in Caro refert Iunium Calphurnium, qui ad memoriam dictabat, talem ad præfectum Vrbis super morte Cari dedisse epistolam: Cum, inquit, Carus princeps noster, uerè carus, ægrotaret, & tanti tur binis subitò exorta tempestas esset, ut caligarent omnia, neq; alter alterum nosce re permitteret: coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata uibratio omnibus nobis ueritatis scientiam sustulit. Subitò e= nim conclamatum est, Imperatorem mortuum, & post præcipuè tonitruũ, quod cuncta terruerat. His accesſit, quòd cubicularij dolentes principis mortem, in- cenderunt tentorium. Vnde fama emersit, fulmine interemptum eum, quẽ quan tum scire possumus, ęgritudine constat absumptum esse. Vide Vopiscũ. Hac tẽ- pestate floruerunt uiri eruditione clari, Iulius Capitolinus, Vopiscus Syracusa- nus, & his aliquanto antiquiores Trebellius Pollio, Aelius Lampridius, Volca- tius Gallicanus, Aelius Spartianus, & Herodianus, omnes Cæsarum scriptores, & quos magna ex parte sequuti sumus.

His Coss. cum Carus deuictis Parthis castra supra Tigridem po- suisset, fulmine ictus interijt.

Eadem Eusebius libro Temporum, Orosius, Eutropius, Aurelius Ruffus, ut paulo antè annotauimus.

289 1039 DIOCLETIANVS II. ET MAXIMIANVS. 3. 2

Autor ignotus de Præfectis: Diocletianus tertiùm & Maximiano Coss. Iu- nius Maximus præfectus Vrbis fuit.

His Coss. Numerianus occiditur. Carinus apud Margum fluuium prælio uictus interijt.

Eutropius libro nono, capite decimonono: Numerianus filius eius, quem se- cum Cæsarem ad Persas duxerat, adolescens egregiæ indolis, cum oculorum do lore correptus, in lecticula ueheretur, impulsore Apro, qui socer eius erat, per in= sidias occisus est: & cum dolo eius mors occultaretur, quousq; Aper inuadere posset imperium, fœtore cadaueris prodita est. Milites enim qui eum sequeban- tur, fœtore commoti, deductis lecticulæ pallijs, post aliquot dies mortem eius no tam habere potuerunt. Carinum Diocletianus apud Margum fluuium Dalma- tiæ superauit.

Post quos Diocletianus Dalmata suscepit imperium, qui regnauit annis uiginti. sub quo hi Coss. fuere.

Orosius libro septimo, capite decimosexto: Anno ab Vr. con. millesimo qua dragesimoprimo, Diocletianus tricesimustertius, ab exercitu Imperator electus, annis uiginti fuit. Statimq; ut potestatis copiã habuit, Aprum interfectorẽ Nu= meriani manu sua interfecit. Carinum deinde, quem in Dalmatia Carus Cæsa- rem reliquerat, flagitiose uiuentem, difficilimo bello & maximo labore supera- uit. Quæ uerò deinde in imperio gesſit, & quomodo Maximianum consortem imperij asciuit, qui deinceps duos Cæsares adoptarunt, Constantium & Gale- rium, latè dehinc hoc capite & sequenti describit. fastidium gigneret, si omnia coaceruarem. satis est digito indicare. Eutropius quoque libro nono, capite ulti= mo, Diocletiani & Maximiani res gestas enumerat. Libro uerò decimo ab ini- tio Galerij & Constantij imperium explicat. Sextus item Aurelius titulo qua- dragesimoprimo, & sequentibus tribus, quid sub ijs gestum sit, enarrat. Porrò Eusebius in Ecclesiastica historia libris duobus, octauo & nono, quęcunq; Eccle sia sit passa sub ijs Imperatoribus, latisſimè explicat: & nos in Catalogo Cæsa- rum quædam de his scripsimus.

Olymp. Imp. Dioc. DIOCLETIANVS IMP. AVG. XXXIII. CHRISTI Ab con.

4. 1 MAXIMIANVS II. ET IANVARIVS. 290. 1040

Hoc anno scribit Eusebius libro Temporum, Diocletianum occidisse Aprũ in concione militum, de quo Vopiscus, Orosius Eutropius, Aurelius, & penè omnes Meminit horum Coss. autor ille ignotus de Pręfectis, qui ita scribit: Maximiano iterum & Ianuario Coss. tertio Cal. Martias Pomponius Ianuarius pręfectus Vrbis eligitur.

CCLXVII 2 BASSVS, ET QVINTIANVS. 291. 1041

Autor ignotus de Præfectis: Basso secundo & Quintiano Coss. Pomponius Ianuarius præfectus Vrbis fuit.

His Coss. Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum asciuit.

Eusebius libro Temporum: Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum assumpsit: qui rusticorum multitudine oppressa, quę factioni suæ Bacharidarũ nomen indiderat pacem Gallijs reddit. Orosius libro septimo: Dehinc cum in Gallia Amandus & Aelianus, collecta rusticorum manu, quos Vacandas uocabant, perniciosos tumultus excitauissent, Maximianum cognomẽto Herculium Cæsarem fecit, misitq; in Gallias, qui facilè agrestium hominum imperitiam & confusam manum militari uirtute compescuit. Eutropius libro nono, capite uigesimo: Cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, & factioni suę Bagauridarum nomen imponeret, duces autem haberent Amandum & Aelianum, ad subigendos eos Maximianum Herculium Cæsarem misit: qui leuibus prælijs agrestes domuit, & pacem Galliæ reformauit.

2. 3 DIOCLETIANVS III. ET MAXIMIANVS III. 292. 1042

Autor ignotus de Præfectis ita horum Coss. meminit: Diocletiano quartò, & Maximiano tertiò Coss. Turranius Gratianus præfectus Vrbis fuit. Scribit Eusebius libro Temporum, hoc anno Carausium sumpta purpura Britannias occupasse. De quo Eutropius clarius sic scribit: Per hæc tempora etiam Carausius quidam uilissimè natus, qui in strenuæ militiæ ordine famam egregiam erat consequutus, cum apud Bonnam (sic enim legendum, non Bononiam, ut peruersi omnes habent codices) tractum Belgicæ (non Bellicæ) & Armorici, compacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant, multis barbaris sæpe captis, nec præda integra aut prouincialibus reddita, aut Imperatoribus missa, cũ suspicio esse cœpisset, cõsultò ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda acciperet, atq; hac occasione ditaret se, à Maximiano iussus occidi, purpurã sumpsit, & Britannias occupauit. Hæc eadem breuius Orosius libro septimo, capite decimosexto.

3. 4 TIBERIANVS, ET DION. 293. 1043

Autor ignotus de Præfectis inquit: Tiberiano II. & Dione Coss. duodecimo Cal. Martias Iunius Tiberianus præfectus Vrbis fuit. Illius Tiberiani mentionẽ facit Flauius Vopiscus in Aureliano his uerbis: Hilaribus quibus omnia festa & fieri debere scimus, & dici, solennibus, uehiculo suo me & iudiciali carpẽto, præfectus Vrbis, uir illustris, ac præfata reuerentia nominandus, Iunius Tiberianus accepit, & c. Erãt autem Hilaria (ut id quoq; iunioribus aperiã) dies festus octauo Calendas Apriles, ut in Romano Calendario peruetusto obseruaui. In quibus lætitiæ exordium erat, quo primùm tempore sol longiorẽ diem facit, Pani deo dicatus, omnium autori: & quo die Saluatorem nostrum passum esse quidam tradunt, ut superius scripsimus.

ANNIBA-

CHRI-STI | Ab ur. con. — Olymp. | Imp. Dioc.

ANNIBALLIANVS, ET ASCLEPIODOTVS. 4. 5

294. 1044 Autor ignotus de Præfectis horum Coss. mentionem faciens, inquit: Anniballiano & Asclepiodoto Coss. tertio Nonas Augusti Cl. Marcellus præfectus Vrbis fuit. Eutropius Asclepiodoti cuiusdam mentionem facit, qui præfectus prætorio fuit, à quo fuit allectus socius Carausii, qui post eum occisum Britannias occupauit. interemptus est decimo anno Britanniæ recuperatæ. Si hic fuerit, an alius, quærendum est. Constantius præterea ex Theodora uxore filiū habuit Anniballianum nomine, ut in Cæsaribus nostris dicemus, qui & Gallus dicitur. Cuius filius Dalmatius à Constantino Magno Cæsar & hæres est factus. Licet & ex Constantia, uxore Licinij, etam Anniballianus legatur, qui consanguineus Dalmatij Cæsaris ab Aurelio uocatur, Armeniasq; occupasse scribitur. Circa hæc tempora, ut Eusebius testatur, & fermè omnes temporum scriptores, Narseus Persarum rex in oriente bellum excitauit, Achilleus in Aegypto, Quinquegentiani in Africa. Ob quas turbas Diocletianus Maximianum Augustū fecit, assumptis duobus inde Cæsaribus, Constantio atq; Galerio, quibus suas insuper filias dederunt, ut arctiori affinitate sibi hos coniungerent. De quibus in Cæsaribus nostris plura scripsimus. Sed & Eutropius & Orosius ac Sex. Aurelius sunt uidendi. CCLXVIII 6

295. 1045 DIOCLETIANVS IIII. ET MAXIMIANVS IIII.

Aliter autor ignotus de Præfectis, Diocletiano V. & Maximiano IIII. inquit Coss. tertio Idus Martias Septimius Acyndinus præfectus Vrbis fuit. Tradit Eusebius, quòd Busiris & Copus contra Romanos belligerantes, ad solum usq; subuersæ sunt: & quod Carporum & Bastarnarū gentes in Romanū solū sunt conflatæ. 2. 7

296. 1046 CONSTANTIVS, ET MAXIMVS.

Ita scribitur in exemplari Casiodori. Sed autores duo ignoti de Coss. & Præfectis scribunt, Maximiano. Ita enim alter horum ait: Constantio & Maximiano Coss. Septimius Acyndinus præfectus Vrbis fuit. Diuersi enim sunt hi Maximiani. Primus enim Diocletiani collega Maximianus, Herculius cognomento dicebatur: Collega autem Constantij Maximianus, Galerius. nisi fortè tribus hic nominibus appellatus sit, Maximus Galerius Maximianus. Quem tamen Sextus Aurelius cognomine Armentarium uocat, ut latius in Cæsaribus nostris scriptum reliquimus. Sed & Pomponius Lætus in suis Cæsaribus admonuit lectores, ne Maximinum, pro Maximiano, errore librariorum, legerent. Affertq; epigramma in agro foro Semproniensi ex saxo quadrato exscriptum, his uerbis:

ETERNI IMPERATORES DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AVGG. PERPETVI CAESARES CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS,

Pridie Calendas Ianuarias ingressi sunt.

Hoc etiam Casiodorus annotauit, dicens:

His Coss. Vandali & Halani transito Rheno Gallias intrauerunt.

Vide Orosium libro septimo, & Paulum Diaconum, atque Iornandem de origine Gotthorum. 3. 8

297. 1047 TVSCVS, ET ANVLINVS.

Autor ignotus de Præfectis horum Coss. sic meminit: Tusco & Anullino Coss. tertio Idus Ianuarias Aristobolus præfectus Vrbis fuit. Sex Aurelius Anulini Senatoris meminit: traditq; libertinum huius senatoris fuisse patrem Diocletiani. An is sit, an alius, quærendum. Emaculandus est igitur codex Eutropij, ubi scribitur Anuli Senatoris, pro Anulini. Circa id tempus Diocletianus pacauit Aegyptum, superato Achilleo, qui imperium arripuit, & urbes duas populosas ac dites euertit, quæ prope Thebas erant positæ, quæ dictæ sunt Busiris & Capos.

& Capos. Corrige Eusebium, ubi perperam legitur Coptus.

4. 9 DIOCLETIANVS V. ET CONSTANTIVS II.

Autor ignotus de Præfectis: Diocletiano VI. & Constantio II. Coss. duodecimo Calendas Martias Caßius Dion præfectus Vrbis fuit. Et ille quoq; autor de Pontificibus sic habet: Gaius annis XII. mensibus IIII, diebus VII. fuit. Temporibus Cari & Carini ex die XVI. Cal. Ianuarij Coss. Caro II. & Carino usq; in X. Cal. Maij Diocletiano VI. & Constantio II. 298. 1048

CC-LXIX 10 MAXIMIANVS V. ET MAXIMVS II.

Iterum est apud ignotum autorem alia lectio. Scribit enim, Maximiano V. & Maximiano II. Afranius Anniballianus præfectus Vrbis fuit. Et sunt duo Maximiani, de quibus paulo antè scripsimus, intelligendi, Maximianus Herculius Aug. & Galerius Maximianus Cæsar. 299. 1049

2. 11 FAVSTVS ET GALLVS.

Autor ignotus de Præfectis sic scribit: Fausto secundùm & Gallo Coss. Artorius Maximus præfectus Vrbis fuit. 300. 1050

His Coss. primus Diocletianus adorari se iußit ut Deum, & gemmas uestibus calciamentisq; conseruit, cum ante eum omnes Imperatores in modum iudicum salutarentur, & chlamydem tantum purpuream à priuato habitu plus haberent.

Eadem ijsdem uerbis Eusebius libro Temporum. Eutropius hæc eadem ita narrat: Diocletianus morigeratus callidè fuit sagax, præterea & admodum subtilis ingenio, & qui seueritatem suam aliena inuidia uellet implere, diligentißimus tamen & solertißimus princeps, & qui imperio Romano primus regiæ consuetudinis formam magis quàm Romanæ libertatis inuexerat, adorariq; se iußit. Cum ante eum cuncti salutarentur, ornamenta gemmarum uestibus calciamentisq; addidit. Nam prius imperij insigne in chlamyde purpurea tantum erat, reliquaq; communia. Hodie noster summus Pontifex, qui se seruum seruorum appellat, per humilitatem suos pedes deosculandos præbet, calceis gemmas & formam sanctæ crucis insinuans: fortè Diocletiani maiestatem imitatus, à quo didicit sic adorari.

3. 12 DIOCLETIANVS VI. ET MAXIMIANVS VI.

Autor ignotus de Præfectis, Diocletiano septimò, & Maximiano sextò Coss. Anitus Faustus præfectus Vrbis fuit. 301. 1051

4. 13 CONSTANTIVS III. ET MAXIMVS III.

Sic habet codex Caßiodori, quanquam ut superius testatus sum, credam Maximianum fore scribendum, non Maximum. Nam & autor ignotus de Præfectis scribit, Constantio tertiò, & Maximiano tertiò Coss. Calendas Martias Pompeius Faustinus præfectus Vrbis. Et Pomponius Lætus tradit in templo Vestæ nuper reperto ad forum Ro. in marmorea basi fuisse scriptum: 302. 1052

DEDICATA XIIII CAL. IAN. CONSTANTIO III. MAXIMIANO III. CAESS. COSS. CVRANTE AVR. NICETA.

CC-LXX 14 TITIANVS ET NEPOTIANVS.

Autor ignotus de Præfectis horum Coss. sic meminit: Titiano II. & Nepotiano Coss. Aelius Dionysius præfectus Vrbis fuit. Circa id tempus, teste Eusebio, libro Temporũ, post decem annos per Asclepiodotum præfectum pretorij Britanniæ sunt receptæ. Idem Eutropius atq; Orosius. 303. 1053

CONSTAN-

CHRISTI 304. Ab ur. con. 1054 CONSTANTIVS IIII. ET MAXIMVS IIII. 2. 15

Autor ignotus de Præfectis: Constantio quarto & Maximiano quarto Coss. undecimo Cal. Martias Nūmius Tuscus præfectus Vrbis fuit. Iam satis de Maximo & Maximiano diximus: sed non temerè mutamus Cassiodori codicē. Sed quo piaculo illud prętereā, quod Eusebius tradit in octauo Historię sacræ ultimo capite, ubi docet, Maximianū Cæsarē postquam morbo fuerat crudeli afflictus, edictū per omnes prouincias emisisse, ut Christianis parceretur. Idque factū eius octauo & Constantij quarto consulatu. Quanquam autē inferius octauus ponatur Maximi Consulatus, cui adiungitur Licinius: ambigo ne fortè notarum numerus, ut fit plerūque, sit corruptus. Vtcunque tamē siue sit hoc anno, uel alio emissum hoc edictum, omnino subscribere placuit, quod sonat in hæc uerba:

IMP. CAES. MAXIMIANVS INVICTISS. AVG. PONT. MAX. Germanicus, Aegyptiacus, Thebaicus, Sarmaticus V. Persicus II. Carpicus VI. Armenicus, Medorū & Adiabenorum uictor. Trib. pot. XX. Imp. XIX. Coss. VIII. P. P. Proc. & Imp. Cæs. Flauius Val. Constantius. P. F. inuictus, Aug. Pont. Max. Trib. pot. Imp. V. Coss. IIII. P. P. Proc.

Inter cætera quæ ad usum Reipub. decernimus, primò quidē uolueramus secundū antiquas leges & publicā Romanæ obseruantiæ disciplinā omnia moderari: inter quæ hoc etiā addere, ut Christiani qui paternā reliquerāt, ad eā rursum reuerterentur. Sed quoniā suo quodam iudicio tanta eos obstinatio huius rei habuit, ut nullo modo ad cultū antiquæ religionis redire uellent, quæ à maioribus nostris fuerat instituta, sed eo magis pro uoluntate sua unusquisque legem sibi ipsi constituit, & in locis diuersis plebs diuersa concurrit: cūque ijs propositū à nobis edictū fuisset, ut ad patrias leges redirent, & ueterū auctoritate cōstitutas, plerique illorū magis se periculis subijcere, cædesque innumeras perferre, quam præceptis talibus obedire maluerunt: quoniāque in eadē adhuc sententia permulti obstinatius agunt, ut nec dijs Romanis honorē ullū redderēt, neque religioni suæ satisfacerēt: pro nostra clementia atque mansuetudine, quā omnibus exhibemus, & nūc erga Christianos putauimus probandā, ut rursus Christiani sint, & cœtus habeant & cōuenticula, in quibus orare cōsueuerunt, cōstruere atque ædificare possint: ita tamen, ut nihil cōtra publicā disciplinā faciant. alijs uerò locis atque epistolis satis indicauimus, quid eos oporteat obseruare. Vnde hac nostra indulgētia illis cōcessa, suum Deum exorare debent, pro salute nostra, & pro Reipub. statu, ut ea integra atque incolumi, ipsi etiam securi agere in proprijs laboribus possint. Hoc edictum ex Romano sermone in Græcum uersum ex Eusebio Pamphilo, rursus Iurantius Ruffinus latinum fecit. Sed nisi sex mensibus ratum tenuit hoc edictum, reuersus ad solitam sæuitiam.

His Coss. LX millia Alemanorum sunt cæsa.

Eusebius libro Temporū: Iuxta Lingonas à Constantio Cæsare sexaginta millia Alemanorū cęsa. Eutropius libro nono, capite uigesimo: Per idē tēpus à Constantio Cæsare in Gallia pugnatū est circa Lingonas. die una aduersam & secundam fortunā expertus est. Nam cū repentè barbaris ingruentib. intra ciuitatem, ijsset coactus tam præcipiti necessitate, ut clausis portis per murū funibus tolleretur, uix quinque horis medijs aduentante exercitu, sexaginta ferè millia cæcidit. Orosius libro septimo, capite decimosexto: Constantius uerò Cæsar in Gallia, primo prælio ab Alemanis profligato exercitu, uix ipse surreptus est. Secundo autem sequuta est satis secunda uictoria. Nam paucis horis sexaginta millia Alemanorum cæsa referuntur.

DIOCLETIANVS VII. ET MAXIMIANVS VII.

3. 16 Autor ignotus de Prefectis: Diocletiano VIII. & Maximiano VII. pridie Idus Septēbris Iunius Tiberianus præfectus Vrbis fuit. In quodā uenerādæ antiqui- 305. 1055
tatis chronicorum libello incerti autoris reperi: Diocletiano VII. & Maximiano VII. Coss. Ecclesiæ demolitæ sunt, & libri Dominici cōbusti sunt. & passa est S. Euphemia XVI. Cal. Octobris. Eusebius quoq; libro Temporū, ciciter id tēpus scribit, q Veturius magister militiæ Christianos milites persequitur, & paulatim dehinc persequutio aduersum Christianos est inchoata. Sed idē Eusebius historia sacra libro octauo, capite secūdo, tradit, nonodecimo imperij Diocletiani anno persequutionē esse inchoatā, iusto tamen Dei iudicio, & necessaria correptione, ut latißime ipsemet priori capite explicat. Tanta tū erat sacerdotū insolentia & superbia. Vereor ne aliquando id quoq; nostris tēporibus accidat, tanta est sacerdotum plurium hodie ab omni honestate degeneratio. Sed nolo os imponere cœlo. Deus immortalis cuiq; sua tribuet pro meritis. Damasus scribit, decē & septē millia hominū utriusq; sexus, diebus triginta per diuersas prouincias martyrio coronata fuisse: preter hos qui in insulas sunt relegati, uel ad metallum damnati quorum infinita propè multitudo habita est.

4. 17 DIOCLETIANVS VIII. ET MAXIMIANVS VIII. 306. 1059

Autor ignotus de Præfectis: Diocletiano nono & Maximiano octauo Coss. pridie Nouas Ianuarij Eraclius Ruffinus præfectus Vrbis fuit. Autor quoq; ignotus de Pontificibus sic horū meminit: Marcellinus annis VIII. mens. II. diebus XV. Fuit tēporibus Diocletiani & Maximiani ex pridie Cal. Iulias à Cons. Diocletiani sexto, & Cōstantij secūdo, usq; in Cons. Diocle. IX. & Maxi. VIII. Eusebius annos illi IX. tribuit, nec suo ordine, & minio colore scribit. Ideo à plerisq; putatur ab Eusebio omissus. Sed meo iudicio nō omissus ab Eusebio, sed cū Marcello Papa confusus, quē eundē esse putauit falso. Marcellinus enim natione Romanus, ex patre profecto de regione Capritauri, sub persequutione Diocletiani martyrio coronatus. Marcellus autem sub Maxentio migrauit ad Dominum, natione Romanus, ex patre Benedicto de regione Viæ latæ. Hic corpus Marcellini post XXX. dies necis, clàm sepeliuit iuxta corpus S. Petri in Vaticiano. Seditq; annū I. menses VI. dies XX. Obijt in Cataballo, in quo postea ecclesia cōstructa, eiusq; nomini dicata. Et hinc liquet, diuersos esse Marcellū & Marcellinum: & Eusebiū longè aberrasse, qui cū suis sequacibus ineptè supputauit. Cletū Marcū I. & Marcellū obmittēdo. quorū anni sunt XXII. Id fecit persequutio, quę pluribus annis durauit. Et nihil certi extat inter Christianos ob tēpla desolata & bibliothecas cōbustas, pter epistolas Alexādri episcopi Hierosolymitani, è quibus pauca colligi poterāt. Et ideo ne mirū quidē, si & cōsulatus sunt pleni errorū. Vndiq; enim boni libri cōburebant. Circa id tēpus thermæ Diocletianæ Romæ sunt factæ, & Maximiano Carthagini. Thermæ enim nominis Diocletiani inchoatę fuerūt à ueteribus principibus, & cōsecratæ Nonis Augustis à Cōstantio & Maximiano, ut quidā scribūt. Quē nos Maximianū Galerium nuncupamus. Diocletianus igitur absoluerat opus omni cultu perfectū, Sequuti Principes posuerūt ibi statuas & seniorū & nouorū Imperatorū: quorum capita integra & fragmenta reliqua corporū erui ex subterranea testudine, Pōponius Lætus uidit, & partim in Capitoliū delata, partim Florentiā missa: CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS INVICTI AVGG. SEVERVS ET MAXIMINVS CAESS.

CC- 18 CONSTANTIVS V. ET MAXIMVS V.
LXXI Autor ignotus de Præfectis: Constantio quintò & Maximiano quinto Coss. 307. 1057
pridie Idus Februarij Posthumius Titianus præfectus Vrbis fuit.

2. 19 CONSTANTIVS VI. ET MAXIMVS VI.

Autor ignotus de Præfectis: Constantio sextò & Maximiano sextò Co s decimaquarta 308. 1058

CHRISTI Ab ur. con. Dioc.

cimaquarta Aprilis Annius Anullinus præfectus. In uetustissimo sine autoris titulo Chronicorũ libello reperi hæc uerba: Cõstantio sextò & Maximiano sextò Coss. passus est Timotheus Romæ decimo Calendas Iulias. Vnde Eusebius libro Historię sacræ ecclesiasticæ octauo, capite secundo: Nonusdecimus, inquit, agebatur annus imperij Diocletiani, mensis Martius, & dies solennis Paschæ imminebat, cum edicta Principis in omnem terram proponebantur, ut cunctæ quæ ubicunque usquam sunt Ecclesiæ, ad solum usq; destruerentur, sacræ scripturæ igne exurerentur. Dehinc qualitatem persequutionum toto libro octauo & nono latissimè ordine explicat. Eusebius quoq; libro Temporum illius deciminoni anni meminit, quo ecclesiæ omnes sunt subuersæ.

His Coss. Diocletianus & Maximianus Augg. insigni pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, sororibus, liberis & omni præda, qua Parthos expoliauerant.

Eadem Eusebius libro Temporũ. & Eutropius: Cũ Diocletianus, ut suprà memorauimus, edicto sanxisset, uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur, uoluit ex ipso habitu ueluti Deus coli, adorari, uenerariq;. Itaq; ueste gemmata, & aureo gemmatoq; curru, cũ imperij consorte triumphauit, ingenti ferculorũ pompa, antè præcinentibus & saltãtibus militibus lætitia, quibus libertas erat, scommata in ipsos effundere triumphantes. Ipsa quidem fercula primus ostendit Romulus, qui ramum quernũ manu cæpit, in quo cæsi Acronis regis Ceninensiũ opima Ioui Feretrio in Capitoliũ tulit. Ferculis apud ueteres ferebantur spolia cæsorum hostium sanguinolenta. Postq; Romana arma longius prouecta uicere, fabricata fuere cum signis & monimentis uictorię, quæ possent manibus militũ ferri. Inferebantur ferè omnes triumphi uia Appia, porta Capena. Ea enim uia ampla, & octo milibus passuũ ab Vrbe frequens ex utroq; latere habitata, & inde in Capitolium amplũ & rectũ iter. In quo lignei primùm continuiq; arcus, pòst marmorei columnis suffulti, unde multitudo satis cõmodè triũphum spectare posset. Fuerunt item arma uictorũ in triumpho laureata. Et qui triumphabat, ex lauro coronã, cum peruenisset in Capitolium, post sacrificia ponebat in Iouis gremio. Primi triũphi fuere currus, clypei, arma horrida & spolia perfusa sanguine. Bello Punico secundo M. Marcellus deuictis Syracusis ostendit opes & signa, intulit & deorum simulacra: in quo reprehensus est à Q. Fabio, q̃ relinquere debuisset deos suis iratos, ut ipse prius fecerat de Tarentinis. Verùm inualuit consuetudo Marcelli. Nam longè antea captis Veijs M. Furius Camillus Veientanam Iunonem intulit Vrbi. Sed non idem semper ordo in triumpho seruatus fuit, quemadmodum superius latè docuimus. Pomponius Lætus graphicè historiarum libro secundo Diocletiani triumphum describit: à quo mutuare potueris quæ huc transferas.

309. 1059 DIOCLETIANVS IX. ET CONSTANTINVS. 3. 20

Ita scribitur in codice Casiodori. Cæterùm autor ille ignotus de Præfectis in hoc loco aliter habet, & sequenti consulatu: quæ uerba, ut ibi reperi, subijciam, licet quedã corrupta sint. Ita tamen se habent: Maximiano VII. & Maximino, ex mense Aprili factus est sextus Consulatus, quod est Diocletiano nouies, & Constantino sexto Calẽdas Septembris Iusteius Tertullus præfectus Vrbis. Tum sequitur: Coss. quos iusserunt D.D. NN. AVGG. ex septimo Calendas Maij factum est Maxentio & Romulo, quod est Diocletiano decies, & Maximiano septimo Coss. Idibus Aprilis Statius Ruffinus præfectus Vrbis. Sed noster Casiodorus simpliciter subiungit:

310. 1060 DIOCLETIANVS X. ET MAXIMVS VII. 4. 21

Circa id tempus grauissimæ fuerunt persequutiones in Christianos, quę decẽ

Olymp. Imp Dioc. annos penè durarũt. De quibus uide Eusebiũ libro nono historiæ Ecclesiasticæ. Sed quæ pœnę inde sequutæ sunt, uide illius caput octauũ: & Orosiũ libro septimo, cap. 18. plurib. enarrãtes hãc rem. Est aũt, ut toties iam repetã, Maximianus ille Galerius intelligendus, collega Constantij. Verùm autor ille ignotus, qui sub Coss. pręfectos Vrbis ponit, aliter Coss. enumerat, quàm Caßiodorus noster. Sed illius uerba paulopòst sub Cõstantini Coss. ponã, ut diligenter omnes indagemus antiquitates. Nũc uero Caßiodori uerba subijciamus, ut omnia ordine ponãtur. CHRISTI Ab urb. con.

His Coss. Diocletianus Nicomediæ Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt, ob ætatis defectum, & creati sunt Constantius & Galerius Augusti.

Eutropius: Ingrauescente æuo cũ se parũ idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, autor Herculio fuit, ut in priuatã uitã concederent, & stationem tuendæ Reipub. uiridioribus iunioribusque mãdarent. Cui ægrè collega obtemperauit. Tamen uterque uno die priuato habitu imperij insigne mutauit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani, post triumphũ inclytũ quẽ Romę egerãt ex innumeris gentibus, pompa ferculorũ illustri. Concesserunt tamẽ, Salonam unus, alter in Lycaoniã. Diocletianus priuatus in uilla, quę haud procul à Salonis est, pręclaro ocio senuit. Qui dũ ab Herculio atque Galerio ad recipiendũ imperiũ rogaretur, tanquam pestem aliquã detestatus, in hunc modũ respõdit: Vtinã Salonæ possetis uisere olera nostris manibus instituta, profectò istud tentandum nunquam iudicaretis. Lege reliqua de eius obitu, & eade scribentem Orosium libro septimo, capite decimoseptimo. Cæterùm Galerius solus Augustus biennio imperium tenuit, cum ueluti Cæsar annis sedecim regnasset: & Constantius decimosexto imperij anno diem obijt in Britannia Eboraci. Cui Constantinus succeßit, ut Eusebius, Eutropius, Orosius, Sextus Aurelius, & omnes colligũt. Ideo Caßiodorus Constantij annos filio attribuit, dicens:

Sed Constantius tantum Augusti dignitate contentus, cum esset ociosus, anni ipsius adscribuntur filio eius Constantino, qui natus dicitur ex Helena concubina: qui regnauit annis triginta, & mensibus decem.

De Galerio & Constantio Eutropius libro decimo, primis duobus capitibus, & decimoseptimo: Orosius libro septimo. Eusebius uerò in Ecclesiastica historia, capite decimosexto, sic de Cõstantio scribit: Cõstantius multa clemẽtia erga homines, erga Deũ uerò religione maxima utebatur. Neque uerò ex consortij rabie regnũ suũ piorũ sanguine maculauerat: neque orationũ domus & cõuenticula nostrorum, imitatus Maximiani uesaniam, hostili uastatione destruxerat: quin potius cultores Dei uenerationi habuit, & honori. Vnde & meritò religiosus pater, religiosiorẽ filiũ Constantinũ regni bene parti reliquit hæredẽ. At uerò Constantinus post Constantiũ statim ut Romani regni apicem ex paterna hæreditate suscepit, mira quadam Dei gratia, ciuibus charus, exercitui acceptus, uiris fortibus imitandus, facinorosis uerò & ignauis terribilis fuit, in obseruantia quoque religionis longè etiam patrem uincere studuit.

CONSTANTINVS MAGNVS

AVG. IMP. XXXIIII.

Orosius libro septimo, capite decimoseptimo: Anno ab Vr. con. M.LXI. Constantinus tricesimusquartus ab Augusto gubernacula imperij à Constantio patre suscepit: quæ uno & triginta annis felicißimè tenuit. De eius gestis plura Eutropius libro decimo, capite tertio. Sextus Aurelius titulo quadragesimosexto: Hic autẽ Constantinus primus Imperatorũ Christianus creatus est: excepto Philippo,

CHRI- STI | Ab urb. con. | | Olymp. | Imp. Con. Mag.

290. 1040 Philippo: qui Christianus annis admodũ paucissimis ad hoc tantũ constitutus fuisse uidetur, ut millesimus Romæ annus Christo potius quàm idolis dicaret. Nã cum uxore Serena & filio à Fabio Pontifice baptizatus fuit. Et ideo glossator & Bartolus scribunt in libro C. de episco. & cler. auctoritate. l. diui. C. de Natur. lib. Constantinum primum fuisse Christianum Imperatorem. Quæ tamen lex dicit, quia muniuit imperiũ fide Christiana: quia & cæteri Imperatores ab eo sunt babtizati. Quod Philippus facere nequiuit, quia paucis annis præfuit imperio. Zonoras, qui & Ioannes Monachus dicitur: Constantinus, inquit, inter reges celebris famæ, & inter eos qui Christiani fuerũt, maximè insignis, primus tamẽ Christianus Imperator. Addendum est hoc quoque, quia in Tripartita historia libro primo, quarto capite scribitur, Constantinũ in Britannia patre mortuo Imperatorẽ ordinatũ primo anno ducentesimæ septuagesimę primæ Olympiadis, uigesimoseptimo Iulij. Vetustus annalium codex, qui ad manus meas peruenit, habuit hæc uerba, quę huc quadrant: Anno domini Constantinus Constantij XXXIIII. ab Augusto ex concubina Helena filius. Hic primus Imperator, ex cepto Philippo, Christianus fuit. Et ex hoc Imperatores Christiani esse cœperunt.

Sub quo hi Coss. fuere:

311. 1061 P. C. DIOCLETIANI X. ET MAXIMI VII. CCLXXII 1

In historia Tripartita libro primo, capite quarto, Socrates sic scribit, quod huic loco maximè quadrat: Cũ Diocletianus & Maximianus Herculius priuatã elegissent uitã, & Maximinus Galerius, qui cũ eis imperauerat, tenens Italiã, duos Cæsares fecisset, Maximinũ in Oriente, & Seuerũ in Italia: tũc Constantinus in Britãnia patre mortuo ordinatur Imperator, primo anno ducentesimę septuagesimæprimę Olympiadis, XXVII. die mensis Iulij. Romę uerò à prętorianis militibus Maxentius, Maximiani Herculij filius instituitur Imperator. Hinc eius pater imperandi cupidine uoluit filiũ regno priuare: quod facere nequiuit. post hæc autẽ Cilicię Tarso moritur. Porrò Seuerus Romę contra Maxentiũ ueniens, militũ proditione peremptus est. Maximinus autem Galerius, instituens Licinium Augustum, moritur. Proinde Maxentius Romę uelut tyrannus habebatur, adulteria impudẽter exercẽs, & earũ uiros occidẽs, quẽ Constantinus postea occidit. 2. 2

312. 1062 P. C. DIOCLETIANI X. ET MAXIMIANI VII.

Sic scribuntur Coss. nomina in unico quod uidi exẽplo Cassiodori. Quanquam semper per Maximum accipio Maximianum. Autor uerò ignotus de Coss. in hoc loco sic habet:

Post Consul. x. & septimum.

Anni II. post Consul. x. & septimum.

Alter uerò autor de Pręfectis in hoc loco sic scribit, licet etiã suspicer uerba deprauata & mutilata. Subscribã tamen, ut occasionẽ prębeam cæteris alia inueniendi. Verba hæc autoris: Coss. quos iusserint DD. NN. AVG. ex mẽse Septemb. factum est Rufino & Eusebio VI. Cal. Nouẽ. Annius Anulinus XXXIIII. præfectus Vrbis. III. Cal. Aradius Rufinus iterũ præfect. Vr. Autor item de Pontificibus in hoc loco sic scribit: Marcellus episcopus sedit annũ unum, mensibus sex, diebus uiginti. Fuit temporibus Maxentij à Cons. Diocletiani IX. & Maximiano usque post consulatum decimum & septimum. Tanta est concordia horũ duorum ignotorum autorum, quo ad consulatus, licet plerisque in locis nomina sint deprauata. Persequutio post X. decem annos finita est.

313. 1063 MAXIMVS VIII. ET LICINIVS. 3. 3

Autor ignotus de Coss. scribit: Maximianus octauũ, & solus. Et cũ paulo antè ex alio autore de Præfectis duo ponuntur, Pręfectus Vr. fortè quędã uerba desunt. Autor quoque de Põtificib. sic scribit: Miltiades ann. III, mẽses VI, dies VIII.

Ex die

Olymp. Imp Con. M.g. Ex die VI. Nonas Iulias à consulatu Maximiani VIII. solo quod fuit mense Se- CHRI- Ab urbe
ptembri Volusiano & Ruffino, usq; in III. Idus Ianuarij Volusiano & Anniano STI con
Coss. Antiquarij igitur cum in bibliothecis uenationi librorum insistunt, uenentur accuratè, si fortè in hanc prædam decidant, ut has feras insectari poßint. Ego quod potui, feci, & profectò non sine diligentia. Circa id tempus uel paulo antè est Maxentius Herculij filius à prætorianis Romæ Augustus dictus: & à Galerio Seuerus aduersus hunc missus, & occisus Rauennæ. Maximianus autē, Maxentij pater, primùm filio, dehinc genero Constantino insidias molitus est: tandē à Fausta filia proditus, & Massiliæ occisus. Vt Eusebius, Eutropius, Orosius docent, & nos in Cæsaribus nostris latè explicauimus. Licinius autem priori anno Carnunti à Galerio factus erat Imperator. Doctiores nostræ ætatis Carnuntum esse putant in inferiori Austria. Hodie Petronella dicitur.

4 4. CONSTANTINVS II. ET LICINIVS II.

Eusebius libro Temporum tradit, sub id tempus Galerium Maximianum in- 314. 1064
terijsse uigesimo imperij sui anno, quod partim Cæsar, partim Augustus exercuit. Item ab alijs fertur Diocletianus obijsse, & inter deos esse relatus, qui tamen à Caßiodoro post quatuor annos scribitur defunctus.

CCLX-XIII 5 CONSTANTINVS III. ET LICINIVS III.

Autor ignotus de Præfectis: Constantino III. & Licinio III. Coss. sexto idus 315. 1065
Decēbris, Rufinus Volusianus prefectus Vrbis. Zosimus, Grecus autor, qui de ludis secularibus Græcè scripsit, negat post Seuerum instauratos seculares ludos: quandoquidem hic annorum centum & decē penè receptus autoritate ambitus in consulatum Constantini Christiani principis hunc tertium & Licinij, quem dein bello ipso uicit, incurrisset: licet Philippo Imperatori, ut superius patuit, millesimum Vrbis conditæ annum ludis secularibus celebrarit.

2. 6 VOLVSIANVS, ET ANNIANVS.

Horū Coss. sic meminit autor de Præfectis ignotus: Rufinus Volusianus pre- 316. 1066
fectus Vrbis fuit. Autor quoq; de Pontificibus sic prodit: Syluester annis XXI. mens. XI. Fuit temporibus Constantini à cōsulatu Volusiani & Anniani, ex die pridie Cal. Februarij usq; in diē Cal. Ian. Constantio & Albino Coss. Circa hoc tēpus Maximianus persequutione in Christianos facta, referēte Eusebio, cū à Licinio puniendus esset, apud Tarsum moritur, anno imperij sexto, cū iuxta pontē Miluiū Maxentius à Constantino etiā superaretur sequenti anno, ut præter Eusebiū etiā Tripartita historia meminit. Lege studiose lector Panegyricū Cōstantino Augusto dictum à nescio quo autore. Cuius principium est: Vnde mihi tantum confidentię sac. Imp. Inuenies multa, & lætaberis. Crispus & Constantinus, filij Constantini, & Licinius, Cæsares appellantur: & Lactantius claruit.

3. 7 CONSTANTINVS IIII. ET LICINIVS IIII.

Autor ignotus de Præfectis horū Coss. meminit his uerbis: Constantino IIII. 317. 1067
& Licinio IIII. Coss. XIII. Cal. Sept. Vetius Ruffinus præfectus Vrbis fuit. Hoc loco libet mihi pro asserenda ueritate, optare à Deo opt. Max. ut Laurētius Valla, homo ueritatis strenuißimus assertor, in uitā rediret, & hos. Coss. Caßiodori diligēter examinaret, ut erat acutißimi & rarißimi iudicij, quo opus suū de Donatione Cōstantini plus muniret cōtra Bartholomæū Picernū de Mōte Arduo, qui ad Iuliū II. Pont. Max. scribens, asserit se in bibliotheca Papę decretū illud reperisse Græcis literis. Quod ipse postea uertit in latinū, licet eadē utrobiq; sit materia, & par argumentū. Credit tamen distare ab eo quod in Decretis legit distinctione 96 capite Cōstantinus. In cuius decreti fine ponitur: Datum Romæ Cal. Aprilis Cōstātino IIII. & Gallicano IIII. Coss. Vbi Valla tanq; auguraretur rem fictā, inquit: Mirū, si uterq; ter fuerat Cons. ut in quarto consulatu forent collegę.

At hic

At hic apertè cernitis studiosissimi lectores, neq; Constantino fuisse collegam in ullo cõsulatu, quos octo gessit, Gallicanũ, neq; Gallicanũ IIII. fuisse Consulẽ, qui unicũ solũ gessit. Quòd, II, ut in plerisq; etiã codicibus inuenio, scribitur, Cõstantino IIII. & Gallicano Coss. adeò ut tum primum gessisse consulatũ uideatur Gallicanus: neq; id ferendum est. Nam nusq; legitur eius fuisse collega in consulatu. Præter enim Cassiodori Coss. ut sæpe testatus sum, duos habeo ignotos & sine nomine autores: quorũ alter Coss. solis nominibus à Bruto & Collatino primis Coss. usq; ad Theodosii II. & Honorij VIII. consulatus ponit: alter uerò Coss. cũ præfectis Vrbis à temporibus Gallieni ad Iulianũ usq; enumerat. Sed neq; in his etiam ponuntur Coss. Constantinus IIII. & Gallicanus: ut minimè quis suspicari posit, suffectũ fortasse Consulem Gallicanum, non ordinariũ. Sed tres illi autores, Cassiodorũ scilicet tertium dico (qui diligentissimus in cæteris etiam uel uerbo saltem debuit in Coss. illius meminisse donationis Constantinianæ) concorditer hos simul Coss. iungunt, Constantinum IIII. & Licinium, ut de conficta donatione argui posit ex Coss. ipsis. Quod item scribitur, Datum Romæ, uereor iterum maximum esse fictionis argumentum: cum, ut omnes historiæ commeminere, Constantinus deuicto Maxentio, contra Licinium profectus sit, & apud Cibalas in Pannonia conflixerit. Quod uel inprimis Eusebius libro Temporum attestatur, qui bellum Cibalense aduersus Licinium hoc tempore factum scribit, uel paulo pòst. Nam adhuc unus Licinij consulatus sequitur. Cum itaque Antoninus præsul Florentinus in Chronicis tradat, in antiquis uoluminibus Decretorum hanc donationem non contineri: & Iacobus de Voragine Archiepiscopus, in gestis sanctorum nullam faciat Constantinianæ donationis mentionem: nec item Eusebius, atque Ruffinus qui per ea tempora floruerunt: denique nec ipse Cassiodorus, qui tamen propensus fuit ad ea annotanda quæ in Ecclesia facta sunt: & Ioãnes Monachus, qui ab aliis neglecta in Ecclesia, studiose rependit, & tamen nihil penitus de hac donatione annotat: uereor ne ille Bartholomæus Picernus frustra transtulerit è Græco in latinum nouam illam Decretalẽ siue Constantini cõcessionem: confictaq; planè sint quæ de Syluestro leguntur, & de lepra Constantini: cum post hunc consulatũ, quo ferebatur donũ illud fecisse, quatuor adhuc alios gesserit consulatus, ut uidebimus. Nec Romę à Syluestro, sed Nicomediæ ab Eusebio sit baptizatus, ut omnes historiæ attestantur, & ultimo ætatis anno. Quomodo igitur quarto die baptismatis hoc donũ cõcesserit, nõ uideo. non obstante, q; referentibus Isidoro in Chronicis, & Beda libro de Tẽporibus, multa donaria in Vrbe fecerit, & basilicas extruxerit, Lateranẽsem scilicet Seruatoris nomine, ubi baptisteriũ addidit, in quo natalis nocte lucerna balsami ardebat. Vbi quoq; legitur in eius fronte epigrãmatis principium:

Insons esse uolens, isto mundare lauacro,
Seu proprio premeris crimine, seu patrio.

Præterea duas condidit basilicas apostolis Petro & Paulo: Sancto Laurẽtio, extra muros uia Tiburtina. S. Petri exorcistæ & Marcellini presbyteri martyrum, in uia Lauicana inter duas laurus, ubi diu corpus Helenæ iacuit in quodã mausoleo Sancti Petri & Pauli apud hostiam Sancti Ioannis Baptistæ, apud albam Apostolorum in Basilica Petri, supra arcum, in medio templi, hi leguntur uersus:

Quod duce te mundus surrexit in astra triumphans,
Hanc Constantinus uictor tibi condidit aulam.

Condidit & fanũ S. Crucis in theatro Sessoriano, quo magnam partem crucis intulit ex Hierosolymis deportatam à sua matre Helena: tum Agnetis templum, cum baptismi fonte: in quo filia sororq; Constantini sacris sunt lymphis abluti. Et multa præterea alia templa quæ donariis & prouentibus dotauit. Sed hæc omnia

Olymp. Imp. Con. Mag. omnia priuata erant, & sua prædia quæ donauit, non publica. Sed ne arbitreris CHRISTI Ab urb. con.
me lector per socordiam illa indagasse, uide obsecro quę doctissimus ille Germanus Nicolaus de Cusa Cardinalis, cui patuerunt omnia scrinia pontificum, & qui nihil reliquit indiscussum, cũ eius esset farinæ, unde Pontifices cõqueruntur, scripsit in eo libro de Concordantia catholica, libro scilicet tertio, capite secũdo, ubi adamussim rem examinat. Cũ ea iam annotassem, superuenit Pylades meus amantissimus, Gabriel Eubolius, archigrammateus urbis Viennæ Pannoniæ, antiquitatis studiosus, zelator, & ueritatis indagator solertissimus, qui mihi copiam fecit antiquissimi uoluminis Decretorum manuscripti, quod uix præ uetustate legi poterat: in quo distinctiõe pręfata nonagesimasexta, duo capitula, quę in uulgo impressis decretis sequuntur, omnino desunt. Quod oculis diligenter uidi, & obseruaui, & plerosq; in testimoniũ uocaui, ut locus coniecturæ haud sit mediocris, non modò esse paleas, sed & quisquilias & peripsemata. Ad hæc cum Ambrosius, episcopus Mediolanensis, Valentiniano iuniori Imperatori, qui fortè post octoginta annos successit, persuaderet contra Symmachum, ne gentilium sacra reciperentur, respondens nulla prædia suis sacerdotibus esse intercepta, reditus ac fructus Ecclesiæ enumerans: Possessio, inquit, ecclesiæ, est sumptus egenorũ. Non siluisset Symmachus, excellentissimus senator & orator, cum Theodosium & Valentinianum alloquitur, de grandi illa donatione lamentatus fuisset acerbissimè. Sed cum omnia excutiat, & nihil de hac disserat, suspicandum certè ac credendum penitus rem esse fictam. Ea tamen dijudicanda acrioribus & bonis committo, ne quid ultra crepidam sutor uidear attigisse.

4. 8

SABINVS ET RVFFINVS. 318. 1068

Horum Coss. etiam autor mihi nomine nõ notus de Pręfectis sic meminit: Sabino & Ruffino Coss. pridie Nonas Augusti Ouinius Gallicanus præfectus Vrbis fuit. Circa id tempus Diocletianus haud procul à Salonis in uillæ suæ palatio moritur, & solus omniũ inter deos priuatus refertur, ut tradunt Eusebius, Orosius, Eutropius, Historia Tripartita libro primo, capite quinto: Congressus Constantinus circa pontem Miluium uicit in flumine, necato Maxentio. Erat enim annus septimus Constantini imperij, cum Diocletianus Salone defunctus est.

CCLXXIIII 9

GALLIENVS ET BASSVS. 319. 1069

Autor ignotus de Pręfectis in hoc loco sic scribit, si non est codex maculatus mendis: Coss. quos iusserunt DD NN Augg. ex die XIII Cal. Mar. Gallicano & Basso Idibus Maij Septimius Bassus præfectus Vrbis fuit. Eusebius libro Tẽporum tradit sub id tempus Cæsares factos Crispum & Constantinum, filios Constantini Imperatoris, & Licinium adolescentem, Licinij Augusti filium, Constantini ex sorore nepotem. Ex his Crispum Lactantius latinis literis erudiuit, uir omnium suo tempore eloquentissimus: sed adeò pauper, ut necessarijs etiam indiguerit. Cuius præceptor fuit Arnobius, insignis rhetor: qui cũ multa aduersus Christianos esset meditatus, non est ab episcopis ad fidem permissus, donec luculentissimos libros aduersum pristinam religionem ederet, quibus quasi obsidibus quibusdam pietatis fœdus impetrauit. Dehinc in Psalteriũ commentarios scripsit, qui iam sunt uulgò impressi, duce Erasmo Roterodamo.

2. 10

LICINIVS V. ET CRISPVS. 320. 1070

De Præfectis autor ignotus sic de his Coss. scribit, Licinio V. & Crispo Cæs. Coss. ex die III. Idus Iulij in Idus Aug. uice illius cognouit Iulius Cassius, eo q ad Augustũ profectus est Septimius Bassus, regressus pręfectus Vrbis fuit. Fuit autẽ Crispus ille superiori anno Cæsar factus à Cõstantino patre, qui ipsum ex priore coniuge, uel ut alij tradunt, ex concubina genuit, & postea interfici iussit, ut inferius

CHRISTI Ab urb. con. Olymp. Imp. Con. Aug.

inferius patebit. De quo in Cæſaribus noſtris plura. Licinius aũt Auguſtus erat, cui ſimultas cum Conſtantino ob fidem Chriſti interceſsit. Vnde Euſebius tradit, hoc anno pacem noſtris à Conſtantino redditam. Ob id Melchiades Papa ita de hac re ſcriptum reliquit: Eccleſia ad hoc uſq; peruenit, ut nõ ſolum gentes, ſed etiam Romani Principes, qui totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti et fidei ſacramenta concurrerent. E quibus uir religioſiſsimus Conſtantinus, primus fidem ueritatis potenter adeptus, licentiam dedit, per uniuerſum orbem ſuo degentibus imperio, non ſolum fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricandi eccleſias, & prædia conſtituit tribuenda. Deinde idem præfatus Princeps donaria inmenſa contulit, fabricã templi primæ ſedis beati Petri, adeò ut ſedem imperialem relinqueret, & beato Petro ſuiſq; ſucceſſoribus præfecturã cõcederet.

321. 1071 CONSTANTINVS V. ET LICINIVS CAES. 3. 11

Sic horum meminit Coſs. autor de Præfectis: Conſtantino V. & Licinio Cæſ. Coſs. Cal. Septembris Valerius Maximus Baſilius præfectus Vrbis fuit. Erat autem hic Licinius Licinij Imperatoris, & Conſtantiæ ſororis, Conſtantini filius, quem Aug. Cæſarem fecit, ut iam ſcripſimus. Senior autem Licinius, referente Euſebio circa id tempus Chriſtianos de palatio ſuo exegit. alij CCCXIX. anno Chriſti factum produnt.

322. 1072 CONSTANTINVS VI. ET CONSTANTINVS CAES. 4. 12

Autor ignotus de Præfectis: Cõſtantino VI. & Conſtantino Cæſare Coſs. Valerius Maximus præfectus Vrbis erat. Hic conſularem patrem habuit, qui VI. & filium Conſtantinum, qui primum geſſere conſulatum. Cum autem tot Conſulatus geſſerit Conſtantinus Maximus, quomodo poſt quartum cõſulatum, quo donationem factam ſcribunt, potuit fuiſſe leproſus? Veriſimile enim non eſt, ſi elephantia, morbo teterrimo, fuiſſet correptus ipſum inter homines manſiſſe: quæſiſſet ſecretum aliquem locum, in quo delituiſſet. Sed fabula hæc conuenit cum ueſpis Veſpaſiani & ranis Neronis, ut elegantiſsime Valla dixit.

323. 1073 CRISPVS II. ET CONSTANTINVS CAESAR II. CCLXXV 13

Hos pariter Coſs. nominat autor ignotus de præfectis, dicẽs: Criſpo II. & Cõſtantino Cæſ. II. Coſs. Valerius Maximus præfectus Vrbis fuit. Vterq; autẽ Cæſar filius erat Conſtantini Maximi, ex duabus tamen uxoribus. Sub id tempus Arrius floruit, pertinaciſsimus hæreticus: propter quem Nicęnum concilium & prima ſynodus trecentorum & decem & octo epiſcoporum facta eſt. De quibus latiſsime Ruffinus libro decimo Hiſtoriæ eccleſiaſticę. Sed & Tripartita hiſtoria iam receptiſsima duobus primis libris de Arrio, eiuſq; ſectatoribus, ac de Nicæno concilio haud parum multa tradit.

324. 1074 PROBIANVS ET IVLIANVS. 2. 14

Autor ignotus de Pręfectis: Probiano et Iuliano Coſs. Valerius Maximus pręfectus Vrbis fuit. Tripartita hiſtoria libro ſecũdo, capite decimonono, meminit cuiuſdam Probiani magni nominis in Palatio: qui à crudelibus fuit Conſtantinopoli, ob uirtutem diuinam S. Crucis liberatus, & tum ex gentili Chriſtianus factus. Si is fuerit Conſul ille, nam tempora correſpondẽt, quærẽdum eſt. Nam circa id tempus ab Helena crux Domini inuenta eſt, ut infrà patebit.

325. 1075 SEVERVS ET RVFFINVS. 3. 15

Seuero & Ruffino Coſs. inquit autor ignotus de Præfectis, Idibus Septembris Lucer Verinus præfectus Vrbis fuit. Circa id tempus, tradẽte Euſebio, Helena Conſtantini, Auguſti mater, fœmina incomparabili religione, diuinis admonita oraculis, Hieroſolymam profecta eſt, ut beatiſsimum crucis ſignum, in quo ſalus noſtra pependit, inueniret. Quæ quo pacto reperit, lege Ruffini librũ decimum, & caput ſeptimũ, & ſequens: Tripartitam hiſtoriam lib. 2. cap. 18. ubi

T de

Olymp. Imp. Con. Mag. de clauis, quos Helena mater Constantino filio attulit, qui alterum galeæ pro amuleto, alterum ephippijs equi admouit, ut hostium tela ac iacula euitaret. CHRISTI Ab ur. con.

4. 16 CRISPVS III. ET CONSTANTINVS CAES. III. 326. 1076

Autor ignotus de Præfectis: Crispo III. & Constantino IIII. Coss. Lucer Verinus pręfectus Vrbis. A' consulatu horum orditur historia Tripartita. Sic enim in eius præfatione scribitur: Procedit aũt mea conscriptio à tertio consulatu Crispi & Constantini, usq; ad 17. annũ Theodosij. Pòst lib. 1. cap. 4. inquit: Crispo & Constantino Cæsaribus, atq; Coss. Romanę quidem ecclesiæ Syluester præsidebat: Alexandrinæ aũt Achilas, Hierosolymorũ Macarius, Antiochię uerò post Romanum nondum quisq; fuit ordinatus persequutionibus prohibentibus.

CCLXXVI. 17 PAVLINVS ET IVLIANVS. 327. 1077

Horum Coss. sic meminit autor ignotus: Paulino & Iuliano Coss. pridie nonas Ianuarij Acilius Seuerus præfectus Vrbis. Pręterea & Beda libro de Tẽporibus horũ Coss. meminit sic: In Nicæno concilio fides catholica exponitur, anno post Alexandrũ 636. die mensis, secundũ Græcos die decimanona, quod est decimo Calen. Iuliarum consulatu Paulini & Iuliani V V. C C. Eusebius insuper libro Temporum tradit hoc anno Constantium filium Cõstantini Cæsarem factum. Sic est enim legendum apud Eusebium, nõ Constantinũ, qui iamdudum erat Cæsar. Sed is fuit secundus genitus Cõstantini ex Fausta coniuge. Vnde & sequenti anno gessit pater cum ipso consulatum.

2. 18 CONSTANTINVS VII. ET CONSTANTIVS CAES. 328. 1078

Autor ignotus de Præfectis: Constantino VII. & Constantio Coss. Idus Nouembris Anitius Iulianus pręfectus Vrbis fuit. Est aũt iste Cõstantius filius Constantini ex Fausta coniuge, quem cum Constantino primogenito, & Constante tertio fratre reliquit hæredes. Hoc ferè tempore Licinius est Thessalonicæ iussu Constantini Augusti occisus. Eusebius, Eutropius, Orosius.

3. 19 CONSTANTIVS ET MAXIMVS. 329. 1079

Autor ignotus de Præfectis: Constantio & Maximo Coss. Anitius Iulianus præfectus Vrbis. Sub id tempus Crispus, Cõstantini filius, et Licinius iunior Cęsares crudelissimè ambo interficiũtur, anno imperij sui nono, teste Eusebio. Sed hæc planius in Cæsaribus nostris.

4. 20 IANVARIVS ET IVSTVS. 330. 1080

Horum Coss. sic meminit autor de Pręfectis: Ianuario & Iusto Coss. Anitius Iulianus præfectus Vrbis fuit. Circa hæc tempora floruit insignis orator Nazarius, cuius elegantissimus circumfertur Panegyricus, Constantino dictus, eruditione multa & arte insignis. Hic filiam habuit Eunomiã, uirginem Christianã, quæ patri in eloquentia haud cessit. Est autem huius Panegyrici principium: Dicturus Constantini augustissimas laudes, &c. Dictus in quinquennalibus Cæsarum Crispi & Constantini iunioris, decimoquinto imperij anno.

His Coss. Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.

Hęc eadem uerba apud Eusebium libro Temporum scribuntur. Tripartita historia libro secundo, capite decimoquarto: His à concilio ita dispositis, contigit Vicennalia Constantini principis prouenire. Et est consuetudo Romanorum, unumquodq; decenniũ Imperatorũ publica donatione celebrare. Opportunũ ergo iudicans Constantinus, immutauit ad cõuiuia. Synodum & donis competentibus honorauit, admonitosq; de concordia fidei, & cõmuni inter alterutros pace petita ab eis, oratiõe ualedixit uniuersis in Nicæa. Pòst capite decimooctauo ait: Celebrata ergo festiuitate publica Vicennalium suorum, mox ad erigendas ecclesias festinus accessit. Hoc quoq; faciebat per singulas festiuitates & in

Vrbe

CHRISTI | Ab urb. con. | Olymp. | Imp. Con. Mag.

Vrbe cognominis sui. Narrat dehinc, quomodo Constantinopolim ædificauit, templa erexit, atque exornauit. Nec est illud obmittendum, quòd in uita Constantini ex quodam ignoto Græco autore à Ioanne Capnione tralata legitur, cum mortem Constantini scribens, sic inquit: Vbi uerò triginta iam annos regnasset, tamen diuinissimè super regali trinitati, filiorum suorum trinitatem, diuersis tamen temporibus, obtulit. In primo enim decennio, primum ex liberis susceptũ, consimili nomine Constantinũ: in secundo uerò decennio secundum filium, patris sui nomen ferentem, Constantium, hoc est anno uigesimo: tertium aũt Constantem, circiter tertium decenniũ, ad honorem regni & status magnitudinem prouexit, &c. Hæc eadem inuenies in tertio libro historiæ Tripartitæ, ultimo capite, ubi subiungit: Anno uerò post hæc transacto, ingressus quadragesimũ quintum ætatis annum, ægritudine captus, ex urbe Constantinopolitana quasi ad calidas aquas egressus est: qui cum Nicomedię degeret, languore grauatus, uitæ huius interitũ, sacri baptismatis gratia adeptus est. Distulerat enim in istud tempus, in Iordane fluuio hoc promereri desiderans. Vereor, pro quadragesimo, quinquagesimum legendum.

331. 1081 CONSTANTINVS VIII. ET CONSTANTINVS IIII. CCLXXVII 21

Sic omnino sunt hi Coss. scribēdi, & intelligendus est pater cum filio primogenito. Quanquam in meo exemplari, quod unicum habui, Cassiodori ponebatur Constantinus VIII. quòd erratum est manifestum, ut uterque autor ignotus indicat. De præfectis enim sic inquit: Constantino VIII. & Constantino Cæs. IIII. Coss. septimo Idus Septembris Publius Optatianus præfectus Vrbis XXXI. Itē VIII. Idus Octob. Petronius Probianus præfectus Vrbis fuit. Vsque ad hoc tempus scripsit Eusebius librum Temporũ, quem postea Hieronymus cōtinuauit. Circa id tempus quoque Drepanum, Bithyniæ ciuitatem, in honorē martyris Luciani ibi conditi Constantinus instaurans, ex uocabulo matris suę Helenopolim uocauit. Quæ etiam Hierosolymæ deserta tum circuit. Sepulchrum Domini & sanctam crucem inueniens, deleto sceleratissimo Veneris deæ templo, nouum erexit, & clauos quibus Christus affixus erat, secum filio attulit: ut latissimè Tripartita historia libro secundo, capite decimooctauo, uidere licet.

332. 1082 CONSTANTIVS VII. ET SYMMACHVS. 2. 22

Sic est apud Cassiodorum scriptum. Ignoti autores ambo scribunt hoc loco aliter, sic scilicet qui de Præfectis scribit: Gallicano & Symmacho Coss. Petronius Probianus præfectus Vrbis fuit. Hoc tempore fertur Fausta uxor à Constantino esse interfecta. Vide in Cęsaribus nostris causam cur id fecerit. Alius aũt est hic Symmachus ab eo qui Cos. etiã fuit sub Valentiniano, de quo inferius plura.

333. 1083 BASSVS ET ABLAVIVS. 3. 23

Autor de Præfectis: Basso & Ablauio Coss. pridie Idus Aprilis Anitius Paulinus præfectus Vrbis factus. Fuit & Alladius præfectus prætorio, qui cum multis nobilibus cæsus est eo anno, quo Dalmatius Cæsar, de quo inferius paulo. Circa hæc tempora floruit Iuuencus presbyter, natione Hispanus, qui Euangelicam historiam hexametris uersibus conscripsit. et Antonius monachus claruit.

334. 1084 PACATIANVS ET HILARIANVS. 4. 24

Autor ignotus: Pacatiano & Hilariano Consulibus Anitius Paulinus præfectus Vrbis fuit, & Dalmatius Cæsar efficitur.

His Coss. ciuitas, quæ prius Byzantium dicta est, mutato nomine, à Constantino Constantinopolis dedicatur.

Hieronymus Constantinum scribit Constantinopolim adornasse aliarum pene omnium urbium nuditate. Quæ uerò undique adducta sint, uide libro secun-

Olymp. Imp. Con. Mag. do Tripartitæ historiæ capite 22. & prioribus capitibus, quomodo templa condiderit. Sed nusquam copiosius de hac urbe, quam apud Ioannem Monachum inuenies: qui præter ornamenta quæ illi Constantinus attulit, tradit eam esse conditam & perfectã undecima Maij anni trigesimioctaui, super quinquies & octingentos annos. Dicata est autem urbs diuæ Genitrici, et honestata dignitate Patriarchatus à principe, cũ prius in episcopatu Thracensis Heracleæ foret. translataque est huc imperij sedes. Cæterùm multa illic etiam inuenies de Byzantio, & eius fortitudine, quæ te plurimum oblectabunt, quæ ex Dione mutuauit. CHRISTI Ab urb. con.

CCLXXVIII. 25 DALMATIVS, ET ZENOPHILVS. 335. 1085

Autor ignotus de Præfectis: Dalmatio & Zenophilo Coss. septimo Idus Aprilis Publius Optatianus præfectus Vrbis, item in dies 32. itẽ sexto Idus Maias Ceionius Iulianus Camenus præfectus Vrbis. Sub id tempus Constantini edicto gentilium templa sunt subuersa, referente Hieronymo.

2. 26 OPTATVS, ET PAVLINVS. 336. 1086

Autor ignotus de Pręfectis: Optato et Paulino Coss. v. Cal. Maij Anitius Paulinus præfectus Vrbis. Circa id tempus sunt Gotthi à Romanis in Sarmatarum regione uicti. Vetustißimã comperi historiã, in qua & gentes & reges & Coss. usque ad hoc tempus enumerantur: quam quidam arbitrãtur esse Pauli Orosij, in qua anni hoc modo colliguntur. Ex quo mundus constitutus est usque ad Cyrum regem Persarũ anni sunt IIII. DCCCC. decem & sex. Deinde Iudæi reuersi sunt in Iudęam de Babylonia, & seruiere annos ducẽtos triginta. Deinde cum Alexander Magnus Macedo deuicit Darium, et uenit in Iudæam, et deuicit Persas, & deposuit regnũ eorũ. Tum sub Macedonibus fuerunt Iudæi annis CCLXX. Inde reuersi sunt à Macedonibus, & sub suis regibus fuerunt usque ad Agrippam, qui nouißimus fuit rex Iudæorũ, anni CCC. XLV. Item ab Agrippa usque ad L. Septimiũ Seuerũ Vrbis Cõsulẽ V. DCCCLXX. A Seuero usque ad Aemilianũ & Aquilinũ Coss. anni sunt LVII. Ab Aemiliano & Aquilino usque ad Diocletianum IX. & Maximianum VIII. Coss. anni sunt LV. à Diocletiano IX. & Maximiano VIII. usque ad Optatum & Paulinum Coss. anni sunt XXX. Fiunt ergo à mundo constituto usque ad Paulinum & Optatum Coss. anni MXVII.

3. 27 CONSTANTIVS, ET ALBINVS. 337. 1087

Autoris ignoti suspicor opusculum deprauatũ, qui scribit Constantio & Paulino, cum Albino legendum sit. His Coss. tertio Cal. Ianuarij Rufinus Albinus pręfectus Vrbis. Amborum quoque Coss. meminit autor ille de Pontificibus. qui ad hos usque Syluestri pontificatum durasse scribit. Eo ferè tempore Collocerus in Cypro res nouas molitus opprimitur. Cuius & Orosius meminit.

4. 28 NEPOTIANVS, ET FACVNDVS. 338. 1088

Horum Coss. sic meminit autor ignotus: Nepotiano & Facundo Coss. Rufius Albinus præfectus Vrbis. In quodã uetustißimo Chronicorũ libello sine nomine autoris inueni hæc: His Coss. introierunt in Vrbem Cõstantinopolim Lucas & Andreas. Fortè hic est Nepotianus qui postea gladiatorum ope Imperator est salutatus post Constantis mortem, ut in Cæsaribus latius dicemus. Autor quoque ignotus de Pontificibus horum Coss. sic mentionem facit: Marcus VIII. mens. dies XX. & hic fuit temporibus Cõstantini Nepotiano & Facundo Coss. ex die XV. Februarij usque in diem IX. Octobris Coss. SS.

CCLXXIX 29 FELICIANVS, ET TITIANVS. 339. 1089

Autor ignotus: Feliciano & Titiano Coss. sexto Idus Martias Valerius Proculus præfectus Vrbis. Et autor ille incertus de Pontificibus horũ Coss. sic commeminit: Iulius annis XV. M. I. D. XI. Fuit temporibus Cõstantini à Cons. Feliciani & Titiani ex die VIII. Idus Februarij in diẽ pridie Idus Aprilis Constantio V.

&

& Constantio Cæsare Coss. Hactenus autor de pontificibus maximis, quem citaui, progredit̃, nec quicquã ulterius offendi quoad Papæ dicti sunt: ob id nihil certi asserere possumus. Subdit idẽ autor depositionẽ episcoporũ. sed fateor me ignorare quò tendat. Tamẽ ex aliis colligere quis uetat libris: quod ex fide faciã. Hoc loco certè admonendi sunt lectores, (si qui tamen fuerint qui has nõ aspernabuntur lucubrationes) Tripartitã historiã non cõuenire cum hoc nostro Cassiodoro. Licet eius quoq; auspicio eadem sit edita. Nam in fine lib. 3. cap. ult. scribitur: Vixit aũt Constantinus Imperator annis LXV. Regnauit XXXI. annos. Defunctus est consulatu Feliciani & Titiani XXII. mensis Maij, qui erat annus secundus ducentesimęoctauæ Olympiadis. Hæc non cõueniunt cum Casiodoro, qui sequenti anno & aliis Coss. & præterea 66. ætatis anno, ut cæteri quoq;, tradit Constantinũ defunctũ, cum hoc anno tricennalia sunt Constantini acta: quibus Dalmatiũ Cæsarem factũ Hieronymus scribit. Nec etiã Olympias uera est, cum sequens annus quidẽ, secundus ille fuisse tradatur, sed Olympiadis 278. Vt omnino suspicandũ sit hic esse errorẽ. Videant igitur diligentiores lectores, sicubi castigatius exemplar nacti fuerint, ut ueriora reponãt. Secundũ enim numerum nostrũ proxima Olympias erat 278. Si igitur secundo anno illius Olympiadis est mortuus, & regnauit 31. annos, mea supputatio rectè procedit. Si uerò historiæ Tripartitæ credimus, Valentem Augustum mortuum quarto anno ducentesimæ octuagesimænonæ Olympiadis, tum duo anni superabundant, uel duo deficiunt: quod facit annus intercalaris, & dies superflui, uel error libri.

340. 1090 VRSVS, ET POLEMIVS. 2. 30

Autor ignotus de Præfectis: Vrso & Polemio Coss. Idus Ianuarias Mecilius Hilarianus præfectus Vrbis. Hoc anno omnes historici tradunt Constantinũ in extremo uitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediẽsi episcopo baptizatũ, pręter libellũ apocryphũ de Syluestri uita. Quod & Ambrosius quoq; testatur de morte Theodosij: Cõstantinus, inquit, quanq; in extremo uitæ baptisma accepit, magnopere laudãdus, q; fidem successoribus hęreditariã reliquerit. Gregorius item piæ memoriæ Constantinũ uocat. Græci inter sanctos referunt, eiusq; festũ XI. Cal. Aprilis celebrant. quòd autem in hunc usq; annum distulit, causa putatur, quòd uoluerat in Iordane baptizari, nisi morte fuisset præuentus.

341. 1091 CONSTANTIVS II. ET CONSTANS. 3. 31

Horũ Coss. sic meminit autor ignotus de Pręfectis: Pridie Idus Iulias Turgius Apronianus præfectus Vrbis. Item VIII. Cal. Nouembris, Fabius Titianus pręfectus Vrbis.

His Coss. Cõstantinus Imperator, dũ bellũ pararet in Persas, in Acirone uilla publica iuxta Nicomediam moritur, anno ætatis 66.

Hęc eadem Eutropius, qui tantum addit, mortem eius esse denunciatam per crinitã stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquandiu fulsit, quã Græci cometã uocant: atq; inter deos meruit referri. Idem Orosius lib. 7. cap. 19. Idem in Chronicis Hieronymus. Ioannes Monachus tradit, Constantinũ quinq; & sexaginta annos habuisse: è quibus duos & triginta, minus mensibus duobus, imperauit.

Post quem tres liberi Augusti, Cõstantinus, Constantius, & Constans, ex Cæsaribus Augusti regnauerunt annis uigintiquatuor, mensibus quinq;, diebus uigintitribus.

De his tribus Augustis, Eutropius lib. 16. cap. 4. 5. & 6. Orosius uerò lib. 7. cap. 19. ita scribit: Anno ab Vrb. con. 1092. Constantius, 35. ab Augusto, cũ Constantino & Constante fratribus suis adeptus imperium, 24. annis tenuit. Fuit autem inter successores Constantini, & Dalmatius Cæsar, fratris filius: sed cõtinuò militari factione deceptus est. Fuerunt aũt illo tẽpore et plures tyranni, Magnen

Olymp. Imp. Con. tius, Decentius, Syluanus, Britannion et Gallus Cæsar, patruelis Cõstantij; quos omnes Constantius interfecit, & solus imperiũ obtinuit. De quibus Sextus Aurelius titulo quadragesimoseptimo, quadragesimooctauo, & nono, & quinquagesimo. Et nos in Cæsaribus nostris abunde de ijs omnibus loquuti sumus. CHRISTI Ab urb. con.

CONSTANTIUS AVG. IMP. XXXV.

Sub quibus hi Coss. fuerunt:

4. 1 ACYNDINVS, ET PROCVLVS.

Horum Coss. ita meminit autor ignotus de Præfectis: Acyndino & Proculo Coss. ex die tertia Nonarũ Maias in 4. Idus Iunias Iunius Tertullus cognouit, eo quòd ad Augustũ profectus est. Postea reuersus Fabius Titianus præfectus Vrbis. Hieronymus in Chronicis scribit, circa id tẽpus Saporẽ Persarũ regẽ Mesopotamia uastata duobus mensib. Nisibin obsedisse: urbis aũt episcopũ Iacobũ precibus ad Deũ sæpe urbẽ discrimine liberasse. Quod latißimè inuenies descriptum in Tripartita historia lib. 5. cap. 45. Sed annotandus est error historię Tripartitæ lib. 4. cap. 4. ubi deprauata sunt Coss. nomina, ubi sic scribitur: Non multo pòst Cõstantinus, Cõstantini maioris filius, dũ nititur inuadere partes minoris fratris Cõstãtis, circa Aquileiã cõgresione facta perimit, cõsulatu Iacinctini & Proti. Vbi sine dubio scribendũ est, Acyndini & Proculi, facili literarũ lapsu, sicut habet nouus codex Tripartitæ historiæ impressus. Nec obstat, quòd tertio uix anno imperij impleto, peremptus Cõstantinus fertur. Quia, ut superius annotauimus, sub Feliciano & Titiano Cõstantinus Maximus scribitur mortuus, à quo hic est annus 3. Licet Caßiodorus aliter supputet, ut sæpe fit. Sed licet fortè is nõ sit Acyndinus, quid tamen obstat inserere, cũ sit facetißimũ epigrãma, quo iocat Ausonius in duos fratres, Acyndinũ & Chrestũ, quib. malè nomen scribit esse impositũ: 342 1092.

Germani fratres sunt Chrestos, Acyndinos alter.
Falsum nomen utriq;. sed ut uerum sit utriq;,
Alpha suum Chresto det Acyndinos, ipse sine alpha
Permaneat, uerum nomen uterq; geret.

CCLXXX 2 MARCELLINVS, ET PROBINVS.

Horũ Coss. meminit autor ignotus de Præfectis: Marcellino, inquit, & Probino Coss. quinto Cal. Martias Aurelius Celsinus præfectus Vrbis. Fit & horum mẽtio Coss. in Tripartita historia lib. 4. cap. 9. licet anni cũ nostris nõ cõcordãt, ob diuersitatẽ fortè annaliũ. Nam & superius hoc ipsum aduertendũ censuimus. Verba sunt illa: Fit synodus Antiochiæ sub præsentia Cõstantij principis cõsulatu Marcelli & Probini. Erat aũt quintus annus mortis Cõstãtini patris Augustorũ. Hoc obseruandũ est loco, quod superius annotaui in cõsulatu Feliciani & Titiani, autorẽ illũ tradere factã esse Cõstantini mortẽ, à quo consulatu ille quintus annus erit: licet aliter Caßiodorus Coss. recenseat. Subiungitur in eadẽ historia sequẽti capite: Eodẽ tempore gens Francorũ circa Gallias constituta, Romanis erat infesta, & in Oriẽte maximus est terræmotus factus, quo Antiochia iugiter est mota. Sub id tempus Dalmatius Cæsar, quẽ patruus Cõstantinus consortẽ regni filijs reliquerat, factione Cõstãtij patruelis & tumultu militari occisus est. Ea quoq; tẽpestate Arriana impietas per orbẽ penè grassata est, Cõstãtio ꝓtectore. 343. 1093

2. 3 CONSTANTIVS III. ET CONSTANS II.

Horum Coss. autor ignotus sic meminit: Constantio tertiò, & Constante secundò Coss. Cal. Aprilis Lollianus Mauortius M. III. præfectus Vrbis. Item pridie Nonas Iulias Catullinus Philomatrus præfectus Vrbis. 344. 1094

His Coss. Constantinus bellum fratri Constanti inferens, iuxta Aquileiam Alsæ occiditur.

Eadem ijsdem uerbis scribit Hieronymus in Chronicis. Sed historia Tripartita lib.

CHRISTI Abur. con. | Olymp. Imp Con.

ta lib. 4. cap. 4. ut superius admonuimus, alio cõsulatu Constantinum scribit interemptum. Vide sequenti capite eodem libro, quomodo sacerdos quidam Constantio testamentum Cõstantini Magni detulit, & multorum malorum occasio fuit. Sed eodem 4. lib. cap. 14. scribitur, Hermogenẽ Thraciarum magistrum militum Constantinopoli à populo fuisse occisum, dum Paulũ episcopũ nititur eijcere tẽplo. Vnde subiungit: Hæc gesta sunt consulatu Cõstantij tertio, & Cõstantis secũdo. Quo tempore Cõstans quidã Francos Romanorũ subiecit imperio.

345. 1095 PLACIDVS, ET ROMVLVS. 3. 4

Autor ignotus de Præfectis horũ Coss. sic meminit: Placido & Romulo Coss. Aco. Catullinus præfectus Vrbis fuit. Sub id tẽpus uario euentu aduersum Francos à Cõstante pugnat. Tripartita historia lib. 4. cap. 19. Eodẽ tẽpore uel circiter Imperator maiorẽ ecclesiã fabricabat, quæ nunc Sophia uocitat: & est copulata ecclesię quę dicit Irene, quã pater Imperatoris cũ esset modica, ad pulchritudinẽ magnitudinẽq; perduxerat. Quæ modò uelut sub uno circuitu cõtineri noscuntur. Sed heu proh dolor hodie stabulũ est equorũ nefandissimi tyrãni Turci, nobilissimũ illud æternę sapiẽtię tẽplũ: nõ sine magno dedecore nostri summi Põtificis & Cardinaliũ, imò oĩm Christianorũ regũ ac Principũ: quib. ob id æterna sapiẽtia adeò irascit, ut nullã penè sapiẽtiã, imò ne prudẽtiã quidẽ apud illos inuenias. Sic summè studẽt penè oẽs tũ auariciæ, tũ luxuriæ, tũ superbię, & ob id excęcati ferũtur in altũ.

346. 1096 LEONTIVS, ET SALVSTIVS. 4. 5

Sic etiã meminit autor ignotus horũ Coss. Leontio & Salustio Coss. Aco. Catullinus præfectus Vrbis. Sed tertio Idus Aprilis Q. Rusticus præfectus Vrbis. Fuit autem & illo tempore episcopus quidam Leontius, cuius est creba mentio in historia Tripartita, sed alius ab illo. Marcellinus libro decimoquarto Leontij etiam meminit, qui fuit præfectus Vrbis.

His Coss. Franci à Constante perdomiti, in pacem recepti sunt.

De hoc paulo antè scripsi. Sed qualis tum rabies in Ecclesia fuit propter Arrianos & Macedonianos hęreticos, uide Tripartitam historiam libro quarto pluribus capitibus. Licet Franci antea dicantur domiti.

347. 1097 CONSTANTIVS IIII. ET CONSTANS III. CCLXXXI 6

Hos Coss. neq; autor ignotus de Præfectis, neq; alter qui sola Coss nomina recenset, ponit. Sed solus Cassiodorus. Arbitror aũt omnino hic esse locandos. quãdoquidẽ pòst ponit cõsulatus Cõstãtij 5. ut necesse sit hũc quartũ precedere.

348. 1098 AMANTIVS, ET ALBINVS. 2. 7

Horũ Coss. uterq; ignotus autor meminit, qui eos priorib. obmissis, post Leontiũ & Salustiũ subiungũt. De Præfectis autor sic scribit: Amantio & Albino Coss. Q. Rusticus pręfectus Vrbis. Tertio Nonas Iulias Probinus pręfectus Vrbis. Antiquos annales repperi more meo, qui nihil indiscussum relinquo, ut posteros iuuem, in quib. sic scriptũ est: Anno Christi 348. Romæ Liberius Papa ordinatur: quo ab Arrianis eiecto, Felix sedem occupat annũ unum. Sed Liberius hæresi subscribens, redijt, & Felix eijcitur. Constans occiditur.

349. 1099 P. C. AMANTIVS, ET ALBINVS. 3. 8

Huius consulatus pariter autor ignotus de Præfectis cõmeminit, dicens: Post consulatum Amantij & Albini Probinus præfectus Vrbis, septimo Cal. Ianuarij Placidus præfectus Vrbis. Quando enim (quod hoc loco obseruandum) aliquæ turbæ erãt, ut nullus nouus Consul eligeretur, ne annus uacuus Cõsulibus nomine careret, prioris anni Coss. anno nomẽ dabant. Fuerunt aũt illis temporibus inter duos fratres Constantiũ & Constantem nonnullæ turbæ propter Arrianos qui Ecclesiam Christi defœdabant. Plures boni antistites ad Constantem fugerũt, qui eos protexit, uidens bonos iniustè grauatos: & pro ijs literas ad Constantinũ fratrem dedit plurimas. Quod latissimè in Tripartita historia inuenies.

Olymp. Imp. Con. RVFFINVS, ET EVSEBIVS. CHRISTI Ab urb. con.

4. 9 Autor ignotus horũ Coſs. ſic meminit: Ruffino & Euſebio Coſs. Placidus pręfectus Vrbis. Pridie Idus Iunias Limenius præfectus prætorio & Vrbis. Horũ itẽ Coſs. meminit hiſtoria Tripartita lib. 4. ca. 23. his uerbis: Vndecimus, inquit, annus erat patris duorũ Auguſtorũ. Coſs. aũt tunc ſuere Ruffinus & Euſebius, quãdo celebratũ eſt Sardicenſe conciliũ 370. epiſcoporũ. Sardice uerò ciuitas eſt Illyrici, ad quam facilè Orientis & Occidentis Pontifices cõuenire poterãt. Numerat aũt mortẽ Conſtantini à conſulatu Feliciani & Titiani, ut ſæpe admonuimus. Ob id undecimum annum uocat, quum ſit aliàs nonus. 350. 1100

His Coſs. magnis Reip. expenſis in Seleucia Syriæ portus efficitur.

Hęc eadẽ iiſdẽ uerbis Hieron. in Chronicis. Qui adijcit, Dyrrhachiũ corruiſſe terręmotu: et trib. dieb. ac noctib. Romã nutaſſe, plurimasq; Cãpaniæ urbes tũ (uexatas.

CCLXXXII 10 PHILIPPVS, ET SALLIA.

Horũ Coſs. ſic meminit autor ignotus de Præfectis: Philippo & Sallia Coſs. Vlpius Limenius præfectus prætorio & Vrbis. 351. 1101

His Coſs. facta defectio ſolis eſt.

Idẽ Hieronymus in Chronicis, qui etiã ſcribit, tũ rurſum Saporẽ tribus menſibus obſediſſe Niſibin. de qua multa hiſtoria Tripartita lib. 5. cap. 45.

2. 11 LIMENIVS, ET CATVLLINVS.

Autor ignotus horum Coſs. ſic meminit: Limenio & Catullino Coſs. Limenius pręfectus prętorio & Vrbis. Ceſſauerũt pręfecturę dies quadraginta unus, à die ſexto Idus Aprilis, uſq; in decimumquintum Cal. Iun. XIIII. Cal. Iun. Hermogenes pręfectus prętorio & Vrbis. Sub id tempus bellum Perſicum nocturnum circa Singaram factum eſt, ut Hieronymus ſcribit. 352. 1102

3. 12 SERGIVS, ET NIGRIDIANVS.

Horum Coſs. ſic meminit autor de Præfectis: Sergio & Nigriniano Coſs. Hermogenes præfectus Vrbis & prętorio. Tertio Cal. Martias Fabianus Titianus pręfectus Vrbis. Horum pręterea Coſs. meminit hiſtoria Tripartita libro 4. cap. 37. Hoc tempore Magnentius tyrannus circa partes emerſit Heſperias. qui Conſtantem Imperatorem occidentalium partium, facto dolo, circa Gallias interemit. Quo geſto, inteſtinum inflammatum eſt bellum. Magnentius enim tyrannus cunctam tenebat Italiam, Aphricamq; cum Gallijs. In Illyrico uerò & Syrmio aliud rurſus à militibus excitatum eſt bellum per tyrannum nomine Britannionẽ. Sed etiam tumultus nõ fortuitus Vrbem detinebat. Fratruelis namq; Conſtantini, Nepotianus nomine, imperium aſſumpſerat, Monomachorũ uirtute ſuffultus. Et Nepotianum quidem Magnentij milites depoſuerũt. Magnentius autem procedens, uniuerſas partes uaſtabat Heſperię. Horũ igitur omnium immenſa confuſio hoc tempore generata eſt. Quarto enim anno poſt Sardicenſe concilium hæc acta noſcuntur conſulatu Sergij & Nigriani. His itaq; apparebat, quia ad Conſtantium ſolum imperij iura perueniſſent, quo profectu contra tyrannos ſemetipſum quo poterat præparabat. 353. 1101

His Coſs. Cõſtãs haud lõgè ab Hiſpania in caſtro, cui Helene nomẽ eſt, interficiť, an. ętatis 30. et imperij 13. Cõſtãtius ſolus mãſit in regno.

Hieronymus in Chronicis: Magnentio apud Auguſtodunum arripiente imperium, Conſtans haud longè ab Hiſpania in caſtro cui Helene nomen eſt, interficitur anno ætatis triceſimo, imperij uerò ſui anno tredecimo. Quã ob rem turbata Rep. Vetrannio Murſæ, Nepotianus Romæ Imperatores facti. Idem Eutropius libro decimo, capite quarto & ſequenti. Oroſius libro ſeptimo, capite decimonono. Scribunt quidam Horoſcopum Conſtantis mathematicum, qui dixit periturum gremio genitricis. Nam Helena auia mortua matre, Conſtantini

filios

filios nutriuit ut parẽs. Sed hoc fortè intelligendũ erat de oppido Helena. Nam fessum uenatione Constantem, qui ei insidias parabãt, ingressi tentorium, nihil tale cogitantem interficiunt. Alij dicunt eum uigilem cognouisse parricidas, & abijsse in templum propinquum, & insignia imperij deposuisse, & ab altaribus tractum cæsum fuisse. Tripartita historia libro quinto, capite quarto, hæc tradit: Imperator Constantius in Illyricum profectus est ob publicam necessitatem, & maximè Britannionis, qui per milites fuit Augustus appellatus. Cumq; uenisset Syrmium, mutuis fœderibus factis, cum milites in fauorem Constantij transirẽt, eumq; solum Augustum clamassent: Britannio sentiens se proditum, ad pedes Imperatoris se prostrauit. Cui Constantius coronam & purpuram auferens, clementer monuit, ut sub stemmate priuato degeret, quod magis eius ætati conueniret. Sumptus quàm uberrimos ex publico largitus est. Dehinc in Prusam Bithyniæ se contulit, ibiq; tranquillè quieuit.

354. 1104 P.C. SERGIVS, ET NIGRIANVS. 4. 13

Huius cõsulatus etiam meminit historia Tripartita, libro quinto. Postq; enim in præfato libro quinto, capite quarto describit Imperatoris Constantij in Illyricum aduentum, ubi Britannionem purpura ac regno exuebat, & in Bithyniam illum misit: pòst sexto capite tradit, concilium in Syrmio congregari iussisse, ubi hæc uerba scribuntur: Isti siquidem post consulatum Sergij & Nigriani, quo anno propter bellorum turbas nullus Consulum fuerat solenniter ordinatus, conuenerunt in Syrmium, &c. Autor uerò ignotus de Pręfectis hoc loco ponit Magnentium, qui tunc tyrãnus sese Augustum appellabat, & Gaisonem Coss. Verba autoris hæc sunt: Magnentio & Gaisone Coss. Fabius Titianus præfectus Vrbis, iterum Cal. Mar. Aurelius Celsinus præfectus Vrbis. Iterũ quarto Idus Maias, Celius Probatus præfectus Vrbis. Septimo Idus Iunias Clodius Adelphi us præfectus Vrbis. Decimoquinto Cal. Ian. Valerius Proculus præfectus Vrbis. Huius Nigriani filius fuit Florentius, qui magister officiorum erat Constantij Imperatoris. Cu[illegible]s Marcellinus meminit in decimoquinto libro. Vbi pòst paulo fit quoq; me[illegible]io Gaisonis. Scribit enim Lauium Gaisonem tribunum militum candidatum affuisse morituro Constanti. Adelphij uerò præfecti Vrbis, idem Marcellinus meminit libro decimosexto.

355. 1105 CONSTANTIVS V. ET CONSTANTIVS IVNIOR. CCLXXXIII 14

Diu, fateor, me torsi, ut scirem quisnam iunior ille fuisset Constantius. Nam nullam sobolem ex Constantio usquã legi, qui fuit natura penè impotens. Et autor ille ignotus de Præfectis alios hoc loco ponit Coss. Decentiũ scilicet, fratrem Magnentij tyranni, qui pòst uitam laqueo expleuit, & Paulum. Nam ita scribit: Decentio & Paulo Coss. Valerius Proculus præfectus Vrbis. Iterũ quinto Idus Septembris, Septimius Mnasea pręfectus Vrbis. Sexto Cal. Octobris, Neratius Cerealis Præfectus Vrbis. At cum diligenter undiq; inuestigarem, quisnam iunior esset Constantius, reperi Gallum Constantij patruelẽ, quem paulo antè Cęsarem fecerat, sic appellatũ. Historia Tripartita libro quinto, capite duodecimo: Gallus uerò qui & Constantius. Et iterum eodem libro, capite quinto: Tunc igitur Imperator Gallum consobrinum suum Cæsarem fecit: cui suum nomen imponens, in Syriam Antiochię destinauit, ut partes per eum custodirentur Orientales. Quo ad Antiochiam ueniente, circa Orientem signum Saluatoris apparuit. Columna namq; sub specie crucis in cœlo uisa, maximo miraculo conspicientibus fuit. Alios autem duces suos cum multo exercitu contra Magnentium destinauit. Ipse uerò in Syrmio morabatur, & rei sustinebat euentũ. Hieronymus etiam in Chronicis tradit sub id tempus Syriæ populis, crucis signum, cum maximo conspicientium terrore in Orientali plaga apparuisse. Et nimirum Gallus

Olymp. Imp. Con. iam Iudęos multos neci tradidit, & ciuitates eorum Neocęsaream, Tiberiadem, & Diospolim, cum pleriſq; alijs oppidis, igni tradidit. Vide Tripartitam historiam libro quinto, capite undecimo. CHRISTI Abr.

2. 15 CONSTANTIVS VI. ET CONSTANTIVS CAES. II. 356. 1106

Horum Coſs. ſic meminit autor ignotus de Præfectis: Conſtantio VI. & Conſtantio II. Coſs. Neratius Cerealis præfectus Vrbis. Sexto Idus Decembris, Vitraſius Orphitus præfectus Vrbis. Sed hiſtoria Tripartita libro 5. cap. 10. ſcripſit horum Coſs. geſta abundè in hæc uerba: Interea Magnentius ad Vrbem perueniens, multos peremit ſenatorum ac populi: agnoſcẽs uicinos eſſe contra ſe Conſtantij milites, abſceſsit ad Gallias. Cumq; modò hi, modò illi uictores eſſent, nouiſsimè deuictus Magnentius, fugit in Murſam, quod eſt Galliæ caſtrũ: uidensq; ſuos milites quaſi deſperatione triſtes, ipſos conſolatus, ſolitũ fauorem Magnentio exhibere parati, ediuerſo nolentes clamarunt omnes, Conſtanti Auguſte tu uincas. Hoc augurium Magnentius traxit ad ſemetipſum, tanquã ei diuinitus non concederetur imperium: & propterea relinquens caſtrum, ad ulteriora tendebat. Sequentibus aũt Conſtantij militibus, circa montem Seleuciũ facta congreſsione, ſolus fugiens uenit in Lugdunenſem urbem, comperiens ſuam matrem, & fratrem quem Cæſarem conſtituerat, Nouiſsimè interfecit ſemetipſum, cõſulatu Conſtantij VI. Galli II. Auguſti die XV. Non poſt multũ uerò tempus, Decentius alter eius frater ſemetipſum ſtrangulauit. Sed neq; ſic ad Remp. pax peruenit. Nã paulo pòſt apud Gallias occidentales Syluanus quidam tyrannus exortus eſt, quem duces Conſtantij uelociter peremerunt.

3. 16 CONSTANTIVS VII. ET CONSTANTIVS III. 357. 1107

Autor ille ignotus qui de Præfectis ſcripſit, Cõſtantio VII, inquit, & Conſtantio III. Coſs. Vitraſius Orphitus præfectus Vrbis fuit. Nec quicquã amplius de hoc autore habeo. Rogo & obteſtor eruditos omnes & antiquarios, ſi amplius de hoc autore habeant, aut inueniant, poſteritatẽ neu defraudent. Ego quicquid habui, lubens in medium citra inuidiam contuli. Quòd ut optimi quiq; faciant, & oro & obſecro. Sed huius Orphiti præfecti Vrbis meminit Ammianus in decimoſexto, & in decimoquarto. Meminit & horum Coſs. Tripartita hiſtoria libro quinto, capite duodecimo. Cũ enim Gallus tyrannidẽ indueret, felicitatem ſuam non ferens, occiſis plurimis bonis uiris, Magno Quæſtore & Domitiano præfecto Orientis, Conſtantius indignatus eum uocauit. Qui cum contemnere non ualeret, pergebat ad principem. Cumq; contra inſulã Flacconenſem ueniſſet, eum illic Conſtantius præcepit interimi. Poſt paululũ uerò Iulianũ, Galli fratrem Cæſarẽ conſtituens, direxit in Gallias. Gallus uerò, qui & Cõſtantius, VII. Conſtantij conſulatu & ſuo tertio ita perimit. De Galli ferocia et tyrannide Ammianus Marcellinus toto lib. quartodecimo. Vbi quoq; horum fit mẽtio Coſs. & mors Galli apertius deſcribitur, quibus conſultoribus & ubi ſit patrata. Licet illic ſcribatur: Conſtantius conſulatu ſuo ſepties, & Cæſaris iterum, egreſſus Arelate, &c. Sub his Coſs. Cõſtantius Imperator cum Alemanis fœdus percuſſit, & Mediolanum conceſsit, & Gallum interfici iuſsit, ut deſcribit latiſsimè in decimoquarto Marcellinus. Vtinam ad nos integer is perueniſſet autor: cuius paucos quidem libros & mancos & mutilos iactura temporis ſuſcepimus. Deus det ut adhuc reperiatur integer. Audio enim circa Rhenum illum adhuc integrum in quodam monaſterio detineri. Frangite quæſo ergaſtula & carceres doctiſsimi uiri, uosq; in primis quorum nomina inter literatiſsimos ſunt conſpicua: tu Capnion Sueuiæ triumuir, & tu Theoderice Greſemunde, Beate Rhenane, Eraſme magne, & quicunque ſunt antiquitatis zelatores, liberate à carceribus captum tot ſeculis Marcellinum, ne tineis corrodatur, & in macel-

lis

CHRI- Ab ur. lis ab indoctis monachis dilanietur, dum suos sermones concinnant, Vade me- Olymp. Imp.
STI con. cum, Dormi securè, & Stude nunquam: præclara hercle studiorum uolumina. Cons.

358. 1108 ARBETIO, ET LOLLIANVS. 4. 17

Horũ Coss. fit mentio in Tripartita historia libro quinto, capite duodecimo, his uerbis: Iulianus sequenti consulatu Arbetionis & Lolliani constituitur Cæsar die septimo mẽsis Nouembris. Ammianus quoque Marcellinus decimoquinto libro historiæ suæ horum Coss. mentionem facit, describens cur Constantius hunc Iulianũ Cæsarem fecerit, & qualis tum in Gallijs tumultus fuerit: quando scilicet Syluanus sese Imperatorẽ constituens, fuerit interfectus, hæc uerba subijcit: Hęc die octauo Iduum Nouembriũ gesta sunt, cum Arbetionẽ Consulẽ annus haberet & Lollianum. Deinde diebus paucis Helena uirgine, Constantij sorore, eidem Cæsari cõiugali fœdere copulata, paratisque uniuersis, quæ maturitas proficiscendi poscebat, comitatu paruo suscepto, Cal. Decembribus egressus est: deductusque ab Augusto ad usque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interiacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos peruenit. Cæterũ licet his Coss. Iulianus à Constantio sit adoptatus, aliqui tamen scribunt in Gallia Cisalpina, propter irruptionẽ Germanorũ, qui Gallias uastabant, factũ. Aliqui scribũt Athenis adoptatũ: Marcellinus Mediolani id factũ tradit. Arbitror aũt omnino hũc Mauortiũ Lollianũ Cos. esse illũ, ad quẽ Iulius Firmicus Maternus scribit libros octo Astronomicorum. Nam in præfatione eius operis inquit: Nam cum tibi totius Orientis gubernacula domini atque Imperatoris nostri Cõstantini Augusti, serena atque uenerabilia indicia tradidissent, nullum prætermisisti tempus, quo nõ à nobis exigens, quod tibi incõsulta pollicitatione promiseramus. Proconsuli itaque tibi & ordinario Consuli designato promissa reddimus, &c.

His Coss. Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus, Romæ insignes habentur.

Eadem Hieronymus in Chronicis scribit. Sed addit, Donatum grãmaticum præceptorem suum fuisse: & Victorinum statuam in foro Traiani meruisse.

CONSTANTIVS VIII. ET IVLIANVS CAES. CCLX. 18

359. 1109 XXIIII

Ammianus Marcellinus horum Coss. mentionem facit ab initio sextidecimi libri Historiarum, scribens, Iulianum Cæsarem consulatum inijsse apud Viennam. Et quæ tum in Gallia Cæsar gesit, luculenter & copiose explicat Marcellinus, quæ in Augustodnuo, quæ in Agrippina, quæ alibi. Quod studiosus lector sedula aure ex detruncato Marcellino excerpet.

CONSTANTIVS IX. ET IVLIANVS CAES. II. 2. 19

360. 1110 Hos Coss. in Ammiano non repperi, quia 16. liber est cõfusus in fine cum 17. & quædã paginę sunt transpositę inter imprimendũ. quod nõ nisi diligẽs lector animaduertet. Totusque hic consulatus deest, prẹter pauca quę de obelisco tradit.

His magnæ Alemanorum copiæ apud Argentoratum oppidum Galliarum deletæ sunt.

Hieron. in Chronicis eadẽ, sed copiosissimè Marcellinus in fine libri 16. Sed aduerte, ut admonui, paginas quasdam esse transuersas. Meminit & illius belli Sextus Aurelius titulo quinquagesimo. In hoc bello Iulianus fuit à militib. Augustus dictus, ob quam rem ultra solitum Constantius excanduit.

361. 1111 TITIANVS, ET CEREALIS.

Ignotus autor, qui sola Coss. nomina habet, hoc loco non Titianum, sed Dacianum scribit. & Marcellinus lib. 17. Diutiano & Cereali Coss. forte librariorũ uitio: ut Dacianus omnino fuisse Consul ille æstimandus sit. Sub his Coss. Marcellinus scribit literas à Sapore Persarum rege ad Constantium, & è contrario missas

Olymp. Imp. Con. missas ad Saporē, pro pace inter eos facienda. Eodem præterea tempore, eodem teste Marcellino, terræmotus horrendi per Macedoniam Asiamq; & Pontum asiduis pulsibus oppida multa concusserunt, et montes. Inter monumēta tamen multiformium ærumnarum eminuere Nicomediæ clades, quæ funditus euersa est. Vnde Ammianus occasionem nactus, copiosissimè de terræmotu & eius speciebus in eo loco scribit. Narrat deinceps quæ Iulianus in Alemanos gesserit, & quę probra in Palatio Constantij ab adulatoribus sustinuerit: ac quæ Cōstantius contra Sarmatas & Quados egerit, unde & Sarmatici cognomen meruit. Horū Coss. etiam fit mentio in Historia tripartita lib. 5. cap. 34. his uerbis: Erat primitùs constitutum, ut in Nicomedia Bithyniæ congregarētur episcopi: quorū conuentū prohibuit maximus terręmotus. Hoc contigit consulatu Titiani & Cerealis, octaua die mensis Augusti. Tractabant enim transponere synodum in uicinam Nicææ ciuitatem. Quod cum displicuisset, rursus uolebant in Tarso Cilicię cōuenire. Deinde placuit apud Seleuciā Isauriæ, quæ Aspera uocabat̄, celebrare concilium. Quod actū est cōsulatu Eusebij & Hypatij: fueruntq; CXL. episcopi. CHRISTI Ab ur. con.

4. 21 EVSEBIVS ET HYPATIVS. 362. 1112

Horum Coss. meminit Marcellinus, appellans eos fratres (erat enim illis soror Eusebia, prima cōiunx Cōstantij Imperatoris) lib. 18. ubi pulchre describit, quæ Iulianus Cæsar in Gallijs & Germania egerit: quæ Cōstantius in Syrmio & Mesopotamia, & quomodo Amyda urbs capta sit. Quæ omnia latissimè duobus libris explicat, decimooctauo & decimonono. Meminit & & horum Coss. Tripartita historia lib. 5. cap. 20. his uerbis: Exposita fides præsente domino nostro Constantio consulatu Eusebij & Hypatij Syrmio XI. Cal. Iunij. & iterū eodem libro, capite trigesimoquarto tradit synodum celebratam apud Seleuciam Isauriæ, quæ uocatur Aspera.

CCLXXXV. 21 CONSTANTIVS X. ET IVLIANVS CAESAR III. 363. 1113

Horum Coss. meminit Marcellinus libro uigesimo, quo scribit Constantiū ad orientē tetendisse, ut rebus Persicis se accingeret: & Iulianum in Gallia, excitata militum seditione, Augustum acclamatum: licet diu multumq; reluctaretur, pluribusq; milites adhortaretur, ne discordiarū materias excitarent. strictis deinde ensibus impulerūt, ut Iulianus tandem ipsorū uoluntati assentiret. Impositus scuto pedestri, sublatus est altius, & Augustus renunciatus. Cū aūt diadema non esset, uxoris de collo uel capite simile aliquid postulabant. Quod cum tanq; inauspicatū detestaretur, ueluti Cæsari Augusto mundus muliebris nō cōueniret, qui per sudores & uictorias nomen illud assequi deberet, equi phaleras quidam quærebant. Sed & illis recusatis, Maurus quidam, torquem, quo ut draconarius utebatur, sibi detraxit, & capiti Iuliani imposuit pro diademate. Hæc omnia Iulianus per literas ac legatos, Constantiū docuit, cupiēs ipsum mitigare, quē sciebat plus solito irasciturū. Nullaq; dignatus est responsione legatos, incertus an in Persas, an contra Iulianū moueret exercitū. Quomodo inde Bezabda Vrbs Mesopotamiæ sit capta, & quæ cōtra Persas acta in Oriēte, hoc libro Ammianus explicat. Eisdē etiā Coss. Helena uxor Iuliani mortua est. Mortua & Eusebia Cōstātij uxor. Huius quoq; consulatus mētio fit in historia Tripartita, lib. 5. cap. 35. his uerbis: Cumq; se in altera die pararet ad consulatū, quòd prima die mensis Ianuarij Romanorum more celebrabatur, totam diem & maximā noctis partem expendit, inter episcopos certamen habens. Item eodem libro, capite 39. Tunc etiam maior ecclesia, quæ dicitur Sophia, dedicatur, consulatu Constantij X. & Iuliani Cæsaris III. quintadecima die Februarij mensis.

His Coss. Honoratus ex præfecto prætorio Galliarum primus Constantinopoli præfectus Vrbi esse cœpit.

Eadem

CHRISTI Ab ur. con. Olymp. Imp. Con.

Eadem iisdem uerbis Hieronymus in Chronicis. & in Tripartita historia lib. 5. cap. 31. illius sic fit mentio: Iubet ut de Acacij quæstione iudicaretur, præsentibus maximis proceribus & Honorato, quem non ante multum tempus Imperator ab urbe Roma reuertens, primum Præfectum urbis Constantinopolitanæ constituit. Meminit & illius Honorati Marcellinus libro decimoquarto. 2. 23

364. 1114 TAVRVS, ET FLORENTIVS.

Marcellinus lib. 21. meminit Florentij, qui per Illyricum præfectus prætorio per hæc tempora fuit, quando Iulianus relictis Gallijs, per Pannoniam tendebat contra Constantiū. Quo tempore & Taurus præfectus prætorio per Italiā fuit, forte priusq; Coss. fierent. Nam quæ tum gesta sunt, pulchre Marcellinus docet, si syncerus est codex. sed cum paginas transuersas, non semel etiam hoc loco animaduerterim, quod etiam noui nuper correctores ac impressores non senserūt, nihil certi possumus asserere. Quanq; & hoc libro narrat Constantij mortem, & quæ priusq; moreretur prodigia euenirent, nullā faciens Coss. mentionē. Quod sine dubio obmissum ab eo non est, sed iactura temporis e libro est deperditū & deprauatū. Nam in principio lib. 22. tradit Iulianū, ubi Cōstantinopolim uenit, tanq; Imperator quosdā sibi cōtrarios puniuisse. In quibus Taurum legimus exilio mulctatū. Et cum actorū gesta prouulgarentur, id uoluminis publici continebat exordiū consulatus Tauri & Florentij: Florentius aūt magister officiorū (nā duo eo tempore erant Florentij) Nigriani filius, contrusus est in syluā Dalmatiā Boas. Alter enim præfectus prætorio Consul etiā cum permutatione territus subita, cum cōiuge exemptus periculis, diu latuit, nec redire ante mortē potuit, capitis tamē crimine damnatus est absens. Historia Tripartita lib. 5 horū Coss. meminit, & cap. 42. ubi de Concilio agit Cōstantinopolitano, & cap. 24. & cap. 50. ubi sic scriptū est: At Mopsocrenis inter Cilicas atq; Cappadocas nimia cogitatione apoplexiæ passione defunctus est cōsulatu Tauri & Florētij, tertia die Nouembris, anno uitæ suæ 45. ex quibus tredecim cū patre regnauit, 25. post illum. Noster aūt Cassiodorus sequētibus Coss. ipsum tradit mortuū. Quod uereor ne sit scriptorū incuria trāspositū. Nam & Iulianus annū unum, mensibus octo imperauit. & Mamertinus elegantissimū Panegyricū, qui adhuc extat, Iuliano Cæsari dixit, in quo gratias ei agit, ut suspicanda sit menda. Nā et Constantinus consulatu Feliciani et Titiani mortuus scribitur. Si igitur anni ab eo cōsulatu usq; ad hunc XXXIII. annum imperij Constantij numerentur, erunt 25. anni Constantij imperij. Omnia igitur sunt cum sale legenda. Quis enim in tanta antiquitate & librorum corruptione potest ad apicem numerum indagare annorum. 3. 24

365. 1115 MAMERTINVS, ET NEVITTA.

Marcellinus lib. 21. Mamertinum scribit fuisse præfectum prætorio per Illyricum: sed postea cum Neuitta designatū Consulē. Sed eodem libro sæpius et perperā scribitur in omnibus impressis libris, Nec uita, pro Neuitta. & lib. 22. illius consulatus meminit, sub Iuliano tunc rerum potito. Inquit enim: Allapso itaq; Cal. Ianuariarū die, cum Mamertino & Neuittæ nomina suscepissent paginæ consulares, humilior Princeps uisus est in officio pedibus gradiendo cū honoratis, quod laudabāt alij, quidam ut affectatū & uilem carpebant. Narrat deinceps Marcellinus, quæ Iulianus hoc cōsulatu egerit, & quas leuitates in ludis Circensibus Cos. exercuit. Hic est ille Mamertinus, qui elegantissimū Panegyricum Iuliano Imperatori dixit, qui adhuc extat, & impressus circumfertur, multa elegantia & rerū doctrina refertus. In quo gratias agit Iuliano de consulatu. Vt certe hi Coss. sub Iuliano fuisse credendi sunt, uel solius Marcellini testimonio.

His Coss. Cōstātius Mopsocrenis inter Ciliciā Cappadociāq; moritur, anno ętatis 43. Cui successit Iulianus, qui regnauit anno 1. mēs. 8.

Orosius lib. 7. cap. 19. Anno ab Vrb. con. M. C. X V I. Iulianus dudum Cæsar, pòst aũt 36. ab Augusto, regno potitus anno uno, mensibus octo, imperij summam solus obtinuit. Christianã religionem arte potius quàm potestate insectatus, ut negaretur fides Christi, & idolorũ cultus susciperetur, honoribus magnis prouocare, quàm tormentis cogere studuit. Aperto tamen præcepit edicto, ne quis Christianorũ docendorum liberaliũ studiorum professor esset. Sed tamen sicut à maioribus nostris compertum habemus, omnes ubiq; propemodum præcepti conditiones amplexati, officium q; fidem deserere maluerunt. Iulianus autem aduersus Persas bellum parans, cum Romanas uires contractas undiq; ad destinatam secum retraheret perditionem, Christianorum sanguinem dijs suis uouit, palàm persequuturus ecclesias, si uictoriam potuisset adipisci. Nam & amphitheatrũ Hierosolymis iussit extrui: in quo reuersus à Parthis, episcopos, monachos, omnes eius loci sanctos, bestijs etiam arte sæuioribus obijceret, spectaretq; laniandos. Itaq; postq; à Ctesiphonte castra mouit, dolo cuiusdam transfugæ in deserta perductus, cum & sitis et ardore solis atq; insuper labore arenarum confectus periret exercitus, Imperator tanto rerum periculo anxius, dum per uasta deserti incautius uagatur, ab obuio quodam hostium equite, conto ictus, interijt. Sic misericors Deus impia cõsulta dissipauit. Plura de hoc Eutropius lib. 10. cap. 7. qui sub eo militauit. Plura Sex. Ruffus, & Sex Aurelius titulo 51. sed omniũ copiosissimè Ammianus Marcellinus, qui comes expeditionis Persicæ fuit, à lib. 21. usq; in librum uigesimumquintum. Historia quoq; Tripartita lib. 6. eius gesta cõmemorat: & Ruffinus lib. 10. historiæ Ecclesiasticæ. E quibus recentiores Iordanis & Beda, ac seculo nostro Pomponius Lætus, sua mutuati sunt. Ioannes Monachus, qui eius uitã latissimè enarrauit, historiæ Tripartitæ res Christianas subscripsit. Sed nemo melius pinxerat Iulianũ, q; Gregorius Nazianzenus, lib. 2. contra gentiles, ubi hæc uerba scribuntur: Hęc quidem de Iuliano alijs ipsa experimẽta tradiderunt, & assumpta potestas imperij. Mihi aũt eius mores comperti sunt. Cum hũc uirũ Athenis clarius agnouissem (uenerat enim illuc, cum frater eius Imperatori uideretur inimicus) tunc non frustra consideraui uirum. Non enim fortuitò ista conspexi, sed faciebat me cautũ inconstantia morũ eius, & excessus uberior. Vates siquidem egregius est qui bene considerat. Nullum enim signum in eo utile mihi uidebatur: Ceruix inflexibilis, humeri iactabiles, oculi currentes huc illucq; directi & furiosè respicientes, pedes impatientes, nares spirantes iniurias atq; cõtemptus, schemata risibilia, & hoc ipsum semper habentia: risus incontinens, & quasi subbulliens: consensus & negatio simul, rem nulla ratione consistens: interrogatio inordinata, atq; responsio nulla congruentia sibi conueniens. Sed quid uniuersa discurro? hunc ante opera uidi, & operibus ipsis agnoui. Et reliqua multa de moribus eius Nazianzenus narrauit.

IVLIANVS XXXVI.

Sub quo hi Coss. fuerunt:

4. 1 IVLIANVS IIII. ET SALVSTIVS. 366. 1116

Ammianus Marcellinus lib. 23. sic horũ Coss. meminit: Iulianus iam ter Cos. ascito in collegio Trabeę Salustio præfecto per Gallias, quater ipse amplissimũ inierat magistratũ. Et uidebatur nouum adiunctũ esse Augusto priuatũ, q post Diocletianũ & Aristobolũ nullus meminerat gestũ. Narrat itẽ Marcellinus, hoc anno fuisse præfectũ Romę Apronianũ. Historia quoq; Tripartita lib. 6. ca. 47. horum Coss. sic mentionẽ facit: Iulianus ergo quarto cõsulatu suo, quẽ ediderat cum Salustio, sexto die Iunij mẽsis, in Persica regione defunctus est, anno tertio imperij sui: septimo uerò ex quo Cæsar à Constantio fuerat ordinatus, uitæ anno 32. Eadem Hieronymus in Chronicis. Pomponius Lætus in suis Cæsaribus,

CHRISTI Abur. con. cum Iulianum describit, huius sic meminit cõsulatus: Iulianus quartum iniit con Olymp. Imp. Iou.
sulatum, ascito Salustio collega, quem præfecerat Gallijs præfectum, cum uer ap
peteret, Hieropolim uenit, hinc in Mesopotamiam signa commouit.

His Coss. Iulianus post uictoriam apud Persas occiditur, anno ætatis tricesimosecundo. Post quem sequenti die Iouianus ex Primicerio Domesticorum factus Imperator: qui regnauit mensibus octo. sub quo hi Coss. fuere.

Orosius lib. 7. cap. 19. Anno ab Vrb. con. M. C X V I I. Iouianus X X X V I I. ab Augusto Imperator, in summo rerum discrimine ab exercitu eius creatus, cum & locorum iniquitate captus, & hostibus circumseptus, nullam euadendi facultatem nancisceretur, fœdus cũ Sapore rege Persarũ, etsi parum putant dignum, satis tamen necessarium pepigit. Quippe ut tutum & incolumem exercitũ Romanum, non solum ab incursu hostium, uerumetiam à locorum periculo liberaret, Nisibin oppidum & partem superioris Mesopotamiæ Persis concessit. Inde per Illyricum rediens, dum per Galatiam iter agit, cum in cubiculum quoddam nouum sese cubitum recepisset, calore prunarum & parietum nidore nuper calce illitorũ aggrauatus & suffocatus, octauo demũ mense quo imperare incœperat, uitã finiuit. Eutropius lib. 10. ca. 8. qui per hæc tempora floruit, multa de hoc scripsit. Sextus Aurelius titulo 52. Iouinianus genitus patre Varroniano, incola agri Singidonensis prouinciæ Pannoniç (sic enim est legendũ, non insulæ: nec Indigonensis, ut Lætus. cum hodie dicatur, paucis immutatis, Segodanius ager) imperauit menses octo. Eius patri cum liberos crebros amitteret, præceptum somno est, qui eum, iam instante uxoris partu, edendum fore diceret Iouianũ. Hic fuit insignis corpore, lætus ingenio, literarum studiosus. Hic dum à Perside hyeme aspera mediaq; Constantinopolim accelerans, cruditate stomachi, tectorio noui operis grauatus, repentè interijt, annos gerens proximè X L. Ruffus quoq; Sextus in fine sui libelli, Iouiani & eius mortis meminit. Abundè autem de hoc Ammianus Marcellinus lib. 24. historia Tripartita lib. 7. & Ioãnes Monachus, qui Zonaras dicitur. È quibus nos quædam exerpsimus. Cęterùm ut intelligas, quis apud uetetes dictus sit Primicerius, licet C. Titulus sit de Primicerio: tamẽ non est audiendus Accursius, qui interpretatur eum esse qui primus cereum ferat: cum Primicerius notarius Principis dicatur, honore inter notarios primus. & primicerius domesticorum, & primicerius aliarum dignitatum. Marcellinus decimooctauo: Valentinus ex primicerio protectorum Tribunus. Et apud Hieronymum, primicerius scholæ candidatorum. Vegetius libro secundo: Primicerius in officio præfectorum prætorio ad honestum quæstuosumq; militiæ peruenit finem. Sunt autem à tabulis cereis, quæ ceromata Græcè dicuntur, in quibus antiqui scribebant, primicerij appellati. Vnde & historia Tripartita uocat hunc Millenarium, qui Græcis χιλίαρχος appellatur, hoc est tribunum qui mille militibus præerat. Neque illud est silentio prætereundum, quòd cum Iulianus legem proposuisset militibus omnibus, ut aut sacrificarent, aut militia cederent: maluit Iouianus cingulũ amittere, quàm impijs præceptionibus obtemperare. Et ideo raptus ad imperium, clamabat nolle se infidelibus imperare, cum ipse esset Christianus. Cui respõsum est à militib. omnib. sese quoq; Christi fidei esse obnoxios.

IOVIANVS XXXVII.

IOVIANVS, ET VARRONIANVS.

367. 1117 Horum Coss. meminit Eutropius lib. 10. cap. 8. ubi librum suum claudit, in CCLXXXVI
hæc uerba. Is status erat Romanæ rei, Iouiano eodem & Varroniano Coss. anno Vrb. con. millesimo, centesimonono, & decimo, fuit autẽ hic Varronianus,

Olymp.Imp. Iou. nus, filius Iouiani Imperatoris, cuius pater etiã Varronianus appellabatur, qui somnij cuiusdam monitu præscisse filij Iouiani imperatoriã dignitatem dicitur, teste Marcellino in libro uigesimoquinto: idq; duobus amicis commisisse fidissimis, illo adiecto, quòd ipsi quoq; deferretur trabea consularis. Sed impetrato uno, adipisci non potuit aliud. Audita enim filij celsiore fortuna, antequam eum uideret, fatali præuentus est morte. Et quia huic amplißimum magistratum portendi per quietem prædictum est seni, cum illi consulatus non eueniret, nepos eius etiam infans cum Iouiano patre declaratus est Consul. Et cum in sella curuli de more ueheretur, uagitibus mortem patris proximè futuram declarauit. Illic enim fit mentio horum Consulum. Historia Tripartita etiam huius consulatus meminit libro septimo, capite sexto, in hæc uerba: Tunc igitur Imperator impetum retinens hæreticorum, discesit ab Antiochia, & uenit ad Tarsum Ciliciæ, ibiq; corpus Iuliani sepeliuit: & dũ cuncta solennia funeri eius exhibuisset, Consul est designatus. Dumq; Constantinopolim festinaret, uenit ad prædium nomine Dadastam inter Galatiam & Bithyniam, quo Themistius philosophus, cum alijs senatoribus occurrens, consularem recitauit orationem. Feliciter tunc agi potuissent res humanæ Reipub. simul & ecclesiasticæ sub principe benigno dispositæ, nisi repentina mors mortalem uirum ab hominibus abstulisset. In prædicto namq; prædio hyemis tempore in fraxis, hoc est obdurationis seu stuporis languore constrictus est. Mortuus consulatu suo & Varroniani filij XVII. die mensis Februarij. Qui regnauit mensibus septem, uixit annis triginta tribus. CHRISTI Abur. con.

His Coss. Iouianus Imperator moritur, anno ætatis tricesimotertio.

Eutropius: Multi exanimatũ opinantur nimia edacitate. Inter cœnandum enim nimis epulis indulserat. Alij odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis graue quiescentibus erat. quidam nimietate prunarum, quas graui frigore adoleri multas iusserat. Decesit imperij mense septimo, quartadecima Calendas Martias, ætatis ut qui plurimum uel minimum tradunt tertio & trigesimo: ac benignitate Principum qui ei successerunt inter diuos relatus est. Nam & ciuilitate propria & natura admodum liberalis fuit: uir aliàs neq; iners, neq; imprudẽs. Hieronymus in Chronicis, quem puto fuisse imitatum Cassiodorum, annos triginta quatuor ei attribuit, si est litera castigata, cum omnes alij tantum 33. scribãt.

Post quẽ Valentinianus tribunus scutariorum apud Niceam Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli ad communionem assumit imperij. Qui regnauerunt annis quatuordecim, mensibus quinq;. Sub quibus hi Coss. fuerunt.

Orosius libro septimo, capite decimonono: Anno ab Vrb. con. millesimo centesimo decimonono, Valentinianus tricesimusoctauus, apud Nicæã consensu militum creatus est Imperator. mansitq; in eo annis undecim. Qui cum Christianus integra fide sacramentum militiæ gereret, & sub Iuliano Augusto tribunus scutariorũ iussus ab Imperatore sacrilego aut immolare idolis, aut militia excedere: fideliter sciens & grauiora esse Dei iudicia, et meliora promissa, sponte discesit. Ita parua interiecta mora, Iuliano interfecto, et Iouiano mortuo, qui pro Christi nomine amiserat tribunatũ, retribuẽte Christo in locũ persequutoris sui accepit imperiũ. Qui postea fratrẽ suum Valentem participẽ fecit imperij, & Procopiũ tyrannũ, pluresq; postea satellites eius occidit. Eadem adiectis quibusdam Paulus Diaconus, qui Eutropij historiam suppleuit, libro undecimo, cap. primo: et Sextus Aurelius titulo quinquagesimotertio: Historia Tripartita lib. septimo, capite septimo. Cumq; in Nicæam Bithyniæ uenisset exercitus, Valentinianum ordinauit Imperatorem, uirum optimum, & apice principali dignißimum, uicesimo-

simoquinto Februarij, Pannonium genere, de Cibala ciuitate, cui tunc erat militum cura cõmissa, quoniã probatissimè militarem nouerat disciplinam. Fuit enim uir magnanimus, & semper præsenti fortuna melior apparebat. Nõ modò enim fortitudine, sed etiam prudentia, temperantia, atq; iusticia & corporis magnitudine præfulgebat. Adeò enim fuit regalis pariter & urbanus, ut cum exercitus tentasset ei alium sociare consortem, ille responderit: Vestrum fuit, ô milites, Imperatore non existente, mihi dare regimen imperij: uerùm ubi hoc ego suscepi, meum iam, & non uestrum est, de rebus cogitare cõmunibus. Cuius uerba admirati milites, eius sequuti sunt uoluntatem. At ille fratrẽ de Phœnicia uocans, quod non debuit, socium fecit imperij. Post triginta dies auspicij sui, cui Asiæ sceptra contradens pariter & Aegypti, Europam sibi distribuit.

VALENTINIANVS AVG. IMP. XXXVIII.

368. 1118 VALENTINIANVS ET VALENS. 2. 1

Horum Coss. meminit Ammianus Marcellinus libro uigesimosexto, qui scribit ambos fratres Principes in Syrmio res ordinasse suas, cum prius trabeas consulares accepissent: & pòst Valentinianus Mediolanum, Valens Constantinopolim discessit, diuisis copijs. Quo anno cum Alemanni limites Germaniæ infestassent, qui legatos suos pro stipendijs miserant: acceptis autem uilioribus muneribus, obiecerunt Vrsatio officiorum magistro, & magis hostes tum incendebant. In Oriente Procopius tyrannidẽ assumpsit, & Constantinopolim intrauit, priusquam Valens ueniret, pluribus ciuitatibus occupatis. Eodem tempore præerat Romæ Rufius Turcius Apronianus, literis & Reipub. moderandis habenis uir illustris & clarus, prefectus Vrbis: qui iudex seuerus & integer Vrbem æternã regebat: & ueneficos plures qui Vrbem tum fœdabãt, summa cura exegit: & Hilarium Aurigam, ac plures alios, supremo supplicio castigauit. De quo multa Marcellinus libro uigesimosexto. Historia Tripartita libro septimo, capite decimoquinto, horum Consulum mentionem faciens, ita habet: Cum belli euentus interea percurreret, terræmotus factus multas diruit ciuitates. Sed etiam mare terminos proprios mutauit, & in quibusdam locis tanto potius ibi fluxit, ut loca quæ pridem ambulari poterant, remigarentur: ab alijs uerò locis tantum recessit, ut arida tellus inueniretur. Hoc ergo factum est primo duorum principum consulatu. Vnde apud ignotũ autorem de Coss. sic scribitur: Valentiniano & Valente Coss. maris recessio & accessio fuit duodecimo Cal. Augusti. Idẽ & Hieronymus in Chronicis. & Orosius: Terręmotus per totum terrarum orbem factus, ita turbatum quoq; pelagus excussit, ut per uicinas terrarũ campestrium partes refuso mari, plurimæ insularum urbes concussæ & subrutæ perijsse ferantur. Eadem Paulus Diaconus in Valentiniano. Sed Ammianus Marcellinus libro uigesimosexto in fine, quantum nos habemus, graphicè hunc terræmotum describit. Cuius uerba nõ grauarer subscribere, nisi fastidium lectori uererer me ingesturum. Vide, si placet, illic Marcellinum in fine operis, quemadmodum ad nos uenit lacer, mancus, & capite & pedibus truncatus. Nõ enim persuadeo mihi, uirum hunc clarissimum tam frigidè opus suum clausisse.

369. 1119 GRATIANVS, ET DAGALAIPHVS. 3. 2

Dagalaiphus olim magister fuit equitum, & equestris militiæ rector, uir clarus & illustris. Cuius crebram in plerisq; locis mentionẽ facit Marcellinus. Qui in uigesimosexto quoq; libro horum Coss. meminit his uerbis: Translato uerò in Gratianum adhuc priuatum & Dagalaiphum amplissimo magistratu, aperto iam uere, suscitatis uiribus, Valens iuncto sibi Lupicino, cum robustis auxilijs in Phrygiam tendit, &c. ubi post Procopij mortem describit, cui ceruix fuit amputata.

Olymp. Imp. Val. putata. De quo plura in Cæsaribus nostris. Nec quicquam amplius de hoc illustriss. autore Marcellino reperitur: quem auguror Augustalē suam historiam inchoasse uel post Suetonium, uel Cornelium Tacitum, & ad sua usque tempora deduxisse, quòd sæpe in his quos habemus mancis et mutilatis libris, meminit Hadriani, Antonini, Gallieni, Seueri rerum gestarū, quas se dicit scripsisse, ut diligenter obseruauimus. Sed proh dij immortales, quemadmodū Cornelij Taciti historiā sine capite, uentre, & cauda accepimus: ita Marcellini quoque libri, neque caput habent, nec pedes. Vtinam si qui adhuc sunt bibliotaphi, qui hunc aut utrumque deuinctum habent, ad sese redeant, & thesaurum non sub modio condant, sed pluribus participent, ut illustrium heroum gesta noscantur & imitentur, innumerosque pariant. At neque magnus ille Erasmus cum Frobenio daret omnes Cæsarū scriptores accuratè imprimendos, potuit ullum exemplar Ammiani castigatū ac integrū reperire. licet mihi certò dictū sit, integrum Ammiani Marcellini opus in quodā monasterio Rhenano latêre. Sed fortè noua ista lues rusticana, qua mille bibliothecæ sunt cōcrematæ in Germania, sustulit et hoc insigne opus. dij perdāt huius tumultus autores, qui hoc nouū diluuiū in mundū introduxerunt. Sed redeamus ad rem nostrā. Historia Tripartita lib. 7. cap. 15. huius consulatus Gratiani & Dagalaiphi meminit, sub quo describit Procopij tyranni necem: quē discerptū duabus incuruatis arboribus & redditis in altum colligatū tradit. Et proditores eius Agelon & Gomarius serris per mediū diuisos scriptum reliquit. Meminit eorundē Coss. rursus eodē lib. cap. 22. ubi habet Procopiū esse cæsum in fine mensis Maij, cum pòst paulo Valētiniano Imperatori nasceret alius filius post Gratianū, nomē patris referens, Valentinianus iunior dictus. De quo in Cæsaribus nostris. Gratianus enim illi natus est, priusquam imperium assumeret.

CHRISTI Ab urb. con.

4. 3 LVPICINVS, ET IOVINVS. 370. 1120

Lupicinus olim magister fuit equitum, & Iouinus magister armorum, ut Marcellinus tradit, adiuncti Valēti profecturo ad Orientem. Lupicini huius fit mentio in libello Seueri Sulpitij de uita sancti Martini. Historia Tripartita lib. 7. ca. 22. sic horum Coss. meminit: Consulatu Lupicini & Iouini grandinis multitudo in Constantinopolitana urbe secunda Iunij mensis die saxorum gerens similitudinem effunditur. quod multi dicebant propter motum Imperatoris accidere, quòd plurimos sacerdotum exilio deportauerat, Eudoxio communicare nolentes. Hieronymus in Chronicis: Tanta Constantinopoli est orta tempestas, ut miræ magnitudinis decidens grando nonnullos hominum interfecerit.

His Coss. Gratianus, Valentiniani filius, Ambianis Imperator factus est. apud Atrebatas lana è cœlo pluuiæ mixta defluxit.

Historia Tripartita lib. 7. cap. 22. Post paululum uerò tempus eodem consulatu Valentinianus princeps filium Gratianum Imperatorem constituit uigesimo die mensis Augusti. Orosius: Horū anno imperij tertio Gratianus, Valentiniani filius, Imperator est factus. Eodē anno apud Atrebatas, uera lana de nubibus pluuię mixta defluxit. Eadē Paulus Diaconus, eadē Hieronymus in Chronicis.

CCLXXVII. 4 VALENTINIANVS II. ET VALENS II. 371. 1121

Horum Coss. in hæc uerba fit mentio in Tripartita historia lib. 7. cap. 22. Sequenti uerò consulatu Valentiniani II. & Valentis II. terræmotus circa Bithyniam maximus Nicæam subuertit urbem undecimo die mensis Octobris. Agebatur enim annus duodecimus post Nicomediæ casum. Post paucū uerò tempus, alio terræmotu multę partes Gemmaciæ ciuitatis in Hellesponto constitutæ destructæ sunt. His ergo ita prouenientibus, nulla reuerentia terruit neque Eudoxium Arrianorum episcopum, neque Valentem Imperatorem. Non enim à persequutione cessabāt. Porro terræmotus ecclesiasticarum iudicium esse uidebatur.

CHRI- Abur. Olymp. Imp.
STI con. Val.

VALENTINIANVS N. P. ET VICTOR.

372. 1122 Autor ignotus, qui sola Coss. nomina scripsit cũ dieb. hoc loco ita scribit: Valentiniano Nouili & Victore, XVI. Idus Aprilis. Puto circa hæc tẽpora id esse factũ quod Hieron. in Chronicis. Paulus Draconus & Orosius tradũt, quòd Athanaricus rex Gotthorũ Christianos gẽte sua crudelissimè persequutus, plurimos barbarorũ ob fidẽ interfectos ad coronã sublimauerit. Quorũ tamẽ plurimi in Romanũ solũ nõ trepidi uelut ad hostes, sed certi quòd ad fratres ꝑ Christi cõfessione fugerũt. 2. 5

VALENTINIANVS III. ET VALENS III. 3. 6

373. 1123 Horũ Coss. meminit historia Tripartita lib. 7. ca. 29. his uerbis: Eudoxius, Arrianę religionis, post egressum Imperatoris Valẽtis à Cõstantinopoli defunctus est consulatu Valentiniani et Valentis III. cũ undecim annis sedẽ Cõstantinopolitanæ tenuisset ecclesiæ. Est aũt is Eudoxius Arrianæ hęreseos episcopus, à quo baptizatus Valens, in sæuissimã hæresim dilapsus est, conatusq́ catholicos perse qui, sed fratris autoritate cõpressus est, ut Orosius & Paulus Diaconus scribunt. Vt aũt ecclesiæ à Valente sunt molestatæ, sequentib. capitibus docet historia Tripartita. Quo pacto uerò ea tempestate legiones Romanę ripam Danubij nostri custodierint ab incursu hostium, docet lapis nuper anno salutis M.D.VIII. in ipsa (nomen oppidi est) Danubij ripa effossus, qui hodie in collegio Ducali Viennæ Pannoniæ est affixus, in quo hæc uerba leguntur:

D.D.D. N.N.N. VALENTINIANI VALENTIS ET GRAtiani perenniũ Augustorũ saluberrima iussione M. hunc burgum à fundamentis ordinante uiro clariss. Equitio comite & utriusq́ militiæ magistro. Insistente etiam Leontio P. P. milites auxiliares Laureacenses curæ eius commissi consulatus eorundem dominorum principumq́ nostrorum tertij ad summã manũ perduxerunt perfectiones.

Leontij & Equitij, qui paulopòst etiam cõsulari affulsere dignitate, crebra est mentio apud Ammianum Marcellinum. Hieronymus in Chronicis: Equitius Comes Illyrici iniquissimis tributorum exactionibus ante prouincias quas regebat, tanquam à barbaris uastarentur erasit.

GRATIANVS II. ET PROBVS. 4. 7

374. 1124 Historia Tripartita meminit horum Coss. libro septimo, capite tricesimoseptimo: Athanasius consulatu Gratiani II. & Probi, post crebra pro ecclesię statu certamina, hac priuatus est uita, quum quadraginta & sex annis per multa secula rexisset sedem Episcopalem. De hoc Athanasio eadem historia, & Ruffinus in Ecclesiastica historia multa. Probum uerò Consulẽ, patrem esse Probini & Olybrij Coss. Claudianus in eorundem Panegyrico affirmat.

MODESTVS, ET ARINTHEVS. CCLXXVIII

375. 1125 Arinthei legati mentio fit in Marcellino, qui Parthis occurrebat uolentib. Armeniã rũpere: sed coacti sunt prouinciã relinquere. Historia quoq́ Tripartita libro 8. cap. 13. Arinthei magistri militũ meminit, qui Armeniã ab incursu hostili tutatus est. Nec aliud preciũ ab Imperatore Valẽte petijt, q̃ ut ecclesia ijs cõcederet, qui pro doctrina Apostolica pericula sustinuerũt. quas tamẽ eius preces Imperator non exaudiuit. Sed ibi Terentius legitur, ubi Arintheus est legendum.

VALENTINIANVS IIII. ET VALENS IIII. 2. 9

376. 1126 His Coss. Saxones cæsi de Vsone in regione Francorum & Burgundiorum octoginta ferè milia, quod nunquã antea accidit, ad Rhenum descenderunt. Clearchus præfectus urbi Constantinopoli necessariam aquam & quam diu ciuitas optabat, induxit.

Eadem Hieronymus in Chronicis, & Paulus Diaconus libro undecimo, pri-

Olymp. Imp. Val. mo capite. Sed Oroſius ita: Valentinianus Saxonum gentem in Oceani litoribus & paludibus inuijs ſitã uirtute atq; agilitate terribilem, periculoſam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantem, in ipſis Francorũ finibus oppreſsit: Burgundionũ quoq; nouorum hoſtiũ nouum nomen, qui plus q̃ octuaginta millia, ut ferunt, armatorum ripæ Rheni fluminis inſederũt. Hos quondã ſubacta interiore Germania à Druſo et Tiberio, adoptiuis filijs Auguſti Cęſaris, per caſtra diſpoſitos, aiunt in magnam coaluiſſe gentem: atq; ita etiam nomẽ ex opere præſumpſiſſe: quia crebra per limitem habitacula cõſtituta, Burgos uulgo uocant: eorumq; eſſe præualidam & pernicioſam manum Gallię, hodieq; teſtes ſunt, in quibus præſumpta poſſeſsione conſiſtunt. Quãuis prouidentia Dei omnes Chriſtiani modò facti catholica fide, noſtriſq; clericis quibus obedirent recepti, blãdè, manſuetè, innocẽterq; uiuãt, nõ quaſi cũ ſubiectis Gallis, ſed uerè cũ fratrib. Chriſtianis. De aquęductu Clearchi hiſtoria Tripartita lib. 7. cap. 21. Cũ aquæductus in ciuitatẽ fuiſſet inductus, præfectus Vrbis tunc Clearchus nympheum maximum tunc ædificauit, in platea quæ nunc Theodoſij nuncupatur, ubi aquæ affluentia eſt emiſſa, in quo maximam feſtiuitatem ciuitas habuit. Illic lege totum caput, de quodam ſaxo cũ miranda inſcriptione, & miraberis.

CHRISTI Ab urb. con.

3. 10 GRATIANVS III. ET EQVITIVS.

Circa hęc tempora Hunnorũ gens de Męotidis paludibus exijt, & Emericus rex Gotthorum c. & xx. anno uitæ ſuæ obijt. 377. 1127

4. 11 P. C. GRATIANI III. ET EQVITII.

Hiſtoria Tripartita libro octauo, capite undecimo, horum Coſs. ſic meminit: 378. 1128
Inter hæc igitur Valentinianus Imperator Heſperiæ contra legatos Sauromatarum uehementi furore commotus, eruptione uenarum fluxu ſanguinis expirauit, poſt Conſulatum Gratiani III. & Equitij, uigeſima ſeptima die menſis Nouembris: anno uitæ quinquageſimoquarto, imperij undecimo. Quo moriente, Italiæ milites, ſexto die poſt eius mortem, Valentinianum puerũ eius filium ad imperij culmina peruexerunt: cuius imperium frater cum patruo (licet ingratè, quòd eis ignorantibus factum eſſet) tamen poſtea ſuſceperunt. Hoc itaq; modo Valentinianus iunior in paterno ſucceſsit imperio, natus de Iuſtina, altera Valentiniani uxore.

His Coſs. Valentinianus apoplexi Brigetione moritur. poſt quẽ Gratianus, ſumpto in imperium Valentiniano fratre, cum patruo Valente regnat.

Oroſius: Anno undecimo imperij ſui Valentinianus, cum Sarmatæ gentes ſeſe per Pannoniam diffudiſſent, eaſq; uaſtarent, bellum in eos parans apud Brigitionem oppidum ſubita effuſione ſanguinis (quod græcè Apoplexis uocatur) ſuffocatus & mortuus eſt. Poſt quem Gratianus filius eius Occidentis imperium tenuit, Valente patruo in Orientis partibus conſtituto. Valentinianum etiam fratrem ſuum, paruum admodum, ſocium creauit imperij. Mox ſubiungit Oroſius, quæ ſub Valẽte geſta ſunt longius, & quomodo perierit. Quod illic inuenies lector. Et apud Paulum Diaconum capite ſecundo libri undecimi. Eſt autem Brigetion urbs Pannoniæ ſuperioris Ptolemæo in Danubij ripa, ubi olim erat legio Germanica decimaquarta, haud longè à fluuio qui Ptolemæo Arábon dicitur.

CCLXXXIX 12 VALENS V. ET VALENTINIANVS IVNIOR

Hieronymus in Chronicis: Quia ſuperiore anno Sarmatæ Pannonias uaſtauerunt, iſdem Coſs. permanſere. In uetuſtiſsima quadam Chronica incerti autoris inueni ſic ſcriptum: His Coſs. Sarmatæ totam Pannoniã deuaſtauerunt. Valens tam atroci erat in monachos odio, ut, teſte Euſebio Cæſarienſi in hiſtoria 379. 1129

Eccle-

Ecclesiastica, libro undecimo, capite tertio, eremū uastaret, tria millia simul, aut eo amplius uiros, secreta & solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter ag greditur. Idem attestatur Socrates Tripartitæ hist. libro octauo, capite septimo: sed etiam Theodoritus in VII. capite XXXIX. Eremi incolas Antonij sequaces Lucius expulit: eorumq́ sanctissimos præsules duos Macarium Isidorumq́ & cæteros speluncis suis eijciens, in quandam insulam, quam impij inhabitabāt, destinauit. Orosius: Valens, ait, effrenata liber audacia, legem dedit ut monachi, id est Christiani, qui ad unum fidei opus, dimissa secularium rerum multimoda actione, se redegerant, ad militiam cogerentur. Vastas illas tunc Aegypti solitudines, harenasq́ diffusas, quas propter sitim & sterilitatem, periculosissimamq́ serpentium abundantiam conuersatio humana nō nosset, magna habitantium monachorū multitudo compleuerat. Hinc tribuni & milites missi, qui sanctos & ueros milites Dei alio nomine persequutionis abstraherent, interfecerunt ag mina multa sanctorum, &c. Idem Eutropius, Hieronymus. Idem Suidas, qui scribit Valentem omnium deorum contemptorem, & præsertim à fide Christi alienum ac abhorrentem. Hanc autem cōstitutionem Valentis libro X. C. Iustiniani inseruit de Decurionibus etiam Trebonianus, quia suæ quoque impietati conueniebat: cum esset, teste Suida, omnis religionis contemptor, & præsertim à Christiana fide abhorrens, adulator & fraudulentus. Qui persuasit Iustiniano Imperatori, fore ut nunquā moreretur, sed in cœlum cum carne assumeretur. Quamuis naturę dotibus ingenioq́ polleret, ut suæ ætatis nemini secundus esset: auaricia autem tanta, ut ius & fas uenale haberet, quam doctrinæ præstantia uelabat. Eadem Procopius.

380. 1130 GRATIANVS IIII. ET MEROBAVDES. 2. 13

Hic Merobaudes olim tribunus consuluit Gratiano, cum Treueris ageret, ut fratrem suum Valentinianum, ex Iustina matre editum, Cæsarem & consortem imperij faceret. Affuit autem huic quoq́ consilio L. Equitius magister equitum cum matre, ut testatur Sextus Aurelius.

His Coss. Alemanorum circiter triginta millia apud Argentariam oppidum Galliarum cæsa ab exercitu Gratiani. Gotthi diffunduntur in Thracia.

Orosius: Gratianus interea Imperator admodum iuuenis, cum inæstimabilem multitudinē hostium, Romanis infusam finibus cerneret, fretus Christi potentia, longè impar militum numero sese in hostem dedit. Et continuò apud Argentariam oppidum Galliarum formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit. nam plus q̃ triginta milia Alemanorum minimo Romanorum detrimento in eo prælio interfecta narrantur. Vide hinc latè Hunnorum in Gotthos & Gotthorum per Thracias incursionem. Hieronymus: Gens Hunnorū Gotthos uastat, qui à Romanis sine armorum depositione suscepti, per auaritiā Maximi ducis fame ad rebellandum coacti sunt. Superatis in congressione Romanis, Gotthi funduntur in Thracia.

381. 1131 P.C. GRATIANI IIII. ET MEROBAVDIS. 3. 14

In uetustissimo annalium libro legi hæc uerba: Anno Christi CCCLXXXI. synodus centum quinquaginta episcoporum Constantinopoli contra Macedonium congregantur.

382. 1132 VALENS VI. ET VALENTINIANVS IVNIOR II. 4. 15

Historia Tripartita lib. 8. cap. 15. Valens Imperator cum prima die Maij mensis, sexto suo consulatu & Valentiniani iunioris secundo, Constantinopolim uenisset, inuenit populum in mœstitia constitutū. Barbari namq́ per Thracias discurrentes, etiam Constantinopoleos suburbana uastabant, non existente qui eis

Olymp. Imp. Val. CHRI-STI Abv. con.

resistere fortiter perualeret. Qui dum usque ad muros uenissent Vrbis, afflicta ciuitas murmurabat, quasi eos Imperator illuc euocasset, dum nec resisteret, et magis bella protraheret. Circenses igitur agebantur, & illic Imperatori clamabant: Da arma, et nos pugnabimus. Hinc accensus Imperator, undecima Iunij egreditur, interminatus pœnas se pro iniurijs, cum rediret, à Cōstantinopolitanis ciuibus exacturum. Et quoniam prius uidebantur Procopio præbuisse solatium, ita ut ciuitatem aratro uertere minaretur: deduxit igitur ciues usque ad Hadrianopolim, quæ est in confinio Macedoniæ, & exercitu quidem præmisso in quodam uico uictoriam sustinebat: ad quem uenientes barbari, ubi Valens agnita proditione se celare nitebatur, immisso igne concremauerunt cum uico pietatis inimicum: nona die mensis Augusti, quarto anno ducentesimæ octogesimænonæ Olympiadis, anno uitæ 50. qui cum fratre regnauit annos 13. post fratrē tres. Vide Orosium & Paulum Diaconum, qui eadem, sed latius, scribunt. Et sic finitur hic Olympias 289. secundū historiam Tripartitam. Nec in Eusebio libro Temporum alia reperitur Olympias, licet historia Tripartita continuet usque ad septimumdecimum consulatum Theodosij, qui fuit annus secundus 35. Olympiadis. Tam diu etiam Olympiadas continuabimus. Si quid uerò deinceps inueniemus fide dignū, apponemus. Nam huc usque Hieronymus Eusebij tempora produxit. reliquum tempus alio opere describendum promittit. In uetustissima quadā Chronica incerti autoris reperi, Valente VI. & Valentiniano II. Coss. Orosius & Prosper Chronicas scripserunt, & Valens Imperator incensus est. Nam & post Hieronymum Prosper cætera deinceps cōtinuauit. Et Marcellinus quidā hinc tempora pulcherrimè per consulatus & indictiones produxit, opere quidem breui, sed pulcherrimo: cuius copiā mihi fecit Ioannes Gremperius amanuēsis meus: & quem deinceps usque ad finem operis semper citabo circa singulos consulatus. Orditur autē præfatus autor opusculum suum ita: Post mirandum opus, quod à mundi fabrica usque in Constantinum principem Eusebius Cæsariensis huius seculi originem, tempora, annos, regna, uirtutesque mortaliū & uariarū artium repertores, omniūque prouinciarum monumenta cōmemorans, greco edidit stylo, noster Hieronymus cūcta transtulit in latinum, & usque in Valentem Cæsarē Romano adiecit eloquio. Igitur uterque huius operis autor V̄. D. LXXXVIII. annorum hunc mundū tunc fore miro computauit ingenio. Ego uerò simplici duntaxat computatione, oriētale tantū sequutus imperiū, per indictiones, perque Coss. infrascriptos 140. annos à septima uidelicet indictione, & consulatu Ausonij & Olibrij, quibus etiā Coss. Theodosius Magnus creatus est Imperator, enumerans, & usque in consulatum magni indictione undecima colligens, eorundem autorum operi subrogaui. Itemque alios decem & sex annos à Consulatu Iustini Augusti primo, usque in consulatum Iustiniani Augusti IIII. suffeci. Hi sunt simul anni 156. Appellauit aūt is Marcellinus opusculū suum Deflorata. Mos enim est Orientalium, ut breuem & publica fide transsumptam narrationem uocēt Deflorationem. Iosephus: Berosus Chaldæus omnem Chaldaicam deflorauit historiam. Et ideo etiam opus Berosi dicitur Chaldaica defloratio. Huius Marcellini meminit Casiodorus in primo libro Introductorij in sacras literas cap. 17. ubi Christianos historicos recenset in hæc uerba: Marcellinus etiam quatuor libros de temporum qualitatibus, & positionibus locorū, pulcherrima proprietate conficiens, itineris sui tramitem laudabiliter percurrit, quē uobis pariter dereliqui. Et paulo infrà subdit: Eusebium subsequutus est suprascriptus Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patricij Iustiniani fertur egisse cancellos. Sed meliori conditione deuotus à tempore Principis usque ad fores imperij triumphalis Augustiniani opus suum Domino iuuante perduxit: ut qui antè fuit in obsequio suscepto gratus, postea ipsius imperio copiose amantissimus appareret. Sed ut ad pro

positum

positũ reuertamur. Præfationis aũt uerba Marcellini ideò subscripsi, ut lectores diligenter disquirant, ne autor ille, sicubi latet, intereat. unicum habui & deprauatum & lacerum exemplar, multis in locis fenestratũ. Hermannus Cõtractus etiam ad sua usq; tempora diligentissimè deduxit summo studio.

His Coss. à Gotthis in Thracia Valentis trucidatus est exercitus. Ipse quoq; Imperator, incensa domo ubi se occultauerat, igne cõmbustus est. Cui successit in Oriente Theodosius Theodosij filius, quem sibi in consortium Gratianus asciuit. Gratianus itaq; cum iam XIIII. regnaret annis, cum Theodosio annis III. sub quibus hi Coss. fuerũt.

Eusebius: Lacrymabile bellũ in Thracia. In quo deserente equitũ præsidio, Romanę legiones à Gotthis cinctæ, usq; ad internecionẽ cæsæ sunt. Ipse Imperator Valẽs cũ sagitta saucius fugeret, et ob dolorẽ nimiũ super equo laberet, ad cuiusdã uillici casam deportatus est, ubi persequẽtib. barbaris, & incensa domo, sepultura quoq; caruit. Orosius lib. 7. Anno ab Vr. con. M.C.XXXII. Gratianus quadragesimus ab Augusto Imperatore (nam Valentem Cassiodorus cum Valentiniano supputat, & ideo hunc 39. facit) post mortem Valentis sex annis imperium tenuit: quamuis iamdudum antea cum Valente patruo, & cum Valentiniano fratre, regnaret. Qui cum afflictum & penè collapsum Reip. statum uideret, eadem prouisione qua quondam legerat Nerua Traianum, uirum Hispanum, per quem Respub. reparata est, legit & ipse Theodosiũ, ęquè Hispanum uirum, & restituendæ Reipub. necessitate, apud Syrmium purpuram induit, Orientis & simul Thraciæ præfecit imperio. Hoc perfectiore iudicio, quia cum in omnibus humanæ uitæ uirtutibus iste par fuerit in fidei sacramento, religionisq; cultu, sine ulla comparatione præcessit. Siquidem ille persequutor, hic propagator Ecclesiæ: ita illi ne unus quidem proprius filius, quo successore gauderet, indultus est. Huius autem Orienti simul atq; Occidenti per succiduas usq; ad nunc generationes gloriosa propagatio dominat. De illo plura Paulus Diaconus libro 11. cap. 3. Sextus Aurelius titulo quinquagesimoquinto: Historia Tripartita lib. 9. & Hermannus Contractus, è quibus & nos quædam excerpsimus.

GRATIANVS AVG. IMP. XXXIX. CCXC

AVSONIVS, ET OLIBRIVS.

380. 1133 Prosper, qui librum Chronicõn post Hieronymum continuauit, Coss. etiam ponens, Musonium alterum Consulẽ appellat. Sed error est. Ausonius enim elegantissimus ille poeta, cuius adhuc hodie extant ingenij plura monumenta, & qui præceptor Gratiani fuit, hic Consul erat. Extat Panegyricus & consularis oratio, quam Gratiano dixit, ut de consulatu ei gratias ageret. Narrat Cassiodorus in Introductorio libro, Prosperum Chronica ab Adam ad Genserici tempora & Vrbis deprædationem usq; perduxisse. Tradit autẽ Prosper, his Coss. Gratianum post mortem patrui, Theodosij filium, in consortiũ imperij assumpsisse, & ei regnum Orientis tradidisse. Quod & historia Tripartita commemorat lib. 9. cap. 4. ubi horum quoq; Coss. fit mentio. sub quibus XVI. die mensis Ianuarij id factum tradit. Quo anno etiam Theodosius Gotthos è Thracia pepulit. Marcellinus hos Coss. nominans, septima indictione sic ait: Theodosius Hispanus, Italicæ Diui Traiani ciuitatis, à Gatiano Augusto apud Syrmiũ XXXIX. post Valentis interitum Imperator creatus est. XIIII. Cal. Februarias Orientalẽ duntaxat Rempub. recturus, admodũ religiosus, & catholicæ Ecclesiæ propagator, omnibusq; Orientalibus principibus præponendus, nisi quòd Marcianum Tertium post se principem imitatorẽ habuit. Alanos, Hunnos, Gotthos, gentes Scythicas

Olymp. Imp. Grat. thicas magnis multisq; prælijs uicit. In uetustißimis Chronicis, quorum autor ignoratur, scriptũ reperi: Ausonio & Olibrio Coss. Theodosius eleuatus est Imperator à Gratiano Syrmij. Ad hunc Ausonium legitur eruditißima Theodosij Imperatoris epistola, ut ei libros suos mittat, & respõsio Ausonij carmine. Quinimò elegantißimæ epistolę Symmachi ad hunc Ausoniũ multæ circunferũtur. CHRISTI Abr. an.

2. 2 GRATIANVS V. ET THEODOSIVS. 381. 1134

Sub his Coss. Theodosius Thessalonicæ est baptizatus ab Anatolio, eiusdem ciuitatis episcopo, cum illic ægrotaret. & legem Constantinopolitanis proposuit de cultu religionis, cuius tenor scribitur in historia Tripartita capite septimo lib. noni, ubi horum quoq; Coss. mentio fit. Fit & horum Coss. mentio capite decimo, eodem libro. Fuit etiam hoc anno pax cum Gotthis firmata, procurãte Gratiano, quòd Theodosius ægrotaret. Marcellinus sic scribit: Indictione octaua, Gratiani Augusti quinto, & Theodosij Augusti primo, Gregorius Nazanzenus facundißimus Christi sacerdos, & Hieronymi nostri præceptor in Ecclesia nostra apud Byzantium ab Arrianis capta, plebem catholicam in beatæ Anastasiæ Oratorio Catholico quotidiana alloqutione continuit. Sæpe namq; prauorum cõuicijs insectatus est: sed gratia Christi præditus, usq; ad id tempus, quo eadem Ecclesia sui præsentia nostris est reddita, perfidis obstitit Arianis. Nam his Coss. Theodosius Magnus postquam de Scythicis gentibus triumphauit, expulsis continuò de orthodoxorum Ecclesia Arrianis, qui eam per quadraginta fermè annos sub Arrianis Imperatoribus tenuerant, nostris catholicis orthodoxis restituit Imperator mense Decembrio. Hermannus Contractus in suis Annalibus tradit, ab hoc anno Theophilum Alexandriæ Episcopum Paschales cyclos inchoasse. Cur autem hoc templũ, siue hæc basilica, Anastasia sit dicta, lege Tripartitam historiam libro nono, capite nono.

His Coss. Ambrosius episcopus de Christiana fide multa sublimiter scribit.

Prosper Gratiano quinto & Theodosio Coss. pro catholica fide multa sublimiter Ambrosius scribit. Cæterùm de Ambrosio multa historia Tripartita libro septimo, capite octauo: libro nono, capite uigesimoprimo: & Ruffinus libro undecimo historiæ Ecclesiasticæ, capite undecimo & decimoquinto. Verùm quisquis scripta illius sanctißimi antistitis Ambrosij in tres partes hodie distincta nõ uiderit, ille se sciat in literis sacris parum, aut nihil, uidisse. Vtinam nostri hodie episcopi, huius præsulis innixi uestigijs, aut similia scriberent, aut scripta saltem legerent, non autem fastui aut pompæ dediti, religionem solis uestibus profiterentur. Omnes uos sacerdotes admoneo, hortorq;, ut huius disertißimi Doctoris Ecclesiæ libros asßiduis manibus euoluatis. In his oleum & operam ponatis: non aleæ aut ludo tempus uestrum atteratis, ut digni tandem sacerdotio reperti, oues uobis cõmissas digno pabulo enutrire ualeatis. Paulus Diaconus post Auxentij seram mortem, cum Ambrosius ex pagano iudice subitò apud Mediolanũ diuino nutu episcopus fuisset ex cunctis electus, moxq; catholico baptismate tinctus, præsul esset ordinatus, cumq; pro fide catholica libros Gratiano Imperatori porrexisset, ac reuerentia qua debuerat susceptus esset, uniuersa statim ad rectam fidem Italia repullulauit.

3. 3 SYAGRIVS, ET EVCHERIVS. 382. 1135

Prosper scribit, quòd Euagrius & Eleutherius Coss. tum fuerint. Fuit autem Euagrius uir eloquentißimus, discipulus & diaconus Gregorij Nazanzeni. cuius fit mẽtio in historia Tripartita, libro octauo, capite primo. Licet libro nono, capite duodecimo, faciens horum Coss. mentionem, scribat consulatu Euagrij & Eucharij, mense Maio, conuenisse episcopos contra Macedonianos, qui sanctum

CHRI- Ab ur. ctum spiritum Deum esse negabant. Quo tempore Synodus centũ & octogin-
STI con. ta patrum apud Constantinopolim celebrabatur, iussu Theodosii, ut latissimè illic historia Tripartita recenset, & Hermannus Contractus in suis Annalibus repetit. Marcellinus autem noster horum Coss. sic meminit: Indictione nona Eucherij & Euagrij Cons. centum quinquaginta patribus in urbe Augusta congregatis, aduersus Macedonium in sanctum spiritum naufragantem, ab ijsdem episcopis sancta Synodus firmata est, Damaso scilicet sedem beati Petri tenente. Constantinopoli uerò Timotheo Alexandrino perq; Miletium Antiochenum & Cyrillum Hierosolymitanum episcopos Nectareo ex pagano protinus baptizato, & in præfata synodo Pontifice ordinato, Athanaricus rex Gotthorum, cum quo Theodosius Imperator pepigerat, Cõstantinopolim mense Ianuario uenit, eodemq; mense morbo perijt. Id quoq; Cassiodorus sequenti anno factum scribit, ut infrà patet: nisi sit error codicis.

His Coss. Martinus episcopus Turronum Galliæ ciuitatis multis clarus habetur.

Paulus libro undecimo, capite tertio: Eo tempore in Gallijs apud Turronos multis beatissimus Martinus florebat uirtutibus. Quemadmodum sanctus Martinus, ex Sabbaria Pannoniorum oppido oriundus, Ticini sit alitus, & quomodo primùm sub Constantio meruerit, deinde sub Iuliano Cæsare, & quomodo sit factus præsul Turronicæ ecclesiæ, elegantissimè Seuerum Sulpitium eius uitam scribentem, ac eius miracula, quisquis id concupierit, adeat, & gaudebit, & lætabitur, cum illud opusculum leget.

383. 1136 ANTONIVS, ET SYAGRIVS II. 4. 4

De his Coss. sic noster scribit Marcellinus: Decima indictione Antonij & Syagrij Cõs. Diui Valentiniani Magni cadauere, Theodosius Magnus princeps ab Italia reportato apud Comitatum regio in sepulchro condidit. Eodem anno uniuersa gens Gotthorum Athanarico rege suo defuncto, Romano se imperio dedit, mense Octobri. Et Damasus Romanæ Ecclesiæ, exceptis Liberio, & Felice tricesimoquinto Episcopo, anno pontificatus sui decimooctauo, in Domino requieuit. Prosper libro Chronicôn in hęc uerba: Antonio & Syagrio Coss. Athanaricus rex Gotthorum apud Constantinopolim quintadecima, qua fuerat susceptus die, occiditur. Cassiodorus quoq; de hoc inquit:

His Coss. Athanaricus rex Constantinopolim uenit, ibiq; uitam exegit.

Paulus Diaconus libro undecimo, capite tertio: Athanaricus Constantinopolim ad Theodosium uenit, quem ille mira animi iucunditate & affectione recepit. Deniq; cum Vrbem Athanaricus intrasset, & tum ædificia ciuitatis, quam exornari quasi ad diem festum populi frequentiam cerneret, ac per singula mente inhæreret: cumq; deinceps Imperetoris regiam ingressus, obsequia, officiaq; diuersa conspiceret: Sine dubio, inquit, Deus terrenus est Imperator. Contra quẽ qui manus leuare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus existit. Nec mora tamen superueniente ualetudine rebus humanis excessit. Cuius exequias Imperator ipse præcedens, dignè eum tradidit sepulturæ. At uniuersæ Gotthorum gentes aspicientes uirtutem benignitatemq; Imperatoris Theodosii, Romano sese Imperatori dediderunt. Idem Hermannus Contractus in suis Annalibus.

384. 1137 MEROBAVDES II. ET SATVRNINVS. CCXCI

Horum Coss sic memini Historia Tripartita libro nono, capite decimoctauo: Inter hæc Theodosius Imperator filium Arcadium designauit Augustũ Con

Olymp. imp. Grat. CHRISTI Abur. con.

sulatu Merobaudis secundo (ita enim legendũ) & Saturnini, decimasexta Ianuarij mensis die. Non longo pòst tempore aderant undiq; totius religionis episcopi eodem consulatu Iunio mense. Merobaudis mentio fit in illo elegantißimo Panegyrico Latini Drepani Pacati, quem Theodosio dixit Romæ.

His Coss. Arcadius, Theodosii Imperatoris filius, Augustus appellatur.

Prosper: Merobaude secũdò & Saturnino Coss. Arcadius Theodosii Imperatoris filius Augustus est appellatus. In uetustißimis quoq; chronicis, quorũ autorẽ ignoro, inueni, Merobaude secũdò & Saturnino Coss. Gratianus occisus est à Maximo Lugduni octauo Calendas Septembris. Quo anno natus est etiã Honorius Constantinopoli quinto Idus Septembris. Et leuatus est Arcadius. Quę cõuenire uidentur cũ his quę historia Tripartita tradit libro nono, capite uigesimoprimo, ubi mors Gratiani describitur in hæc uerba: Mortuus est ergo consulatu Merobaudis & Saturnini anno imperij decimoquinto, die uigesimaquarta, uitæ uicesimo & quarto. licet & Caßiodorus eius mortem in sequentes Coss. rejiciat. In quos etiam historia Tripartita natales Honorij collocat. Lege ibi quomodo Gratianus bellũ Germanis intulit: quæ Probus exconsul fecit, Valentiano tũ pubere existente: quid Iustina uxor Valentiniani senioris cõtra Ambrosiũ episcopũ patrata est: & quo pacto fraude Andragathij trucidatus sit Gratianus.

2. 6 RICIMER, ET CLEARCHVS. 385. 1138

Horum Coss. meminit historia Tripartita libro nono, capite uigesimoprimo, his uerbis: Ea tempestate etiam legatio Persarum aderat pacem petens, quo tempore filius quoq; Honorius ei natus est de uxore Placilla, consulatu Richomeris & Clearchi, octaua die Septembris mensis. Quo consulatu Agelius quoq; Nouatianorum episcopus est defunctus. Prosper: Ricomede & Clearcho Coss. Honorius, Theodosii filius, nascitur, & in Britannia per seditionem militum Maximus Imperator est factus. Quo mox ad Gallias transferente se, Gratianus Parisius Merobaudis magistri militũ proditione superatus, & fugiens, Lugduni captus atque occisus est. Maximus uerò Victorem filium suum Cæsarem fecit, & consortem regni. Orosius libro septimo, capite uigesimo: Maximus uir quidem strenuus, & probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidẽ emersisset, in Britannia inuitus propemodum ab exercitu Imperator creatus, in Galliam transit: ubi Gratianum subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumuentum interficit: fratremq; eius Valentinianum Augustum Italia expulit. Valentinianus in Orientem refugiens, paterna pietate à Theodosio est susceptus, & mox imperio restitutus.

His Coss. Gratianus apud Lugdunum captus occiditur. Residuis Valentinianus & Theodosius regnant annis octo. Sub quibus hi Coss. fuere.

Orosius libro septimo, capite uigesimoprimo: Anno ab Vr. con. millesimo centesimo trigesimooctauo Theodosius quadragesimusprimus, interfecto à Maximo Gratiano, imperium Romani orbis obtinuit: mansitq; in eo annis undecim, cum iam in Orientis partibus sex annis Gratiano uiuente regnasset. Itaq; iustis necessarijsq; causis ad bellum ciuile permotus, cum è duobus Augustis fratribus & ultionem unius interfecti sanguis exigeret, & restitutionem miseria alterius exulantis oraret, posuit in Deo spem suam: seq; aduersus Maximum tyrannum sola fide maior (nam longè minor erat uniuersa apparatus bellici comparatione) proripuit Aquileię tunc Maximus uictorię suę spectator insederat. Andragathius uerò Comes eius summam belli administrabat; qui cum largißimus

militum

militum copijs, ipsacq; magnarum copiarum fortitudine præcellente consilio incredibiliter omnes Alpium & fluminum aditus communisset, ineffabili iudicio Dei, nauali expeditione, dum incautum hostem præuenire & obruere parat, sponte eadem quę construxerat claustra deseruit. Ita Theodosius, nemine sentiente, Aquileiam improuisus aduenicns, Maximum clausit, cæpit, & occidit. Vide deinde longa serie quæ Orosius tribus capitibus de Theodosio persequitur, quæ omnia mutuauit Paulus Diaconus libro undecimo. At Sextus Aurelius titulo quinquagesimosexto & ultimo, Historia Tripartita libro nono, & Ruffinus ultimo libro Historiæ ecclesiasticæ, ac Beatus Ambrosius libro epistolarum quinto multa de Theodosio perscribunt. E quibus & nos quædam excerpsimus in Cæsarum Catalogo. Valentinianus autem Iunior regno restitutus, extincto Maximo, eiusq; filio Victore, quē Imperatorem Gallis relinquens præfecerat, ipse in Galliam transijt. Vbi cum tranquilla Repub. in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui, ut ferūt, strangulatus, Atq; ut uoluntariam sibi consciuisse mortem putaretur, laqueo suspensus est.

VALENTINIANVS IVNIOR
THEODOSIVS XL.
ARCADIVS, ET BAVCO. 3. 1

386. 1139 Horū Coss. meminit historia Tripartita libro nono, capite uigesimosecundo. Sed perperā ibi scriptum est, Baudonis & Bauconis. Prosper quoq; in Chronicis in hæc uerba: Arcadio & Baucone Coss. Hieronymus presbyter, toto iā mundo clarus, habitat in Bethleē, egregio ingenio & studio uniuersali ecclesię seruiens.

His Coss. Hieronymus presbyter in Bethleem positus, toto mundo mirabilis habetur.

Paulus Diaconus libro undecimo, capite tertio: Eo tēpore toto orbe doctrinis & scientia clarus, apud Bethleem ciuitatē Palęstinę situs, radiabat Hieronymus. Marcellinus: Hieronymus noster literis Græcis atq; latinis Romæ apprime eruditus, presbyter quoq; ibidē ordinatus est. Porrò ad Bethleem iuuenis aduenit: ubi prudēs animal ad præsepiū se mox obtulit permansurū. Inter cætera studiorum suorū opuscula usq; ad Theodosii decimumquartū imperij annū à beato Petro sumens exordium, usq; in semetipsum, de uiris illustribus scribit innumeris. Præterea libris Apostolorū Prophetarumq; cōstructionibus editis, immobilem catholicæ turrim Ecclesiæ cōtra perfidorū iacula cōsummauit. literis quoq; Hebraicis ita doctus, ut omnes ueteris Testamenti libros ex Hebræorū scilicet codicibus uerterit in latinū: Danielē q́q; prophetā Chaldaico stylo loquentem, & Iob iustū Arabico, in Romanā linguā utrumq; autorē perfecta interpretatione mutauerit. Matthęi quoq; Euangeliū ex Hebræo fecit esse Romanū. Mētis insuper ac corporis uirginitatē prædicans atq; custodiēs, solus omniū Romanorū in oēs sedecim prophetarū cōmentatus est libros. Iunctis pręterea suorū librorū prologis, ita se luculentissimū interpretē, & immensa Epistolarum uolumina cōdens, neruosum se catholicis exhibuit lectoribus, ut ne perfidis quoq; pepercisse, nec inuidis cessisse uideatur. Nonagenarius fermè, ut perhibetur, in Domino requieuit. Quē Stridō oppidū genuit, Roma erudiuit, Bethleē alma tenet. Nō possum non stomachari iterū, cum uideo nostros sacerdotes ita luxui & ocio deditos, ut pręter horas Canonicas, quas sine intellectu ac deuotione nulla absoluūt, nullas penitus literas inspiciunt. Gentilium & ethnicorū libros aspernantur, quasi lege Christiana uetiti. Sed esto, hos non legant. Cur nō diui Hieronymi scripta melle dulciora, omni sententia, doctrina & eruditione legunt? Et intermissa alea, quā frequentius exercent q́ Psalteriū, perlegunt ac relegunt? Sed inquiunt: Noli tu sacerdotes

Olymp. Imp. Val. Iun. | CHRISTI | Ab urb. con.

sacerdotes Christi censere, qui uncti sunt, qui sacrati sunt, qui benedicti sunt. Ast ego hos minimè cẽseo. Indignor, ꝙ non à maioribus, hoc est episcopis, Cardinalibus, ac summis Pontificibus, errores & scandala de clero tollãtur. Sed proh dolor, qualis horũ uita? Sileo, taceo: quandoquidem dicunt, mala morte perire, qui sacerdotes carpat. Sed Christus opt. max. cũ pontifices, scribas, ac Pharisæos ob ipsorũ delicta reprehenderet, à sacerdotibus est morti condẽnatus. Veri & boni Christi sacerdotes omni sunt ueneratione dignißimi, & hi tempore nõ abutuntur, neq; dies in luxu ac uoluptate cõterunt, sed diuorum Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Lactantij, Anastasij, Cyrilli, Pamphili, & id genus alios libros dies noctesq; euoluunt, & uitam honestam ac pudicam uiuunt.

4. 2 HONORIVS N. P. ET EVODIVS. 386. 1140

Prosper horũ Coss. sic meminit: Honorio Nepote, & Euodio Coss. Burdegale quædam Priscilliani discipula, nomine Vrbica, ob impietatis pertinaciam, per seditionem uulgi lapidibus obruitur. Hermannus in suis Annalibus: Priscillianus hæreticus in synodo Burdegalensi iam damnandus, fugit: & Treueri ab Euodio præfecto auditus, cum sequacibus erroris, gladio addictus est.

CCXCII 3 VALENTINIANVS III. ET EVTROPIVS. 387. 1141

Historia Tripartita libro nono, capite quadragesimoquinto, mẽtionem facit cuiusdam Eutropij eunuchi, quem fidelißimũ fuisse scribit Theodosio Imperatori, & ab eo missum ad Ioannem Monachum, ut ei belli euentum significaret.

2. 4 THEODOSIVS II. ET CYNEGIVS. 388. 1142

Prosper: Theodosio secũdò & Cynegio Coss. Maximus tyrãnus Valentiniano & Theodosio Imperatoribus, tertio ab Aquileia lapide spoliatus indumentis regijs, sistitur, & capite dãnatur. Cuius filius Victor ab Arbogasto est interfectus in Gallijs. De hoc Maximo Paulus Orosius lib. 7. capite uigesimo: Paulus Diaconus lib. 11. cap. 12. & historia Ecclesiastica libro undecimo: historia Tripartita lib. 9. cap. 23. ubi horũ quoq; Coss. fit mẽtio. In uetustißimis Chronicis scribitur: Theodosio secũdò & Cynegio Coss. occisus est Maximus 5. Calendas Septẽbris.

3. 5 TIMASIVS, ET PROMOTVS. 389. 1143

Horũ Coss. sic meminit Prosper: Timasio & Promoto Coss. Lõgobardi eorũ ducibus defunctis, primũ sibi regẽ creauerunt Agelmundũ, Aronis filiũ, qui regnauit annis trigintatribus. In eadẽ uetustißima Chronica (sic hodie loquimur uulgò) quam paulo antè citaui, sic scribitur: Timasio & Promoto Coss. Theodosius Romã introiuit cũ Honorio Idus Iunias. Et exiuit inde tertio Calendas Septẽbris. Hæc faciunt pro intellectu capitis uigesimitertij & uigesimiquarti libri noni historiæ Tripartitę. Tũc, puto, dictus est elegantißimus Panegyricus Theodosio à Latino Pacato Drepano, qui multijuga scatet eruditione & doctrina. Quẽ lector studiose omnino legas, ut uirtutes Theodosii Imperatoris condiscas. Ex ijs autẽ tibi iam patescet argumentum. Marcellinus sic de his Coss. scribit: Timasii & Promoti cõsulatu Theodosius Imperator cũ Honorio filio suo Romam mense Iunio introiuit. Congiariũ pop. Ro. tribuit, Vrbẽq; egressus est Calendis Septẽbris. Per idẽ tẽpus grando crepitans per biduũ continuum plurima cecidit pecudũ arborumq; pernicies. Item stella à Septentrione gallicinio surgens, & in modum luciferi ardens, priusq; splendens apparuit, uigesimasexta die desiit esse. Templum Serapis apud Alexandriam Theodosii Imperatoris edicto solutũ est.

4. 6 VALENTINIANVS IIII. ET NEOTERIVS. 390. 1144

Prosper: Valentiniano quarto & Neoterio Coss. signũ in cœlo quasi colũna pendens ardensq; per dies triginta apparuit. Et Theodosius uenerabile Ioannis Baptistæ caput, ex uico Coslai Constantinopolim deportans, septimo ab Vrbe lapide in basilica, quã magno sumptu in eius honorẽ erexerat, recõdit. Vide de

hoc

CHRI-STI Ab ur. con.

hoc quadragesimotertio capite libri noni historiã Tripartitam. Marcellinus: Valentiniani Augusti III. & Neoterij Coss. signum in cœlo quasi columna pendẽ ardensq́ per dies triginta apparuit. Galla Theodosii uxor ab Arcadio priuigno suo electa est. Obeliscum in Circo positum est. Columna haud longè ab ecclesia constituta est, quæ argenteam Theodosii Magni statuam ferens hactenus contemplatur.

CCX III

391. 1145 TITIANVS, ET SYMMACHVS.

Tatianus à quibusdã hoc loco scribitur. Ego malo Titianum, cuius Ausonius meminit in epistola quadã ad Probũ, & in Panegyrico: Symmachus uerò in epistolis suis crebrò. Est autẽ hic Q. Symmachus, uir cõsularis, & Vrbi præfectus eloquẽtissimus & doctissimus, Ausonij frater: qui causam gentiliũ deorũ luculentissima oratione defendit apud Theodosiũ & Valentinianũ Imperatores. Quæ oratio libro quinto epistolarum inseritur. Contra quam ardentissimè scripsit diuus Ambrosius, & Aurelius Prudentius, qui circa hæc tempora floruit, duobus elegantissimis libris, uersu heroico. Cuius operis initium est:

Paulus præco Dei, qui fera gentium
Primus corda sacro perdomuit stylo
Christum per populos ritibus asperis, & reliqua.

Scripsit autẽ epistolas quoq́ familiares elegantissimas, miræ breuitatis ac rotunditatis, Ciceronis Academiæ primus accola: quæ pro Caroli & Casparini epistolis certè sunt iunioribus legendæ: & quas nostri seculi duo clarissima lumina, Pomponius Lætus & Angelus Politianus mirè laudarunt. Habent enim elegantiã concinnã cũ breuitate amabili, & huius tẽporis gesta nõnulla explicat. Lege lector, & lætaberis. De Symmacho fit & mentio in historia Tripartita libro nono, capite uigesimotertio. Sed uigesimoquarto capite horũ Coss. fit mẽtio his uerbis: His actis, relicto Valentiniano Romæ, ipse cum Honorio Constantinopolim remeauit cõsulatu Tatiani & Symmachi die decima mẽsis Nouẽbris. Reperi in uetustissima sępe citata chronica hęc uerba: Tatiano & Symmacho Coss. defunctus est Valentinianus Imperator Viennæ IIII. Idus Iunias, & leuatus est Eugenius Imp. XI. Calendas Septembris. Sed Cassiodorus reijcit in sequentes Coss. Prosper uerò dicit: Titiano & Symmacho Coss. Eugenius fauore Arbogastis cõfisus, imperiũ sibimet usurpauit. Marcellinus sic horũ Coss. meminit: Quarta indictione Tatiani & Symmachi Cons. Theodosius Imperator Italia decedens, Constantinopolim remeauit. Valentinianus Imperator apud Viennam dolo Arbogastis strangulatus interijt Idus Martias. Eugenius Arbogastis fauore confisus, imperium sibimet uindicauit.

2. 8

392. 1146 ARCADIVS II. ET RVFFINVS.

Prosper: Arcadio II. & Ruffino Coss. Valentinianus ad uitæ fastidium nimia Arbogastis magistri militũ austeritate ductus, laqueo apud Viennam perijt. Et hinc Eugenius in Gallijs imperat. Marcellinus: Quinta indictione, consulatu Arcadij II. & Ruffini Arbogastes, Valentiniano Imperatore extincto, & Eugenio Cęsare facto, innumeras inuictasq́ copias undiq́ in Gallias contraxit, occidentale sibi imperium utpote uendicaturus.

His Coss. Valentinianus uitæ tædio apud Viennã laqueo perijt. Theodosius cũ iam quatuordecim annos regnaret, cũ Arcadio & Honorio filijs regnat annis duobus. Sub quibus hi Coss. fuerunt.

Quot annis Theodosius regnauit, superius ex Orosio & alijs docuimus, & res etiã eius gestas. Cassiodorus nũc illos annos à superioribus separat. Tu uide paulo antè citatos autores. Sed eadẽ uerba Cassiodori apud Prosperum inuenies.

Theo. THEODOSIVS PRIMVS XLI. CHRI-STI Abun. con.

3. 1 THEODOSIVS III. ET ABVNDANTIVS. 393. 1147

Prosper: Theodosio III. & Abundãtio Coss. Honoriũ pater suus Theodosius in eodẽ loco quo fratrẽ eius Arcadiũ Cæsarẽ fecit, Principẽ constituit, decimoseptimo ab Vrbe miliario, quũ hora diei tertia tenebræ factæ sunt. Historia Tripartita lib. 9. cap. 44. horum Coss. sic meminit: Secũda certamina post Maximũ præparabat, cõgregansq; militarẽ uirtutem, & Honoriũ filiũ designans Imperatorem, cõsulatu suo & Abundantij decimo die Ianuarij mensis, denuò ad partes Hesperias magno studio festinabat. In uetustißimo ignoti autoris libro reperi, Theodosio III. & Abundantio Coss. tenebræ factæ sunt die Solis hora secunda, sexto Calendas Iunias. Et leuatus est Honorius Imperator Constantinopoli in miliario quarto à Theodosio patre suo decimo Calendas Februarij. Eadem Marcellinus: Sexta indictione Theodosii III. & Abundãtij Coss. Honoriũ pater suus Theodosius in eodẽ loco quo frater eius Arcadiũ Cæsarẽ fecerat, Principẽ cõstituit, idest 7. ab Vrbe miliario. Tũc quippe hora diei tertia tenebræ factæ sunt.

4. 2 ARCADIVS III. ET HONORIVS II. 394. 1148

In eisdem uetustißimis Chronicis scribitur: Arcadio III. & Honorio II. Coss. occisus est Eugenius octauo Idus Septẽbris. Quod & historia Tripartita latißimè designat lib. 9. cap. 45. Hæc gesta sunt 17. die Septembris, consulatu Arcadij tertio, & Honorij secundo. Marcellinus: Septima indictione, Arcadij III. & Honorij II. Coss. Theodosius Augustus, aßumpto Honorio Cęsare, eodẽq; filio, cõtra Arbogasten, qui Eugeniũ tyrannũ Imperatorẽ facere ausus est, bello cõmisso Eugenius uictus atq; captus, interfectus est. Arbogastes sua se manu percusit. Terræmotu à mẽse Septẽbrio in Nouembriũ imminẽte, aliquãtæ Europę regiones quassatę sunt. Thermę Arcadianę ex cõditoris sui nomine nomẽ acceperũt.

His Coss. Ioannes Monachus, gratia diuina præditus, Theodosiũ consulentem de euentu belli, quod aduersum Eugenium mouebat, uictorem fore pronunciat.

Prosper: Arcadio III. & Honorio II. Coss. Ioannes Monachus Anachoreta clarus habetur: qui ornatus prophetiæ gratia, Theodosiũ consulentẽ de euẽtu belli, quod aduersus Eugeniũ mouebat, uictorẽ futurũ prędixit. Meminit illius & Paulus Diaconus lib. 12. Nã consultus Ioannes Anachoreta, eũ uictorẽ spopõderat. Et Historia Tripartita cap. 45. lib. 9. Interea euentum belli considerans, mittit ad Thebaidẽ ad Ioannẽ Monachũ, præscientia clarũ, ad quẽ destinauit Eutropium Eunuchũ sibimet fidelißimũ, ut aut eũ, si uellet, uenire deduceret, aut nolentẽ de euẽtu belli requireret. At ille Ioannẽ quidẽ deducere nõ præualuit, sed mandatũ retulit eius, quia bello uinceret, & perimeret tyrannũ, & post uictoriam in Italia moreretur. Meminit & huius Ioannis Monachi Augustinus lib. 5. Ciuitatis diuinæ, cap. 26. Alius est à Ioanne Monacho qui & Zonoras dicitur, qui historiam Græcè à creatione mundi ad tempora Alexij Comneni Imperatoris luculentißimè conscripsit. à quo multa sum mutuatus, ut claret.

CCXC-III 3 OLYBRIVS, ET PROBINVS. 395 1149

Hi sunt illi germani fratres, Olybrius atq; Probinus Coss. filij Probi Cos. quos pulcherrimo & elegãtiß. Panegyrico Claudianus poeta celebrat, cuius est initiũ:

Sol qui flammiferis mundum complexus habenis,
Voluis inexhausto redeuntia secula motu,
Sparge diem meliore coma, crinemq; repexi. & reliqua.

Horũ Coss. meminit Historia Tripartita lib. 9. cap. 50. his uerbis: Superueniente nocte defunctus est cõsulatu Olybrij & Probini, 17. die Ianuarij ducẽtesimę nonagesimæquartæ Olympiadis. & lib. 10. cap. 1. inquit: Circa octauã diem Nouembris,

CHRI- STI | Ab ur. con. | Olymp. Imp. Theo.

uembris, eodē consulatu, corpus Theodosii delatū est, & cū solēni honore ab Arcadio filio sepulturæ traditū. Marcellinus ita de ijs scribit: Octaua indictione, Olybrij & Probini consulatu, Theodosius Magnus apud Mediolanū uita decessit. Imperauit annis decē & septē. Corpus eius eodē anno Constantinopolim allatū atq; sepultū. Arcadius & Honorius germani utrūq; imperiū, diuisis tantum sedibus, tenere cœperunt. Ruffinus patricius Arcadio Principi insidias tendēs, Alarico Gotthorū regi missis clàm pecunijs, infestū Reipub. fecit, & in Græciā misit. Porrò detectus dolo suo Ruffinus ab Italicis militibus cū Gaina Comite Arcadio missis, ante portas Vrbis meritò trucidatus est. Caput eius, manusq; dextra tota, Constantinopoli demonstrata. Paria de Ruffino historia Tripartita libro decimo, capite primo. Pomponius Lætus in suo Theodosio libro secūdo horū quoq; Coss. mentionem facit. Sed alterius Cos. nomen est immutatum, atq; ideo corrigendum. Appellat enim eos Olybrium & Primum corruptè.

His Coss. Theodosius Eugeniū tyrannū uincit & perimit. Augustinus, beati Ambrosii discipulus, multa facūdia doctrinaq; excellēs, Hypone Regio in Africa episcopus ordinat̃. Hoc tēpore Claudianus poeta insignis habet̃. Theodosius Imperator Mediolani morit̃. Post quē, cū iā regnasset annis 12. cū fratre Honorio regnat annis tredecim.

Hæc eadē ijsdem uerbis Prosper in Chronicis. De diuo Augustino opus nō est, ut plura differā, cuius doctrina & uitæ sanctimonia toto mūdo est decantantissima. Vtinam & huius scripta diligentius à nostris tractarentur, melius de Repub. Christiana inter Christianos sacerdotes ageretur. Natione Afer, patria Tagatensis, ut Possidius tradit, uir acri ingenio, diuinarū humanarumq; rerū capaci, à pueritia ita profecit, ut nondū uiginti annos natus, Carthagini rhetoricam docuerit, Mathematicas artes, & cęteras philosophiæ partes, per se multa legens, adeptus est. Hic Augustinus cū libro quinto de Ciuitate Dei Theodosii gesta enarrat, Claudiani meminit. Vnde & poeta Claudianus, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo, cui fudit ab astris
Se Iouis armatus, uehemens tibi militat æther,
Et coniurati ueniunt ad classica uenti.

Sic in Augustino legitur, cum sit legendum, Cui fundit ab antris Aeolus armatas hiemes. Orosius quoque libro septimo, capite uigesimotertio, eadem his uerbis prodit: Quamuis hoc ego testimonio non laborem, quum unus ex ipsis, poeta quidem eximius, sed paganus peruicacissimus, huiusmodi uersibus & Deo & homini testimonium tulit, quibus ait:

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati ueniunt ad classica uenti.

Quos uersus etiam Paulus Diaconus repetit lib. 12. Quæ duo certè testimonia magnorū uirorū illos coarguūt, qui Claudianū facere Christianū nituntur, cū id sua scripta testentur, q̄ fuerit à Christi religione alienus. Licet quidā ei adscribant carmina, quæ sua esse doctissimi quiq; pernegant. Verū in auctoritate illū fuisse apud Arcadium atq; Honorium Imperatores, declarat illa statua in Traiani foro locata, quæ eum quintæ cohortis tribunum & notarium fuisse, manifestat. de qua ipse cecinit. V. C. alij, & melius, uirum clarissimum appellant, non V. cohortis. Quod legimur medio conspicimurq; foro.

ARCADIVS ET HONORIVS
IMPP. AVGG. XLII.

Orosius lib. 7. cap. 24. Anno ab Vr. millesimo cētesimo quadragesimonono, Arcadius Augustus, cuius nūc filius Theodosius oriētem regit: & Honorius Au

 gustus frater, cui nūc Respub. innitiť 42. loco cōmune imperiū, diuisis tantū sedibus, tenere cœperūt. Vixitque Arcadius post patris excessum annis duodecim: imperijq́ue summā Theodosio filio suo admodū paruo moriens tradidit. Quæ dehinc gesta sunt, longo ambitu Orosius describit, quæ illic inuenies: nō enim sunt omnia scribenda Paulus Diaconus præterea libro decimotertio, quæ sub ijs Imperatoribus gesta sunt, latißimè enarrat. Historia autē Tripartita libro decimo.

Sub quibus hi Coss. fuerunt:

2. 1 ARCADIVS IIII. ET HONORIVS III.

Prosper Arcadio IIII. & Honorio III. Coss. terræmotus per plurimos dies fuit, cœlūq́ue ardere uisum. Quod etiā notat diuus Ambrosius in funebri oratione quā habuit de Theodosio. Per hæc tēpora Orosius Hispanus, uir eloquens, & historiarū cognitor, claret. Cuius septē libri historiarū mira breuitate cōcinni ad beatum Augustinū extant, quos sæpe citauimus. Celebrauit hunc consulatū Honorij Claudianus poeta tersißimo carmine, cuius est principium: 396. 1150

Paruos non aquilis fas est educere fœtus
Ante fidem solis, iudiciumq́ue poli. &c.

Quod carmen Panegyris subsequitur. Sub id tempus Ruffinus, qui Hunnos introduxit Armeniā uastantes, trucidatus est. Cuius meminit historia Tripartita lib. 10. & Paulus Diaconus lib. 13. & Orosius lib. 7. cap. 25. In quē duo extāt libri Claudiani. Marcellinus: Nona indictione Arcadij quarto & Honorij tertio consulatu, Rufini uxore & filia exulata, Eutropius sacri palatij cubicularius, omnes opes arripuit, auaritiamq́ue transgressus est. Terræmotus per plurimos dies fuit. Cœlum ardere uisum est.

3. 2 CAESARIVS, ET ATTICVS.

Prosper: Cæsario & Attico Coss. Flaccilla filia nata est Arcadio Imperatori. Meminit & horū Coss. historia Tripartita libro decimo, capite tertio. Sed Anici corruptè legitur, pro Attici. Marcellinus: Decima indictione Cæsarij & Attici consulatu, his Coss. Flaccilla nata est filia Arcadio. 397. 1151

4. 3 HONORIVS IIII. ET EVTYCHIANVS.

Horū Coss. meminit diuus Augustinus in decimooctauo libro Ciuitatis diuinæ, capite ultimo: ubi persequutiones Ecclesiæ recenset pulcherrimè, qui est diligenter relegendus. Meminit horū & Prosper, sed ordine præpostero: & historia Tripartita lib. 10. cap. 3. tū Marcellinus: Vndecima indictione, Honorij IIII. & Eutychiani Cons. Romanæ ecclesiæ Anastasius tricesimusseptimus episcopus ordinatus, uixit annis quatuor. Eusebius 37. Romanæ ecclesiæ episcopatū tenet Anastasius, cui pręfuit ann. III. dies XXI. sub Honorio IIII. & Eutychiano Coss. anno Christi 401. uel secundū alios 402. Ambrosius Mediolanēsis episcopus uirtutū arx, fidei orator catholicus ad Dominū cōmigrauit. Ioannes Antiochiæ natus, ubiq́ue à Meletio, eiusdē ciuitatus episcopo, eodemq́ue confessore, lector Ecclesię ordinatus, per singulos officij gradus ascendit. Ibiq́ue per quinquennium continuū diaconus multos diuinosq́ue edidit libros. presbyter quoq́ue factus per duodecim annos plures fecit. Tāta dehinc opinione undiq́ue propagatus Cōstantinopoli loco notarij Pontificis suffectus est. Vbi plurima dulcia diuinarū scripturarum uolumina suo operi catholicis addidit. Hos quoque episcopos habuit inimicos, Theophilū Alexandrinū, Epiphaniū Cypriū, Achaicū Bergomēsem. Gildo Comes, idēq́ue paganus, qui mortuo Theodosio Principe Aphricæ preærat, dū Arcadio & Honorio adhuc pueris regnātibus inuidet, Aphricā nitiť obtinere. Frater eius Mascezel cognita eius uesania, relictis apud Aphricā duobus filijs, in Italiā remeat. Gildo utrūq́ue fratris filiū dolo trucidat. Mascezel fratris cognito scelere, cū quinq́ue millibus suorū cōtra Gildonē cū septuaginta armatorū sibimet obuiantem accedit infestus: Gildonemq́ue parricidā ieiunijs & orationibus, immo beati 398. 1152

Ambrusii

CHRISTI Ab urb. con.

Ambrosii in somnis admonitu auxiliantibus fugauit. Gildo fugiens, propria se manu strangulauit. Sicq; Mascezel sine bello uictoriam meruit, ac sine cæde uin dictam. Sed elegantissimum Panegyricum Claudianus in hunc quartum consulatum Honorij scribit, cuius principium hoc est:

Auspicijs iterum sese regalibus annus
Induit, & nota fruitur iactantior aula,
Limina nec passi circum priuata morari
Exultant reduces Augusto Consule fasces. &c.

Quem studiose lector accuratè legas, ut multas eius temporis historias. Plenus enim est rerum & historiarum, & omnimoda scatet eruditione.

MANLIVS, ET THEODORVS. CCXCV 4

399. 1153 Sic in Cassiodori legitur, quod unicũ uidi, exemplo. Et est ac si dicas, Iulius & Cæsar. unus enim fuit Consul Manlius Theodorus. Vnde & Augustinus libro decimooctauo Ciuitatis diuinæ capite ultimo hunc consulatum signans, inquit: Et sequenti anno Theodoro Consule. Et Prosper hoc loco scribit: Manlio & Theodoro Coss. cum hunc consulatum inierat, Eutropius eunuchus mox honore & uita exutus est. Ideo in autore ignoto, qui sola nomina Coss. ponit, hoc loco legitur: Eutropius & Theodorus. Sed quum ob uitia quædam Imperator Eutropium iussisset obtruncari, præcepit ex ordine Coss. eius nomẽ penitus abrogari. Quamobrẽ solũmodo qui cũ eo Cõsul fuit Theodori nomẽ ascriptũ est, ut habet historia Tripartita libro decimo, capite quarto. Hic est ille Manlius Theodorus Cõsul, cui elegantissimũ Panegyricũ scripsit Claudianus, cuius hoc est exordiũ:

Audebisne precor; doctæ subiecta cateruæ,
Inter tot proceres nostra Thalia loqui? &c.

In quo inter cætera hoc quod paulo antè scripsimus, de unico Theodori consulatu ita scribitur, Culmen utrumq; tenes, & cætera. Fuit autẽ Eutropius eunuchus Aegyptius, qui post longam seruitutem, leno factus, ab æmulis Stiliconis Consul est factus. Sed cum cædes ac clades & prouinciarum direptiones fierent, eo Consule dignitate priuatus Consulari, in Cyprum est deportatus, ac tandem honore & uita exutus est. Is est Eutropius in quem satyrico felle detonuit Claudianus poeta duobus libris, qui sic exordiuntur:

Semiferos partus, metuendaq; pignora matri,
Mœnibus in medijs auditum nocte luporum
Murmur. & reliqua.

Qui profectò libri cũ omni scateant eruditione & doctrina, à studiosis sunt q̃ diligentissimè legendi, ut res eius tempestatis gestæ innotescant. Marcellinus: Duodecima indictione Theodori & Eutropij Cons. Hic Eutropius omnium spadonum primus atq; ultimus Cos. fuit. De quo Claudianus poeta ait:

Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra.

Itẽ Pulcheria Arcadio altera filia nata est. Gaina Comes apud Cõstantinopolim ad præparandũ ciuile bellũ barbaros suos occultè admonet. Ipse ualetudinẽ simulans, Vrbe egreditur. Cœpto aduersus Byzantium prelio, plurimi hostiũ cadũt. Cæteri fugientes, Ecclesiæ nostræ succedũt. Ibiq; detecto ecclesiæ culmine, iactis desuper lapidibus obruunt. De hoc Gaina historia Tripartita lib. 10. ca. 6.

STILICO, ET AVRELIANVS. 2. 5

400. 1154 Prosper: Stilicone & Aureliano Coss. Gotthi Italiã Alarico & Rhadagiso ducibus ingressi sunt. Marcellinus: Tredecima indictione, Stiliconis & Aureliani Cõs. bellũ nauale cõtra Gainã tyrannũ inter Chersonesum & Hellespontũ gestũ est. Multa millia Gotthorum cæsa uel demersa sunt. Gaina uerò de hoc bello fugiens euasit. Ipso tñ anno occisus est mẽse Februario. Iordanis in lib. de Origine Gotthorum:

Gotthorum: Mox ergo Alaricus creatus est rex. cũ suis deliberans, suasit eos suo labore quærere regna, q̃ alienis per ociũ subiacere. & sumpto exercitu, per Pannonias, Stilicone & Aureliano Coss. & per Syrmiũ dextro latere quasi uiris uacuam intrauit Italiã, nullo penitus obsistente. Hoc idem subiungit Cassiodorus:

His Coss. Gotthi Alarico & Rhadagiso ducibus ingrediunt̃ Italiã.

De Rhadagiso Orosius libro septimo, capite uigesimosexto plura. Diaconus libro tredecimo: Claudianus item poeta. De Alarico Orosius eodẽ libro, sed capite uigesimooctauo: Diaconus præfato loco: Iordanis libro Gotthorũ. Sed qualis fuerit Stilico, præfati autores omnes edocent: potissimùm tamẽ Claudianus, qui tribus eũ panegyricis celebrat, ueluti suum Mecœnatem. Cũ tamen reuera is Stilico immemor beneficiorũ, quæ plurima perceperat, Eucherio filio suo regnũ affectabat. Ob quã rem cũ filio in foro Pacis est obtruncatus: licet diu sub Theodosio Imperatore fortiter militasset, meruissetq; ut ei filiũ suũ Honoriũ cõmendaret. Cui ipse postea duas filias, Mariam scilicet & Thermantiam, unã post alterã, matrimonio copulauit. quãuis utræq; inopinata morte extinctæ sint. Extãt Claudiani de his nuptijs epithalamia duo tersissima & elegãtissima, quæ studiosus lector leget. Fuit autem Stilico Vandalus natione, dehinc patricius Romanus, cui Serena Honorij filia uxor data ex. Ex qua genuit Eucherium filium, Mariam & Thermantiam filias. Sed huius consulatus Stiliconis mentionem facit Claudianus in primis duobus Panegyricis: quos suspicor unum esse, & diuisum postea nescio qua incuria: & tertium Panegyricum in alterum scriptum consulatum, quem post quinq; annos gessit.

3. 6 VINCENTIVS, ET FRAVITA. 401. 1155

Prosper scribit: Vincentio & Fabricio Coss. Ioannes Cõstantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus episcopi illustres habentur: quorũ multa est mentione libro decimo historiæ Tripartitæ. Sed credo esse erratũ in alterius Cõsulis nomine. Nam in uetustissima incerti autoris Chronica, quã sæpe cito, scriptũ reperio, Vincentio & Frauito Coss. natus est Theodosius Cõstantinopoli Idus Aprilis. Et intrauit Alaricus in Italiã decimoquarto Calendas Septembris. Marcellinus: Decimaquarta indictione Vincentij & Frauitæ Cons. caput Gainę hastili præfixum, Cõstantinopolim allatũ est. Maris Pontici superficies ita gelu frenata est, ut per triginta dies soluta tandẽ glacies per Propontidẽ instar montiũ super reportata recurreret. Theodosius Iunior patre Arcadio natus est tertio Idus Aprilis.

4. 7 ARCADIVS V. ET HONORIVS V. 402. 1156

Prosper: Arcadio v. aduersus Gotthos uehementer utrisq; Pollentię partis clade pugnatũ est. Marcellinus: Decimaquinta indictione Arcadij v. & Honorij v. Cons. Romanæ ecclesiæ Innocentius tricesimusoctauus creatus antistes, uixit annis quindecim. Et Theodosius iunior in loco quo pater patruusq; suus Cæsar creatus est. Constantinopoli ingens terræmotus fuit.

His Coss. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gotthi acie uictum fugauerunt.

Hoc latissimè apud Orosium & Diaconũ inuenies. Licet Claudianus poeta uictoriam Stiliconis contra Alaricum elegantissimè celebrauit, cum caneret:

Intacti cum claustra freti coeuntibus æquor
Armatum scopulis audax irrumperet agro. & quæ sequuntur.

CCXCVI 8 THEODOSIVS ET RVMORIDVS. 403. 1157

Prosper: Theodosio & Rumorido Coss. Eudoxia Arcadij uxoris statua super columnã posita est. Marcellinus: Prima indictione Theodosii iunioris & Rumoridi Coss. Martina patre Arcadio nata est tertio Idus Februarias. Eudoxię Arcadij uxoris supra porphyriticam columnã argentea statua iuxta ecclesiã posita hactenus

CHRI-STI Abur-con. ctenus sistit, Ioannem Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopum, cui supradicti antistites incassum æmuli fuere, aliosq; triginta et episcopos sibi asciuere, nolẽte Arcadio Principe, in Armeniam miserunt, & hinc in aliud exilium: post mortuum plebs in atrio Basilij episcopi recondit. De hac statua argentea uide decimumquintum caput libri decimi historiæ Tripartitæ. Vetustissimæ Chronicæ ignoti autoris habent hæc uerba: Theodosio & Rumorido Coss. Theodosius Imperator leuatus est Constantinopoli quarto Idus Ianuarias. Veterem morem leuandi Imperatores, significat etiam Claudianus illo uersiculo:

Sed mox cum solita miles te uoce leuasset. 2. 9

404. 1158 HONORIVS VI. ET ARISTENICVS.

Prosper: Honorio VI. & Aristenico Coss. Eudoxa uxor Arcadij diem suum clausit. Põponius Lętus libro secundo historiarũ, in Theodosio, scribit Eudoxã ante uiri obitũ tribus annis morbo solutam, Honorio IIII. & Eutychiano Coss. Vbi hæc legerit, ipse uideat. supputatio temporũ & res gestæ refragantur. Horũ Coss. meminit etiam historia Tripartita libro decimo, capite decimoseptimo. & iterum eodẽ libro, capite uigesimo, ubi sic scribitur: Eodem tẽpore grando uehemens, Constantinopolim & circa eius suburbana descendit. Quod actũ est eodẽ consulatu Honorij VI. & Aristenici, tricesima Septẽbris. Quod dicebant iracundia Dei gestũ, eo q sine iudicio Ioannes episcopus condemnatus fuerit. Quibus uerbis incrementũ dedit mors Augustæ continuò subsequuta. quarta namq; die post grandinẽ est defuncta. Sic Marcellinus: Secũda indictione Honorij V. & Aristenici Cons. Ecclesia Cõstantinopolitana flãma ignis, quę de beati Ioannis sepulchro quondã episcopi nata fuit, subitò cõflagrauit, uicinãq; Ecclesiæ urbis faciẽ serpens nihilominus exussit. Eudoxa uxor Arcadij diem clausit. Hic est ille sextus Honorij cõsulatus quẽ Claudianus celebrauit Panegyrico, cuius est initiũ:

Aurea Fortunæ reduci si templa priores
Ob reditum uouere ducum, non dignius unquam
Hæc dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.

Quem studiose lector hoc loco diligenter perlegas, ut res gestas eius tẽpestatis teneas, quæ de Alarico & Honorio Claudianus scribens, elegantissimè enarrat. 3. 10

405. 1159 STILICO II. ET ANTHEMIVS.

Prosper: Stilicone & Anthemio Coss. Rhadagisus in Tuscia multis millibus Gotthorũ cæsis, ducente exercitũ Stilicone, superatus & captus est. Et hęc elegãtissimè describit Claudianus in tertia Panegyri, quã puto tunc esse scriptã, utpote in qua Stiliconis triumphũ & uictoriã pulchrè describit. Et annus ille fuit quintus post primum consulatum. Vnde haud ab re inquit in præfatione:

Te mihi quintos annorum Roma recursus
Reddidit, & uotis iussit adesse suis. & reliqua.

Potest diligens lector ex Claudiano quæ hic desiderat adscribere. Fastidium enim esset, omnia coaceruare, quæ mediocriter doctus ex alijs intelligit: satis est digito indicare. Vide etiã lector caput uigesimumquartũ libri decimi in historia Tripartita. & caput uigesimumprimũ, ubi scribitur Vrsatiũ episcopũ Cõstantinopolitanũ consulatu Stiliconis II. & Anthemij mortuũ, undecimo Nouẽbris: Tertia indictione consulatu Stiliconis II. & Anthemij, Isauri per montem Taurum discurrentes, ingens dispendium Reipub. importarunt. Quibus Narthasaleus legatus maius continuò rependit incommodum. 4. 1

406. 1160 ARCADIVS VI. ET PROBVS.

Meminit horũ Coss. historia Tripartita libro decimo, capite uigesimosecũdo. Prosper: Arcadio VI. & Probo Coss. Vandali & Alani Gallias traiecto Rheno intrauerũt pridie Calendas Ianuarias. Hæc etiã Cassiodorus annotauit, dicens:

His

Arcad. His Coss. Vandali & Alani transito Rheno Gallias intrauerunt. CHRI- STI
Vide Orosium libro septimo, & Paulum Diaconum atque Iordanem de origine Gotthorum.

CCXC- VII 12

HONORIVS VII. ET THEODOSIVS.

Meminit horum Coss. historia Tripartita libro decimo, capite decimooctauo, & libro undecimo, capite sexto, quo tempore scribit Dorotheum, qui centū decem & nouem annos uixerat. Et Prosper in Chronicis inquit: Honorio VII. & Theodosio II. Coss. Constantinus ex infima militia ob solam spem nominis in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias transit. De hoc Constantino Orosius libro septimo, capite uigesimooctauo: Paulus Diaconus libro decimotertio, capite tertio, ut impreßi codices sunt distincti. Quartodecimo autem die Septembris hoc consulatu mortuus est Chrysostomus ex dolore capitis, ardore solis uitam languore finiens. 407. 1161

2. 13

BASSVS, ET PHILIPPVS.

Prosper: Basso & Philippo Coss. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Historia Tripartita libro decimo, capite trigesimoquinto: Arcadius itaque relicto annorum octo filio Theodosio, defunctus est consulatu Basi & Philippi, prima die Maij, anno secundo ducentesimæ nonagesimæseptimæ Olympiadis. Is ergo cum patre quidem Theodosio tredecim regnauit annis, post mortem patris quatuordecim. Vixit annis quidem triginta uno. Marcellinus: Sexta indictione Basi & Philippi consulatu Stilico Comes, cui duæ filiæ Maria & Thermantia, singulæ uxores Honorij principis fuere. Vtraq; tamen uirgo defuncta, spreto Honorio: regnoq; inhians, Alemanorum, Sueuorū, Vandalorūq; gentes donis pecunijsq; illectas contra regnū Honorij excitauit, Eucheriū filium suū paganū, & aduersus Christianos insidias molientē cupiens Cæsarem ordinare. qui cū eodem Eucherio dolo suo detecto occisus est Romæ in foro Pacis. Tum per dies septē terra mugitum dedit. Arcadius Imperator uitæ finem fecit. Regnauit post obitum patris sui Theodosii annis tredecim. Idē Iordanis in annalibus suis: Anno Christi quadringentesimooctauo Arcadius Imperator Constantinopoli moritur, relicto pro se Theodosio filio. Cū quo dehinc patruus Honorius annis quindecim regnauit, & Stilico dux fortis unà cum filio Eucherio ab Honorio Augusto occiditur. 408. 1162

His Coss. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Honorius cum Theodosio fratris filio regnat annis quindecim. Sub quibus hi fuerunt Coss.

Orosius libro septimo: Anno ab Vr. con. millesimo centesimo sexagesimosecundo (sic est enim legendū) Honorius Imperator uidens tot oppositis tyrānis nihil aduersum barbaros agi posse, ipsos prius tyrannos deleri iubet. Constantio Comiti summa est cōmissa. Sensit tum demū Respub. & quā utilitatē in Romano tandem duce receperit, & quā eatenus perniciem per lōga tempora barbaris comitibus subiecta tolerarit. Narrat dehinc latè Orosius usq; in finē libri sui quæ gesta sunt sub Honorio. Et Paulus Diaconus latißimè libro decimoquarto: Tripartita historia lib. undecimo, cap. primo: Igitur Arcadio Imperatore defuncto, Honorius quidē frater eius regebat Hesperiā. Orientales autē prouinciæ sub ditione manebant Theodosii iunioris, cū esset annorū octo, Anthemio præfecto omnia disponente. Erat enim iste nepos Philippi, qui Paulū episcopū sub Constantio ab ecclesia expulerat, & Macedoniū introduxerat. Is enim muro maximo urbē Constantinopolim circūdedit: qui uir sapientißimus inter illius tēporis homines reputabatur, & nihil inconsultè faciebat, sed cum multorum consilio quæ erant agenda tractabat, & maximè sophistæ Troilo se credebat.

CHRISTI Abur. con. — Olymp. Imp. Hon.

HONORIVS AVG. IMP. XLIII.

CVM THEODOSIO.

409. 1163 HONORIVS VIII. ET THEODOSIVS III. 3. 1

Prosper: Honorio VIII. & Theodosio III. Coss. Vandali Hispanias occupauerunt. Attalus Romæ Imperator factus, qui mox priuatus regno, Gotthis cessit. De hoc Attalo Orosius lib. 7. cap. ult. historia Tripartita lib. 11. ca. 9. Paulus Diaconus lib. 14. Horum Coss. item sic meminit Marcellinus: Septima indictione Honorij VIII. & Theodosij iunioris III. Cons. apud Constantinopolim magna populi exarsit seditio panis uidelicet penuria ingruente. Iordanis in Annalibus 409. anno Vandali, Alani, & Sueui Cal. Octobris Hispanias occupant: & Attalus Imperator Romæ per tyrannidem factus, & mox pulsus, Gotthis cessit.

His Coss. Vandali Hispanias occupauerunt.

Consulendi sunt Orosius & Paulus Diaconus.

410. 1164 VARRON ET TERTVLLVS. 4. 2

Prosper: Flauio Varrone Coss. Roma, orbis quondam uictrix, à Gotthis Alarico duce capta: & ob hæc solus fuit Orientaliũ partium Consul, quod in sequenti anno obseruatum est. Licet hic Cassiodorus ei Tertullum adiungat. Sed fortè hic mox obtruncatus est. Nã de eo sic scribit Orosius lib. 7. ca. ult. Nec mirum, si iure hac pompa miser lusus est, cuius ille umbratilis Consul Tertullus ausus est in curia dicere: Loquar uobis P. C. Consul & Pontifex, quorum alterum spero, sperans ab eo qui non habebat spem, & maledictus utiq; qui spem suam posuerat in homine. Paulus Diaconus lib. 14. Tertullus Cos. qui se principem in Senatu futurũ gloriatus est pari nihilominus perijt exitu. Marcellinus in sua Chronica unicũ tantũ ponit Cos. sic scribẽs: Octaua indictione Barraniæ solius consulatu Alaricus trepidã Vrbẽ inuasit, partemq; eius cõcremauit incendio: sextoq; die quo ingressus fuerat depredata Vrbe egressus est, Placida Honorij principis sorore abducta, quam pòst Ataulpho propinquo suo uxorem tradidit.

His Coss. Roma à Gotthis Alarico duce capta est, ubi clementer usi uictoria sunt.

Orosius: Anno ab Vr. con. millesimo centesimo sexagesimoquarto, irruptio Vrbis per Alaricum facta est. Sed idem Orosius lib. 2. cap. 3. Item Babylon post annos mille centum sexagintaquatuor q; condita à Medis, & Arbacto rege eorum, præfecto autem suo spoliata, opibus & regno atq; ipso rege priuata est: ipsa tamen pòst aliquãdiu mansit incolumis. Similiter & Roma post annos totidem, hoc est mille centum sexagintaquatuor, à Gotthis & ab Alarico rege eorum, comite aũt suo, irrupta & opibus spoliata, non regno, manet adhuc & regnat incolumis: quamuis in tantum arcanis statutis, in utramq; urbẽ conueniente, totus ordo seruatus sit: ut & ibi præfectus eius Artabus regnũ inuaserit, & hic huius præfectus Ataulphus regnare tentauerit. Tametsi apud hanc solam meritò Christiani imperatoris Honorij attentatio prophana uacuata sit. Itaq; hæc ob hoc præcipuè cõmemoranda credidi, ut tanto arcano ineffabilium iudiciorũ Dei ex parte patefacto intelligant hi qui insipienter utiq; de temporibus Christianis murmurant, unum Deum disposuisse tempora, & in principio Babylonijs, & in fine Romanis. Illius clemẽtiæ esse, quòd uiuimus: quòd aũt miserè uiuimus, intemperantiæ nostræ. Ecce similis Babyloniæ ortus & Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala. & reliqua quæ sequuntur. Paulus: Capta est Roma millesimo centesimo sexagesimoquarto cõditionis suæ anno. Die sanè tertia sponte Gotthi ab Vrbe discedũt, facto aliquantarũ ædium incendio: sed ne tanto quidem, quantum olim à Cæsare Nerone factum est. Ior-

Olymp. Imp. Hon. danis: Anno Christi quadringentesimo decimo, Alaricus rex Gotthorũ Romã possedit, & irrupit, multasq; cædes ibi & prędas faciens, locis tantum sacris & ad ea perfugis, quia Christianus erat, pepercit. Anno ab Vrb. con. millesimo centesimo sexagesimoquarto, Placida soror Honorij Augusti à Gotthis in Vrbe inter alios capta. Gotthorum pars Venetiam captam possedit, qui postea Ostrogothi uocati, & cum Romanis confœderati sunt. Vide etiã historiam Tripartitam lib. 11. cap. 9. de Vrbe capta. Apud Procopium solum reperi mirum quendam astum, quo usi sunt barbari in capienda Vrbe, quod hactenus nusq; legi, & in uulgò etiam impresßis Procopij codicibus nõ reperitur. Budæ in bibliotheca regia, dum illic oratorem Cæs. Maximiliani apud Vladislaũregem agerem, mirę uetustatis Procopiũ Græcũ reperi, quem mihi rex mutuò dedit: in quo, cum conferrem cum latino, multa deesse obseruaui, tam lacer et mancus uenit ad manus interpretis: quod & crebrò lamentatur. Sed ad historiam. Interfecto Stilicone Honorius princeps socors & iners, cum nullũ præfecisset exercitui suo ducem, qui contra Gotthos pugnaret, occasionem exhibuit Gotthis, ut Vrbem iam auxilio nudatã obsiderent: qui obseruabant milites palantes ac dispersos sine duce rem negligentißimè agere. Facta itaq; obsidione, cum Alaricus biennium penè frustra obsedisset, quoniam ui eam expugnare non poterat, ad dolum confugiebat. Videbat enim Honorium Rauennæ desidentem oscitabundũ, & qui Romanis ferre suppetias uel nequibat, uel non audebat. Soluens itaq; Alaricus obsidionẽ, simulat in patriam reditum. Sed prius trecẽtos iuuenes & animi & corporis uirtute insignes delegerat, quos in Vrbem nobilioribus ut illis q; familiarißimè inseruirent, & gratiam dominorum emererentur, donauerat. Quos tamen sic instituit, ut stato die post meridiem dominis in somniũ solutis, aut aliò intentis, ocio ad portã Asinariã, occisis custodibus accurrerent, ac sibi reserarent, qui ad hunc usum ordinauerat exercitũ. Cum itaq; aliquot ita dies reditum distulissent Gotthi, iuuenes trecenti oblata occasione mandata exequũtur, & imperata faciunt. Aperta porta, Gotthorum exercitus insperatus Vrbem ingreditur, domus exurunt paucas, spolia & prædã abigunt: sed maiore ignominia q; iactura Vrbs est capta, & depopulata. Aliqui tradunt Probæ illustris fœminæ arte apertam Gotthis portam, propter crudelẽ famem, ac crudeliores morbos, qui Pop. Ro. ita uexabat in obsidione, ut instar pecudum paßim caderent. Quibus ut miseraretur, maluit urbem ab hostibus capi, q; tantis supplicijs affligi.

CCXCVIII 3 THEODOSIVS AVG. IIII. V. C. COS. 411. 1165

Prosper: Theodosio Augusto IIII. consulatu suo Constantinus per Honorij duces Constantium & Valliam (sic est enim legendum, qui rex Gotthorum con fœderatus Romanis erat) apud Arelatense oppidum uictus & captus est. Cuius filium Cõstantem in Hispania regnare orsum Gerontius Comes, in Maximum quendam tyrannidem transferens, interemerat. Sed hæc omnia latißimè Orosius et Paulus Diaconus tradũt. Iordanis: Anno quadringentesimo undecimo, Constantius tyrannus apud Arelatum uictus ab Honorio, captusq; est. Filiusq; eius Constans in Hispania à Gerontio Comite peremptus est. Maximus ab eo in regnum leuatus est. Constantius dux ab Honorio constitutus est. Pestilentiæ, fames, bestiæ, & gladius barbaricus miserum latè uastant orbem.

2. 4 HONORIVS IX. ET THEODOSIVS V. 412. 1166

Prosper: Honorio IX. & Theodosio V. Coss. Maximo in Hispania regno ablato, uita est concessa, eo quòd modestia humilitatis affectati imperij inuidiã non merebatur. Et Gotthi rege Ataulpho Gallias ingreßi sunt. De hoc Maximo Orosius & Diaconus plura. Meminit horum Coss. historia Tripartita libro undecimo, capite septimo. Iordanis in Annalibus: Anno Christi quadringentesimo duodecimo, Maximo in Hispania regno ablato, uita concessa est. Gotthorum

pars

CHRISTI Abur. con. pars maxima rege Ataulpho Gallias ingressa. Heros S. Martini discipulus, Arelatensis episcopus, sanctus, innocens, sede sua pulsus est, & pro eo Patrocius ordinatus. Vandali & Sueui Galletiam, Alani Lusitaniam & Carthaginem prouincias, Silingi Beticas sortiuntur. Vereor ne potius Turcilingi scribendum sit. Olymp. Imp. Hon.

His Coss. Gotthi rege Ataulpho Gallias intrauerunt.

Orosius libro septimo, capite ultimo: Anno ab Vrb. con. millesimo centesimo sexagesimooctauo (sed sexto potius) Constantius Comes apud Arelatum Galliæ urbem consistens, magnarum rerum gerendarum industria, Gotthos à Narbona expulit, atque abire in Hispaniam coegit, interdicto præcipuè atque intercluso omni conatu nauium & peregrinorum usu cõmerciorum. Gotthorum tunc populis Ataulphus rex præerat, qui post irruptionem urbis ac mortem Alarici, Placidia captiua sorore Imperatoris in uxorem assumpta, Alarico in regnũ successerat. & reliqua quę sequuntur latissime. Vide præterea Paulum Diaconum, & Iordanem de origine Gotthorum.

413. 1167 LVCIVS V. C. COS. 3. 5

Prosper: Luciano uiro clariss. Cos. Huius collega in consulatu fuit Heraclianus, qui nouarum in Africa rerum reus, & honorem amisit, & uitam. Orosius: Heraclianus interea Africæ Comes missus, cum Attalus umbram gestaret imperij, Africam strenuè aduersum iudices ab eo missos tutatus, consulatum assequutus est. Quo elatus supercilio, Sabinum generum allegit, cum quo incredibili nauium classe Romam contendit: & mox in fugam uersus, Carthaginem rediit: captus, ac dehinc exilio mulctatus, interemptus est. Idem Paulus Diaconus. Iordanis in Annalibus: Anno Christi quadringentesimo tredecimo, Heraclianus huius anni cum Lucio Cos. fuit, nouarum rerum in Africa reus, honore & uita priuatur. Burgundiones partem Galliæ Rheno contiguam obtinuerunt. Iouinus & Sebastianus fratres, Gallię tyranni, Narbone ab Honorio perempti sunt. His temporibus Pelagius Britto, adnitentibus Celestino & Iuliano, liberum arbitrium plus iusto extollens, & hominem sine gratiæ Dei auxilio, proprio nisu, perfectum fieri posse asserens, fidem ecclesiæ turbat. Cuius hæresim beatus Augustinus singulariter præ cæteris expugnat, & Papa Innocentius, cum alijs hæreticis, condemnat.

His Coss. Burgundiones partẽ Gallię Rheno cõiunctã obtinuerũt.

Idẽ Prosper ijsdẽ uerbis. Sed subiũgit: Iouinus atque Sebastianus fratres, in Gallijs regno accepto, interẽpti. De quib. uidẽdi sunt Orosius atque Paulus Diaconus.

414. 1168 CONSTANTIVS, ET CONSTANS. 4. 6

Sic Casiodori exemplum habet, quanquam certè suspicer erratum. Nam de Constantio Comite, qui Placidiam uxorẽ postea suscepit, Cæsar factus, et Valentinianum Imperatorem genuit, iam dictum est ex Orosio. Constans aũt, filius Constantini tyranni, à patre ex monacho Cæsar factus, truncatus est, & mox uitam cum tyrannide amisit. Nullibi legitur consulatum fuisse assequutũ. Et ideo Prosper unicum Consulem Constantium ponit in Chronicis suis, sic scribens: Constantio uerò Cos. Attalus Gotthorum consilio & præsidio tyrannidem resumit in Gallijs. Marcellinus in hoc loco mancus est, & habet defectum quatuor consulatuum. Iordanis in Annalibus sic scribit: Anno Christi quadringentesimodecimoquarto Attalus Gotthis autoribus in Gallia tyrannidem inuasit. Quod & sexto anno imperij Honorij cum Theodosio factum esse, scribit Hermannus Contractus in suis Chronicis.

415. 1169 HONORIVS X. ET THEODOSIVS VI. CCXCIX

Prosper: Honorio x. & Theodosio VI. Coss. Attalus à Gotthis ad Hispanias migran-

Olymp. Imp. Hon. migrantibus neglectus, & præsidio carens, capitur, & Constantio patritio uiuus offertur. Ataulphus uerò à quodam suorum uulneratus interijt: regnumq; eius Vuallia inuadit. De quo uide Iordanem de Origine Gotthorum, Orosium, & Diaconum. Meminit horũ Coss. historia Tripartita libro undecimo, capite duodecimo, narrans memorabile facinus de quadam muliere quæ occisa est illo consulatu. & Marcellinus de his Coss. ita scribit: Indictione tredecima, Honorij decimo, & Theodosij sexto consulatu, ecclesia Constantinopolitana dudum igne cremata, his Coss. restaurata dedicataq; est, Attico episcopo eandem regente ecclesiam. Lucianus presbyter, uir sanctus, cui reuelauit Deus his Coss. locum sepulchri & reliquiarum corporis sancti Stephani primi martyris, scripsit ipsam reuelationem Græco sermone ad omnium ecclesiarum personas. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo decimoquinto, Gotthi Hispanias petũt. Quorum præsidio Attalus destitutus, à Romanis captus est. Ataulphus rex Gotthorum à quodam sociorum uulneratus interijt, & pro eo Vuallia regium nomen inuasit. Hierosolymis corpora sanctorum Stephani Protomartyris, Gamalielis, & Nicodemi, Luciano presbytero diuinitùs reuelata, inueniuntur, & innumeris miraculis glorificantur. CHRISTI Ab urb. con.

2. 8 THEODOSIVS VII. PALLADIVS. 416. 1170

Prosper: Theodosio VII. & Palladio Coss. Placidiam, Theodosij Imperatoris filiam, quam Romæ Gotthi cæperunt, quanquam Ataulphus coniugem habuerat, Vuallia pacem Honorij expetens, reddidit, eiusq; nuptias Constantius promeretur. Palladij mentio fit libro undecimo historiæ Tripartitæ, capite decimoquinto, his uerbis: Inuenit Theodosius quendam uirum habitu corporis fortissimum, qui tanta uelocitate ueredos agebat, ut diebus tribus perueniret ad terminos Romanorum & Persarum, & rursus totidem remearet ad Constantinopolim. Huic nomen erat Palladius. & reliqua quæ sequuntur. À quo quidam putant dictos equos Palladios, celeres ac ueloces, qui nostra ætate postam currunt. Quanquam aliqui hos palmatos, alij palmatios, à diuite quodam equorum Palmatio, qui sub Valeriano fuit, uocant, cuius bona per tyrannidẽ proscripta sunt. De quibus Imperator C. de grege Dominico. l. Propositis siue Hermogenianis seu palmatis. Veredos autẽ equos publicos uocant, ut testatur Procopius in bello Persico. Inde ueredarij, & paraueredarij, de quibus sępe loquitur Imperator. Marcellinus: Indictione decimaquarta Theodosij Augusti VII. & Palladij consulatu Orosius presbyter Hispani generis septem libros historiarũ scripsit, missus ab Augustino episcopo. Idem pro discenda animæ ratione, ad Hieronymũ presbyterũ reliquias beati Stephani nuper inuentas rediens primus intulit Occidenti. Atticus Constantinopolitanus scripsit ad reginas Arcadij Imperatoris filias de fide & uirginitate librum ualde egregium, in quo præueniens Nestoria num dogma impugnat.

His Coss. Gotthi placati Constantio Placidiam reddiderunt. Cuius nuptias ipse promeretur.

De hac Placidia quomodo restituta sit, lege Orosium & Diaconum, ipsumq; Iordanem de Origine Gotthorum, qui latissimè de hoc disserunt, quomodo ex ea Constantius postea peperit Valentinianum Imperatorem. Hæc eadem Iordanis in Annalibus facta esse scribit anno incarnationis quadringentesimo decimosexto: & Hermannus, anno octauo imperij Honorij cum Theodosio, in suis Chronicis.

3. 9 HONORIVS XI. ET CONSTANTIVS II. 417. 1171

Prosper: Honorio XI. & Constantio II. Coss. Honorius triumphans Romam ingreditur, præeunte curru eius Attalo, quem Lyparæ uiuere exulẽ iussit. Idem Iorda-

Iordanis in Annalibus: Anno quadringētesimo decimoseptimo Honorius Augustus Romam triumphans ingreditur, Attalo currum eius præcedente, & pòst in exilium misso. Quæstio & dissensio de huius anni Pascha oritur sub Papa Zosimo. Constantinus Fredibaldum regem Vandalorum sine bello arte captum Honorio Imperatori misit. Marcellinus horum Coss. sic meminit: Indictione decimaquinta Honorij XI. & Constantini II. cōsulatu tenebrę factæ sunt. Tiberia Asiæ ciuitas, aliquaq; prędia terræmotu demersa sunt. Romanæ ecclesiæ Zosimus tricesimusnonus episcopus ordinatus est, uixit annis tribus.

418. 1172 HONORIVS XII. ET THEODOSIVS VIII. 4. 10

Prosper: Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. concilio Carthagini habito, Pelagiana est damnata hæresis. Et Valentinianus Constantij & Placidiæ filius nascitur sexto Nonas Iulias. Quod aliqui in sequentem consulatum rejciūt. Iordanis in Annalibus: Anno quadringētesimo decimooctauo Carthagini concilio episcoporum ducentorum decem & septem collecto, & Zosimo Papa confirmato, Pelagius alijq; hæretici damnantur. Eclipsis solis decimoquarto Cal. Aug. facta, & cometa abhinc usq; ad mensem Septembrem uisa. Pugna inter Gundericum Vandalorum regem, & Ermenricum Sueuorum regem facta. Marcellinus horum Coss. sic meminit: Indictione prima Honorij XII. & Theodosij VIII. Cons. Plinta Comes, idemq; Rebellio, apud Palęstinam deiectus est. Solis facta defectio est. Stella ab Oriente per Septembrem mensem surgens, ardensq; apparuit.

419. 1173 MONAXIVS, ET PLINTA. CCC 11

Ita habet unicum quod uidi Casiodori exemplum, Pomponius Lætus, antiquitatis solertissimus indagator, secundo historiarum libro in Theodosio sic scribit: Ex quibus nuptijs Rauennæ quinto Nonas Quintilis natus est puer Valentinianus Moma & Plinta Coss. unde ipse hoc excerpserit, ingenuè fateor me nescire. At Prosper inquit: Maximo & Plinta Coss. Constantius pacem firmat cum Vuallia, data ei ad habitandum Aquitania, & in quibusdā ciuitatibus confinium prouinciarum. Hoc idem Paulus Diaconus libro decimoquarto. Augustinus epistolam scribit ad episcopos Græcos, in cuius datis ponit hos Coss. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo decimonono, Honorius Augustus Constantinum ducem in consortium imperij assumit. Romæ Bonifacius Papa quadragesimus sedit annis quatuor, cum quo ab alijs Papa ordinatur Eulalius. Quo ab Augustis deiecto, Bonifacius in sede firmatus, sua etiam decreta constituit, & ecclesiam sanctæ Felicitatis & S. Syluani in Vrbe construxit. Constantinus Imp. pacem cum Vuallia rege Gotthorum firmat, data ei tum aliquot urbibus ad inhabitandum Aquitania secunda. Marcellinus horum quoq; Coss. sic meminit: Monachi & Plintæ consulatu Valentinianus iunior apud Rauennam, patre Constantio, & Placidia matre, quinto Nonas Iulias est natus. Multæ Palęstinæ ciuitates uillæq; terræmotu collapsæ. Dominus noster Iesus Christus semper ubiq; præsens & super montem Oliueti Hierosolymæ uicinum sese de nube manifestauit. Multæ tunc utriusq; sexus uicinarum gentium nationes tam uisu quàm auditu perterritæ atq; credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumq; baptizatorum inimicis crux Saluatoris diuinitatis nutu exemplo impressa refulsit. Meminit illius Plintæ uiri consularis historia Tripartita libro nono, capite quadragesimo, scribens sub hoc consulatu Arianos, qui trigintaquinq; annis diuisi erant à Psathyrianis, esse unitos.

420. 1174 THEODOSIVS IX. ET CONSTANTIVS III. 2. 12

Prosper: Theodosio IX. & Constantio III. Coss. Constantius ab Honorio in consortium regni assumitur. & Hieronymus Presbyter anno ætatis suæ nona-

Olymp. Imp. Hon. gesimoprimo pridie Cal. Aprilis moritur. Paulus Diaconus: His diebus apud Bethleem Palæstinæ beatissimus Hieronymus, expletis nonaginta & uno annis uitæ, ad Christum migrauit. CHRISTI Ab urb. cond.

His Coss. ab Honorio in societatem regni recipitur Constantius.

Paulus Diaconus: Cernens Honorius ubiq; se Constantij uirtute & ingenio seu per bella seu pacis moderatione tueri, eum cunctis adnitẽtibus apud Rauennam in regni cõsortium adsciuit, qui nec dum septem mensibus euolutis, ex hac luce subtractus est. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo uigesimo, Vuallia Gotthorum rege mortuo, Theodericus succesit. Bethleem Hieronymus presbyter, doctor & interpres incomparabilis scripturarũ, anno ætatis nonagesimoprimo obijt. Alani à Gotthis adeò cæde domiti, ut regio nomine neglecto, Gunderico regi Vandalorum se tuendos submitterent.

3. 13 AGRICOLA, ET EVSTACHIVS. 421. 1175

Prosper: Agricola & Eustachio Coss. Constantius Imp. moritur. Quod etiam Casiodorus annotauit:

His Coss. Constantius Imperator moritur.

Quod etiam paulo antè ex Paulo Diacono annotauimus. *Sic etiam Iordanis* in Annalibus: Anno quadringentesimo uigesimoprimo Constantius Imperator Rauennæ moritur. Bellum inter Vandalos & Gotthos oritur.

4. 14 HONORIVS XIII. ET THEODOSIVS X. 422. 1176

Prosper: Honorio XIII. & Theodosio X. Coss. exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cuius Castinus dux fuit: qui Bonifacium, uirum bellicis artibus præclarum, inepto & iniurioso imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Nam ille periculosum sibi atq; indignum ratus sequi, quem discordem superbumq; expertus esset, celeriter se ad portã Vrbis, atq; inde in Africam proripuit. Idq; Reipub. multorum laborum initium fuit. Hæc omnia latißimè Paulus Diaconus. Meminit & horum Coss. historia Tripartita libro undecimo, capite decimoquinto, ubi describit bellum Persarũ cum Romanis, quod est lectu dignum, & quod latißimè Procopius exequutus est, licet ad nos mancus peruenerit. Sub id tempus Honorius Tricẽnalia apud Rauennam celebrauit magno apparatu. Sic enim erat imminentibus periculis consuetudo, ut ludi uouerentur: quod triumphalia monimenta ex marmore, ære, argento, & auro indicant & testantur, sub ea figura, Votis XX. Votis XXX. hoc est uicẽnalibus & tricẽnalibus, quod etiam indicat annos imperij.

His Coss. exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est.

Hoc latè apud Paulum Diaconum. Vbi etiam de Britannis, Scotis, ac Pictonibus fit mentio, require illud. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo uigesimosecundo, exercitus contra Vandalos duce Castino ad Hispanias Gotthis auxilio mittitur. A' quo offensus Bonifacius, uir bellicosus, secedens ad Africam se contulit. Vandali uerò penè ad desperationem coacti, Castino incautè manum conferente, uictores effecti sunt.

CCCI 15 MARINIANVS, ET ASCLEPIODOTVS. 423. 1177

Prosper: Mariniano & Asclepiodoto Coss. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honorio & Valentiniano filijs proficiscitur. Et Honorius moritur. Cuius regnum Ioannes occupat, annuente, ut putatur, Castino, qui exercitui magister militum præfuit. Hæc omnia latè Paulus Diaconus libro decimoquarto, capite primo. Meminit & horum Coss. historia Tripartita libro undecimo, capite decimooctauo. Et Marcellinus in suis Chronicis his uerbis: Indictione sexta, Asclepiodoti & Marini consulatu, Celestinus Romanæ ecclesiæ quadragesimusprimus antistes creatus, uixit annis octo. Euagrius scripsit Iudæi

Symonis

CHRISTI Ab urb. con. Symonis & Theophili Christiani historiã, quæ penè omnib. nota est. Terræmotus multis in locis fuit, & frugũ inedia subsequuta. Philippus & Salustius morbo perierũt. Stella ardẽte sæpe crinita Honorius Imperator fatale munus impleuit. Iordanis in Annalibus: Anno 423. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, cũ filio Valentiniano ad Theodosium Augustũ in Orientem proficiscitur. Romæ Celestinus Papa XLI. sedit annis IX. Qui plurima in ecclesia fecit statuta, & basilicam Iulij in Vrbe constructã dedicauit. Honorius Imperator Occidentis Rauennæ moritur. & Ioannes tyrannus regnum eius occupat. Theodosius Imperator Orientis post mortem patrui sui Honorij regnauit annis XXVI. Olymp. Imp. Theod. iun.

His Coss. Placidia Augusta à fratre pulsa, ob suspicionem inuitatorum hostium, cum Honorio & Valentiniano filijs ad Orientem mittitur. Honorius moritur, & solus Theodosius Romanum tenet Imperium annis uigintiseptem.

Paulus Diaconus: Anno ab Vr. con. 1177. Theodosius Arcadij filius 43. regebat imperiũ. Qui cõperta patrui sui Honorij morte, mox Valentinianũ, amitæ suę Placidiæ filiũ, Cæsarẽ effectũ cũ matre Augusta ad recipiendũ Occidẽtis regnũ dirigit. Quo tẽpore Ioãnes dũ Africã quã Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionẽ sui infirmior factus est. Deniq; uenientes, Placidia Augusta, et Valẽtinianus Cęsar, mira cũ felicitate cõtinuò opprimũt, regniq; gubernacula uictores arripiũt. Lege deinceps latissimè quæ tũ gesta sunt. Vide insuper Annales Iordanis, q pulcherrimè res gestas eius tẽporis tradũt: et historię Tripartitę lib. 12.

THEODOSIVS IVNIOR XLIIII.

Sub quo hi Coss. fuerunt:

424. 1178 CASTINVS, ET VICTOR. 2. 1

Prosper: Castino & Victore Coss. Theodosius Valentinianũ amitæ suæ filiũ Cæsarẽ fecit, & cum Augusta matre sua ad recipiendũ occidentale mittit imperium. Quo tempore Ioannes dũ Africã, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit ad defensionem sui infirmior factus est. Iordanis in Annalibus: Anno 424. Theodosius Valentinianũ amitæ suæ filiũ Cæsarem faciens ad regnũ occidẽtis cum matre possidendũ remittit. Ioãnes tyrãnus Africã contra Bonifaciũ petijt.

His Coss. Theodosius Valentinianũ consobrinum Cæsarẽ facit, et cum Augusta matre sua ad recipiendũ occidentale mittit imperium.

Hæc latissimè Paulus Diaconus lib. 14. cap. 2. qui scribit: Postq; gubernacula sunt recepta à Valentiniano, milites tunc Rauennã crudeliter deuastasse, quòd ciues in tyrannũ fauissent Ioannẽ: Castinumq; magistrũ militũ tunc exilio dãnatum. cuius factione arripuisse Ioannẽ tyrannidẽ credebatur: data Aëtio uenia, eo quòd Hunni quos per ipsum Ioannes acceperat, eius studio remeassent ad propria. Valentinianus igitur consensu totius Italię Imperator efficitur, & ex decreto Theodosij Augustus appellatur. Eadem historia Tripartita lib. 12. cap. 1.

425. 1179 THEODOSIVS XI. ET VALENTINIANVS CAES. 3. 2

Prosper: Theodosio undecimo & Valentiniano Coss. Placidia Augusta & Valentinianus Cæsar mira felicitate Ioãnem tyrannum opprimunt, & regnum uictores recipiũt: data uenia Aëtio, quos per ipsum Ioannes acciuerat, eiusdem studio ad propria reuersi sunt. Castinus autem in exilium actus est, quia uidebatur Ioannem sine comitiua regnum non potuisse assumere. Item Archilias nobile oppidum Galliarum à Gotthis multa ui expugnatum est, donec imminente Aëtio non impuniti discederent. Meminit horum Coss. historia Tripartita libro duodecimo, capite secundo, sub quibus tradit Atticum episcopum Constantino

Olymp. Imp. Theo. Iun. politanum mortuum, anno episcopatus uigesimoprimo, die decima mensis Octobris. CHRISTI

His Coss. Ioannem tyrannum Valentinianus Imperator extinxit. Hunnosque qui in Italia erant, Ioanni præsidio per Aetium mira felicitate dimouit.

Hæc omnia latißimè apud Paulum Diaconum libro decimoquarto, capite secundo. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo uigesimoquinto, Valentinianus cum matre Ioãnem tyrannum Rauennæ à suis extinctum oppressit. Regnum Occidentis recepit. Castinum Ioãni fauentẽ exilio damnauit. Aëtio patritio, qui Hunnos euocatos reuerti fecerat, ueniam dedit.

4. 3 THEODOSIVS XII. ET VALENTINIANVS II.

Prosper: Theodosio XII. & Valentiniano II. Coss. Patroclus Arelatensis episcopus à tribuno quodam barbaro multis uulneribus laniatus occiditur. Quod facinus ad occultam iussionem Felicis magistri militum referebatur. Cuius impulsu creditus est etiam Titus Diaconus, uir sanctus, Romę pauperibus pecunias distribuens, interfectus. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo uigesimosexto Patroclus, Arelatensis episcopus, à Tribuno quodam barbaro innocens trucidatus est. Gundericus rex Vandalorum Dei iudicio percussus moritur. Eique Geysericus tyrannus, Arrianusque hæreticus, & catholicorum crudelis persequutor, successit. Meminit & horũ Coss. historia Tripartita libro duodecimo, capite tertio, quibus scribit Sisinnium episcopum Constantinopolitanum à plebe post mortem Attici electum. 426. 1180

CCCII 4 HIERIVS, ET ARDABVRES.

Prosper: Hiero & Ardabure Coss. Bonifacio, cuius potentia gloriaque in Africa augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam uenire annuerat, publico nomine illatum est, ducibus Mauortio & Galbione, & Sinoca. Cuius proditione, Mauortius & Galbio, cũ Bonifaciũ obsiderent, interempti sunt. Moxque ipse à Bonifacio dolo detectus, occisus est. Exinde gentibus quæ uti nauibus nesciebant, dum à concertantibus in auxilium uocantur, mare peruium factum est. Bellique cõtra Bonifacium cœpti in Sigisuultum Comitem cura translata est. Item gens Vandalorũ ab Hispania ad Africam transijt. Meminit horum Coss. historia Tripartita libro duodecimo, capite tertio: & Iordanis libro de Origine Gotthorum, in hæc uerba: Duodecimo anno regni Vualliæ, quando & Hunni post penè quinquaginta annos inuasa Pannonia, à Romanis & Gotthis expulsi sunt: uidens Vuallia Vandalos in suos fines, id est, Hispanię solum audaci temeritate ab interioribus partibus Galliæ, ubi eos fugauerat Ataulphus, egressos, & cunctos in prædis uastare, eo ferè tempore quo Hierius & Ardabures Coss. excessissent, nec mora, mox cõtra eos mouit exercitum. Gensericus rex Vandalorum iam à Bonifacio in Aphricam inuitatur: qui Valentiniano Principi ueniẽs in offensam, non aliter se quàm malo reipub. potuit uindicare. Is ergo suis precibus eos inuitans, per tractum angustum, quod dicitur Fretum Gaditanũ, & uix septem millibus passuum Aphricam ab Hispanijs diuidit, ostioque maris Tyrrheni in Oceani æstum egeritur, transposuit. 427. 1181

His Coss. Bonifacio Aphricã tenẽti infaustè bellũ ingeritur. Gens Vandalorũ à Gotthis exclusa, de Hispanijs ad Aphricam transijt.

Quæ omnia latißimè etiam præter suprà citatos Paulus Diaconus libro decimoquarto, capite secundo. Sed apertius tradit Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo uigesimoseptimo, Bonifacius in Aphrica pollẽs, duces quosdam contra se dimicantes occidit. Contra quem euocatis barbaris, mare ad id tempus ignotum, peruium efficitur. Vnde gens effera Vandalorum de Hispanijs

niis exclusa à Gotthis, freto traiecto Aphricam inuadens, gladio, præda, & igne miserabiliter debacchatur, interfecto prius Ermengario rege Sueuorum. Postq; in Hispania decem & nouem annis debacchati sunt. 2. 5

428. 1182 FELIX, ET TAVRVS.

Prosper: Felice & Tauro Coss. Nestorius Cõstantinopolitanus episcopus nõuum ecclesiis molitur inducere errorem, prædicans Christum ex Maria hominẽ tantum, & non Deum natum: eiq; diuinitatem collatã esse pro merito. Huic impietati præcipua Cyrilli Alexandrini episcopi industria & Papæ Celestini repugnat auctoritas. De quo & historia Tripartita libro 12. cap. 4. Vbi & horũ Coss. fit mentio. Item pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupauerunt Aëtii Comitis armis recepta. Iordanis libro Annaliũ: Anno quadringentesimo uigesimooctauo, Nestorius Constantinopolitanus episcopus, duas in Christo personas prædicans, hominemq; purum ex uirgine natum deitatem postea accepisse affirmans, à Cyrillo Alexandrino episcopo & Papa Celestino hæreseos arguitur. Aëtius Romanus Comes multis Francorũ cæsis, partem Galliarum, quam peruasam tenuerant, recepit.

His Coss. Aëtius multiis Francis cæsis, quam occupauer ant propinquam Rheno, Galliarum partem recepit.

Paulus Diaconus: His temporibus Gundicariũ Burgundionum regem intra Gallias habitantẽ Aëtius patritius bello obtriuit, paceq; ei supplicanti concessit. 3. 6

429. 1183 FLORENTIVS, ET DIONYSIVS.

Prosper: Florentio & Dionysio Coss. Felice ad patritiam dignitatem euecto, Aëtius magister militũ factus est ex agricola. Iordanis in libro de Origine Gothorum: Aëtius patritius tunc præerat militibus, fortissimorum Mœsiorum stirpe progenitus, in Dorostena ciuitate à patre Gaudẽtio labores bellicos tolerãs, Reip. Romanę singulariter natus, qui superbiã Sueuorũ Frãcorũq; barbariem, immẽsis cædibus seruire coegisset, &c. Idẽ aũt Iordanis libro Annaliũ sic scribit: Anno 429. Aëtius magister militum & patritius factus est. Agricola hæreticus Pelagianista Britannias suo inficit errore. Vnde S. Germanus episcopus Antisiodorensis à Celestino Papa illuc missus hæresim expugnauit, plurimisq; saluti fuit. Meminit horum Coss. etiam Marcellinus in suis Chronicis, his uerbis: Indictione duodecima, Florẽtii & Dionysii cõsulatu, orthodoxi nostri Macedoniorũ ecclesiã extra muros Vrbis positã abstulerũt, quoniã iidem Macedoniani Antoniũ catholicũ episcopũ interfecerũt. Beatus Augustinus Hyponensis ecclesiæ elegantiss. Christi sacerdos, doctorq; præcipuus, placida morte quieuit. Sed hoc cęteri in sequentẽ annũ reiiciũt: et hic autor lacer & scissus in manus meas uenit. Ideo huius libelli fidẽ desidero. Plures enim consulatus, sicut cernere est, desunt.

THEODOSIVS XIII. ET VALENTINIANVS III. 4. 7

430. 1184 Prosper: Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. Aëtius Felicẽ cũ uxore sua Egruuntium Diaconum eos insidiari cum præsensisset, interemit. Diuus Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto Cal. Septembris anno 76. ætatis, libris Iuliani inter impetum obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseuerans. De quo uide etiam Paulum Diaconum. Meminit & horum Coss. historia Tripatita libro duodecimo, cap. quarto. Iordanis in Annalib. Anno quadringentesimo tricesimo S. Augustinus Hyponensis episcopus, ecclesiæ Christi & catholicæ fidei propugnator & defensor inuictissimus, in ciuitate sua à barbaris obsessus, cũ inter ipsas obsidionis angustias sollicitus Iuliani argutiis pro gratia Dei pugnans respondisset: ipsa Dei gratia, ne ruinam suorum uideret, subtractus, quinto Cal. Septembris migrauit ad Dominũ anno ætatis 76. episcopatus

uerò

Olymp. Imp. Theo. uerò seu presbyteratus quadragesimo. Marcellinus in sua Chronica horũ quoq; Coss. mentionem sic facit: Indictione 13. Theodosij XIII. & Valentiniani Coss. Theodosius Imperator Tricennalia gessit. Felix apud Rauennam occiditur. Celestinus Romanæ arcis pontifex Nestorio prauitatis episcopo per epistolam suam, datis eidem decem dierum inducijs, uel pœnitenti ueniã, uel dissentienti denunciat damnationem. Idem Nestorius ecclesiæ Constantinopolitanæ perfidus antistes, à quo et Nestoriana perfidia pullulauit, apud Ephesum ducentorũ sanctorum patrum sententia in synodo cõdemnatus est, Celestino Cyrillum Alexandriæ ciuitatis episcopũ pro tempore uicarium denunciante. In locum Nestorij Maximianus episcopus subrogatur. Et illa quoq; ab alijs in sequentem annum reijciuntur. Quare fides huius libelli desideratur. Fuit autem hic Aëtius ex Dorostana Mœsię, cum disciplina militari excelleret, Constantio defuncto, ab Honorio Principe illi sufficitur. Cuius ductu Attila in campis Catalaunicis uictus est, & Burgundiones repressi. Sed cum postea Valentinianus hunc occideret, ac quempiam interrogaret, an iure occisum crederet, mox ille subiunxit: Iure an iniuria occideris, Imperator, Aëtium, nescio: illud scio, quòd sinistra tua dextram tibi absciderit. Nec falsus omnino uates. Nam eius morte Hunni rerũ potiti, & imperium euersum est: ut Procopius latissimè in tertio Vandalico. CHRISTI

CCCIII 8

BASSVS, ET ANTIOCHVS.

Prosper: Basso & Antiocho Coss. congregata apud Ephesum plus ducentorum synodo sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi dogma iuuabant, damnabãtur. Ad Scotos in Christũ credentes ordinatur à Papa Celestino Palladius, & primus episcopus mittitur. De synodo Ephesina uide historiam Tripartitam lib. 12. cap. 5. ubi horum quoq; Coss. mentio fit: & capite octauo. Sed alterius Cos. nomen est corruptum. Legitur enim Antonij, pro Antiochi. Iordanis in Annalibus: Anno 431. tertia synodus uniuersalis ducentorum episcoporum apud Ephesum congregatur, sub Celestino Papa: ubi inter alias hæreses Nestorius cũ sua secta damnatur. Palladius ad Scotos Christo credentes à Celestino Papa primus episcopus mittitur. Facit horum Coss. mentionẽ Marcellinus sic: Indictione decimaquarta, Antiochi & Bassi consulatu Flaccilla, Theodosij Augusti filia, extremum spiritum finit. Barbari urbe Augusta enutriti, ad ecclesiam nostram hostili ritu confluunt, ignẽ ad comburendum altare dum infesti iaciunt, inuicem sese resistente Deo trucidãt. Hoc tempore dum ad Horrea publica Theodosius processum celebrat, truci penuria plebi ingruente, Imperator ab esuriente populo lapidibus impetitur. 431. 1185

2. 9

AETIVS, ET VALERIVS.

Prosper: Aëtio & Valerio Coss. totius orbis pace & confessione mirabili Bonifacius ab Africa in Italiam uenit in Vrbem, accepta magistri militum dignitate. Qui cum sibi resistentem Aëtium prælio superasset, paucos post dies morbo extinctus est. Aëtius uerò cum deposita dignitate in agro suo degeret, ibiq; cũ quidam inimicus eius repentino eum incursu opprimere tentasset, profugus ad Vrbem, atq; illinc ad Dalmatiam, deinde Pannoniã ad Hunnos peruenit. Quorum amicitia auxilioq; usus, pacem principum & ius interpolatæ potestatis obtinuit. Hæc eadem ijsdem uerbis Paulus Diaconus. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo tricesimosecundo Romæ Xystus Papa XLII. sedit annis VIII. Qui accusatus à Basso quodã, uentilata in synodo causa ab episcopis quinquagintasex purgatus, et Bassus damnatus est. Bonifacius de Africa reuersus, et magister militum factus, cum Aëtio pugnauit, & uicit, & post paucos dies morbo absumptus est. Aëtius uerò inimicos fugiens, Dalmatias Pannoniasq; petijt, & Hunnorum auxilio gratiam Principum, pristinamq; dignitatem recepit. 432. 1186

THEODO-

CHRI- Abur. THEODOSIVS XIIII. ET MAXIMVS. Olymp. imp.
STI con. Theo.

433. 1187 Prosper: Theodosio XIIII. & Maximo Coss. maxima urbis regiæ pars Septentrionalis per tres continuos dies incensa collapsaque est mense Augusto. Ioannes Monachus, cognomento Cassianus, Massiliæ insignis & facundus habetur scriptor. Marcellinus in suis Chronicis sic horum Coss. meminit: Indictione prima, Theodosij Aug. XIIII. & Maximi Coss. maxima urbis regiæ pars Septentrionalis triduo conflagrauit. Sed hoc quoque incendium sequenti anno ab alijs factum scribitur. Iordanis autem in Annalibus sic: Anno quadringentesimo tricesimotertio, Burgundiones ab Aëtio pugna uicti sunt. Hoc tempore Xystus Papa ecclesiam S. Mariæ, quæ Liberij dicebatur, & ecclesiam S. Laurentij in Vrbe construxit. Confessionẽ sancti Petri, itemque S. Laurentij ordinauit. Valentinianus quoque Augustus multa ecclesijs dona dedit, & confessionem S. Pauli construxit. Petrus autem Episcopus sanctæ Sabinæ ecclesiam fecit. 3. 10

ASPAR, ET ARIOBINDAS. 4. 11

434. 1188 Meminit horum Coss. & Prosper, & historia Tripartita libro duodecimo, capite decimo, quo loco fit etiam mentio incendij Constantinopolitani. Lege illic quæ desideras. Vide eandem historiam libro XI. capite ultimo, ubi quidam memoratur Aspar. Sed & capite decimoquinto Ariobindę fit mentio. Fuit Asparis filius Ardaburius, ut in Cæsaribus nostris amplius expressimus. Scribit Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo tricesimoquarto, Vandali iã nono anno Aphricam infestantes, pactum à Romanis postulant.

THEODOSIVS XV. ET VALENTINIANVS IIII. CCCIIII 12

435. 1189 Prosper: Theodosio XV. & Valentiniano IIII. Coss. pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum per triennium, in loco Aphricæ, portione Hyponæ tertio Idus Februarij. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtriuit, pacemque ei supplicanti dedit, qua non diu potitus est. Siquidem illum Hunni cum populo suo atque stirpe deleuerunt. Eadẽ Iordanis in Annalibus facta esse prodit ijsdẽ uerbis, anno CCCC.XXXV.

His Coss. pax facta est cum Vandalis, data eis ad habitandum Aphricæ portione. Præterea Gundicarium Burgundionum regem Aẽtius bello subegit, pacemque ei reddidit supplicanti, quem non multo pòst Hunni peremerunt.

Paulus Diaconus: Post eam igitur quæ præmissa est Aphricæ cladẽ, data per trienniũ ad habitandũ Vandalis Aphricę portiõe, pax cũ eisdẽ necessaria magis quam utilis facta est. His etiã temporibus Gundicariũ Burgundionũ regẽ intra Gallias habitantẽ Aëtius patritius bello obtriuit, pacemque ei supplicanti concessit.

ISIDORVS, ET SENATOR. 2. 13

436. 1190 Prosper: Isidoro & Senatore Coss. Gotthi pacis placita perturbant, & pleraque municipia sedib. uicina suis occupãt, Narbonẽsi oppido maximè infesti. Quod cum diu obsidione & fame laboraret, per Littoriũ Comitem ab utroque periculo liberatum est: siquidem per singulos equites binis tritici modijs aduectis, strenuissimè & hostes in fugam uertit, & ciuitatẽ annona repleuit. Eadem ijsdem penè uerbis Paulus Diaconus lib. 14. cap. 2. Meminit horum Coss. historia Tripartita lib. 12. cap. 13. Iordanis in Annalibus: Anno quadragesimo trigesimosexto, Gotthi pacem turbantes, inter alia mala Narbonã obsessam fame premunt. Sed Littorius dux Romanus superueniẽs, & hostes ui repulit, & ciuitatem aduecto frumento fame liberauit.

AETIVS II. ET SIGISVVLTVS. 3. 14

437. 1191 Prosper: Aëtio II. & Sigisuulto Coss. bellum aduersus Gotthos Hunnis auxiliantibus geritur. Geysericus rex Vandalorum, intra habitationis suæ limites, uolens

Olymp. Imp. Theod. CHRISTI

uolens catholicam fidem Arriana impietate subuertere, quosdam nostrorũ episcoporum eatenus persequutus est, ut eos priuato iure basilicarũ suarum, etiam ciuitatibus pelleret, cum ipsorum constantia, nullis superbissimi regis terroribus cederet. Lege deinceps, quomodo quatuor Hispanos uiros, Arcadiũ, Probum, Paschasium, & Eutychium martyrio affecit, & puerum Paulillum. Meminit huius consulatus Imp. C. ut nemo ad suum patrocinium. l. i. Sed illic corruptè legitur Sigisbudi, pro Sigisuulti. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo tricesimoseptimo bellum à Romanis contra Gotthos, Hunnis auxiliantibus, geritur. Geysericus rex Vandalorum Arrianus, catholicos in Aphrica persequẽs, quosdam ecclesijs suis pepulit, quosdam exilio damnauit, quosdam etiam uarijs pœnis affectos, martyrio coronauit. Barbari piraticã exercere aggressi. Valentinianus Augustus ad Theodosium Augustum, auunculi sui filium, Constantinopolim ueniens, filiam eius accepit uxorem. Ermenricus rex Sueuorum morbo oppressus, Richilam filium pro se regem constituit. Cęterùm quis fuerit Geysericus, siue Gensericus, & cuius naturæ, pulcherrimè describit Iordanis libro de Origine Gotthorum. Mutues ab illo quæ desideras.

His Coss. Valentinianus Augustus ad Theodosium Principem Constantinopolim proficiscitur, filiamq; eius in matrimoniũ accipit.

Paulus Diaconus: His deniq; diebus Valentinianus Augustus ad Theodosiũ Principem suum fratruelem Constantinopolim profectus est, filiamq; eius uxorem accepit. Hæc Eudoxia dicebatur. De qua historia Tripartita lib. 12. cap. 13. Licet nuptias celebratas illic tradat superioribus Coss.

4. 15 THEODOSIVS XVI. ET FAVSTVS.

Prosper: Theodosio XVI. & Fausto Coss. piraticam barbarorum fœderatorum desertores exercuerunt, & multas insulas uastauere, sed præcipuè Siciliam. 438. 1192
Paulus Diaconus: Per idem tempus piratæ Vandali multas insulas, pręcipuè Siciliam, populati sunt. Meminit & horum Coss. historia Tripartita lib. 12. cap. 14. sed nomina Coss. sunt deprauata. Pomponius Lætus lib. 2. Historiarum in Theodosio, scribit Theodosium Imperatorem Constantinopoli Vicennalia edidisse XVI. & Festo Coss. cum tamen XVII. cum Festo, XVI. cum Fausto gesserit, testibus Cassiodoro, & Prospero. Sed facilis est lapsus literarum, & error condonandus. Iordanis in Annalibus: Anno quadringẽtesimo tricesimooctauo: Gotthi Richilam regem Sueuorum pugna uictum thesauris spoliauerunt. Mentionem horum quoq; Coss. facit Marcellinus in sua Chronica, his uerbis: Indictione sexta, Theodosij XVI. & Fausti cõsulatu, Cetradis prædo cum piraticis, suisq; comitibus, captus interfectusq; est. Reliquiæ beatissimi Ioannis Augustæ urbis quondam episcopi redditæ ciuitati, ibiq; sepulte mense Ianuario, die 28. Valentinianus Imperator cum Eudoxia uxore Rauennam ingressus est. His diebus Prosper Reginensis episcopus, contra librum Cassiani de Protectione Dei conscripsit. In quo illum liberum arbitrium multum extulisse probauit.

CCCV 16 THEODOSIVS XVII. ET FESTVS.

Prosper: Theodosio XVII. & Festo Coss. Littorius qui secunda ab Aëtio Patricio potestate, Hunnis auxiliantibus, præerat, dum Aëtij gloriam superare appetit, dumq; aruspicũ responsis & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gotthis imprudenter cõseruit: fecitq; intelligi, quantũ illa eorum quę perijt manus prodesse potuerit, si potioribus consilijs, q̃ sua temeritate uti maluisset, quando tantam ipse cladem hostibus intulit, ut nisi inconsideranter prælians captiuitatẽ incidisset, dubitandũ foret, cui potius parti uictoria adscriberetur. Post paulo subiungit: Pax cum Gotthis facta, cum eam post ancipitis pugnæ lachrymabile experimentũ humilius q̃ antea poposcissent, Aëtio rebus in Gallijs, quæ 439. 1193

com-

CHRI-STI Ab ur. con.

componebantur, intento, Gensericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, 14. Calendas Nouẽbris Carthaginẽ dolo pacis inuadit: omnesq; opes eius, excruciatis diuersorũ tormentorũ genere ciuibus, in ius suũ uertit. Nec ab ecclesiarũ spoliatione abstinens, quas & sacris uasis exinanitas & sacerdotũ administratione priuatas, nõ iã diuini cultus loca, sed suorũ esse iussit habitacula. In uniuersum captiui populi ordinẽ sæuus, sed præcipuè nobilitati & religioni infensus, ut nõ disceneret, hominibus magis, an Deo bellũ intulisset. Sic Carthago à Vãdalis capta, anno, postq; Romana esse cœperat quingentesimo octogesimoquinto. Horum Coss. meminit historia Tripartita lib. 12. cap. 16. ubi finitur his uerbis: Finem facimus historiæ in anno secundo tricentesimæquintæ Olympiadis, cõsulatu septies decies Imperatoris Theodosii. Meminit & horum Coss. Iordanis libro de regione Gotthorum: ubi de Aëtio & Littorio multa prodit, quæ huc spectant.

His Coss. bellum aduersus Gotthos Hunnis auxiliaribus geritur, & Littorius dux Romanus ab eis capitur. Gensericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit.

Hęc omnia abũdè Paulus Diaconus. Iordanis in Annalibus: Anno 4039. Iulianus Atelenensis episcopus, Pelagianista iactantissimus, ecclesię cõmunionem surripere tentans, à Xysto Papa denuò dãnatur. Romani Hunnis auxiliatoribus aduersum Gotthos & regẽ Theodericũ infausta pugna confligunt in Gallia. & Littorius dux Romanus uulneratus, & pòst ab eis capitur, & occiditur. Quibus tamẽ nõ multo pòst suppliciter petentibus pax cũ Romanis facta est, ipso anno Aëtio & Romanis cõtra Gotthos intẽto. Geysericus rex Vãdalorũ, qui fidus & amicus Reipub. putabatur, dolo sub specie pacis 14. Calendas Nouẽbris Carthaginẽ cæpit, ciues & maximè nobiles trucidauit, opes eorum diripuit, sacerdotibus cæsis & pulsis ecclesiis in usus suorũ uertit: omniaq; diuina & humana iura cõfudit. Ibiq; trigintaquatuor annis regnũ obtinuit. Sub quo plurimi sanctorum martyrio ob fidẽ catholicã coronati sunt. Marcellinus quoq; in suis Chronicis horũ Coss. sic meminit: Indictiõe septima, Theodosii XVII. & Festi cõsulatu, Theodosius Imperator Quinquẽnalia edidit, Eudoxia, uxor Theodosii Principis, ab Hierosolymis ad Vrbem regiam remeauit. Beatissimi Stephani martyris reliquias, quæ in basilica beati Laurentij positæ uenerantur, secum deferens. Hoc tempore Gensericus rex Vandalorum Africæ ciuitates Carthaginemq; metropolim cum suis satellitibus occupauit decimoquarto Calendas Nouembris.

440. 1192 VALENTINIANVS AVG. V. ET ANATOLIVS. 2. 17

Prosper: Valentiniano V. & Anatolio Coss. Gensericus Siciliã grauiter affligens, accepto nuncio de Sebastiano ab Hispania ad Africã tendẽti celeriter Carthaginẽ rediit: ratus periculosum sibi ac suis fore, si uir bellandi peritus, recipiẽdæ Carthagini incubuisset. Verùm ille amicũ se magis q̃ hostem uideri uolens, diuersa omnia apud barbaros q̃ præsumpserat reperit. Eaq; spes causa illi maxima & calamitatis & infelicis mortis fuit. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimoquadragesimo, Romę defuncto Xysto, Leo uir doctrina insignis & moribus, Papa quadragesimustertius sedit annis uiginti duobus: qui plurima ad utilitatem Ecclesiæ sublimiter scripsit, & cõstituit. Eutychianam & Nestorianam hęreses condemnauit. Cuius tempore Demetrias ancilla Christi Romæ S. Stephani ecclesiam fecit. Eadem Paulus Diaconus.

His Coss. Gensericus Siciliam grauiter affligit.

Vide Paulum Diaconum libro decimoquarto, capite secundo, qui latissimè hoc prosequitur. Iordanis: Gensericus Siciliam peruersam grauiter affligens, timore Sebastiani ducis ad Carthaginem tuendam rediit. Richila rex Sueuorum Beticam prouinciam & Carthaginem Hispanicam cępit.

CYRVS V. C. COS. CHRISTI Ab urb. con.

3. 18 Prosper: Cyro unico Cos. Theodosius Imperator bellũ contra Vandalos mouet, Ariobinda & Anaxilla atq; Germano ducibus, cũ magna classe directis: qui longis cunctationibus negociũ differentes, Siciliæ magis oneri, q̃ Africæ præsidio fuerunt. Huius meminit Suidas in suis Collectaneis his uerbis: Cyrus Panoplites uersificator, ac Cõsul patricius, factus est Præfectus Vrbis, & prætorij. Floruit sub Theodosio iuniore, & demũ episcopus factus est Phrygiæ in Cotyeo, & uixit usq; ad Leonis Imp. tẽpora. Fit & illius mentio in C. ut nemo ad suũ patrociniũ. Zonaras autẽ tradit, q cũ Theodosius mœnia Constantinopoleos dilatare uellet, curã illius operis Cyro præfecto iniunxit, qui sedulitate & summa adhibita diligentia, intra sexagesimum diem à mari ad mare lateritium murum excitat. Quo tempore populus delectatus, & propter celeritatem & industriam præfectum paßim prædicat, taleq; eulogium muro apposuit: 441. 1193

CONSTANTINVS POSVIT, ET CYRVS INSTAVRAVIT.

Propter quod Principi suspectus factus & inuisus, clericus est tonsus: demum Smyrnæ episcopus delectus.

Hoc Consule Theodosius Imperator bellum contra Vandalos inefficaciter mouit.

Paulus Diaconus hæc omnia copiosius. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quadragesimoprimo Theodosius Imperator cõtra Geysericum & Vandalos per duces suos bellum mouet. Sed ipsi negocium cunctando differentes, Siciliæ magis oneri quàm præsidio fuere.

4. 19 DIOSCORVS, ET EVDOXIVS.

Prosper: Dioscoro & Eudoxio Coss. (sic est enim legendũ, nõ Leudoxa) Hunnis Thraciã & Illyricũ sæua depopulatione uastantibus, exercitus qui in Sicilia morabatur, ad defensionẽ orientaliũ partiũ reuertitur. Cũ Genserico autẽ ab Augusto Valentiniano pax cõfirmata, & certis spacijs Africa inter utrũq; diuisa est. In Gensericũ apud suos de successu rerũ superbientẽ, quidã optimates ipsius conspirauerunt. Sed proditione detecta, multis ab eo supplicijs excruciati atq; extincti sunt. Cumq; id audendum etiam alijs uideretur, multis regis suspicio exitio fuit, ut hac sui cura plus uirum perderet, quàm si bello superaretur. 442. 1194

His Coss. Hunni Thracias & Illyricum sæua depopulatione uastarunt. Cũ Genserico ab Augusto Valentiniano pax confirmata, & certis spacijs Africa inter utrosq; diuisa est.

Diaconus lib. 14. Per hæc tẽpora Hunnis Thracias & Illyricũ sæua populatione uastantibus, exercitus qui Siciliæ morabatur, ad defensionẽ orientaliũ prouinciarũ reuertit. Idẽ lib. 14. Valẽtinianus occidui rector imperij, pacis ea tẽpestate fœdera cũ Genserico Vandalorum rege firmauit, certisq; spacijs Africa inter utrosque diuisa est. & reliqua. Multa de Genserico idem Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quadragesimosecundo eisdem uerbis tradit. Marcellinus autẽ sic horũ Coss. meminit: Indictione decima, Eudoxij & Dioscori consulatu stella quæ Crinita dicitur, per plurimum tempus ardens apparuit. Bleda & Attila fratres, multarumq; gentium reges, Illyricũ Thraciamq; depopulati sunt.

CCCV 20 MAXIMVS II. ET PATERNVS.

Prosper: Maximo iterũ & Paterno Coss. plurimos Manichæos intra Vrbẽ latere diligentia Papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis suæ turpitudinis & dãnare fecit & prodere, incensis eorũ codicibus, quorũ magnæ moles fuerũt interceptæ. Quæ cura uiro sancto diuinitùs, ut apparuit, inspirata, nõ solũ Romanæ urbi, sed etiã uniuerso orbi plurimũ profuit. Siquidẽ cõfeßionibus in urbe captorũ, qui doctores 443 1195

eorum,

eorum, qui episcopi, quíue presbyteri, in quibus prouincijs uel ciuitatibus dege-
rent, patefactum est. Multiq; Orientalium partium sacerdotes industriam apo-
stolici rectoris imitati sunt. Scripsit tum Leo Papa ad uniuersos episcopos per
Campaniam, Samnium & Picenum epistolam, ubi hi etiam Consules nominā-
tur. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quadragesimotertio, san
ctus Briccius Turonensis episcopus decessit, cui S. Eustachius successit. Leo Pa-
pa multos in Vrbe Manichæos inueniens, publicauit, & libros eorum incendit.
Marcellinus horū Coss. sic meminit: Indictione undecima, Maximi & Paterni
consulatu tanta nix cecidit, ut super sex menses uix liquescere potuerit, & multa
hominum ac animalium millia frigoris rigore confecta perierint. Theodosius
Imperator ex Asiana expeditione Vrbem redijt. Thermæ quæ Achileæ dicun-
tur Nicææ factæ 2. 21

444. 1196 THEODOSIVS XVIII. ET ALBINVS.

Prosper: Theodosio XVIII. & Albino Coss. Attila rex Hunnorum Bledam
fratrem & consortem suum perimit, eiusq; populos sibi parêre iussit. Diaconus
libro decimoquinto: Interea rex Hunnorum Attila, dum cum fratre Bleda re-
gnū intra Pannonias Daciamq; gereret, Macedoniam, Mysiā & Achaiā, utrasq;
etiā Thracias immanissima rabie deuastaret, Bledam germanum suum regniq;
consortem peremit, eiusq; parêre sibi populos iussit. Eadem Paulus Diaconus.
Hos Coss. nominat Leo Papa in datis literarum, quas scribit ad episcopos Italiæ.
De huius autem anni Pascha Protesius & Paschasius Leoni Papę scribunt, ut tra
dit Iordanis in Annalibus, qui eadem de Attila scribit anno quadringentesimo
quadragesimoquarto facta. Marcellinus autem horum Coss. sic meminit: Indi-
ctione duodecima, Theodosii decimooctauo, & Albini consulatu, Theodosius
princeps quinquennalia dedit. Arcadia soror Theodosii uiuendi finem fecit. A-
liquanta Bithyniæ oppida continua pluuiarum & fluuiorū inundatione crescen
tium sublapsa dissolutaq; perierunt. Seuerum presbyterum, & Ioannem Diaco-
num Eudoxiæ reginæ apud Heliam urbem ministrantes, missus ab Imperatore
Theodosio Saturninus Comes domesticorum occidit. Eudoxia nescio quo ex-
cita dolore, Saturninum protinus obtrūcauit: statimq; mariti Imperatoris nutu,
regijs spoliata ministris, apud Heliam ciuitatem moritura remansit.

His Coss. Attila rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem in
regno suo perimit, eiusq; populos sibi parêre compellit.

Autor annalium Hungaricorum, Ioannes de Thurocz, latissimè Attilæ ui-
tā & res gestas explicauit. Sed & nostra ętate uir doctissimus Callimachus Flo-
rentinus peculiari opere Attilam descripsit. Multa de illo etiam Antonius Sa-
bellicus in Enneadibus. Sed ante hos omnes uidendus est Iordanis in libro de
Origine Gotthorum. Quanquam & Paulus Diaconus libro decimoquinto sa-
tis superq; de illo scribit. 3. 22

445. 1197 VALENTINIANVS VI. ET NONIVS.

Vsq; ad hos Coss. Prosper librum suum Chronicôn extendit, ut est impressio
Eusebij. Sed alij longius scripsisse testantur. Cætera supplet Palmerius Florenti-
nus. Iordanis autem suos annales ultrà extendit, & in hoc loco sic scribit: Anno
quadringentesimo quadragesimoquinto, Leo Papa inter alia bona basilicas A-
postolorum Petri & Pauli renouauit, & Ecclesiam S. Cornelij Papæ, & tum uia
Appia construxit. 4. 23

446. 1198 AETIVS III. ET SYMMACHVS.

De hoc Aëtio superius scripsimus, quem postea Valentinianus occidi iussit.
Symmachum uerò Theodericus interemit cū Boetio, ut infrà uidebimus. Sed
quo pacto Aëtius Bonifacium in odium Placidiæ Augustæ duxerit, nemo pul-

Theo. chrius enarrat quàm Procopius libro tertio de bello Vandalico. Marcellinus in sua Chronica hos Coss. confundit, desidero enim fidem huius manci codicis, quia superiorem unum Consulem & inferiorem simul iungit, sic scribens: Indictione decimaquarta, Valentiniani VII. & Icij III. consulatu. His Coss. magna fames Constantinopolim inuasit, pestisq́ ilico subsequuta. Templum regiæ ciuitatis igne crematum. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quadragesimosexto, Britanni ab Aëtio & Romanis contra Scotos & Pictauos auxiliũ implorant, nec impetrant. Apud Ephesum septem dormientes, qui sub Decio multa pro Christo tormenta passi, in spelunca quadam obdormierunt. Post annos centum nonagintasex expergefacti sunt, & confirmata fide resurrectionis mortuorum, iterum obdormiunt. CHRISTI Ab urb. con.

CCC-VII 24

CALEPPIVS, ET ARDABVRES. 447. 1299

Caleppij Consulis meminit Leo Papa in datis epistolæ quinquagesimæsecũdæ ad Leonem Augustum. Sed huic tribuit Maiorianum collegam, si fidelis est codex. Sed epistola sexagesima ad Iulianum episcopum ponit hos Coss. Calippium & Ardaburem. Marcellinus horum Coss. sic meminit: Indictione decimaquinta Ardaburis & Calippij cõsulatu, ingenti terręmotu per loca uaria imminente, plurimi Augustæ urbis muri, recenti adhuc reædificatione constructi, cũ quinquaginta turribus corruerunt. Statimq́ plurimæ sine ullius læsione collapsę sunt, plurimis nihilominus ciuitatibus collapsis. Tum fames & pestifer aeris odor multa millia hominum iumentorumq́ deleuit. Ingens bellum & peior conflictus renouatus per Attilam regem nostris inflictus, penè totam Europam excisis inuasisq́ ciuitatibus atque castellis contraxit. Eodem anno urbis Augustæ muri olim terræmotu collapsi, intra tres menses, Constantino præfecto prætorio operã dante, reædificati sunt. Attila rex usq́ ad Thermopolim infestus aduenit. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quadragesimo septimo Eutyches presbyter & Abbas Constantinopolitanus, confusa in Christo diuinitatis & humanitatis substantia, unam in eo naturam dogmatizans, annitẽte Theodosio Augusto, & Dioscoro Alexandrino episcopo, resistentem sibi Flauianum Constantinopolitanum archiepiscopum expulsum ad mortem usq́ persequutus. Contra quam hæresin Leo Papa legatos misit. Richila rex Sueuorum moritur, eiq́ Richarius filius successit.

2. 25

POSTHVMIANVS, ET ZENO. 448. 1220

Posthumiani Consulis etiam meminit Leo in Epistolis ad Dorum Episcopum. Sed Marcellinus in sua Chronica sic scribit: Indictione prima, Zenonis & Posthumiani consulatu, prouincia India Theodosio Principi tigrim domitam pro munere misit. Vtramq́ porticum Troadensium, turresq́ portarum utrasq́ ignis subitus exussit. Qua ruina continuò repurgata, Antiochus præfectus prętorij in pristinam erexit speciem. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quadragesimooctauo, Theodosius Imperator Leonem Papam pro defensione Eutychetis ad se uocat, qui à Po. Ro. uenire prohibitus, legatos pro se misit. Richarus rex Sueuorum, ducta in coniugium Theoderici regis Gotthorum filia, Vasconiam deuastauit. Hoc tempore Anglisaxones à Britannis contra Pictos & Scotos arma conuertunt. Et post multa bella magna ex parte insula subacta potiti sunt.

3. 26

ASTERIVS, ET PROTOGENES. 449. 1201

Horum Coss. crebra est mentio in epistolis Leonis Papæ, qui sub his Coss. plures scripsit epistolas ad Theodosium Imperatorem, & ad Iulianũ episcopum ad synodum Ephesinam, & ad Pulcheriam Augustam, Theodosii sororem. Iordanis

CHRI- Ab ur. danis in Annalibus: Anno quadringentesimo quadragesimonono, iterum Ca-
STI con. tholici ab Imperatore Theodosio ad audientiam euocati, Attila rex Hunnorū
Gallias, aliasq; circum prouincias uastat, & arte Aëtij magno inter eum & Got-
thos prælio concitato, Theodericus rex Gotthorum cecidit, eiq; Torismod fi-
lius eius successit. 4. 26

VALENTINIANVS VII. ET AVIENVS.

450. 1202 Hos Coss. sæpe nominat Papa Leo in epistolis, sub quibus scripsit ad Marcia-
num & Faustum presbyteros, & ad Pulcheriam Augustam, & ad plures presby-
teros, Martinum, & alios. Iordanis in Annalibus: Anno quadringētesimo quin-
quagesimo Leo Papa legatos ad confutandam hæresim mittere curauit. Theo-
dosius Imperator moritur: & à Placidia Augusta & Leone totoq; Senatu ingēti
pompa deductus, in Mausoleo apud S. Petrum sepelitur. Pro quo Marcianus O-
rientis imperium adeptus est: septem annis regnans, Eutychetem cum suis sequa
cibus damnat. Placidia Augusta moritur. Romani Aëtio duce Gotthis auxilia-
toribus contra Attilam regem Hunnorum grandi utrinq; cæde pugnantes in
campo Catalaunico deuictum, in superiorem Galliam fugere compellunt. Qui
in regnum timidè reuersus, non multopòst arma commouit in Italiam. Sed Cas-
siodorus in sequentem annum reijcit.

His Coss. Theodosius Iunior moritur Constantinopoli. Post
quem Marcianus adscitur imperio. Qui regnauit annis septem. Sub
quo hi Coss. fuerunt.

Paulus Diaconus libro decimoquinto: Anno ab Vrbe condita millesimo du
cētesimoquarto, defuncto Theodosio, quadragesimusquartus in numero Mar-
cianus Orientali aulæ præficitur Imperator. Cæterùm Valentiniani tempora hu
ius uel superioris Imperatoris curriculis adscribuntur. Dehinc describit latissi-
mè quæ sub hoc gesta sunt, & res Attilæ. De hoc Marciano & Iordanis in An-
nalibus, & Beda in libro Temporum, & reliqui multi.

MARCIANVS IMP. ORIENTIS XLV. CCCC 1

MARCIANVS AVG. ET ADELPHIVS. VIII

451. 1203 Leo Papa crebras epistolas Marciano Augusto scribit, in quibus Adelphij
Cōsulis meminit. Cum enim data scribit, Adelphio, inquit, Cōsule, Marcianū o-
mittens Augustum: sed in epistola ad episcopum Rauennatem Marciani Aug.
Consulis meminit. Marcellinus meminit horum Coss. in suis Chronicis his uer-
bis: Indictione quarta, Marciani Augusti & Adelphij consulatu, Leone ponti-
fice sedi beati Petri presidente, sexingentorum triginta patrum, sancta & uniuer
salis synodus contra Eutychianum nefandissimorum præsulem monachorum,
apud Chalcedonem in basilica S. Euphemiæ firmata est. Solus Dioscorus Alexā
drinæ ecclesiæ episcopus dissensit, statimq; ab eisdem catholicis patribus sacer-
dotio abdicatus est. De hoc consilio lege pulcherrima apud Ioannem monachū
in uita Marciani, quo Dioscorus sit exilio mulctatus, & cætera quæ sequuta sunt
hoc consilium, quomodo utræq; opiniones in charta scriptæ, repositæ sunt in se-
pulchro S. Euphemiæ, quæ decretum fecit. A quibusdam quinquagesimotertio
anno synodus illa facta legitur.

His Coss. Romani Aëtio duce Gotthis auxiliaribus contra Attilā
in campis Catalaunicis pugnauerunt, qui, uirtute Gotthorum su-
peratus, abscessit.

Attila, Hunnorū rex, quo pacto, & quibus auxilijs contra Romanos pugna-
uerit, latè describit Paulus Diaconus lib. 15. & Iordanis libro de Origine Gottho
rum, ac Callimachus in libro suo qui inscribitur Attila: ut alios interim neoteri-
cos obmit-

Mar. cos obmittam. Sed & nonnihil Procopius libro tertio de Bello Vandalico. Vt autē intelligas qui'nā sint Campi Catalaunici, scito eosdē dici & Mauriacos, qui centū leucas, ut Galli uocant, in longū tenent, & septuaginta in latū. Leuca autē Gallica mille & quingentorū passuū quantitate metitur. Fit ergo area innumerabiliū populorū pars illa terrarū. conseruntur acies utræq; fortißimè. Ipsius pugnę acies Iornandes latè longeq; describit, & quo ordine populi simul cōgreßi sunt.

CHRISTI Ab urb. con.

2. 2 HERCVLANVS, ET ASPORACIVS. 451. 1204

Meminit Herculani Cōsulis Papa Leo in epistolis pluribus ad Anatoliū episcopū, ad Marcianū Augustū, & ad Pulcheriā Augustā, & ad episcopos Galliarum. Facit & horū Coss. mentionē Marcellinus in suis Chronicis his uerbis: Indictione quinta, Asporacij & Herculani consulatu, Marcianus Augustus suis statuit decretis, ut hi qui Coss. fieri cupiebant, nihil æris in populū spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandū Vrbis aquęductum. Hoc tempore tres magni lapides è celo in terram ceciderunt. Aquileia ciuitas ab Attila Hunnorum rege excisa est. De qua Procopius & Paulus Diaconus.

His Coss. Attila redintegratis uiribus Aquileiam, magna ui dimicans, introiuit. Cum quo à Valentiniano Imperatore Papa Leo directus p acem fecit.

Quomodo Attila Italiā ingressus, Aquileiā triennio obsessam diruerit, Mediolanū diripuerit, Concordiam euastauerit, Patauiū depopulatus sit, ac per Vicentiam, Veronā, Brixiā, Bergomū debacchatus sit, & iter ad Vrbē disposuerit, pulcherrimè Diaconus, Iordanis & Callimachus perscribunt. Vide illic admirandū facinus Dignæ mulieris in Aquileia, quæ se è turri pręcipitauit, ne Hunnis in stuprū sui corporis assentiret. Vide crudele facinus Attilæ in Marullū Calabrū poetam apud Callimachū. Antonius Sabellicus in suis Enneadibus format orationē elegantē, qua Papa Leo usus fuerit ad Attilā, pro pace Italię impetrādā. Sunt hęc studioso lectori in tāta librorū felicitate diligenter reuidenda: tantū abest, ut quæ paßim apud singulos legerim, quod pleriq; alij faciūt, occultē. Iordanis in Annalibus: Anno 451. Attila recollectis uiribus Aquileiam ui magna diu obsessam cæpit, & circumquaq; prędis & cędibus furibundus bacchatur. Ad quem Valentinianus Imperator Papam mittens, pacem cum eo fecit, exercitusq; eius fame, peste, morbo, cædibusq; insuper ab Aëtio attritus eum reuerti fecit.

3. 3 OPILIO, ET VINCOMALVS. 452. 1205

Meminit Cos. Opilionis Leo Papa in plerisq; epistolis ad Marcianum Augustum, & ad Iulianū episcopū, & ad Pulcheriā Augustā, & ad Eudoxiā Augustā, & ad Theodericū episcopū, ad Iuuenalem episcopū. Marcellinus sic horū Coss. meminit: Indictione sexta, Vincomali & Opilionis consulatu, Ioannis præcursoris Domini & Baptistæ caput suū, quod olim Herodias impia nefandaq; postulatione ab humeris amputauit, & in disco positū accepit, proculq; à truncato eius corpore sepeliuit, duobus orientalibus monachis ad adorandū apud Hierosolymā Christi Domini resurrectionē introeūtibus reuelauit: & ad Herodis quondā regis habitaculū accedentes, admoniti ut requirerent, & fideliter humo tollerēt. Hoc ergo capite fide repertū, suaq; hispida in mantica cōditum, dum ad propria remeantes habitacula perueniunt, quidā Emesenæ ciuitatis figulus, diutinā imminentēq; sibi fugiens paupertatē, sese ijs exhibuit comitē. Quiq; dum nescius perā sibi creditā cū capite portat sacro, ab eo cuius caput uehebat noctu admonitus, utrūq; comitē fugiens dereliquit: statimq; Emesenā urbem cū sancto leuiq; onere introgressus est. Ibiq;, quoad uixit, præcursoris Christi ueneratus est caput: moriensq; sorori suę rerū nesciæ signatū in uasculo tradidit recolendū. Illa uerò successori suo repositū signatumq; dereliquit. Porrò Eustochius quidā occultus Arrianæ fidei presbyter, talē tantūq; thesaurū indignus obtinuit, gratiāq; quā Christus Do-

stus Dominus per Ioannē Baptistā infirmo populo tribuebat, is eā ac si suā duntaxat in uulgo disseminauit. Hinc prauitate sua detectus, Emesena ciuitate expulsus est. Hoc deinde antrū, quo beatissimi Ioannis caput in urna missum, sub terraq; reconditū erat, quidā monachi pro habitaculo habere cœperunt. Marcellus demū presbyter, totiusq; monasterij præsul, dum in eodē specu uita irreprehensibili habitat, idē beatus Ioannes Christi præcursor sese eidē suūq; ostendit caput: ibidēq; sepulchrū multis præfulgens uirtutibus patefecit. Hoc igitur uenerabile caput sub Vranio præfatæ ciuitatis episcopo per Marcellū præfatū presbyterum constat inuentū Vincomalo & Opilione Coss. mense Februario, die uigesimaquarta, media ieiuniorū Paschaliū septimana, Imperatoribus Valentiniano & Marciano regnantibus. Pulcheria autem Augusta, Marciani Principis uxor, beati Laurentij atrium inimitabili opere cōsummauit, beatumq; uiuendi finem fecit. Zonaras: Circa id tempus Pulcheria regina, pietatis famæ & spei optimæ plena, diem suum obijt, omnibus suis diuitijs in pauperes distributis, ut sua in eos misericordia Dei in se clementiam demereret.

His Coss. Attila in sedibus suis moritur, fluxu sanguinis è naribus repentè ac subitò erumpente.

Cū Attila Hunnus, more gentis suæ plures haberet nuptias, amore captus cuiusdā admodū pulchræ & decoræ, cui Hildico nomen: quā ubi uxorē duceret, in nuptijs tantū uini hausit, ut nocte subitò suffocaretur, ut omnes historici tradūt. Hoc memorabile, q ea nocte apud Constantinopolim Marcianus Imperator in somnis uidit arcū Attilæ fractū. Corrige apud Paulū Diaconū uerbū, Indicto nomine: quod scribi debet, Hildico nomine. Et ut nihil obmittā quod studiosis conducere existimē, cōparat Pomponius Lætus in suis Cæsaribus Attilā Bonoso Cæsari, qui congiū uini optabat. Vnde cū sibi laqueo gulā fregisset, amphora dicebatur pendere prouerbio, quod & nos alibi memorauimus. Iordanis in Annalibus: Anno 452. Attila rex Hunnorum in suis sedibus moritur. Torismodo rege Gotthorum perēpto, Theodericus frater successit. Hoc tempore quarta synodus uniuersalis sexingentorum triginta episcoporum in Chalcedone contra eutychen & omnes hæreticos congregatur. Sed Marcellinus superioribus annis hanc factam scribit, ut superius annotauimus.

453. 1206 AETIVS IIII. ET STVDIVS. 4. 4

Horū quoq; Coss. meminit Leo Papa in datis literarū multarū ad Marcianū Augustū, ad Iulianū episcopū, & ad Anatoliū episcopū, ad Iuuenalē episcopum.

His Coss. Aëtius Patricius in Palatio manu Valentiniani extinctus est. Boethius uero præfectus prætorio, amicus eius, circunstantiū gladijs peremptus.

Hoc tēpore Seuerinus monachus uenit in Noricū. Sciendū aūt, ea tēpestate Austriā dictā Noricū, cuius præter hoc argumentū de S. Seuerino, habeo aliud & euidentissimū argumentū. In uilla mea quā possideo Schuuechat, in domo coloni mei Lauij, dū seruitor meus cellā uinariā subterraneā effoderet, reperio duo corpora humana in sepulcro lapideo ex coctili latericio fabrefacto. In isto sepulcro legebatur hæc inscriptio: LEG. I. NOR. Paulopòst in alia linea legebatur: LEG. X. pòst legi non poterant sequentia uerba, nisi PE. In tertia legebatur LEZ. BE. E quibus sine dubio liquet, hanc regionem Austriæ tunc dictam Noricū, & legionis primæ & decimæ in Norico fuisse tum præfectos, qui hic sepulti reperti sunt. Paulus Diaconus: Igitur quia uirtus inuidiam semper parit, Valentinianus Imperator, quantum res docuit, prosperos Aëtij successus pertimescens, eum, simulq; Boethium Senatorem nobilissimū gladio peremit. Ita uir bellicosissimus Aëtius, & quondam Attilæ regis potentissimi terror, occubuit: cum quo pariter & Occidentis imperium, salusq; Reipub. corruit. Nec hactenus ultrà ualuit releuari.

Olymp. Imp. Mar. — CHRISTI — Ab urb. con.

uari. Longam historiam apud Procopium tertio libro Vandalici belli inuenies, cur Aëtius sit interfectus, quam alibi non leges. Alius autẽ est is Boethius ab eo quem Theodericus cum Symmacho interfecit, de quibus inferius paulo. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quinquagesimotertio, Valentinianus Imperator in Palatio Aëtium Patricium, qui multa pro Repub. laborauerat, manu sua fraudulenter occidit. Et à circunstantibus Boethius præfectus, amicus eius interemptus est.

CCCIX 5 VALENTINIANVS VIII. ET ANTHEMIVS. 454. 1207

Horum Coss. mentionem sic facit Marcellinus in suis Chronicis: Indictione octaua, Valentiniani VIII. & Anthemij consulatu, Valentinianus Princeps dolo Maximi Patricij, cuius etiam fraude Aëtius perierat, in campo Martio per Totilam & Traustilam Aëtij satellitum, iam percusso Heraclio spadone, truncatus est. Idem Maximus inuasit imperium, tertioq; tyrannidis suæ mense membratim Romæ discerptus est. Geysericus rex Vandalorum ab Eudoxia Valentiniani uxore epistola inuitatus, ex Africa Romam ingressus est: eamq; Vrbem rebus omnibus spoliatam, eandem Eudoxiam cum duabus filiabus secum rediẽs, abduxit. Eadem Iordanis in Annalibus anno quadringentesimo quinquagesimoquarto facta tradit. Adiungitq; hucusq; Prosperum Chronicon suum perduxisse. De quo Gennadius in Viris suis illustribus scribit, & eius opera recenset.

His Coss. in campo Martio ab amicis Aëtij Valentinianus Imperator occiditur. Post quem Maximus inuadit imperium. Qui intra duos menses à militibus extinctus in Tiberim proijcitur. Eodem anno per Gensericũ omnibus opibus suis Roma uacuata est. Post Maximum Auitus in Gallias sumit imperium.

Hæc omnia latissimè Paulus Diaconus. Superfluum esset omnia eius uerba subscribere. Illud non obmittendum, φ idem tradit, Romam denuò captã à Genserico, postquã eam primò Alaricus inuaserat, expletis ab eo tẽpore quadraginta quatuor annis: à conditione sua mille ducentis atq; octo euolutis. Tunc fuit à Vandalis ex Vrbe abacta maxima prę da, cum regina Eudoxia, atq; suis filiabus quæ Gensericum inuitauerat, ut mortem sui mariti Valentiniani uindicaret: simul etiam, φ à Maximo tyranno, qui occupato imperio, uiolentis nuptijs eam sibi coniunxit, per eam sperabat facile imperium seruare posse. Sed secus euenit. Nam corpus Maximi dilaniatum, in Tiberim proiectum est, septuagesimoseptimo die postquã regnum inuaserat. Vnde in uetustissimis quibusdam Annalibus sic scriptum reperi: Valẽtiniano octauo & Anthemio Coss. post interitum Valẽtiniani Imperatoris leuatus est Maximus Imperator decimosexto Calẽdas Aprilis, & occisus est pridie Idus Iunias. & intrauit Gensericus Romam, & prædauit eam dies quatuordecim. & leuatus est Imperator in Gallijs Auitus sexto Idus Iulias. Et euersa est Sabaria à terræmotu septimo Idus Septembris die Veneris. Hinc est, φ annales Hungarorum tradunt, etiam ex Sabaria Venetias creauisse, sicut ex Aquileia. Sabariam enim insignem fuisse urbem, præter rudera, quæ adhuc cernuntur, testatur etiam Plinius in tertio, qui eam Diui Claudij coloniam appellat. & in trigesimoseptimo tradit, succinum per eam delatum ad Padum, ut quasi Romanorum fuerit emporium. Sed de Auito sic Diaconus: Recedente igitur ab Vrbe Genserico, Romani in sequenti mense exinanitæ Reipub. Imperatorem Auitum præficiunt. Scribit Procopius in tertio belli Vãdalici, quòd Geysericus omnem gazam Imperatoriam nauibus impositam, secum in Africam tulerit, si qua erant Romæ decora. Inter quæ Iouis Capitolini tegularum ex ære auratarum partem dimidiã arripuit. unam uerò ex his nauibus ubi statuæ fuerunt, tempestate perijsse dicunt, cæteras incolumes in Aphricam dela-

CHRI-STI Ab urb. con. cam delatas. Lege apud eundem Procopium de Maximo, quomodo illius uxorem Valentinianus stuprauerit, & quomodo sequuta sit cædes illa. 2. 6.

455. 1208 IOANNES, ET VARRON.

In uetustissimis quibusdam Annalibus, quorum autorem non inuenio, sunt hæc uerba: Ioanne & Varrone Coss. occisus est Remiscus Patricius in Palatio classis xv. Calendis Octobris. Et captus est Imperator Auitus Placentiæ à Magistro militum Ricimere. Et occisus est Mesianus Patricius eius decimasexta Calendas Iunias. Marcellinus in suis Chronicis: Indictione nona, Varronis & Ioannis consulatu, innumera locustarum agmina fructus Phrygiæ uastauerunt. Item Eucherius Lugdunensis ecclesiæ Pontifex multa scripsit tam ecclesiasticis quàm monasticis studijs necessaria.

His Coss. Placentiæ deposuit Auitus imperium.

Iordanis libro Annalium: Anno quadringentesimo quinquagesimoquinto, Richario regi Sueuorum in Hispanijs uastationibus instante, consilio Auiti Theodericus rex Gotthorum contra eum ueniens, inita pugna grauiter cæde protriuit, uulneratumque fugauit, & postea captum occidit, uastataque impiè & crudeliter Hispania, & ipsis quas possederant, prouincijs, Sueuos sibi subiugauit. Auitus Gotthorum auxilio destitutus, iubente Marciano Augusto, Placentiæ imperium deposuit. Hoc tempore apud Francos mortuo Merueo rege, filius eius Hildericus regnauit annis quatuordecim. Qui ob luxuriam regno pulsus, in Thuringiam fugit, Sed arte amici sui Viromali reuocatus est.

456. 1209 CONSTANTINVS, ET RVFFVS. 3. 7

Meminit horum Coss. Leo Papa in Epistolis, in ea præsertim quam scribit Anatolio episcopo Constantinopolitano, & ad Leonem Augustum sæpe. In uetustissimis illis chronicis toties citatis legitur sic: Constantino & Ruffo Coss. Ricimer magister militum, patricius factus est. Pridie Calendas Martias & factus est Maiorianus magister militum ipso die.

His Coss. Marciano Imperatore defuncto, Leo Orientis, Maiorianus Italiæ suscepit imperium. Sub quibus hi Coss. fuere.

Paulus Diaconus libro decimosexto: Anno ab Vrbe condita millesimo ducentesimoundecimo, post Marciani Imperatoris interitum, Leo quintus ac quadragesimus Romanorum regum apud Constantinopolim urbem Augustali potitus est dignitate. Qui deinceps sequenti tempore Leonem suum filium sui imperij consortem effecit. Exempto quoque in Italia rebus humanis Auito, Maiorianus apud Rauennam inuadit imperium. Quod cum annis propè quatuor obtinuisset, haud procul à Tertoneto ciuitate iuxta Hyram flumen occisus est. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quinquagesimosexto, ab hoc anno Victorinus paschales cyclos, sed errore plenos incohat, iubente Papa Hilario, Marciano Imperatore defuncto. In Oriente Leo Imperator annis decem & septem, Romæque Maiorianus Imperator annis quatuor regnarunt. Theodericus rex Gotthorũ, multis in Hispania ecclesiis & ciuitatibus uastatis, Emeritam obsidet urbem. Sueui Maldram sibi statuunt regem.

LEO, MAIORIANVS IMPP. AVGG. XLVI.

457. 1210 LEO AVG. ET MAIORIANVS. 4. 1

Leo Papa meminit consulatus Maioriani in epistola ad Anatolium episcopũ conscripta. Vetustissimi uerò Annales, quos sæpenumero cito, ignoti autoris sic tradunt: Leuatus est Imperator Maiorianus Calẽdis Aprilis, in miliario sexto in cãpo ad Columellas. Marcellinus in suis Chronicis horũ Coss. sic mentionẽ facit: Indictione 12. Leonis Augusti & Maioriani cõsulatu, Leo Imperator Prothomo

Chalcedo

Olymp. Imp. Leon. & Maior. Chalcedonense per uniuersum orbē singulis orthodoxorum episcopis, singulas consonātesq; misit epistolas, quo sibi quid de eodē Prothomo sonuerunt, cuncti suis rescriptionibus indicarent. Horū omnium temporum ita conspirantes susce pit epistolas, ut eas putaret uno tempore, uniusq; uiri eloquio, fuisse dictatas. CHRI-STI

His Coss. Maiorianus in Aphricam mouit procinctum.

Iordanis libro Annalium: Anno CCCCLVII. Maiorianus Imperator contra Vandalos in Africam mouit procinctū. Theodericus territus nuncijs, relicta Emerita, Gallias repetit, & pace fugata, cæde furens, ecclesias, urbes, uillas uastauit & incendit. Procopius hunc Maiorinum appellat, & de eius uirtute multa præclara scripsit in tertio belli Vandalici.

CCCX 3 RICIMER, ET PATRICIVS. 458. 1211

Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quinquagesimooctauo, Sueui Galliciam, & Beticam Gotthi prouincias uastant.

2. 3 MAGNVS, ET APOLLONIVS. 459. 1212

Horum Coss. mentionē facit Marcellinus in suis Chronicis his uerbis: Indictione decimatertia, Apollonij & Magni consulatu Cyzicus ciuitas terræmotu concussa, murorūq; suorū ambitu interrupto, se suosq; diu deplãxit. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo quinquagesimonono, Sueuorū alij cum Maldra rege Lusitaniā, alij cū Richmundo Galliciam deprædantur. Heruli Beticam inuadunt. Maiorianus Imperator, facta cum Theoderico & Gotthis pace, contra Vandalos & Sueuos suo eos asciuit auxilio.

3. 4 SEVERINVS, ET DAGALAIPHVS. 460. 1213

Horum Coss. ita meminit uetustissimus chronicus toties à me citatus, his uerbis: Seuerino & Dagalaipho Coss. depositus est Maiorianus Imperator à Patricio Ricimere Dertonæ, quarto Nonas Augusti: & occisus est ad fluuiū Hyram septimo Idus Augusti. Ac leuatus est Imperator dominus Seuerus tredecimo Calendas Decēbris. Marcellinus in suis Chronicis sic horū Coss. mentionē facit: Indictione decimaquarta Dagalaiphi & Seuerini cōsulatu, Romanę ecclesię Hilarius quadragesimusquartus Pontifex factus, uixit annis sex. Maiorianus Cæsar apud Dertonam, iuxta fluuium qui Hyra dicitur, interfectus. Locum eius Seuerus inuasit. Quibus penè uerbis concordat Caßiodorus, dicens:

His Coss. Maiorianus immißione Ricimeris extinguitur. Cui Seuerum natione Lucanum Rauennæ succedere fecit in regnum.

Paulus Diaconus lib. 16. cap. 1. Maiorianus apud Rauennā inuasit imperiū. Quod cum propè annis quatuor obtinuisset, haud procul à Dertonensi ciuitate iuxta Hyram flumen occisus est. Statimq; Seuerus apud Rauennam Imperator efficitur, & Augustus appellatur. Iordanis in libro de Origine Gotthorū: Maiorianu[illegible] Occidentale suscipiens Imperiū gubernandum, non diu regnauit. Dum enim contra Alanos, qui Gallias infestabant, mouisset procinctū, Dertonæ iuxta fluuium Hyrā cognomento occiditur. Cuius locum Seuerus inuasit: qui tertio anno imperij sui Romæ obijt. Eadem penè idem Iordanis libro Annaliū sub his uerbis: Anno quadringentesimo sexagesimo, Maldras rex Sueuorum occiditur. Sueui à Gotthis prędati, pacem à Theoderico postulāt. Maiorianus quoq; Imperator Hispanias petens, classem contra Vandalos parauit, quæ tamen ab ipsis inuasa & direpta est. Rursum cum ad Africam contra eos traijcere molirentur, Geysericus territus pacem postulat. Maiorianus Romam reuersus, cū Rempub. disponeret, fraude Ricimeris Patricij Sueuorū consilio fulti peremptus est.

4. 5 LEO AVG. II. ET SEVERVS AVG. 461. 1214

Macellinus in suis Cronicis sic scribit: Indictione decimaquinta, Leonis Augusti solius II, consulatu, Iacobus, natione Archinus, religione paganus,

medicinæ

CHRISTI Ab urb. con. medicinæ artis peritia tã ingenio q̃ literatura præclaruit. Hic ad medendũ Leonem Augustũ febre defatigatum sacri Palatij cubiculũ uocatus intrauit, statimq́ in sella, iuxta thorum imperialẽ posita, sine ullo Augusti nutu cõsedit, sicq́ medicas adhibuit manus. Porrò meridie ad idẽ sacrũ puluinar reuersus, sublatum sui ꝓpter soliũ in quo matutinus resederat, protinus intellexit: spondãq́ thori regiã intrepidus supersedit, Veterumq́ studij sui repertorẽ preceptionibus monitũ id se egisse, nõ temerè presumpsisse, ægrotantẽ docuit Principẽ. Iordanis libro Annaliũ: Anno quadringentesimo sexagesimoprimo: Seuerus Rauennæ à Ricimere Imperator effectus, quatuor annis regnauit. At Rabẽnus in Gallia Comes Theoderico regi Gotthorũ confœderatus, Narbonã ei tradidit. Turonis beatus Perpetuus episcopus factus est. Qui basilica S. Martini adaucta, corporis eius translationẽ fecit. In Gallica uillæ, homines, & greges mirũ in modũ fulmine tacti, cõburunt. Et duo iuuenes in unũ adustiõe cõcretis cadaueribus inueniunt. CCC 6

462. 1215 BASILIVS, ET VIVIANVS. XI

Marcellinus in suis Chronicis horũ Coss. sic meminit: Indictione prima Bibiani & Felicis cõsulatu, Prosper homo Aquitanice regionis, sermone scholasticus, & assertionibus neruosus, multa cõposuisse dicitur. Epistolæ quoq́ Pape Leonis aduersus Eutychẽ de uera Christi incarnatione ad diuersos datæ, ab isto dictatæ creduntur. Sed de illo superius multa, & Gennadius libro uirorũ illustriũ. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo sexagesimosecũdo, Romæ Hilarius Papa quadragesimusoctauus sedit annis sex, mensibus tribus. Qui pro statu Eclesiæ nonnulla decreuit, & constituit. Hereses Eutychianã & Nestorianã damnauit, & multis metallis plures in Vrbe basilicas ornauit, Oratoriaq́ construxit. Monasterium S. Laurentij ad Balneas fecit: itemq́ aliud ad Lunam. & duas bibliothecas in Vrbe condidit.

463. 1216 RVSTICIVS, ET OLYBRIVS. 2. 7

Horũ quoq́ Coss. etiã mentio fit in uetustissimis illis Chronicis, his uerbis: Rusticio & Olybrio Coss. occisus est Beorgor rex Alanorũ Bergomo ad pedẽ mõtis octauo Idus Februarias. Quæ cũ his cõueniunt, quæ scribit Cassiodorus. Sed & Rusticij nobilissimi meminit Ioãnes Monachus Græcus autor. Vbi gesta Leonis Imperatoris describit libro suo Historiarum, quem militaribus copijs tanquã scientissimum præfecerat Imperator.

His Coss. Rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à Patricio Ricimere peremptus est.

Paulus Diaconus lib. 16. cap. 1. Tertio Seueri imperij anno Beorgor rex Alanorũ cũ exercitu adueniens, occurrente Patricio Ricimere, superatus nõ lõgè à Bergomo ciuitate Venetiæ, atq́ extinctus est. Eadem Iordanis libro de Origine Gotthorũ, & lib. Annaliũ, anno quadringẽtesimo sexagesimotertio facta tradit.

464. 1217 ARMINERICHVS, ET BASILISCVS. 3. 4

De his Coss. ita habent uetustissimi illi incerti auoris Annales: Herminerico & Basilisco Coss. defunctus est Imperator Seuerus Rome decimooctauo Calendas Septembris. Fuit aũt Basiliscus Verinæ coniugis Leonis frater, quẽ Leo classis præfectũ, utpote imperio tunc maximè fidum constituit contra Vandalorum incursionẽ. Aspar autẽ metuens ne ex uictoria Vandalica Leo insolesceret, Basilisco suasit ut bellum duceret, teste Procopio. Cassiodorus sic subscribit:

His Coss. ut dicitur, Ricimeris fraude Seuerus Romæ in Palatio ueneno peremptus est.

Paulus Diaconus lib. 16. cap. primo: Seuerus cum quatuor annis imperasset, morte propria apud Vrbem occubuit. Eodem tempore egresso inopinato igne, magna Constantinopolis ædiũ strage cremata est. Ioannes Monachus: Sub hoc. Principe

Olymp. Imp. Leon. & Maio. Principe incendiũ horribile Cõstantinopoli factũ est, quod à mari ad mare, id est CHRI-STI
à Septentrionali parte ad meridionalẽ cõprehendit Vrbẽ. In latũ uerò à Bosphoro ad tẽplum usq; S. Ioannis Calybitæ se extẽdit. Ad austrum ab æde S. Thomæ apostoli usq; ad insigniũ martyrum Sergij & Bacchi, in medio urbis à Lauso usq; ad Taurũ interposita omnia uastauit. Tunc fama est, Asparẽ humeris uas plenũ aquæ gestantẽ per uias discurrisse, populũ quo ignis extingueretur, ut idẽ faceret admonentẽ: unicuiq; nummũ argenteũ pro mercede dedisse. Perseuerauit ignis ille in urbis populatione dies quatuor. Tunc inter alias incensa est domus maxima in loco quẽ Senatũ nominant, ubi cõuenire patres prudentesq; uiri, ipse etiã Princeps quũ cõsulari fungebatur dignitate, cõsulendi gratia solebant. Erat autẽ ædificiũ conspicuũ & insigne ualde, è cuius regione posita domus alia quę Nympheũ uocabatur, pariter igni est absumpta. In hac nuptię celebrari solebant ab his qui domos suas augustiores q̃ hominum multitudinẽ capere possint. Tertia itidem domus maxima & elegãs, quæ fuerat in Tauro. Super hæc nobilissima templa priuatæq; ædes illustrium hominum multæ perierũt. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo sexagesimoquarto, Seuerus Imperator fraude, ut aiũt, Ricimeris Romæ in Palatio ueneno interijt.

4. 9

LEO AVG. III. COS. 465. 1218

Vetustissimi annales hoc in loco habent, Leo ẽ III. & Tatianũ Coss. id quod etiã nõ est negligendũ. Licet Marcellinus in suisn hronicis sic scribit: Indictione tertia, Leonis Augusti III. solius cõsulatu Theodericus episcopus Syrię ciuitatis scripsit de incarnatiõe Domini aduersus Eutychẽ presbyterũ, & Dioscorũ Alexãdriæ episcopum, qui humanã in Christo carnem fuisse denegant. Iordanis in Annalibus: Anno 4065. Vãdali per Marcellinũ in Sicilia uicti cæsi sunt, & fugati.

CCC-XII 10

PVSEVS, ET IOANNES. 466. 1219

Horũ Coss. illi ueteres Annales sic meminerunt: Puseo & Ioanne Coss. leuatus est Imperator, deinde Anthemius, Romæ pridie Idus Aprilis. Marcellinus uerò sic: Indictione quarta Pusei & Ioannis cõsulatu Leo Imperator Anthemiũ patricium Romã misit, Imperatoremq; constituit. Romanæ ecclesiæ Simplicius XLV. Põtifex creatus uixit annis XVI. Rauennã ciuitatẽ terræmotus deterruit.

His Coss. Anthemius à Leone Imperatore ad Italiam mittitur, qui tertio ab Vrbe miliario in loco Brontotus suscepit imperium.

Paulus Diaconus lib. 16. Deinde totius cõsensu militiæ post Seueri mortẽ iura imperij Anthemius suscepit. Iordanis libro de Origine Gotthorũ: Tunc Leo Anthemiũ, diui Marciani generũ, ex patricio Cæsarẽ ordinans, Romæ in Imp. destinauit, Bigelemq; Getarũ regẽ per Ardaburẽ Asparis filiũ interemit. In Annalibus uero sic: Anno 4066. Leo Imperator Anthemium de Constantinopoli ad regendum Occidẽtis imperium Romã misit. Qui suscepto imperio regnauit annis quinq;. Procopius lib. 5. belli Vãdalici: Leo Anthemium senatorẽ opibus & genere magnum ad imperium Occidentis suscipiendũ miserat, ut Vandalorũ bello auxilio foret. Geysérichus uero Olybrio itẽ senatori potẽtissimo pollicet, ut si unà conspiret, ei Occidentis imperium, simul cum Placidia Valentiniani filia, se daturum. Quo fretus, maiores assumpsit spiritus, audaciusq; omnẽ Imperij ditionẽ uexauit. Sed paulopòst Athemius qui Occidẽtis susceperat imperiũ, ab eius sororio Ricimere de medio tollitur. Et Olybrius ei succedẽs, breuiter & ipse eundem sortitus est exitum. Sed hæc latè Ioannes Monachus Græcus autor & diligentissimus libro suo Historiarum.

2. 11

ANTHEMIVS AVG. II. COS. 467. 1220

Vetus Chronicorum liber: Domino Anthemio Augusto secundo Consule occisus est Marcellinus in Sicilia mense Augusto. Eadem Cassiodorus.

Hoc

Hoc Consule in Sicilia Marcellinus occiditur.

Iordanis libro Annaliũ: Anno quadringentesimo sexagesimoseptimo, Marcellinus in Sicilia occiditur Tolosæ, ubi sedes regni Gotthorũ erat. In medio ciuitatis sanguis è terra prorumpens, tota die una fluxit. Procopius in tertio belli Vandalici meminit cuiusdam Marcelliani, qui notus fuit Aetio: uir admodum probus. & post occisum Aëtium ad Imperatorẽ uenire recusauit. Sed cũ magnæ esset potentiæ, res nouas in Dalmatia excitauit. Quẽ Leo Imperator metuens, sibi cõciliatũ in Sardiniã misit, ut eam à Vandalis liberaret. quod breuiter effecit. 3. 12

468. 1221 MARCIANVS, ET ZENO.

Fuit hic Marcianus filius Anthemij, qui Romæ imperabat, habens alteram filiam Leonis Leontiam nomine in uxorem. Nam cum Leo uxorem haberet Berinam, duas ex ea filias suscepit: Ariadnen, quam Zenoni desponsauit Imperatori: & hanc Leontiam. Iordanis in Annalibus: Anno 468. Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij Imperatoris exilio deportatur. Romæ Simplicius Papa XLIX. sedit annis XV. mensibus III. Qui basilicam sancti Stephani in Celio monte dedicauit: item basilicã S. Andreæ, iuxta S. Mariam, construxit: item S. Stephani, iuxta S. Laurentij: item basilicã S. Sabinæ, iuxta Palatium Licianũ.

His Coss. Arabũdus imperiũ tẽtãs, iussu Anthemij exilio deportat̃.

Paulus Diaconus: Sequenti anno Seruandus, Gallorũ præfectus, imperium tentans inuadere, iussu Anthemij Principis in exilium trusus est. 4. 13

469. 1222 SEVERVS, ET IORDANES.

Horum Coss. sic meminit Marcellinus: Indictione septima, Iordanis & Seueri consulatu, Gennadius Cõstantinopolitanæ ecclesiæ Pontifex, in Danielẽ prophetam ex integro ad uerbum cõmentatus est. Homilias multas composuit, & Pauli epistolas omnes exposuit. De hoc scribit sic Ioannes Monachus: Anatolio Patriarcha, qui annos octo ecclesiã rexit, mortuo, Gennadius suffectus est. Qui cũ ad 13. annũ ecclesię pręfuisset, diem suũ obijt, Acatiusq; in eius locũ assumptus est. Circa id tẽpus uenerãda sanctissimę Dei matris uestis Cõstantinopolim ex Palęstina est deportata, & imposita in ęde quã ipse Princeps in Blachernis extruebat, in loculo argẽteo, ex quo templũ illud S. Loculus cognomento dictum est.

His Coss. Romanus Patricius affectans imperium, capitaliter est punitus.

Paulus Diaconus lib. 16. Rursus annali emenso spacio Romanus Patricius imperij iam fraudulenter satagens arripere dignitatem, præcipiente Anthemio capite cæsus est. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo sexagesimonono, Romanus Patricius imperium affectans, capitaliter punitus est. CCCXIII 14

470. 1223 LEO AVG. IIII. ET PROBIANVS.

His Coss. Constantinopoli affectata tyrannide à Leone Principe Aspar occiditur.

Paulus Diaconus lib. 19. At uerò in Orientis partibus Aspar Patricius Leoni Augusto insidias moliẽs, suũ filiũ Cęsarẽ effecit. Leo uictorẽ exercitũ suũ statim è Sicilia uocans, Patriciũ cum Nouello Cæsare, alioq; eius germano digno uitæ mulctauit excidio. Iordanis in libro de Origine Gotthorum: Quo tempore in Constantinopoli Aspar primus Patriciorum & Gotthorum genere clarus, cum Ardabure & Patriciolo filijs, illo quidem olim patricio, hoc autem Cæsare, generoq; Leonis Principis appellato, spadonum ensibus in Palatio uulneratus interijt. Idem Iordanis libro Annalium: Asparem autem Patricium, cum filijs Ardabure & Patriciolo, Zenonis generi sui instinctu, in Palatio trucidauit. Anno quadringentesimo septuagesimo in Gallia S. Remigius cœlitùs antequã nasce-

Olymp. Imp. Leon. & Maior. retur prænunciatus, à cella in qua se adolescentulus Deo militans incluserat, ui abstractus, Remorum archiepiscopus ordinatur. CHRISTI Ab urbe

2. 15 FESTVS, ET MARCIANVS. 471. 1224

Horũ Coss. ita mentio fit in uetustissimis Chronicis sæpius à me citatis incerti autoris: Festo & Marciano Coss. bellũ ciuile gestũ est Romæ inter Anthemiũ Imperatorẽ, & Ricimerem Patriciũ. Et leuatus est Imperator Romæ Olybrius, occisus uerò Imperator Anthemius quinto Idus Iulias. Defunctus uerò est Ricimer 15. Cal. Septembris. Quo anno Gundibalus patricius factus est ab Olybrio Imperatore. Defunctus uerò est Imperator Olybrius Romæ 10. Cal. Nouẽbris. Marcellinus: Indictione decima, Marciani et Festi cõsulatu, Vesuuius mons Cãpaniæ torridus intestinis ignibus æstuans, exusta euomuit uiscera. Nocturnisq́ in die tenebris incumbentibus, omnẽ Europæ faciem minuto contexit puluere. Huius metuendi cineris memoriã Byzantij annua celebrant octauo Idus Nouembris. Anthemius Imperator Romæ à Ricimere genero suo occiditur. Loco eius Olybrius substitutus, septimo mense imperij sui uita defunctus est. In Asia aliquantæ ciuitates uel oppida terræmotu collapsa sunt. Zonaras in uita Leonis Principis: Huius tempore uehementissimus terræmotus Antiochiæ factus est, ut totã fermè urbem prostrauerit. Dicitur etiã in eo tractu, ubi est Byzantiũ, tanto cinere pluisse, ut ad quatuor digitorũ altitudinẽ creuerit, unde Princeps perterritus Vrbe migrarit, & ad S. Mamantem plurimũ sit cõmoratus. Iordanis in Annalibus: Anno 471. Romæ Ricimer Patricius Olybriũ faciens Imperatorẽ, contra ius affinitatis & imperij cum graui clade Vrbis Anthemium occidit. Sed non diu scelere lætatus, ipse quadragesimoprimo die, & Olybrius septimo mense, exegerunt. Quæ uerba cum Caßiodori conueniunt, qui sic scribit:

His Coss. Patricius Ricimer, Romę facto Imperatore Olybrio, Anthemiũ cõtra reuerentiã Principis, & ius affinitatis, cũ graui clade ciuitatis extinxit. Qui nõ diutius peracto scelere gloriatus post 40. dies defunctus est. Olybrius autem septimo mense imperij uitam peregit.

Paulus Diaconus: Hoc ipso tempore inter Anthemiũ Principẽ, eiusq́ generum Ricimerẽ Patritium, qui tunc Mediolani positus præerat Liguriæ, magnus discordiarũ fomes exortus est. Quibus se uir sanctitate conspicuus Epiphanius Ticinensis episcopus interponens, eò primũ ad concordiam reuocauit. Deinde barbarica perfidia fœdus Ricimer rumpit. Erat enim Gotthus prosapia. Cum manu mox ualida urbem contendit: atq; apud Anienis pontem castra cõposuit. Diuisa itaq; Roma est, & quidã fauebant Anthemio, quidã uerò Ricimeris perfidiam sequebantur. Inter hæc Olybrius à Leone Augusto missus ad Vrbem uenit: uiuoq́; adhuc Anthemio, regiam adeptus est potestatẽ. Bilimer Galliarum rector, cognita aduersus Anthemium conspiratione Ricimeris, Anthemio ferre præsidiũ cupiens, Romã properauit. Is cum Ricimere apud Adriani pontem prælium cõmittens, cõtinuo ab eo superatus atq; occisus est. Extincto Bilimere, mox uictor Ricimer urbem inuadẽs, quarto iam anno agentẽ iura imperij Anthemium gladio trucidauit. & deprædata Vrbe non diutius de perfidia lætatus, post tertium mensem excruciatus languoribus & ipse interijt. Olybrius cum septem menses imperium gessisset, propria morte Romæ defunctus est.

3. 16 LEO AVG. V. COS. 472. 1225

Huius consulatus sic meminit uetustissimorum Chronicorum liber incerti autoris: Leone Augusto v. Consule leuatus est Imperator Glicerius Rauennæ tertio Nonas Martias. Sic Caßiodorus:

Hoc Cõsule Gũdibalo hortãte Glicerius Rauẽnę sumpsit imperiũ. Eodem anno Leo nepotem suũ Leonem consortem facit imperio.

Post

CHRI-STI Ab ur. con. Post huius funus Glicerius Domesticus à Gundibalo Patricio, totiusq; uo- Olymp. Imp. Leon. & Maior.
luntate exetcitus apud Rauennam Imperator efficitur. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo septuagesimosecũdo, Gundibalo hortante, Glicerius Rauennæ sumpsit imperium. Constantinopoli Leo Imperator Leonem nepotẽ suum imperij consortem fecit. 4 18

LEO IVNIOR AVG. COS.

473. 1226 Vetus Chronicorum liber sic huius meminit consulatus: Domino Leone iuniore Augusto Cos. deiectus de imperio Glicerius in portu urbis Romę. Eo anno leuatus est Dñs Iulius Nepos octauo Calendas Iulias. Marcellinus: Indictione duodecima, Leonis iunioris solius consulatu, Leo senior Imperator, Leone iuniore à se iam Cæsare constituto, morbo perijt, tam sui imperij annis, quàm huius Leonis regni mensibus computatis, anni sunt decem & septem, menses septem. Zenonẽ Leo iunior, idemq; imperator, principem fecit regni. Glicerius Cæsar Romæ imperium tenens, à Nepote, Marcellini quondam patricij sororis filio imperio expulsus, in portu urbis Romæ ex Cæsare episcopus ordinatus est, & obijt. Iordanis: Anno quadringentesimo septuagesimotertio, Constantinopoli Leo senior Imperator obijt. Post quem Leo iunior paucis regnans mensibus, & ipse decessit. Et post hunc Zeno Imperator effectus, regnauit annis decem & septem. Romæ quoq; Glicerio Nepos in imperio successit. Quæ uerba concordant cum Cassiodoro, qui ita scribit:

Hoc Consule Imperator Leo senior defunctus est. Cui Zeno successit in imperio: qui regnauit annis XVII. Sub quo hi Coss. fuerunt, qui sequũtur. Eo etiã anno Romæ Glicerio Nepos successit in regno.

Paulus Diaconus: Anno sequenti inopinatè Nepos Patricius cum excercitu ueniens, Glicerium regia exuit potestate. Eumq; apud Salonas Dalmatiarum urbem episcopum ordinauit. Paulo pòst subiungit: Leo igitur Augustus, postquã Oriẽtale decem & septem annis rexit imperium, diem clausit extremum. Mortuo Leone Zeno continuò Augustalem nactus est dignitatem. Leonem autem, quem Leo pater in regni asciuerat potestatem, mater sua, Zenonis imperium formidans, occultè clericum fecit: exigente uehementer Zenone, ut filium proderet, pro eo alium similem forma obtulit. Qui Leo deinceps in clericatu ad Iustiniani usq; tempora uixit. Hæc ille. Iordanis uerò libro Annalium ad Vigilantiũ sic prodit: Occiso Romæ Anthemio, Nepotem, filium Nepotiani, copulata nepte sua in matrimonio apud Rauennam per Domitianum clientem suum Cæsarem ordinauit. Qui nepos regno potitus legitimo, Glicerium, qui sibi tyrãnico more regnum imposuisset, ab imperio expellens, Salonæ Dalmatiæ episcopum fecit. Sic quoq; Leo Leonem iuniorem, ex Ariadne filia nepotem suum, in imperio confirmans Orientali, anno regni sui sextodecimo obijt. Leo iunior mox paucis mensibus cum pueriliter, ordinanter tamen, rexisset imperium, manu sua genitorem suum Zenonem coronans, Imperatoremq; constituens, rebus humanis excessit.

ZENON IMP. OR.

P. C. LEONIS AVG. IVN. CCC-XIIII

474. 1227 Huius consulatus sic meminit Chronicorum liber incerti autoris: Hoc Consule introiuit Rauennam patricius Orestes cum exercitu, & fugauit Imperatorem Nepotem ad Dalmatias quinto Calendas Septembris. Eo anno leuatus est Augustulus Imperator Rauennæ à Patricio Oreste patre suo pridie Calẽdas Nouembris. Paulus Diaconus his conuenit, dicens: Ipso quoq; anno Augustulus apud

Olymp. Imp. Zen. apud Italiam aduersus Nepotem cum exercitu ueniens, effugato eo, imperij regimen inuasit. Cassiodorus autem sic scribit: CHRISTI Ab ur.

Eodem anno Orestes, Nepote in Dalmatias fugato, filio suo Augustulo dedit imperium.

Iordanis in libro de Origine Gotthorum: Orestes suscepto exercitu, & contra hostes egrediens, à Roma Rauennã peruenit. Ibiq; remoratus, Augustulum filium suum Imperatorẽ effecit. Quo comperto, Nepos fugit Dalmatias, ibiq; defecit priuatus à regno. Vbi iam Glicerius dudum Imperator episcopatum Salonitanum habebat, Augustulo à patre Oreste in Rauenna Imperatore ordinato. In libro aũt Annalium sic scribit: Anno 474. Romæ Orestes patricius, Nepote Imperatore in Dalmatias fugato, filiũ suum Augustulum Imperatorẽ constituit.

2. 2 BASILISCVS II. ET ARMATVS. 475. 1228

Horum Coss. sic meminit Chronicorũ liber uetus: His Coss. leuatus est Odoacer rex decimo Calendas Septembris. Eo etiam anno occisus est Orestes Patricius Placentiæ quinto Cal. Septembris. Item eo anno occisus est Paulus frater eius in Rauenna pridie Nonas Septembris. De Basilisco abundè plura Ioannes Monachus Græcus libro Historiarum, ubi Zenonis Imperatoris res gestas describit. Et Procopius libro tertio de bello Vandalico. Fuit enim Basiliscus frater coniugis Leonis Verinę, uir magni nominis, qui cum Vandalis pugnauit, ut illic latè patet. Marcellinus quoq; horum Coss. mentionem in suis Chronicis sic facit: Indictione decimaquarta, Basilisci & Armati consulatu, Basiliscus tyrannus Marco filio suo Cæsare facto, dum cõtra fidem catholicam, Nestoriana perfidia intumescens, conatur assurgere, antè inflatus crepuit, quàm pœnitens intrare potuerit. Basiliscus cum filio & cum Zenobia uxore sua, iam Zenone ad pristinum imperium remeante, in exilium missus est: atque in oppido, quod Lemnus in Cappadocia dicitur, trusus, fame detabuit. Odoacer rex Gotthorum Romam obtinuit. Orestem Odoacer illicò trucidauit. Augustulum filium Orestis Odoacer in Lucullano Campaniæ castello exilij pœna damnauit. Ita Hesperium Romanæ gentis imperium, quod septingentesimonono Vrbis conditæ anno, primus Augustorum Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo perijt, anno antecessorũ regni Imperatorum DXXII. Gotthorum deinde regibus Romam tenentibus.

His Coss. ab Odoacre Orestes & frater eius Paulus extincti sunt. Nomenq; regis Odoacer assumit, cum tamen ne purpura, nec regalibus uteretur insignibus.

Multa eleganter de Odoacre Procopius libro primo de bello Gotthorum scribit. Sed Paulus quoq; Diaconus lib. 16. cap. 3. ut nunc distincti sunt libri, pulchra de Odoacre, Oreste, & Augustulo cõmemorat: & sequenti capite similiter. quæ consultò omisi, ne fastidium generarent, si omnia subscriberem, quia plura sunt, & notatu digna. Satis est digito monstrare. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo septuagesimoquinto, Odoacer rex Torcilingorũ & Rugorum cum multis barbarorum auxilijs, peruasa Italia, Romam obtinuit, anno à conditione eius millesimo ducentesimo tricesimoprimo, Orestem & Paulum fratres occidit: Augustulum Imperatorem exilio damnauit, & pro eo regis nomen arripuit, cum tamen nec purpura, nec regni insignibus uteretur.

3. 3 P. C. BASILISCI II. ET ARMATI. 476. 1229

Huius consulatus item meminit Chronicorum uetustissimus liber his uerbis: P. C. Basilisci & Armati occisus est Brauila à rege Odoacre quinto Idus Iulias Rauennæ. Iordanis libro de Origine Gotthorũ: Interea Odoacer rex gentium omnium Italia subiugata, ut terrorẽ suum Romanis indicaret, mox initio regni

CHRISTI Abur. con. sui Bracilam Comitem apud Rauennam occidit, regnoq; suo confortato, penè quatuordecim annos usq; ad Theoderici præsentiam obtinuit. Vide Paulū Diaconum lib. 16. cap. 4. Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo septuagesimosexto Odoacer possessa Roma maximam Italiæ partem sibi subiugauit. 4. 4

477. 1230 HELLVS V. C. COS.

Iordanis in Annalibus: Anno 477. Geysericus rex Vandalorum, post 37. & paulo plus inuasæ Carthaginis annos, tandē moriens tyrannidi finem fecit. Post quem non melior filius Hunericus regnauit annis ferè octo. CCC- 5

478. 1231 ZENO AVG. II. COS. XV

Iordanis in Annalibus: Anno quadringentesimo septuagesimooctauo. Huius tempore Zenonis Imperatoris corpus, Barnabæ Apostoli, & Euangelium Matthæi Euangelistæ, stylo ipsius scriptum, ipso reuelante inuenti sunt. 2. 6

479. 1232 BASILIVS V. C. COS.

In uetustissimo illo meo Chronicorū libro toties à me citato omnes hi quoq; Coss. legūtur. Scriptumq; ibi est: His Coss. occiditur Nepos Imperator septimo Idus Maias. Pomponius Lętus in suis Cæsaribus lib. 2. Mira res, ne quid integrū maneret, defecit cognomen Augustorū in uno Consule Basilio, cum consulatus antea duos fuissent. Quod scilicet fore portendit Romanæ urbis excidium. Hęc sunt Tite Arunti, quæ tu ante aliquot secula prædixisti, ex Romuli uulturibus. utrum confusus fuisset numerus ne quis tutelā uinciendo iacturā peroraret. Ma theseos peritus homo inuenit rem sacerdotū uitio turbatā. Nec claui in pariete Mineruæ tam liquidò cōstitere, nec Annales sub titulo Consulū tenere numerum potuerunt. Sed iudico nō de hoc Basilisco esse id intelligendū, cū plures adhuc sequētur Coss. Sed de illo ultimo, qui in fine huius libri ponetur, qui plures post annos ferè uiginti cōtinuauit cōsulatus. Marcellinus in suis Chronicis: Indictione quarta, Basilij solius consulatu, urbs regia per quadraginta cōtinuos dies assiduo terręmotu quassata magnopere se afflictā deplanxit. Ambę Troadenses porticus corruerunt. Aliquātæ ecclesiæ uel scissę sunt, uel collapsæ. Statua Theodosij magni in foro Tauri super cochlydē columnā posita corruit, duabus fornicibus eiusdē collapsis. Hunc formidulosum diem Byzantij celebrāt Nono Cal. Octobris. Iordanis in Annalibus: Anno 479. his temporib. Simplicius Papa Petrum Alexandrinum episcopum hæreticum Eutychianum ab Acacio Constantinopolitano accusatum damnat. 3. 7

480. 1233 PLACIDVS V. C. COS.

Iordanis in Annalibus: Anno 480. hoc tēpore, mortuo Hilderico rege Francorum, Ludouicus, filius eius quem Clodoueum dicunt, regnat annis triginta. Ipso anno Odoacer Romæ regnans in Dalmatia Odiuam regem uicit.

Hoc Cos. Odoacer in Dalmatijs Custodiam uincit, & perimit.

Marcellinus in suis Chronicis hoc in loco, sicut in alijs plerisq;, mutilatus & mācus est, sic habet: his Cos. Nepos, quē dudū Orestes imperio abdicauerat, Viatoris et Ouidę comitū suorū insidijs haud longè à Salonis, sua in uilla occisus est. 4.

481. 1234 SEVERINVS V. C. COS.

Iordanis in Annalibus: Anno 481. nihil præclari gestum est. CCC- 9

482. 1235 FAVSTVS V. C COS. XVI

Iordanis in Annalibus: Anno 482. Theodericus Theodmari filius, idem qui olim in Italia remanserant Gotthorum Zenoni Augusto familiaris effectus, ei cum suis Gotthis militauit. Puto hunc esse Faustum ad quem Theodericus rex scribit, ut Cassiodorus in primo Variarum testatur.

483. 1236 DN. THEODERICVS, ET VENANTIVS. 2. 10

Horum Coss. mentionem facit Marcellinus in suis Chronicis his uerbis: In-

dictione septima, Theoderici & Venantij cõsulatu, Illus natione Isaurus, digni tate magistri officiorum, amputata apud Comitatum auricula, Orientem Zenoni infestam inuasit. Porrò cum Leontio tyrãnidem arripuit. Totam namq; per Aphricam crudelis Hunerici Vandalorũ regis in nostros catholicos persequutio importata est. Nã exulatis effugatisq; pluicq; trecẽtis trigintatribus orthodoxorum episcopis, ecclesijsq; eorum clausis, plebs fidelium uarijs subacta supplicijs, beatum consummauerũt agonem. Nempe tunc idem rex Hunericus unius catholici adolescentis uitam à natiuitate sua sine ullo docentis linguam præcepit abscindi: idemq; mutus, quod sine humano auditu Christo credens, fide didicerat, mox præcisa lingua sibi loquutus est, gloriamq; Deo in primo uocis suæ exordio dedit. Deniq; ex hoc fidelium cõtubernio, aliquantos ego religiosissimos uiros, præcisis linguis, manibusq; truncatis, apud Byzantiũ integra uoce conspexi legentes. Hæc Arrianorũ crudelitas in religiosos Christi cultores cœpit infligi. Paulus Diaconus lib. 16. cap. 4. Theodericum ad se euocatum Cõstantinopoli Zenon magno simul honore & diuitijs extulit in tantum, ut etiam consularibus eum fascibus sublimaret (quę dignitas post imperiale fastigiũ prima est) æneamq; illi equestrem statuam ante suum Palatiũ collocaret. Iordanis libro de Origine Gotthorũ: Theodericum gentis suæ regem audiens ordinatum Imperator Zenon, gratè suscepit: atq; euocato imperio destinato ad se in Vrbẽ uenire præcepit: dignoq; suscipiens honore, inter proceres sui Palatij collocauit. Et post aliquod tẽpus ad ampliandũ honorẽ eius in arma, sibi eũ filiũ adoptauit, de suisq; stipendijs triumphũ in Vrbe donauit, factusq; est Cõsul ordinarius. Quod summum bonũ, primumq; in mundo decus dicitur. Nec tantũ hoc, sed etiã & equestrem statuã ad famã tanti uiri ante regiam Palatij collocauit. Pomponius item Lętus huius cõsulatus in suis Cæsaribus cõmeminit his uerbis: Theodericus rex Ostrogotthorũ mirè à Zenone diligebatur: ab eo factus Consul, collega Venantij. Iordanis in Annalibus: Anno 483. Zenon Augustus Theodericũ huius anni Consulẽ & magistrũ militum fecit. Romę Felix tertius Papa 50. sedit annis ferè nouem, qui basilicã sancti Agapiti iuxta S. Laurentiũ construxit. Cirola Arrianus episcopus in Aphrica aduersus Eugeniũ Carthaginensem archiepiscopũ, aliosq; catholicos miraculis claros, zelo ductus, quendã è suis pecunia corruptũ cæcitatẽ simulare iussit, ut eum coram se inuocantẽ quasi per fidem illuminaret. Qui cũ corã omnibus imposuisset manus, uera mox diuinitus cęcitate percussus, dolum aperuit: conuersusq; à sanctis episcopis, Eugenio Vindemiale, & Longino, rursum illuminari promeruit. Ab hoc Cirola Hunericus instigatus, catholicos persequitur: & plurimis martyrio coronatis, ipsum Eugeniũ in trecentis 24.
3 11 episcopis, exilio relegauit, & catholicas ecclesias clausit.

SYMMACHVS V. C. COS.

Hic est ille Symmachus socer Boethij, qui postea ambo sunt à Theoderico 484. 1237
occisi, ut inferius latius scribã. Iordanis in Annalibus: Anno quadringintesimo octuagesimoquarto, Hunericus rex Vandalorum diuinitùs percussus, scatens uermibus expirauit. Post quem fratris eius filius Gundamundus regnauit annis ferè XII. Qui non multo pòst Eugenium episcopum reuocauit. Ludouicus rex Francorum, iuuante Ragnabario cognato suo, Syagrium regem Galliæ, Aegidij filium, bello uictum, ad Alaricum regem Gotthorum fugere compulit, sibiq;
4. 12 redditum occidit, & totum regnum illius ac thesauros sibi subiecit.

DECIVS, ET LONGINVS.

Antiquus Chronicorum liber habet ut superiores omnes hoc loco. Decius 485. 1238
V. C. Consul. Sed maior est fides habẽda Casiodoro, qui per ea tempora floruit.

CCC- 13 BOETHIVS V. C. COS.

XVII Huius consulatus meminit uetustissimus ille Chronicorũ liber in hęc uerba: 486. 1239

Boethio

Boethio unico Consule, pugna facta est inter Odoacrem regem & Febanum regem Rugorum: & uicit Odoacer, & adduxit captiuū Febanum regem sub decimaseptima Cal. Decembris. Quæ cum Cassiodori uerbis conueniunt.

Hoc Cos. Odoacer Febano rege Rugorū uicto captoq; potitus est.

Aliqui regem Rugorū Filicteum uocant. Obseruandum aūt & hoc est, Boëthium uirum illustrem fuisse, ad quem plures epistolas Theodericus rex scripsit, ut patet in Cassiodori libris, quos Variarū inscripsit. Sed penultima primi libri inprimis legenda est, in qua Theodericus artes et disciplinas Boëthij enumerat: rogatq; ut horologia mittat, quæ per umbram & aquam defluentē horas signēt, quæ Gundibalo regi Burgundionū transmittat. Sicut etiam idem rex Theodericus à rege Francorum Ludouico rogatus pro citharœdo scribit Boëthio pro tali mittendo sibi libro secundo, ubi iterum eius doctrinam plurimum extollit: pariter penultima epistola libri dicti. Lege lector utramq;, inuenies in secunda pulcherrimas musicæ laudes, quas non alibi reperies.

DYNAMIVS, ET SIFIDIVS. 2. 14

487. 1240 Horum Coss. etiam meminit ille uetus Chronicorum liber, his uerbis: Dynamio & Sifidio Coss. arsit pons Apollinaris noctu in Pascha 15. Cal. Maias. Paulus Diaconus tradit sub id tempus Constantinopolim maximo conflagrasse incendio. Huius incendij sic meminit Ioannes Monachus: Maximum illud Constantinopolitanū incendium incœpit à foro ærario, omniaq; uicina populatum est: porticus etiā quæ in publicis plateis erant, cum hærētibus omnibus ædificijs: sed & quā basilicā uocabant, ubi erat bibliotheca 120. millia uoluminū habens: Traditū est inter alia, in draconis intestino longitudinis 120. Homeri poëmata Iliada scilicet atq; Odyss. literis aureis fuisse descripta. Cuius rei & Malchus, qui horū principū res memoriæ mādauit, mentionē facit. Quicquid uerò speciosum in urbe ad Lausum erat, signa maximè quę artificio celeberrima ibi posita erant Samię Iunonis, Mineruę Lindię, & Gnidię Veneris, ignis ille destruxit, et ad forum usq; excurrit.

PROBINVS, ET EVSEBIVS. 3. 15

488. 1241 Meminit horū etiā Coss. uetus ille Chronicorū liber, et eorū nomina ponit sola.

His Coss. felicis. atq; fortissimus Dominus rex Theodericus intrauit Italiam. Cui Odoacer ad Sontium pugnam parās, cum tota gente fugatus est. Eodē anno repetito cōflictu Veronæ uincitur Odoacer.

Paulus Diaconus: Theodericus egressus à Mysia cum omni Ostrogotthorum multitudine, uniuersaq; supellectili, per Syrmium Pannoniasq; iter faciens, ad Italiam uenit. Ac primùm iuxta Sontium flumen, quod non longè ab Aquileia labitur, castra componens, dum uberrimis, quæ eo loco habentur, pascuis, fatigata aliquantulū ex itineris longitudine iumenta reficeret, ibi mox ei cum grandi suorum exercitu totis Odoacer Italiæ uiribus occurrit. Quem Theodericus alacriter excipiens, magno superatū prælio, postremò in fugā conuertit. Exinde Theodericus mouens cum Veronam uenisset, iterum aduersus eum Odoacer non minori q̄ prius belli apparatu occurrit. Contra quem Theodericus haud procul à Veronensi urbe confligens, nimia eius exercitū cęde cōtriuit: ipsumq; pariter & omnem illius multitudinem dare terga coëgit. Qui dum fugæ metu se præcipites in Athesim fluuium mergunt, ex magna parte rapidissimis eius gurgitibus impliciti suffocantur. Theodericus uerò dum ipso impetu subsequitur fugientes, Veronam ilico pauore ciuibus consternatis inuadit.

FAVSTVS V. C. COS. 4. 16

489. 1242 Huius cōsulatus meminit uetus ille Chronicorū liber, sed uereor errata, quia literę uix legi prę uetustate poterant. Vbi sic scriptum erat primùm: Faustus Faustus Nñ, Cos. & postea; His Coss, ingressus est rex Theodericus in Fossato pōtis Sontij

Olymp. Imp. Zen. Sontij 5. Cal. Septembris: & fugit Odoacer rex de Fossato, & abijt Veronã. Ad Faustũ Patriciũ uirum illustrem extant pleræque epistolæ Theoderici regis apud Cassiodorum in libro Variarũ, quem aliquando Præpositũ uocat. Eo anno ingressus est Odoacer rex in Fossatũ, Herulis in Pineta existentib. Et occisus est Libila magister militum, & ceciderunt plurimi ab utraque parte. Et clausit se Rauennã Odoacer rex VI. Idus Iulias. Et regressus est rex Theodericus in Ticino XI. Cal Septembris. Aliter noster Cassiodorus, sic scilicet: CHRISTI

His Coss. ad Adduam fluuium Odoacrem Dominus Theodericus rex tertio certamine superauit: qui Rauennam fugiens, obsidetur interclusus.

Paulus: Odoacer cum ijs qui euaserant fugiens, Romã cõtendit. Sed obseratis cõtinuò portis, exclusus est. Qui cum sibi denegari introitũ cerneret, oĩa quę attingere potuit, gladio flãmisque cõsumpsit. Indeque egrediẽs, Rauẽnã ingressus est. Ibique quib. se tuereť aduersum hostes, munitionẽ pręparare & obstacula cœpit.

CCC-XVIII 17 OLYBRIVS V. C. COS.

Iordanis in Annalibus: Anno 490. Odoacer noctu à Rauẽna cum Herulis egressus collectis uiribus, quartò cũ Theoderico cõflixit: & itidẽ uictus ab eo captusque est. Ipso quoque anno Gundamundus rex Vandalorũ pacem cũ Romanis fecit. Cõstantinopoli Zeno Imperator moritur. Post quẽ Anastasius imperium Orientis 28. annis tenuit. Hoc tempore Ludouicus rex Francorũ, intercurrente Aureliano legato suo de Burgundia, Rhodildem uxorẽ Christianã accepit, filiã scilicet Hilperici, quem frater suus Gundabalus cum uxore & filijs trucidauerat. 490. 1243

Hoc Consule Odoacer cum Herulis egressus Rauennam nocturnis horis ad Pontem Candidam, à Domino nostro Theoderico rege memorabili certamine superatur. Tunc etiam Vandali pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita deprædatione cessarunt.

Paulus: Theodericus cum expeditis armatorũ cuneis, ad Odoacris obsidionẽ Rauennam perrexit. Dumque eo loco cui Pinetum nomen est, non procul ab Vrbe castra posuisset, per continuũ penè trienniũ obsedit. Qui cum frequenter ex urbe cum suis egrediens, eius exercitum inquietaret, nouissimè noctu in castra irruens, magna Theoderici exercitum strage prostrauit. Victus ad extremum, fortissimè Gotthis resistentibus, in urbẽ confugit. Iordanis libro de Origine Gotthorum: Theodericus transacto amne Pado, ad Rauennam regiam castra componit, in tertio ferè miliario ab Vrbe loco, qui appellatur Pineta. Quod cernens Odoacer, intus in urbe se cõmuniuit. Indeque surreptitiè noctu frequenter cum suis egrediens, Gotthorum exercitum inquietat: & hoc non semel, sed iterum et frequenter, & penè toto molitur triẽnio, & frustrà laborat: quia cuncta Italia Dominum iam dicebat Theodericum, & illius ad uotum Respub. illi obsecũdabat. Tantum ille solus cum paucis satellitibus et Romanis qui aderant, et fame & bello quotidie intra Rauennam laborabat.

Eodem anno Zeno occubuit Constantinopoli. Cui successit Anastasius in Orientali Imperio.

De hoc ita scribit Paulus: Zeno itaque Augustus, cum per annos XVII. reipub. præfuisset, apud urbẽ Cõstantinopolim uitæ terminum accepit. Pòst subiungit: Cessante aũt Romanæ urbis imperio, utilius aptiusque mihi uidetur ab annis Dominicæ incarnationis supputationis lineã deducere, quo facilius quid pro tempore actum sit, possit cognosci. Anno itaque ab incarnatione Domini 492. post Zenonis excessum, Anastasius purpurã induit. Qui 47. in regum numero extitit. Subiungit post hęc quę sub ea gesta sunt. Sed & Iordanis in libro Annalium.

multo

CHRISTI Abur. con. multo uerò plura Ioannes Monachus Græcus, è quibus singulis & nos quædam excerpsimus. Imp. Anast.

ANASTASIVS IMP. OR. XLVII.

ANASTASIVS AVG. ET RVFFVS. 1

491. 1244 Huius consulatus mentio fit in illis ueteribus Chronicis ignoti autoris toties à me citatis, his uerbis: Anastasio Principe Augusto & Ruffo Coss. terræmotus factus noctu ante gallorum cantus VII. Idus Iunij. Iordanis: Anno 491. Romæ defuncto Felice Papa, concilium à presbyteris & diaconis actum est. Hoc anno, ut in uetustiss. annalib. didici, Seuerinus Monachus in Norico quieuit: qui in Austria olim in uilla prope Vienna ab eo dicta Seuerinus fidem Christi prædicauit, ut in eius uita legitur.

ALBINVS V. C. COS. 2

492. 1245 Iidem chronicorũ annales sic de hoc Consule scribunt: Albino V.C. Cos. regressus est rex Theodericus ad Rauennã, et uenit ad Fossatum Pallacioli 4. Cal. Septembris. Hoc Consule facta est pax inter Theodericũ regem & Odoacrem 3. Cal. Martias. Et ingressus est Theodericus in classẽ maris. Hoc Cõsule ingressus est Rauennã rex Theodericus tertio nonas Martias, & occisus est Odoacer rex à rege Theoderico in Palatio cum cõmilitonibus suis. Huius Albini meminit Cassiodorus in quarto Variarũ. Marcellinus est in suis Chronicis mutilus & lacer, & hoc loco sic habet: Indictione prima, Eusebij II. & Albini consulatu bella ciuilia aduersus Anastasij regnum apud Cõstantinopolim gesta sunt. Statuæ regis reginæq; funibus ligatæ, atq; per urbes tractæ. Tullianus magister militiæ nocturno prælio pugnans Scythico ferro confossus interijt.

Hoc Consule Dominus rex Theodericus Rauennam ingressus, Odouacrem molientem sibi insidi. . interemit.

Paulus: Nec multo pòst à Theoderico in fidem susceptus, ab eo truculenter peremptus est. Procopius lib. 1. belli Gotthici: Theodericus in Rauẽnæ obsidione cum annũ iam tertium contriuisset, Gotthiq; ipsi diutius hanc obsidendo tædio ac molestia afficerentur, & Odoacri insuper milites necessariarũ rerum urgerentur inopia, conuentũ adinuicem est Rauennæ antistitis interuentu & pacificantis, Theodericus, Odoacerq; æqua ac simili sorte ea in urbe ut uiuerent, pariterq; potirentur imperio. Quibus conuentionibus aliquandiu utrinq; seruatis, Theodericus per causam, quòd in se machinatus insidias esset, Odoacrũ ad epulas fraudulenter uocatũ cum occidisset, barbaris sibi & hostibus cõciliatis, qui reliqui fuerant, Gotthorũ solus & Italiensium imperiũ tenuit. Romani tamen Imperatoris nec insignia quidẽ, nec nomen desumpsit. Sed quoad uixit, rex est appellatus, quo nomine suos barbari uocant duces. Iordanis in Annalibus: Anno 492. Theodericus Rauennæ Odoacrũ insidias sibi molientem peremit, ac ipse occidentis imperiũ triginta annis obtinuit. Romæ Gelasius Papa 51. sedit annis 4. mensib. 7. uir doctus & pius: qui pro ecclesię statu nõnulla decreta fecit. Multa sublimiter scripsit, hæreticos dãnauit, clerũ Romanũ auxit, pauperes dilexit. Ipse dedicauit basilicã S. Euphemiæ Tiburtina urbe, aliasq; ędes, S. Nicãdri, Eleutherij & Andreę, uia Lauicana. Fecit etiã basilicã S. Mariæ uia Laurentina.

ASTERIVS, ET PRAESIDIVS. 3

493. 1246 Horum Coss. sic meminit Marcellinus: Indictione secunda, Asterij & Præsidij consulatu, Anastasius Imperator contra orthodoxorum fidei maiestatem intestina cœpit prelia commouere piaculi sui perfidia. Prius in Eusebium, Vrbis episcopum, sibi orthodoxorum fidem uiriliter resultantem, profano manifestauit

Imp. Anast. stauit ingenio. Laodicea, Hieropolis & Tripolis, atque Agathium, uno tempore, unoque terræmotu collapsæ sunt. Romanæ ecclesiæ quadragesimusseptimus episcopus ordinatus, uixit annis quatuor. Inter opuscula Sedulij legitur elegans carmen elegiacum, quod est à Turcio Ruffo Asterio quinto v.c. exconsule ordinario atque patricio scriptum. Quem hunc Asterium esse suspicor, id sic incipit: CHRISTI

Cantemus socij, Domino cantemus honorem,
Dulcis amor Christo personet ore pio.

Iordanis: Anno CCCCXCIII. His tẽporibus in Africa beatus Fulgẽtius episcopus, qui Ruspensem XXVI. annis rexit ecclesiam, doctrina & actibus effulsit. Qui & ipse plurima inter alios catholicos mala & exilia perpessus est. Hac etiã tempestate Ludouicus rex Francorum Gallias usque Sequanam, et deinde usque Ligerim, fluuios, suo regno subegit. Hunc multa instãtia Rhodildis uxor ad Christi fidem cohortatur.

4 VIATOR V. C. COS.

Iordanis: Anno quadringentesimo nonagesimoquarto, Vundamũdus rex Vandalorum, persuadente Eugenio archiepiscopo, tandem post decem annos catholicos episcopos de exilio reuocauit, & diu clausas Ecclesias pace reddita aperuit. Rex Francorum contra Alemanos pugnans, cum exercitus eius periclitaretur, Dominum cœli inuocans, & fidem suam Christo uouens, ipso iuuante uictos Alemanos subiugauit. 494. 1247

5 PAVLVS V. C. COS.

Marcellinus huius consulatus sic commeminit: Indictione quarta, Pauli solius consulatu, Angustatico suo dudum Anastasius militibus præstito, donariũ quoque hoc fratre Consule tribuit. India Anastasio Principi elephantum, quem Plautus poeta noster Lucabum nomine dicit, duasque camelopardalas ipso munere misit. Iordanis: Anno quadringentesimo nonagesimoquinto, Ludouicus, seu Clodoueus, rex Francorum, instante Rodhilde coniuge sua, à sancto Remigio Remensi archiepiscopo fide Christi imbutus, cum gente sua baptizatur. 495. 1248

6 ANASTASIVS AVG. II. COS.

Marcellinus: Indictione quinta, Anastasij solius consulatu, solis defectus apparuit: bellumque Isauricum hoc, sexto anno sedatum. Athenodorus Isaurorum primus in Isauria captus decollatusque est. Caput eius Tarsum ciuitatem allatum, pro portis hastili affixum, extabuit. Iordanis: Anno CCCCXCVI. Vundamũdo rege Vãdalorũ defuncto, Thrasamũdus XXV. pauloplus annis pro eo regnauit. Qui itẽ catholicis infestus, ecclesias post aliquot annos clausit, & inter alios persequutionis labores 240. episcopos in Sardinia & alijs insulis afflixit. 496. 1249

7 PAVLINVS, ET IOANNES.

Marcellinus horum Coss, mentionem sic facit: Indictione sexta, Ioannis Scythæ & Paulini consulatu, Romanæ ecclesię 47. Anastasius Pontifex ordinatus, uixit annis duobus. Longinus Isaurus, cognomẽto Selinantheus, apud Antiochiam Isauriæ ciuitatẽ à Comite Prisco captus, Constantinopolim missus est, catenatusque per gentẽ Anastasio Principi populoque ingẽs spectaculũ fuit. Varijsque deinde cruciatibus apud Nicæã Bithyniæ ciuitatẽ expensus est. Et nũmis, quos Romani Terentianos, Græci Follares uocãt, Anastasius suo nomine figuratis, placabilẽ plebi cõmutationẽ distraxit. Iordanis in Annalibus: Anno 497. Boethius Patricius & Cõsul, multa his temporibus ingenij sui monimẽta in seculari philosophia excellenter edidit. Romæ Anastasius Papa 52. sedit annis duobus. Hic confeßionẽ S. Laurentij exornauit. Et quia quibusdã hæreticis cõmunionẽ clàm reddere uelle uidebatur, quidam se ab eius communione sequestrarũt. Huius Paulini meminit Casiodorus in secundo libro Variarum. 497. 1250

CHRI- Ab ur. IOANNES V. C. COS. 8

STI con. Procopius lib.1.belli Persici, Ioannis cuiusdã Cappadocis meminit, qui præ-
498. 1251 fectus Prætorij erat sub Iustiniano. Qui eò insaniæ processerat, ut Theodoram Augustam, fœminam sapientissimã apud uirum calumniaretur, sed frustra. Hic ꝙ miserabilẽ exitũ sortitus sit, in fine libri docet Procopius. Et hic inter patricios potentissimus, pręfectus & Consul fuit. Meminit huius & Cassiodorus lib.3. Variarum: quẽ scribit præfectũ Campaniæ à Theoderico post consulatũ cõstitutũ. & itẽ lib.4. Iordanis in Annalib. Anno 498. Isauri, occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio Imperatore uicti trucidatiq; sunt. Hoc tẽpore Ludouicus rex Frãcorũ, Gũdobalũ & Gotegiselũ fratres Burgundionũ reges pugna uicit, & fugauit. Et Gundobalũ Auennione obsessum tributariũ fecit, & cũ magna præda redijt.

499. 1252 PATRICIVS, ET HYPATIVS. 9

Hypatius Anastasij Imperatoris sororis filius fuit, Patricius uerò Prætor Orientis. De quibus multa Procopius libro primo de bello Persico. Quomodo uerò Hypatius fuerit factus Imperator, uide in fine primi libri, & quomodo cęsus.

Hoc anno Dominus rex Theodericus Romã, cunctorũ uotis expetitus, aduenit, & Senatũ suũ mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donauit annonas: atq; admirãdis xenijs, deputata per singulos annos maxima pecunię quantitate, subuenit. Sub cuius felici imperio, plurimę renouant̃ urbes, munitiss. castella cõdunt̃. Consurgũt admiranda palatia, magnisq; eius operibus antiqua miracula superantur.

Paulus: Theodericus extincto apud Rauennã Odoacre, totius Italiæ adeptus est ditionẽ. Nec multo pòst Romã profectus, à Romanis magno gaudio est susceptus. Quibus ille singulis tritici ad subsidiũ annis uiginti millia modiorũ concessit. Iordanis: Anno 499. Theodericus rex Romæ & alibi multa per hæc tempora mirifica cõstruxit ædificia. Romę Symmachus Papa 53. sedit annis 15. mensibus ferè octo. Cũ quo simul per dissensionẽ nimiam ordinatus est Laurentius, & magna Romæ inter clerum & populũ discordia facta, donec iudicio Theoderici regis & maioris multitudinis Symmachus in sede cõfirmaret̃. Cassiodorus in libro Variarũ passim in hac re est perlegendus, & præcipuè lib.3. ad Argolitũ præfectũ Vrbis. Vt aũt studiosi à me iuuentur, in quibus dubitant, operæpreciũ est scire, hunc Theodericũ Triarij filium, licet ex Gotthico genere, alium esse ab illo Theoderico quẽ uulgus de Verona appellat. Hic enim Theodemiri ex concubina Ereliana filius naturalis fuit, miræ indolis puer, qui in octauo anno obses datus fuit Leoni Imperatori, cum Ostrogotthi confœderarentur Imperatori. Et cum esset elegantissimus puer, plurimũ ab Imperatore deamabatur. Et pòst cum magnis muneribus à Leone patri remissus. Qui cum 18. ageret annum, inscio patre collecto exercitu, regẽ Sarmatarũ prostrauit: & abacta ingenti præda, uictor domum redijt. Ea ex Iordane libro de Origine Gotthorũ lector colliges studiose. Scribit Ioannes Monachus, quòd Theodericus Arrianus fuerat, & cum famulum haberet, qui cum ad emerendam suam gratiam rectam abnegasset fidem, Arrianæq; se rectæ perfidia cõmaculasset, hunc iugulari fecerit, dicens: Si fidem erga Deum quam à parentibus didicisti, ut mihi gratificareris, fregisti, multo facilius & mihi non fidem seruabis.

AVIENVS, ET POMPEIVS. 10

500. 1253 Iordanis in Annalibus: Anno quingentesimo Symmachus Papa synodo Romæ acta, inter alia Laurentium æmulum suum, Niceriæ episcopum constituit. Ioãnes Monachus Pompeiũ tradit fratrẽ fuisse Hypatij, eorundẽ crebrã faciens mentionẽ in libro suo historiarũ. Procopius quoq; lib.1. belli Persici Hypatium et Pompeiũ Anastasij principis sororis filios esse manifestat, ubi multa de his disserit

serit quomodo ambo fratres cæsi sunt, postq; Hypatius imperium assumpsit. CHRISTI Ab urbe c.

11 AVIENVS, ET PROBVS.

Iordanis in Annalibus: Anno quingentesimoprimo, Theodericus rex aquę- 501. 1254
ductũ Rauennæ fecit. His temporibus S. Mamertus Viennensis Archiepiscopus uirtutibus claruit, qui propter luporum & ursorum immanitatẽ, aliasq; plagas triduanas ante ascensionem Domini Letanias primus instituẽs, Domini misericordiam, plagarumq; cessationem promeruit.

His Coss. Dominus rex Theodericus aquã Rauennã perduxit, cuius forinas sumptu proprio instaurauit, quę longis ante fuerat ad solũ reducta temporibus.

Forinarũ mentio fit apud Iurecõsultos de aquęductibus in C. lib. XI. Iustinianus l. prima. Iulius Frontinus de aquæductibus pro tubis aquarum ubiq; accepit: nõ uno enim loco meminit. Græci uocãt κρόνους, ut Lucianus. Cęterũ Varro de Latina lingua, Forinæ cuidã sacrificari solitũ scribit. Nonius Marcellus appellat foriam, liquidiora excremẽta. Vnde apud eundẽ foriolos eos qui sunt aluo cita appellari arbitror. Admonuit me huius loci amanuẽsis meus Ludouicus Brassicanus, iuuenis gręcarũ & latinarũ literarũ studiosus, neotericos diligenter disquirens, Alciatum, Budæum & Pyrrhum Anglobermensem.

12 CETHEGVS V. C. COS.

Hoc Cõsule, uirtute Domini regis Theoderici, uictis Bulgaribus, 502. 1255
Syrmium recepit Italia.

Paulus: Dum hæc apud Italiam geruntur, à Bulgaribus uniuersa Thracia deuastatur. Iordanis: Anno DII. Theodericus rex uictis Bulgaribus Syrmium regno Italiæ restituit.

13 THEODORVS, ET SABINIANVS.

Iordanis in Annalibus: Anno quingentesimotertio, quidã ex Romanis Sym- 503. 1256
machum Papam falso criminãtes, & apud regem accusantes, Laurentiumq; reuocantes, magnum Romæ schisma fecerunt. Et Petrus, Altinæ urbis episcopus, permissu Theoderici sedem Apostolicam inuasit. Fuit is Sabinianus etiam præfectus Illyrici. Cuius meminit Iordanis in libro de Origine Gotthorum.

14 MESSALA, ET ARIOVINNA.

Iordanis in Annalibus: Anno quingentesimoquarto, synodo centũ & quin- 504. 1257
decim episcoporum collecta, beatus Papa Symmachus de illatis purgatur, & sedi suæ cum gloria restituitur. Et peruasores sedis eius, Laurentius, Nucerinus, & Petrus Altinas condemnantur. Ludouicus rex Francorum per S. Petri sanctiq; Martini, & aliorum sanctorum preces, diuinum implorans auxilium, Gotthos petijt, eosq; iuxta Pictauis Vrbem in campo Voglensi pugna uicit: & regem eorum Alaricum, qui iam uigintiduobus annis regnauit, occidit: regnumq; eius quod in Gallijs habebat, ac thesauros accepit. Almaricus uerò filius Alarici fugiens, regnum patris sui in Hispanijs recepit.

15 AVG. ANASTASIVS III. ET VENANTIVS.

Iordanis in Annalibus: Anno quingentesimoquinto Ludouicus rex Franco- 505. 1258
rum Parisijs beati Petri basilicã ædificat. Hunc Venantiũ Theodericus rex Comitem domesticorum creauit, ut testatur Cassiodorus libro secundo Variarum. libro tertio appellat eum uirum sublimẽ, correctorem Lucaniæ, & Brutiorum.

16 VENANTIVS II. ET CELER.

Iordanis: Anno quinquagesimosexto, hoc tempore Ludouicus rex Fran- 506. 1259
corum Regneharium cognatũ suum, regniq; participem, ignauum & luxuriosum, à suis proditum, uictum fugauit, & comprehensum sua manu cum fratre

Richario

CHRISTI Ab ur. con. Richario occidit, & eius sibi populum subiecit. Theodericus rex Italiæ contra Francos in Gallia exercitum misit. Imp. Anast.

His Coss. contra Francos à Domino nostro destinat exercitus, qui Gallias, Francorum deprædatione confusas, uictis hostibus ac fugatis, adquisiuit Imperio.

Vide librum tertium Variarum Casiodori, in quo epistolæ pleræque ad Alaricum Visigothorum regem, ad Gundibaldum regem Burgundiorum, ad Herulorum & Tungrorum regem, ad Ludouicum Francorum regem, ut pax seruet, scribuntur à Theoderico.

IMPORTVNVS VC. COS. 17

507. 1260 Huius cõsulis Importuni meminit Paulus Diaconus lib. decimoseptimo, ubi de Iustino imperatore scribit, quod paulo inferius latius memorabimus. Casiodorus lib. 3. Variarum tradit, quomodo Importunus creatus sit patricius à Theoderico rege. Iornandes anno quingentesimoseptimo: His temporibus Romæ iterum dissensione cõtra Symmachum papam & ecclesiam orta, nonnulli ex parte eius fustibus & diuersis plagis afflicti, nonnulli trucidati & necati: & multa & nefaria contra Ecclesiam & religionem commissa sunt.

BOETIVS VC. COS. 18

508. 1261 Hic est ille Boetius, uir eruditissimus, qui multa ingenij monumenta posteris reliquit: quem Theodericus postea, cum suo genero Symmacho, gladio obtruncauit, ut Paulus 17. habet. De quibus ita scribit Procopius lib. 1. belli Gothici, ubi de morte Theoderici agit: Symmachus, & huius gener Boetius, à suis maioribus gentis nobilitatem adepti, inter Romanos & Senatorios uiros principes erant, & cõsulatus utriusque dignitate perfuncti, philosophiæ supra cæteros & æquitati studuerant, multisque tam ciuium quàm externorũ inopiæ succurrendo saluti fuere. Hi postquã ad ingentẽ gloriam euasere, deterrimos quosque in sui inuidiã concitarũt. Nam ijs delatoribus Theodericus rex persuasus, Symmachum Boetiumque res perinde nouantes occidit, eorumque bona omnia publicauit. Sed paucis pòst diebus, cœnanti sibi, cum miræ magnitudinis piscis ministri decoctũ caput apposuissent: Symmachi nuper occisi caput illi est uisum, præfixis & extantibus inferiore in labro dentibus, ac toruè intuentibus oculis, furibũdè sibi & acerbius cõminari. Vnde monstri nouitate territus, membrisque præter modũ tremebundus & rigens, in cubiculũ statim citato gradu secesit: identidem togarũ ut sibi magnam uim ingererẽt, lecto decubuit, & parumper quieuit. Elpidio deinde medico omnibus, quemadmodum accidissent, diligentius explicatis, in Symmachum Boetiumque patratũ per se scelus deflebat. Quo denique deplorato, ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud longè pòst morit. Cum primum id iniustitiæ & ultimũ in suos iccirco exercuisset exemplũ, quia non suo & pristino more diligenter peruestigata causa, in tantos uiros animaduerterat. Vide etiam Paulum Diaconũ lib. decimoseptimo, cap. 2. Boethius autẽ est potius legendum, quàm Boecius, ut non modò ex antiquis scripturis cernere licet, sed etiam quòd βοηθέω idem est quod adiuuo. unde dicuntur boethi, adiutores scribarum: quos alij subadiuuãtes, alij adiutores appellant. quorũ meminit Imperator C. de Tabularijs, scribis & logographis: & in l. Vnicuique. C. de prox. sacr. scrin. Quomodo uerò Rusticiana uxor Boetij, & filia Symmachi, postquã Totylas rex Gothorum urbem cæpit, ad eam miseriam fuit redacta, ut ab hostibus panem emendicaret, quæ olim ditissima egentibus multa fuerat elargita: docet pulcherrimè Procopius lib. 3. de bello Gothorum. Iornandes in Annalibus, anno quingentesimo octauo: Hoc anno Romæ Boetius uir eruditissimus consulatũ administrauit. hoc quoque tempore Auitus Abbas Aurelianensis uirtutibus & prophetiæ spiritu effulsit.

Imp. Anast. | CHRISTI | Ab urb. con.

FELIX, ET SECVNDINVS.

19 Felicis crebra est mentio apud Cassiodorũ lib. Variarũ. Horum Coss. meminit Marcellinus, Augustæ urbis episcopus. Licet olim Anastasij Imperatoris dolis fallacijsq; circumuentus, prauorumq; testimonijs eidem Cæsari accusatus, quòd iam Tomum sanctorũ apud Chalcedoniã sancta dudũ subscriptione roboratum, eidem principi dare distulit, ab eodem Euchaico in exilium deputat̃. Locum Macedonij Timotheus meridiano tempore ab Anastasio Cæsare episcopus ordinatus inuasit. Annales ueteres: Anno quingẽtesimonono Ludouicus, & Clodouæus magnus Francorũ rex, post multas uictorias totam penè Galliã possidens, Parisijs, ubi sedem regni instituit, morit̃, & in basilica S. Petri à se constructa sepelit̃, anno regni 31. post transitũ Martini, ut in gestis Francorũ habetur, anno centesimo duodecimo. Post quem quatuor filij eius diuiso regno, Theodericus Metis sedem habens, annos uigintitres cum strenuo suo filio Theodoberto regnauit: Clodomeris Aurelianis, Hildebertus Parisijs, & quartus Lotharius Suessionis sedem statuens, annos quinquagintaunum regnauit. Horum soror Rhodhildis æquiuoca matris, & æquè religiosa, Amalrico regi Gothorũ Arriano in Hispanijs nupsit, materq; uidua apud S. Martinũ Turonis in orationibus & eleemosynis permansit. De consulatu huius Felicis extant tres epistolæ apud Cassiodorũ, lib. 2. Variarum: prima ad Anastasium Imperatorẽ, secunda ad Felicem uirum illustrem & consulem ordinariũ, tertia ad Senatum urbis Romanæ, à Theoderico rege scriptæ. In secunda inquit: Te tantorũ desiderijs præsenti comproba largitate. 509. 1262

PAVLVS, ET MVSCHIANVS.

20 Horum Coss. sic Marcel. meminit in suis Chronicis, indictone quinta: Pauli & Muschiani consulatu sæpe cœlum à septentrionali plaga ardere uisum est. Die Dominico rũ, dum iubente Anastasio Cæsare per Marinum, perq; Platonẽ in ecclesię pulpito cõsistentes, in hymnum Trinitatis Deipassianorũ quaternas additur, multi orthodoxorũ pristina uoce psallentes, perfidosq; præcones clamoribus obiurgantes, in eiusdem ecclesiæ gremio cæsi sunt, ductiq; in carceres perierunt. Altero nihilominus die, in atrio S. Theodori, maiori cæde Catholici pro fide unica percussi sunt. Quapropter cõmota orthodoxorũ agmina die sequenti, id est, octauo Idus Nouembris, quo die cineris dudum totam Europam tegentis memoria apud Byzantios celebratur, in foro Constantini undiq; confluunt. Quorum alij quidam, cæteris die noctuq; hymnũ Trinitatis Christo Deo psallentibus, totam peragrant ciuitatẽ, & Anastasij Cæsaris monastico habitu ac Senatores ferro flammisq; interimunt. Alij claues portarum, omniaq; signa militaria ad forum, quò religiosi castrametati fuerant, deferũt. Ibiq; Anastasio Cæsare in processibus degente, Ariobindam sibi fieri Imperatorẽ clamitant. Imaginibus statuisq; deinde Anastasij in terram deiectis, Celerem ac Patriciũ Senatores ad se supplicandi uel satisfaciendi gratia missos, iactis pluuiæ instar lapidibus repulerunt, domibus Marini & Pompeij succensis. In circũ ad Anastasiũ ante suum solium cõsistentes, hymnũ Trinitatis iuxta morem catholicũ cõcinnentes, coruscansq; Euangelium crucemq; Christi ferentes, in foro plurimi conuenerũt: Marinum Platonemq;, eius prauitatis autores feris subijci clamitantes. Idem Anastasius Cæsar, solitis periurijs simulatisq; uocibus sese facturũ cuncta promittẽs, tertia die qua in forum aduenerant, sine ullo rerum effectu ad sua fecit habitacula repedare. Porrò redintegrata Anastasij prauitate, infamem & irridendã synodũ apud Sydonem ciuitatem, cuius de nomine in ridiculis nomina præponunt̃, octoginta fermè perfidorũ episcopis cõgregatis aduersus orthodoxorũ episcoporum fieri imperauit. Flauianus Antiochiæ catholicus Patriarcha, & Plateensium oppidi pontifex, quum hunc cœtum sacrilegũ repellerẽt, in castellũ quod Petra dicitur, exules missi sunt. Ibi Flauianus cõfessor Christi in Domino requieuit. Ioannem 510, 1263

CHRI-Ab ur- STI. con. annem Iustinus Augustus mox Imperator factus reuocauit. His ferè tempori- Imp. Anast. bus solis defectus contigit. Gens Herulorum in terras atque ciuitates Romanorum, iussu Anastasij Cæsaris introducta. Annales ueteres, anno quingentesimo decimo: His temporibus Symmachus Papa inter alia bona Manichæos in urbe damnauit, ecclesiam sancti Andreæ ad sanctum Petrum construxit: oratorium sancti Thomæ, confessionẽ sancti Cassiani, itemq; sanctorũ Prothi & Iacincti, oratorium sancti Apollinaris, item sancti Sosij, item sanctæ Crucis, item sancti Ioannis Baptistæ, item sancti Ioannis Euangelistæ, basilicam sancti Petri, & porticum marmore strauit, & multis modis ornauit. Xenodochia instituit, & singulis annis catholicos à Trasamundo rege Vuandalorũ Arriano per exilia dispersos, alimonia & uestibus iuuit. Construxit etiam basilicam sanctæ Agathæ, uia Aurelia: sancti Pancratij, item sancti Syluestri, item sancti Martini, item sanctorum Cosmæ & Damiani: & alias nonnullas struxit, renouauit, & ornauit.

511. 1264 PROBVS, ET CLEMENTINVS. 21

Tradit Procopius lib. primo de bello Persico: Probum Anastasij principis sororis filium, uirum patricium fuisse, quem legatum ad Bosphorum misit ut Hunnorum exercitum ad præstanda auxilia Iberis induceret. Horum Coss. sic meminit Marcellinus, in dictione sexta: Clementini & Probi consulatu Seuerus, Eutychetis perfidiæ cultor, Anastasio Cæsare uolente sedem Flauiani antistitis, ex monacho factus episcopus, occupauit. Dorotheus Ancyræ ciuitatis uenerandus antistes, Anastasio principi propter unicam orthodoxorum fidem iugiter aduersarius, finem uiuendi, quem sibimet à Cæsare misso contra se Magistriano ipse prædixerat, indicto tempore fecit. Iornandes in Annalibus, anno quingentesimo undecimo: Hoc tempore reges Francorũ, Clodomeris, Hidelbertus & Lotharius, Burgundiorũ reges, Sigismundum & Godmarum petunt, & pugna uictos fugant. E quibus Sigismundus rex religiosus, ad sanctos Agaunenses confugiens, insequente Clodomere ibidem captus, & Aureliam in carcerẽ missus, unà cum uxore & filijs trucidatus est. Et sequuto tempore Clodomeris iterum Burgundiones petens pugna, fugauit: & ipse inter hostes equo delatus, ab ipsis iugulatur, & Burgundia à Francis subiugatur.

512. 1265 SENATOR, VC. COS. 22

Senatoris est crebra mentio apud Cassiodorũ in libro Variarum. Hic autem per Senatorem, Cassiodorum intelligito, qui per excellentiam sic appellabatur, ut etiam apud Iornandem & plerosq; alios patet. Iornandes, anno quingentesimo duodecimo, Almaricus in Hispanijs rex Gothorum Arrianus, Rothildẽ uxorem suam catholicam multis modis afflixit: qui postea à fratre eius Adalberto uictus pugna, & peremptus est, & pro eo Theuda regnauit.

ME ETIAM CONSVLE, IN VESTRORVM TEMPORVM ADVNATO CLERO VEL POPVLO, ROMANAE ECCLESIAE REDIIT OPTATA CONCORDIA.

Hæc ideo scribit Cassiodorus, quia his temporibus discordiæ in Ecclesia ortæ fuerant, ut annotauimus: in quibus pars sacerdotum Laurentium Pontificem elegit, cuius gratia Romani diuiduntur, & Rauennæ coram Theoderico concilio habito, Symmachus in Apostolica sede confirmatur: ut Ioannes Monachus in uita Anastasij tradit. Vnde Paulus Diaconus libro decimoseptimo, capite primo, sic hanc rem exequit: His temporibus tanta propter Symmachi ac Laurentij electionẽ Romæ dissensio facta est, ut Faustus Senatorum nobilissimus & exconsul, & alius excõsul Probinus, Laurentij partibus fauẽtes, aduersus Faustum consulẽ, cæterosq; qui Symmacho adhærebant, Pontifici bellum inferrẽt: multasq; cædes & homicidia in medio urbis facientes, plerosq; ex sacerdotali numero, multos etiam clericorũ, perplures ciuium Romanorũ extinguerent. Sed hæc discordia fuit sedata, Cassiodoro existente consule. Nam Cassiodorus consul ac

Imp. Anast. senator primũ fuit: postea monachus factus est, ut Iornãdes scribit in hæc uerba: Anno quingẽtesimo tredecimo, Casiodorus huius anni consul fuit: qui postea conuersus, & monachus effectus, cœnobium cõstruxit, & in seculari diuinaq; literatura clarus effulsit, psalmos exposuit, libros Institutionũ & Chronica fecit, & Tipartitam historiam ordinauit. Romæ tandem dissensione cessante, inter clerum & populum optata rediјt concordia, & Symmachus Papa beatus obiјt. CHRISTI 513 Abur. con.

23 FLORENTIVS, & ANTHEMIVS. 514. 1266

Horum Coss. sic meminit Marcellinus indictione nona: Anthemij & Florẽtij consulatu Romanæ ecclesiæ L. Hormisda episcopus consecratus, uixit annis quatuor: item Vitalianus eidẽ Anastasio Imperatori immanior factus est inimicus. Præmissis quippe suorum equitibus, armatisq; nauiculis sinistro sibi littore decurrentibus: ipse peditum armis stipatus, Sistenense prædium ingressus est, totiusq; loci palatiũ habuit mansionem. Missi sunt ad Vitalianum à Cæsare Senatores, qui pacis cum eo leges cõponerent. Nongenta pondo auri, exceptis regalibus muneribus, precio tunc accepit, Hypatij iam mille centum auri libris cum Vranio captiuo sibi à suis in Soropolim ablatis. Magister militũ Vitalianus per Thracias factus, Hypatium, quem captiuum cathenatumq; apud Acres castellũ tenebat, reuersus suo remisit auunculo. Ea tempestate Hunni Armenia transmissi, totam Cappadociam deuastantes, usq; Lycaoniam perrexerunt. Ariadne Augusta sexaginta annis in palatio exactis, uita decessit. Iornandes: Anno quingentesimodecimoquarto, Theodericus rex Italiæ filiam suam Amalasuindã, Eutharico Cillicæ in matrimonium iunxit. Romæ Ormisda Papa quingentisimus quartus sedit annis nouem, qui inter alia bona Eutychianos & item Manichæos damnauit, clerum erudiuit, basilicas ordinauit.

His Coss. Dominus rex Theodericus filiam suam, Dominam Amalasuintam, gloriosi uiri Domini Eutharici matrimonio, Deo auspice, copulauit.

Paulus: Theodericus, ut regni sui uires constabiliret, Andefredam Ludouici Francorũ regis filiã sibi in matrimoniũ iunxit: Amalafredã germanã suam Vuandalorũ regi Honorico, eius Amalafredæ filiam Malabergam Hermenfredo Toringorũ regi: Theudigoto quoq; & Ostrogotho ex concubina filias, alteram Halarico Visigothorũ regi, alteram Sigismundo Burgundionũ cõsociauit. Amalasuintham uerò tertiam filiam, Eutharico ex Amalorũ stirpe uenienti, euocato ab Hispania tradidit. Nec fuit aliqua uicina Italiæ gens, quæ Theoderico, aut coniunctionis affinitate, aut pactionis fœdere sociata nõ fuerit. Licet omnia abundè et pulcherrimè Iornandes in lib. de origine Gothorum: sed de hac Amalasuintha copiosissimè Procopius lib. primo belli Gothici. Mira sunt quæ Casiodorus de hac femina prodidit: in qua tantã ait fuisse indolem, ut sine ueneratione eam uideret nemo. Pro miraculo fuit audire loquentem, quum græcè latineq; sciret egregiè. Lege secundã epistolam libri duodecimi Variarum Casiodori. Et Procopius scribit, hanc feminam quibusuis uirtutibus pertinacissimè fuisse deditã. Quo pacto autem sit obtruncata sub Theodoto, uide Procopiũ libro primo belli Gothorum. Obmittere nescio, quæ Sudas de hac illustrissima femina tradit: Amalasuinta, inquit, Atalarici mater, iustitiæ cultrix, ingenio uirilem uirtutẽ referens, quoad in urbe fuit, neminem è Romanis neq; corpore neq; re nummaria mulctauit: neq; ullo pacto Gothis, cum in urbem sæuire uellent, cõsensit. Natum etiã inter Romanos magistratus cõmuni eorũ uitæ usu uoluit teneri, adegitq; ut literatos audiret, delectis à Gothorũ Principibus, qui annis, usu rerũ gerendarũ & moderatione animi præstabant, eos Atalarico nato ad cõmunem usum studiorũ iuueniliũ socios addidit. Quæ ob id Gothis inuisa erant, quòd hi libidine Barbarica uastandi domitos Romanos tenebantur. Fortè fortuna euenit, ut mater filiũ delinquentẽ publicè arreptũ cęderet, & puer collachrymans in aulam duceretur:

CHRISTI | Ab ur. con. | | Imp. Anast.

ceretur: ubi cum Gothi iuueni occursantes, tumultuãtes cõuicijs afficiebãt Amalasuinthã, tanq; ipsa uim strueret puero, ut perẽpto eo, ipsa alterius cõnubijs coniungeret, & in Imperio perpetua esset. Post hoc & agminatim Gothi adorti eam accusabant, puerũ regem iniustè literis imbui, & senibus magno incõmodo assuescere, & quòd illa indigna uiro forti esset. Senes enim aiebant effœtos, uirili uirtute destitutos, promptos adolescentiũ animos emollire. Commodius fore, si tener audacia & cupidine gloriæ aleretur, inter scuta ac tela exercitaretur. Alioqui iuuenem euirari, inter eos qui nunquam arma tractarent. Et demũ postulabãt Gothi, ut regina puero magistros adiungeret æquales annis ac studio, qui uirilem eius spiritũ acuerent, & accenderent ad uirtutem, ac patrios mores cõseruandos. Non annuit mulier. Tandẽ tamẽ metu coacta, rem arbitrio Barbarorũ permisit.

515. 1267 PETRVS VC. COS. 24.

Procopius de bello Gothorũ, Petrũ quendã natione Illyricũ describit, ex Rohorum numero elegantissimũ fuisse, & mirificè suapte natura ad persuadendum idoneum, quem Iustinianus Imperator in Italiam oratorem misit. Si hic fuerit, quærendum est. Iornandes anno quingentesimo decimoquinto: Hoc tempore Vitellianus quidam seruus dignitatibus elatus, Anastasio Imperatori rebellat: & Scythis adiunctus, crebris prelijs milites eius uictos fugans, magno Reipub. dedecori & detrimento fuit.

516. 68 ANASTASIVS, & AGAPITVS. 25

Agapiti consulis sic meminit Paulus lib. decimoseptimo, cap. secundo: Cum in Italia rex Theodericus Arriana lue pollutus, audisset Iustinũ ecclesias catholica religione consecrare, Ioannẽ papam, simulq; cum eo Theodorũ, Importunum atq; Agapitũ, consulares uiros, aliumq; Agapitũ patriciũ, Constantinopolim ad Iustinũ principem dirigit, mandatq; per eos interminitãs, ut nisi quantocyus hæreticis ecclesias redderet, uniuersos Italiæ populos ipse gladio extingueret: & cætera quę sequunt. Sed horũ Coss. mentionẽ sic facit Marcellinus indictione decima: Anastasij & Agapiti consulatu, olla illa quæ in Hieremia uate ab Aquilone aduersus nos, nostraq; delicta sæpe succendit, tela ignita fabricauit, maximamq; partem Illyrici ijsdẽ iaculis uulnerauit. Duæ tunc prouinciæ Macedonia Thessaliaq; uastatæ: & usq; Hermopolim ueteremq; Epirum Getæ equites deprædati sunt. Mille tunc librarum auri denarios per Paulũ Anastasius Imp. pro redimendis Romanorũ captiuis Ioanni præfecto Illyrici misit. Deficiente precio, inclusis suis domunculis captiui Romani deleti sunt, uel pro muris clausarũ urbium trucidati. Iornandes, anno quingẽtesimo decimosexto: His diebus Hormisda Papa pro fide catholica ad Imperatorẽ Anastasiũ Constantinopolim legatos mittens, & nihil proficiens, alios itidẽ cum epistolis legatos mittit. quos Anastasius cum corrumpere nõ posset, exilio deputauit. Et inter alia Domino Papæ rescripsit, dicens: Nos iubere uolumus, non nobis iuberi.

517. 1269 MAGNVS VC. COS. 26

Huius cõsulatus sic meminit Marcellinus in suis Chronicis, ijs uerbis: Magni solius consulatu in prouincia assiduo terremotu 24. castella in mometo collapsa sunt, quorũ duo cum suis habitatoribus demersa: quatuor, dimidia ædificiorum suorũ, hominumq; parte amissa, destructa: undecim, tertia domorũ totidẽ populi clade deiecta: septẽ, quarta parte tectorũ, totaq; plebe depressa. Vicula uerò metu ruinarũ deiecta sunt. Templũ namq; & populus, licet sine ciuiũ suorũ hostem fugientiũ clade, funditùs tamẽ corruit, in uno agello ruptis tum terræ uenis, et ad instar torridæ fornacis exæstuans diutinũ altrinsecus, feruentemq; imbrem euomuit. Plurimi totius prouincię montes hoc terręmotu scissi sunt, saxaq; suis eulsa cõpagibus deuoluta, & arborũ crepido per triginta passuũ milia patens, et duodecim pedum latitudine dehiscens, ciuibus castellorũ saxorũq; ruinas, uel adhuc hostiũ incursione fugientibus lustra parauit. Anastasius Imperator †subita morte præ

al. fulmine

Imp. Anast. te præuentus, maior octogenario perijt, & regnauit annis 28. Sed alij eius mortem in sequentẽ annum reijciũt. Ioannes Monachus in Anastasio: Sub hoc tempus, quo princeps moriebat̃, ingens factus est terræmotus, per quem multa Byzantij loca sunt diruta. Et magna Antiochia fermè tota decidit, eiusq; ciues ruinis oppresi sunt. Iornandes, anno quingentesimo decimoseptimo: His temporibus Theodericus rex Francorum, Danoseos inuadentes, per filiũ Theodebertum, unà cum rege suo ad internecionem deleuit. CHRI- STI Ab urb. con.

Eo anno Dominus Eucharicus Cillica, mirabili gratia Senatus & plebis, ad edendum exceptus est feliciter consulatum.

27 DN. EVCHARICVS CILLICA, ET IVSTINVS AVG. 518. 1270

Iornandes in Annalibus, anno quingentesimo decimoctauo: Anastasius Imperator cum hæresi Eutychetis fauisset, & Catholicos persequeret̃, fulmine ictus interijt, maior octogenario. Pro quo Iustinus Imperator catholicus, Constantinopoli regnauit annis octo: qui nõnullos Imperio inhiantes occidit. Et cum Vitaliano tyranno pace prius facta, eundem postea peremit.

Eo anno multa uidit Roma miracula, editionibus singulis stupente etiam Symmacho Orientis legato: diuitias Gothis, Romanisq; donatas dignitates, cessit in curiã. muneribus amphitheatralibus diuersi generis feras, quas præsens ætas pro nouitate mirat̃, exhibuit. Cuius spectaculis, uoluptates etiã exquisitas Aphrica sub deuotione transmisit. Cunctis itaque eximia laude cõpletis, tanto amore ciuibus Romanis insederat, ut eius adhuc præsentiam desiderantes, Rauennam ad gloriosi patris remearet † affectus. Vbi iteratis editionibus, tanta Gothis Romanisq; dona largitus est, ut solus potuerit superare, quẽ Romæ celebrauerat consulatum.

al. aspectus

Derthonæ antiquũ marmor uisit̃ in diui Martiani cœnobio, ubi tumulus est, quem antiqua inscriptio Boethio & Eutharico Coss. factum ostendit. Licet hi Coss. simul hic in eodem magistratu non reperiantur: aut fortè superius, ubi solius Boethij consulatus ponitur, ambo sint scribendi.

EPILOGVS.

Igitur ũt effusam annorũ seriem autorum testificatione digestam, sub breuitatis cõpendio redigamus: ab Adam usq; ad diluuium, sicut ex Chronicis Eusebij Hieronymi collegimus, anni sunt II. CC. XLII. A' diluuio usque ad Ninum Assyriorum regem, DCCCXCVIX. A' Nino usq; ad Latinum regem, anni sunt DCCCLII. A' Latino rege usq; ad Romulũ, anni sunt CCCCLVII. A' Romulo usq; ad Brutũ & Tarquiniũ primos Coss. anni sunt CCXLII. A' Bruto & Tarquinio usq; ad consulatum uestrum, ut ex T. Liuio, & Aufidio Basso, & Paschali, clarorum uirorum auctoritate firmato, collegimus, anni sunt MCCLXX. ac sic totus ordo seculorum usq; ad consulatum uestrum, colliguntur anni V. DCCXLI.

Hactenus Cassiodorus, qui Eusebium in libris Temporũ sese imitatũ scribit, & Liuium, & Aufidium Bassum, cuius & Tacitus Cornelius meminit in Dialogo oratorum, & senior Plinius in præfatione Naturalis historiæ: & iunior libro tertio Epistolarum: qui sine dubio pulcherrimam historiam scripsit, à cuius fine maior Plinius se orsum scribit. Verùm ut bona pars Liuij, ita totus Aufidius

CHRISTI

FINIS annorum urbis cond.

Bassus interijt: licet quædam uerba de morte Ciceronis extent. Seneca illum uidisse se testatur. Paschalem hactenus non uidi, nec qui se uidisse testaretur ullum noui. De numeris annorum in hoc epilogo necesse est hoc animis lectorum inculcare, numeros ubique esse deprauatos & in Eusebio, & in Cassiodoro. Nam quũ Cassiodorus scribat, à Bruto & Tarquinio Coss. usq; ad cõsulatum Eucharici & Iustini numerari annos M. & XXXI. (sic enim habent Cassiodori exempla quæ uidi) quomodo proueniet numerus annorũ ad Philippum Cæsarem, quo millesimus urbis numerabatur, & à Philippo usq; huc, quo numerant 1270. ab ur. con. &c. si sex illas Olympiadas subtraxeris omnino, ueniet V DCCCC. anni, & aliquot, ut liquet supputãti. Inueni tamen post Cassiodori uerba in illo unico ac uetustissimo codice, aliquos adhuc Coss. fortè usq; ad sua tempora quib. uixerat, quos etiam ne perirẽt, subiũxi. Quoad enim possum, antiquitatis sum strenuus & indefessus uindex. Deus Optimus Maximus tam diu mihi uitam proroget, ut possim hos Annales Cassiodori ad nostra usq; tempora deducere: id quod anxiè dies noctesq; meditor, illucq; omnes meos conatus dirigo, ac omnes bibliothecas euoluo, ut annales ab interitu uindicem, qui multa secula latuerunt. Sic nuper cum oratorem agerem Cæsaris Maximiliani ad Hungariæ regem Vladislaum, Diodori Siculi, Procopij, & Ioannis Monachi historias, hactenus latinitate nõ donatas, & nostris incognitas, è tenebris erui, ut Latinos adirẽt, ac multa quæ nos fugerunt edocerent. Sed iam Coss. apponã reliquos, quasi appendicem huius operis, quos apud Marcellinum reperi. Lector boni & id consulas.

Imp. Iust.

IVSTINVS IMP.

RVSTICIVS, ET VITALIVS AVG. AVG. COSS. 1

519 Puto scribendũ, Vitalianus. Tradit enim Iornandes, quod Iustinus Imperator Vitalianum ad se euocauit, & præsentem magistrum militum & consulem ordinariũ fecerit. Quod tum factum puto (quia temporum supputatio accedit) quia in defectione sua ab Anastasio multas cædes commisit, & reconciliatus Iustino Imperatori, iterum dominari uelle uidebatur. de quo Ioannes Monachus in Iustino. Sed hic Vitalianus postea à Byzantijs interfectus est. Iornandes in Annalibus, anno quingentesimodecimonono: Iustinus Augustus legatos Apostolicæ sedis ab Hormisda Papa Constantinopolim pro fide missos, summo tum honore suscepit, eisq; in damnatione hæreseos per omnia consentaneus, plurima per eos Romam donaria misit.

VALERIVS, & IVSTINIANVS VIII. CC. 2

520 Horum Coss. sic meminit Marcellinus indictione decimaquarta: Iustiniani & Valerij consulatu, famosissimũ hunc consulatũ Iustinianus consul, omniũ orientaliũ consulatuum profectò munificentior, his liberalitatibus edidit. Nam ducentorum nonagintaocto solidorũ in populum, inq; spectacula, siue in spectaculorũ machinas distributa: uiginti leones, triginta pardos, exceptis alijs feris, in amphitheatro simul exhibuit. Numerosos præterea phaleratosq; in circo caballos, iam donatis quoque * impertuum aurigis, una duntaxat mappa insaniente populo denegata. Iornandes anno quingẽtesimo uigesimo: Hac tempestate Theodericus rex Francorũ cum filio Theodeberto Thuringos petens, immensa eos cæde protriuit, & Hermenfredum regem eorũ fugauit. Quem postea fide data ad se uenientẽ suscipiens, è muro pręcipitauit, et filios eius occidi fecit. Iustinus sororis suæ filium Iustinianum consulem fecit, cum Valerio collega: qui consulatus contra legem Marciani adeò insignis fuit ludis atq; muneribus, ut facilè superiores superauerit. Viginti leones iubatos, et triginta pardos exhibuit, aliasq; innumerabiles feras. Itẽ gladiatores, et scenas, circẽsesq;, et magna aurigarũ pręmia, in quibus ultima tantũ mappa denegata est à populo, propter factiones.

SYMMACHVS, & BOETHIVS IIII. CC. 3

521 Quomodo illi duo à Theoderico sint occisi, superius ex Procopio narrauimus. Sed id postea factũ. Paulus Diaconus uerò ita inquit: Theodericus rabie suæ iniquitatis stimulatus, Symmachũ exconsulẽ et Patriciũ, et Boethiũ Senatorẽ et excõsulẽ, catholicos uiros, gladio trucidauit. In uetustissimis annalibus cõperi, eum annũ quo Sym-

Imp. Iust. machus & Boethius Coss. fuerant, extitisse uigesimum penè ab anno salutis, supra CHRI quingentesimum. quo anno Ioannes Constantinopolitanus episcopus hæreticus, STI duas Christo naturas tribuens, de cœlo ictus, luit suę impietatis pœnas. Iornandes in Annalibus, anno quingentesimo uigesimoprimo: Iustinus Augustus hæreticis infestus, Arrianos etiã Constantinopoli persequit. Vnde iratus rex Theodericus Italiæ, Arrianis exitiũ minitat, in Italia Catholicis. Sed cur hic scribat Boethius quartũ consul, quærendũ est. Nam & Derthonæ in diui Marciani cœnobio marmor adhuc extat, ubi tumulus est, in quo inscriptio uisitur, Boethio & Eutharico Coss. ut inde facilè conijci poßit, alios quoq; magistratus plures, & consulatus, ipsum gesßisse.

4 MAXIMVS II. C.

Illius Maximi mentio fit in Procopio, li. 3. de bello Gothorũ, qui unà cum Olibrio, 522 Decio & Oreste fugit in templũ S. Petri, cum Totylas rex Gothorũ urbem cæpit. Huius etiam meminit Caßiodorus in quinto Variarũ. Iornandes anno D. X X I I. In Aphrica mortuo tandem Trasamundo rege Vuandalorũ, Arriano, Hildericus pro eo regnauit annis octo: qui statim in principio regni ecclesias diu clausas aperuit, & omnes Catholicos de exilijs reuocare studuit, & optatam Ecclesiæ pacem restituit.

5 OPILIO, ET IVSTINVS. AVGG. IIII. CC.

Opilionis meminit Procopius lib. 1. belli Gothici, quem scilicet cum Liberio Theo 523 datus ad Iustinianũ Imperatorem mittit, contra Amalasuinthã. Meminit item Caßiodorus lib. 8. Variarũ. Horum Coss. sic meminit Marcellinus indictione secunda: Iustini Augusti & Opilionis cõsulatu, His Coss. inopia olei magnam penuriã in populum importauit. Iornandes anno quingentesimo uigesimotertio: Romæ Ioannes Papa quinquagesimusquintus, sedit annis duobus, mensibus nouem: qui cœmeteria in urbe restaurãs, & alijs bonis instans, à Theoderico Constantinopolim legatus mittitur, & summo honore & gaudio à Iustino Augusto & cunctis ciuibus susceptus, ad portam quæ dicitur aurea cæcum illuminat: & coronato à se Iustino Augusto, & pro quibus uenerat impetratis, donarijs & muneribus donatus reuertitur.

6 PROBVS, ET FILOXENVS. IIII. CC.

Horum Coss. sic meminit Marcellinus indictione tertia: Philoxeni & Probi con- 524 sulatu, Ioannes Romanę ecclesię Papa L V. anno, & Petri apostoli pontificumq; præsulis C C C C L X X V. seßionis eius, Theoderico rege sese pro Arrianis suę cæremonię reparandis infecto, solus duntaxat Romanorũ sibimet decessorũ orbe digressus, Constantinopolim uenit, miro honore susceptus est, & dexter dextrũ insedit solium, diemq; Domini nostri Resurrectionis plena uoce Romanis precibus celebrauit. Iornandes in Annalibus, anno D. X X I I I I. Theodericus rex Gothorũ & tyrannus Romanorũ, inter alia mala, Boetium patriciũ & philosophũ diu carceratũ occidit. Nec multo pòst socerũ eius Symmachũ, patriciũ itidem, peremit. Ioannem quoq; papam beatũ de Constantinopoli reuersum, Rauennę unà cum comitibus carceris afflictione necauit X V. calẽdas Iunias. Qui non multo pòst Romam relatus, apud sanctum Petrum sepultus est. Probi meminit Procopius lib. 1. belli Persici, quem dicit Anastasij principis sororis filiũ patriciũ fuisse, ac à Iustino ad Bosphorum ciuitatẽ maritimã iuxta Euxinũ Pontũ missum, ut Hunnorũ exercitũ ad præstãda auxilia Iberis induceret. Nam Cabades Persarũ rex Iberos cogere ad deserendam fidem Christi uoluit.

7 OLYBRIVS V C.

Procopius 3. lib. belli Gothici, hunc Olybriũ tradit cum cæteris fugisse ad templũ 525 S. Petri, cum Totylas rex urbem cæpit. Iornandes anno D. X X V. Theodericus tyrannus post tres menses, ab obitu Papę Ioannis, post multa mala sua, Dei iudicio subitanea morte Rauennæ interijt. Et sicut solitario cuidã reuelatũ est, à Ioanne Papa & Symmacho patricio in ollam Vulcani deiectus, anno regni Italici 32. Post quem nepos eius Athalaricus puer, cum matre Amalasuintha, regnãt annos octo. Romæ Fœlix quartus, Papa quinquagesimussextus, sedit annis quatuor, mẽsibus duobus. Qui fecit basilicam sanctorũ Cosmæ & Damiani, uia Sacra, & S. Saturnini Salaria.

MABVRTINVS VC.

CHRISTI 526 Error est. Mauortius est enim legendũ, qui cõsul fuit sub Iustino, cuius etiã meminit 8
Pomponius Lætus in suis Cæsaribus: sub quo fertur Iustinianus à Iustino adoptatus. Huius consulatus sic meminit Marcellinus in suis Chronicis indictione quinta: Mauortij solius consulatus, anno regiæ urbis conditæ centesimo nonagesimoseptimo, Iustinianus Imperator Iustinianũ ex sorore sua nepotẽ iamdudũ à se nobilissimũ designatũ principẽ, regemq́ꝫ, sui successorẽ creauit Cal. Aprilis. Ipse uerò 4. ab hoc mense uita excessit, anno Imperij sui nono, mense 2. Qui quidẽ numerus annorũ urbis cõditæ penitus est deprauatus, nec subsistere ullo modo potest. Ante enim tẽpora Anastasij numerabatur millesimus quadragesimus quartus annus: cum Paulus Diaconus tũ cessaret numerũ annorũ urbis cõditę scribere, inchoans numerare ab incarnatione Christi: quẽ sumus sequuti. Ob id uerba illa sunt uana, nisi quòd uereor ne codex sit corruptus. In ceteris concordat Iornandes in Annalibus, sic scribens: Anno quingentesimosexto, Constantinopoli Iustinus Imperator Iustinianum regni cõsorem & successorem faciens obijt. Pro quo Iustinianus ex sorore nepos eius, imperauit annis 38. multa pietate & prudentia conspicuus, nisi in quibusdam hæreticis fauisset.

IVSTINIANVS AVG.

IVSTINIANVS AVG. II VC.

527 Iornandes, anno DXXVII. Iustinianus Augustus Belisariũ amicũ suum principẽ militiæ fecit. Per quem & de Parthis triumphauit, & magna ex parte Rempub. recuperauit. Gens Vuinilorũ siue Longobardorũ rege Obluino Pannoniã inuasit, ibiq́ꝫ habitare cœpit. His tẽporibus beatus Abbas Benedictus immensa uirtutũ gloria claruit. Priscianus quoq́ꝫ Grãmaticus ijs fuit tẽporibus. In uetusto codice lego, S. Benedictum claruisse anno D. CCCC XXIIII. quod etiam fieri possibile est.

DECIVS VC. 2

528 Hic Decius unà cum Basilio ex urbe fugerunt, quando Totylas urbem cæpit, ut scribit Procopius lib. tertio de bello Gothorũ. Anno quingentesimo uigesimooctauo, tradit Iornandes exercitum Romanum sabbato Paschæ à Parthis superatum.

LAMPADIVS, & ORESTES IIII. CC. 3

529 Iornandes anno quingentesimo uigesimonono: In Aphrica occiso malè Helderico rege Vuandalorũ Catholico, Geilamar regnũ inuadens, tanta feritate in Catholicos & in omnes debacchatur, ut nec parentibus suis parceret. Romæ Bonifacius episcopus, & Papa quinquagesimusseptimus, sedit annis duobus, mẽse fermè uno. Cum quo per diss nsionem ordinatus Dioscorus, paucis pòst diebus est mortuus. Quem tamen Bon facius collecta synodo damnare molitus est.

PC. LAMPADII, & ORESTIS IIII. CC. 4

530 De ijs Coss. sic scribit Beda li. Temporũ: Dionysius Paschales scribit circulos, incipiẽs ab anno Dominicę incarnationis DXXXII. q est annus Diocletiani CCXLVIII post consulatũ Lãpadij & Orestis, quo anno codex Iustiniani orbi est promulgatus. Huius cõsulatus sic meminit Marcellinus indictione decima: Post cõsulatũ Lãpadij & Orestis, Hypatius Probus & Põpeius genere consobrini, diui Anastasij Imperatoris nepotes, imperiũ quod sibi singuli indigni ambitione exoptabant, Idus Ianuarias, iam plerisq́ꝫ nobiliũ cõiuratis, omniq́ꝫ seditiosorũ turba armis donisq́ꝫ ac ministerijs illecta, dolis inuadere tractauerũt. In qua per quinq́ꝫ cõtinuos dies urbẽ regiã rapinis, ferro igneq́ꝫ per sceleratos ciues, sine certo interrege discurrẽtes, hostili impietate ipsi se fideles R.P. in Palatio dissimulãtes depopulati sunt. Quodã uerò huius nefãdi facinoris die, dũ se foro Hypatius sceleratorũ comitũ manibus, torque redimitus aureo, & Põpeius comes eius sub ueste sua loricatus ad inuadendũ conscendunt Palatiũ, uterq́ꝫ eorũ ante fores Palatij captus est: statimq́ꝫ ante pijssimi Principis pedes cathenatus tractus, pœnas luit: & antè Imperium perdidit, quàm haberet: innumeris passim in circo populis trucidatis, & tyrannorũ socijs cõtinuò proscriptis. Ecclesiã incẽsam tunc, mox cœpit idem Augustus renouare. Iornãdes, anno quingẽtesimo tricesimo:

Imp.Iust. Bonifacius Papa Vigilium diaconũ post se Papam eligi in synodo, sub chirographo CHRI- decreuit. Quod tamen postea rescindens, quia contra canones erat, combussit. Ipse STI in periculo famis clerum & pauperes alimonia iuuit.

5 IVSTINIANVS AVG. III. COS.

Iornandes anno quingentesimo tricesimoprimo: Ab hoc anno, scilicet Iustini Imperatoris sexto, Dionysius Abbas utriusq; linguæ peritissimus, cyclum magnum Paschalem inchoat: qui iam semel ab incarnatione Domini in annis D XXXII. exactus, totidem annos in se continet. Incipit autẽ à primo Diocletiani anno, unde Graeci suos cyclos inchoabant, cyclis decẽnalibus tredecim exactis, idẽ annis CCXLVII Romę Iohannes secundus, qui et Mercurius Papa quinquagesimusoctauus, sedit annis duobus, mensibus quatuor. Ad hunc Iustinianus Augustus de fide sua literas & donaria S. Petro transmisit. Theodericus rex Francorũ, anno regni uigesimoquarto moritur, & Metis sepelitur, pro quo filius eius Theodebertus regnat annos XIIII. 531

6 IVSTINIANVS AVG. IIII. & PAVLINVS COSS.

Marcellinus indictione duodecima, Iustiniani Augusti IIII. & Paulini consulatu: Prouincia Aphrica, quæ in diuisione orbis terrarum à plerisq; in tertia parte posita est, uolente Deo uindicata est. Carthago quoq; ciuitas eius, anno excidionis suæ nonagesimosexto, pulsis deuictisq; Vuandalis, & Gilimere rege eorum capto, & Constantinopolim misso, quarto Iustiniani principis consulatu, ipsius moderatione recepta est, sua cum patria, pulchriusq; quàm dudum fuit redintegrata. Quo tempore Theodahasus Gothorum rex Amalasuintam reginam creatricem suam de regno euulsam, in insula Iacubusnensi occidit. Cuius mortem Imperator ut doluit, sic est ultus. Iornandes, nisi notę numerorum sint deprauatæ, in sequentem annum reijcit. Nolui tamen mutare quicquam: quia prudens lector facilè, etiam quæ transposita sunt, in ordinem rediget. 532

7 BELISARIVS VC.

Quomodo Iustinianus Belisarium primum ducem Orientis cum exercitu constituerit, Procopius latè libro primo de bello Persico. Sed idem libro quarto, de bello Vuandalico scribit, quomodo consul factus triumphũ egit de Gilimere rege Vuandalorum. Et quæ in primo consulatu gesserit, idem Procopius libro primo de bello Gothorum eleganter enarrat. Huius consulatus sic meminit Marcellinus indictione decimatertia: Belisarij solius consulatu, postquam Carthago Libyaq; suo cum rege Gilimere per Belisarium est subiugata, de Roma Italiaq; deliberauit Imperator. iterumq; expeditio, iterumq; classis paratur: idemq; ductor, qui consul eligitur, rectoq; nauigio in Siciliam properat, Catinam & Syracusam sine mora, immò omnem peruadit Trinacriam. Ibiq; comperiens, quòd in Aphrica ciuile bellum exoritur, et miles in proprium ducem insurgit, cum paucis ad Aphricã tendit: Solomoni, qui pręerat, subuenit. Exercitum uerò partim blandiendo, partim ulciscendo, inimicum tyrannum effugando, Reipub. consulit utilitati, remẽsoq; nauigio Trinacriam redijt. Agapitus tertius Romanæ urbis episcopus, à Theodato rege Gothorum in legationem directus, Constantinopolim uenit. Tzita Patricius in Misia cum hoste Bulgarũ congrediẽs, superior euadit. Epiphanius episcopus Regiæ urbis, antę aduentũ Romani præsulis moritur. Cuius episcopatum contra canones Anthemius, Trapezatena ecclesia relicta, inuadit. Iornandes anno quingentesimo tricesimotertio: Romæ mortuo Athalarico rege Gothorum, Amalasuinta Theodatum in consortium regni assumit. Qui tamen ipsam non multo pòst occidi iussit, & regnum sibi soli usurpauit. Obseruandum tamen est, ne numerus sit corruptus: quia anno sequenti quingentesimo tricesimoquarto nihil ponitur. Sed anno quingentesimo tricesimoquarto sic scribitur: Belisarius Patricius à Iustiniano Imperatore missus, Vuandalorum gentem in Aphrica bello uictam deleuit. Geilamerum regem eorum captum, Constantinopolim abduxit: & Carthaginem Reipub. restituit, post annum nonagesimumquartum, ex quo à Genserico capta est. Geilamer quoque post aliquot annos à Iustiniano Augusto 533

CHRISTI gusto Comes effectus est, & in terminos Parthorū, ad eos arcendos constitutus est. B

P C. BELISARII V C.

534 Huius consulatus sic meminit Marcellinus indictione decimaquarta: Post consulatū Belisarij Ebremud Theodati gener, inducto exercitu regio in Brutios, ad Belisarium euolauit. In Aphrica uerò Solomone identidem cum exercitu dissidente, Germanus succedit, Solomonem remittens ad principem. Belisarius Campaniam transiens, Neapolim uastat. Gothorum exercitus Theodatum habens suspectum, Vuitigem in regnum ascíscit: qui mox in campo Barbarico regnum perdit: expeditione soluta Romam ingreditur. Vbi iam Agapito Cōstantinopoli defuncto, Theodatus rex Siluerium in episcopatum surrogat, ibiq; residens dirigit Rauennam: Theodatum occidit in loco qui dicitur Quintus, iuxta fluuium Salernum: & ipse subsequitur, per Tusciā, omnes opes Theodati diripiens, quæ in insula uel in urbe Venetus congregauerat. Rauennam ingressus, Matesuintam neptem Theoderici, sibi sociam in regno pulsam copulat. Quam ob rem Belisarius, Domino fauente, Romam ingreditur. Germanus in Aphrica feliciter administrat. Agapitus Constantinopolim, ut diximus, Episcopus à Roma aduenìens, Anthemium mox ecclesia pellit: dicens, eum iuxta Ecclesiasticam regulam adulterū, qui sua dimissa ambierat alienā. In cuius locū Memiam presbyterū Episcopum ordinauit, & ipse extremo die obijt in Domino. In nullo tamē, sicut ei à principe immaniss. obiectū erat, sentiens contra fidem. Ipso autem illo anno ob nimiam siccitatem pastura in Perside denegata, circiter XV Sarracenorū ab Alamundato Coonchabo & Hezydosylartis limites Euphratis ingressa: ubi Barseas dux eos partim blanditijs, partim distractione pacifica fouit,

536 & inhiantes bella repressit. Iornandes anno quingentesimo trigesimosexto: Romæ Agapitus Papa quinquagesimusnonus sedit, anno ferè uno. Hic à Theodato tyranno pro gratia Iustiniani Augusti, propter occisam Amalasuintam sibi infensi, Constantinopolim missus, constanter cum Augusto pro fide catholica certauit. Anthemium eiusdem urbis Episcopum hæreticum conuictum damnauit, & in locum eius fauente Augusto Nicenam ordinauit. Ipseq; ibidem morbo tactus obijt: & in loculo plumbeo Romam relatus, ad S. Petrum sepultus est. 9

IT. P C. BELISARII V C.

537 Huius consulatus sic meminit Marcellinus indictione decimaquinta: Iterū post consulatum Belisarij, Vuitigis tyrannus exercitu aggregato, Romam obsidet. Cui tunc fauentem Papā Siluerium Belisarius ab episcopatu submouit, & loco eius Vigilium diaconum ordinauit. Temporeq; longo Romam obsidente Vuitige, Belisarius intus inedia laborans, Vigilij auxilium ab Imperatore deposcit. Cui directi sunt Martianus & Valerianus, uterq; magister militiæ. Nec sic tamen Vuitigis obsidionē reliquit. In Aphrica Germanus rebelliones militū cum Stroza tyranno inter Maurorū deserta bellādo effugat. In oriente quoq; Iohannes Scotistis arripiens tyrannidē, antequam aduersi quicquam tentaret, Daras extinctus est. Ecclesia maior Constantinopolis ab imperatore Iustiniano singulariter in mundo constructa, die quinto Cal. Ianuarij, indictione prima. Iornādes anno quingentesimo tricesimoseptimo: Romæ Siluerius Hormisdæ dudum Papæ filius, contra uoluntatē cleri à Theodato tyranno pecunia corrupto, sexagesimus Papa uiolenter promotus, sedit anno uno, mēsibus quinq;. Theodatus tyrānus abhinc post duos mēses à Vitigiso peremptus, Vuitigis rex factus est. Belisarius patricius à Iustiniano Augusto in Italiā contra Gothos missus, per Siciliā transiens, & Sunderat ducē eius uicerat: Aphricamq; de tyrānis eruens, Neapolim transfretauit: ipsamq; urbē sibi resistentē obsessam ui cæpit, & tam ciues quàm Gothos nulli parcens trucidauit. Inde cum urbem Romā ingressus esset, Gothi omnes qui ibi fuerant, nocte egressi, fugientes petiere Rauennā. Quos insequutus conserto prælio, septem millia ex eis occidit. Vuitigis uerò collecto grandi exercitu, Belisarium, urbemq; Romam uno anno possedit: omniaq; circumuastans, urbem bello & fame oppresit. Postea uerò egresso Belisario, pugna commissa uictus, Rauennam aufugit, Fames tanta facta est, ut in Liguria quædam mulieres

Imp. Iust. mulieres paruulos suos comederent. Siluerius Papa cũ in restitutione Anthemij & communione hæreticorum Augustis nollet parêre, iussu ipsorum à Belisario patricio falso criminatus, & secretò positus, monachiq; habitu indutus, indictione decimaquinta à Vigilio diacono exilio afflictus, & deficiens, XII Cal. Iul. post obitum etiam miraculis claruit. Ipseq; Vigilius Papa sexagesimusprimus ordinatus, sedit annis decem & septem, mensibus septem. Ipsis diebus Belisarius Theodebertum regẽ Francorum, cum grandi exercitu Italiam ingressum, uicit, & inde reuerti coegit. Ipse Romæ S. Petro dona obtulit. CHRISTI

10 IOHANNES VC.

Vide quæ scribit Procopius in libro de bello Gothico, de hoc Iohanne: multa etenim sunt, quæ hæc pagina non capit. Ab eodem in fine primi libri de bello Persico cognominatur Capadox, & præfectus fuerat Prætorij. Sed in seditione ab Iustiniano deiectus magistratu, pòst in exilium actus, hinc ultimo punitus supplicio. Lege illic longam & pulchrã historiam. Sed & de eodem, in fine libri secundi de bello Persico. Iornandes in Annalibus, anno quingentesimo tricesimooctauo: Belisarius patricius commissa cum Gothis pugna, iterum uictor, Vuitigisum regẽ eorum in ipsa fuga à Iohanne Sangrinario magistro militum comprehẽsum, & Romam adductũ, ipse & Vigilius Papa Constantinopolim, cum uxore & thezauris, ad Iustinianum Augustum perduxere. A' quo Patricius & Comes factus, in Orientem contra Parthorum seu Persarum excursiones constitutus, ibidem uitam finiuit. Gothi in Liguria manentes, Hellebadum regem sibi eleuant, iterumq; Romanis rebellant. 538

11 APPIVS VC. COS.

Anno quingentesimo tricesimonono, Parthi rupta pace, Antiochiam totamq; Syriam inuadentes deuastant: donec à Belisario tandem repulsi, ad terminos suos redierunt. Posteaq; à Martino duce pax cum eis facta est, Belisario ad Italiam contra Totylã reuocato. Gothi Hellebado post unum annũ perempto, Errariũ regẽ faciũt. 539

12 IVSTINVS IVNIOR VC.

Hic Iustinus filius fuit Germani, uir industrius, & ad res gerendas promptior, licet iuuenis, atq; adeò ut nondum annis maturus consularem ascenderit currum: de quo multa Procopius libro tertio belli Gothici. Anno quingentesimo quadragesimo, in Italia occiso post unum annum Errario rege, Gothi Totylam, qui & Babinda dictus est, regem sibi statuunt: qui bellorum fretus successibus, Romanum exercitum ducesq; aliquoties superauit. Et per multos annos Italiam totam, ipsamq; urbem Romam captam, pluribus malis attritam euastauit. 540

13 BASILIVS VC.

Et huius crebrò meminit Procopius de bello Gothico, anno quingentesimo quadragesimoprimo: Totyla per hæc tempora apud Fauentinum Aemiliæ oppidum, Romanum exercitum superat. Nec multo pòst iterum duces Romanos fugans, partim ui donisq; exercitũ superauit. Et tyrannidi instans, Romã & Campaniã uastat. 541

14 PC. BASILII VC.

Anno quingentesimo quadragesimo secundo: Circa id tempus corpus S. Anthonij monachi diuinitùs reuelatum, & Alexandriam translatum, in ecclesia sancti Iohannis Baptistæ tumulatum est. Hoc etiã tempore quinta Synodus uniuersalis Constantinopoli, contra Theodorum, & omnes hæreticos, sub Vigilio Papa collecta est. 542

15 IT. PC. BASILII VC.

Anno quingentesimo quadragesimotertio: Per hæc tempora cũ Belisarius à Parthorum finibus ad auxilium Italiæ reuocatus, & diu impeditus, tandem cum modica classe Romã iam penè uastatam ingressus esset, Totilæ superirruentis exercitũ cõmisso prælio fudit, & in Tyberi mersit, ipsumq; in Campaniã repulit. Hoc tempore Benedictus Abbas, cum discipulum suum Maurum ad Gallias transmisisset, migrauit ipse post multas uirtutes ad Dominum. 543

ET IT. PC. BASILII VC. 16

CHRISTI

Huius consulatus meminit Marcellinus indictione sexta: Post Consulatum Basilij
544 anno tertio, Totila uastat Campaniam, urbesque muratas euertens, per suos Tiburim
obsidet. Mortalitas magna Italiam deuastat, Orientem iam & Illyricum peræque at-
tritos. In Oriente iam Persis adhuc tenentibus conflictum cum nostris, Sergius in A-
phrica inquietatur à rebellionibus cum Stoza & Mauris. Iornandes anno quingente
simo quadragesimoquarto: S. Remigius Remorum episcopus, & gentis Franco-
rum Apostolus, anno episcopatus septuagesimoquarto, Idus Ianuarij, plenis uirtuti-
bus migrauit ad Dominum. Arator subdiaconus Romanus librum suum, quem de
Actibus Apostolorum heroico metro edidit, Vigilio papæ oblatum, publicè cum
magno fauore recitauit.

IIII. PC. BASILII VC. 17

545 Anno quingentesimo quadragesimoquinto: Hoc tempore cum Besilarius à Sici
lia iussu Augusti Constantinopolim reuocatus esset, Totila iam securus Romam ite-
rum inuasit: & sequuto tempore collectis uiribus, Siciliam etiam inuasam cæpit: to-
tamque insultans Romanis, qui diuersis occasionibus subducti erant, deuastat Italiã.

V. PC. BASILII VC. 18

546 Anno quingentesimo quadragesimo sexto, Theobertus rex Francorum strenuus
& fortis moritur, & filius eius Theodpaldus, multum patre nequior & ignauior,
pro eo regnat annis septem.

VI. PC. BASILII VC. 19

547 Huius consulatus sic meminit Marcellinus indictione nona: Post consulatum Ba
silij anno sexto, Vigilius Papa LVIIII ab apostolo Petro, euocatus ab Imperato-
re Roma egreditur, & Siciliam uenit. Totyla occupata Lucania & Brutio, Romam
obsidet. De Aphrica Sergius euocatur, & Ariouinda nepte Imperatoris accepta ibi,
iudex dirigitur. In Oriente fœdus cum Parthis initur, per Constantinum magistrum
militiæ, & exercitus reuertitur Constantinopolim. Iornandes anno quingentesimo
quadragesimoseptimo: His temporibus Vigilius Papa cum ad consensum hærese-
os, & restitutionem Anthemij episcopi nullatenus adduci posset, iussu Imperiali ui ca
ptus, & Constantinopolim perductus, cum constanter in incepto perstitisset, nec Au
gusto cessisset, cum comitibus affectus est exilio, abductusque, & per annos aliquot
grauiter afflictus.

VII. PC. BASILII VC. 20

548 Anno quingentesimo quadragesimooctauo: Per hæc tempora Iustinianus Au-
gustus, inter alia magnifica basilicã Saluatoris, quæ Hagia Sophia dicitur, incompa-
rabili opere Constantinopoli construxit. Ipse leges Romanas ferè infinitas abbreuia
tas collegit, & leges quæ Iustinianeæ dicuntur composuit. Huius consulatus sic me-
minit Marcellinus indictione decima: Post cõsulatum Basilij anno septimo, Gothi le
gationem mittunt ad Imperatorem per Episcopum ciuitatis Assisinatium, nomine
Auerratium. Iohannes magister militũ ad Italiam pergit. Belisarius à Rauenna egres-
sus uenit ad Dyrrachium, indeque directo Iohanne Calabria, ipse per Siciliam Romã
perrexit. Papa Vigilius ingressus est Constantinopolim VIII Calẽdas Februarias.
Totila dolo Isaurorum ingreditur Romam, die XVI. Cal. Ianuarij, ac euertit muros,
domos aliquantas igni comburens: ac omnium Romanorũ res in prædam accepit.
Hos ipsos Romanos in Campaniam captiuos abduxit. Post quam deuastationem
XL aut amplius dies, Roma fuit ita desolata, ut nemo ibi hominum nisi bestiæ mora
rentur. Hinc ueniens Belisarius, murorũ partem restaurat, uenienteque Totyla ad pu-
gnam resistit. Eodemque anno de Aphrica neptis Imperatoris reuertitur uidua, occiso
Ariouinda à Gunthario tyranno, qui cum Stroza iuniore tractus, eum occiderat.
Sed Arthabanis utrosque comprehensos Gunthariæ occidit. Iohannem idem Stozi-
am iuniorem uinctum transmittit ad Principem. Post aliquantos dies mittitur in A-
phricam Iohannes, & Arthabanis euocatus præsentale accepit magisterium.

VIII.

VIII. PC. BASILII VC.

21 Anno quingentesimo quadragesimo nono. Hoc tempore gens Gepidarũ forti à rege Alboino & Longobardis, qui in Pannonia tunc habitabant, prælio uicta, & penè deleta est: & Chunimundus rex eorum occisus est. De cuius capite auro incluso Alboim sibi pateram fecit, filiamq; eius Rosmodã inter alios multos captiuam, postea defuncta coniuge, Lotharij regis Francorũ filia, in sui perniciẽ sibi iunxit uxorem. 549

22 IX. PC. BASILII VC.

Anno quingentesimo quinquagesimo. Victor episcopus Captianus, de huius anni Pascha scribens, erroneos Victorij cyclos arguit. Hoc tempore Totyla rex Gothorum, iterum Romam obsessam, & fame nimis oppressam cæpit. Et quibusdam senatoribus confugientibus, securus urbem possidet. 550

23 X. PC. BASILII VC.

Anno quingentesimo quinquagesimo primo. Huc usq; Iornandes episcopus Chronica sua de gestis Romanorũ abbreuiata perduxit. His temporibus in Aphrica Mauri per Iohannem patricium domiti sunt. Sic autem scribit Iornandes in Chronica ad Vigilium, in præfatione: Ab ipso Romulo ædificatore originem sumens, in uicesimumquartum annum Iustiniani Imperatoris, quamuis breuiter, uno tamen in tuo nomine, & hoc paruissimo libello confeci. In fine uerò operis sic inquit: Hæ sunt causæ Romanæ Reipub. Præter instantiam cotidianam Bulgarum, Antium & Sclauinorum. quæ si quis scire cupit, Annales Consulumq; seriem reuoluat sine fastidio, reperietq; dignam nostri temporis Rempub. tragœdia: scietq; unde orta, quomodo aucta, qualiter'ue sibi cunctas terras subdiderit, & quomodo iterum eas ab ignaris rectoribus amiserit. Quod & nos pro captu ingenij breuiter tetigimus, quatenus diligens lector latius ista legendo cognoscat. 551

24 XI. PC. BASILII VC.

Hoc tempore Iustinianus Aug. Narsetem eunuchum, chartularium & cubicularium suum, principem militiæ fecit, & in Italiam misit. Qui commissa pugna, Dei gratia uictor, Totylam occidit, & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italiam exterminauit. Per hæc tempora, cum Bucellinus comes cum socijs à Theodberto rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliamq; infestaret, & Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus eius profluuio uentris attritus & attenuatus, Narses pugna uictus & profligatus, ipse dux occisus est. Nec multo pòst, socius eius Omnirugus dux, cum reliquis Gothorum, quibus se iunxit, peremptus est. 552

25 XII. PC. BASILII VC.

Anno DLIII. Theobaldus rex Francorum moritur, & regnum eius, uxoremq; Vuanderadam Lotharius rex, patris eius Theodeberti patruus, accepit, qui iam XLIIII annis regnabat. quo ipso anno Lotharius ipse Saxones rebellantes iuxta Vuiseram fluuium magna cæde domuit, & Thuringiam peruasam deuastauit. 553

26 XIII. PC. BASILII VC.

Vigilius Papa tandem ab Imperatoribus Romanis & Narsete de exilio relaxatus, cum Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit. Moxq; Romam perlatus, apud sanctũ Marcellum in uia Salaria sepultus est. Pro quo ordinatus Pelagius Papa LXII. sedit annis XI. mensibus X. Qui à Pop. Ro. factionis contra Vigilium incusatus, celebratis unà cum Narsete Letanijs, apud sanctum Petrũ ambone ascenso, euangelioq; super caput suum posito, iuramento se crimine purgauit. 554

27 XIIII. PC. BASILII VC.

Anno DLV. Hoc tempore Saxones iterum Lothario rebellantes, cum ab eo peterentur hostiliter, eiq; pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idq; exercitus Francorum refutatus eo inuito pugnasset: magna ab eis cæde protritus, fugæ præsidium petijt. 555

XV.

CHRISTI. XV. PC. BASILII VC. 28

556 Anno D L V I. His diebus Christianus, patri suo Lothario, annitente patruo Hildeberto, rebellans, regnum Francorum seditione perturbat. Saxones factione Hildeberti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

XVI. PC. BASILII VC. 29

557 Anno D L V I I. In Britannia Bridius rex Pictorũ efficitur. Hildebertus rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisius in basilica Sancti Vincentij à se constructa sepelitur: regnumq; eius frater Lotharius assumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.

XVII. PC. BASILII VC. 30

558 Anno. D L(X) V I I I. Christianus patrem Lotharium, quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eò ibidem cum Conobro rege pugna uictus & captus, cum uxore & filiabus uiuus incensus est. Quo etiã tempore Thuronis basilica sancti Martini, rebellibus ad eam fugientibus, igne crematur.

XVIII. PC. BASILII VC. 31

559 Sic quotidie deficiebat Consulatus, ut tandem qui annuus erat magistratus, fieret continuus: duraretq; apud aliquem decem & octo annis, sicut hic uidetis, quod prius nunquam contigit: ac postremò penitus obliteraretur, & sola umbra illius dignitatis remaneret, nec amplius post illos ad manus meas ueniret. Ob id hic finem Consulum statui. Quid dein Iustinianus in cæteris annis fecerit, require eius uitam, & in ea res gestas. Nã in annũ Christi D X I I I uitã suam produxit, quo mortuus esse dicitur.

In fine Chronicæ Marcellini inueni hæc, quæ ne perderentur, etiam subiunxi,

COLLECTIO OMNIVM ANNORVM istius Chronicæ.

Colliguntur omnes anni usq; in consulatum Valentis V I. & Valentiniani iunioris Augusti I I I, à X V anno Tiberij, & prædicatione Domini nostri Iesu Christi, anni C C C L I.

Ab anno Darij regis Persarum, quo tempore templum Hierosolymis instauratum est, anni D C C C L X X X X I X.

Ab Olympiade prima, qua ætate apud Hebręos Esaias prophetabat, anni M C L V.

A' Solomone & prima ædificatione templi, anni M C C C C X I.

A' captiuitate Troiæ, quo tẽpore Sampson apud Hebræos erat, anni M D L X I.

A' Moyse & Cecrope primo rege Atticæ, anni M D C C L X X X X.

Ab Abraham & regno Nini, & Semiramidis, anni I I. C C C X C V.

A' diluuio usq; Abraham, supputantur anni D C C C C X L I I.

Ab Adam usq; ad diluuium, anni I I. C C X L I I.

Fiunt ab Adam usq; ad X I I I I Valentis annum, id est, usq; ad Consulatum eius, & Valentiniani I I, omnes anni V. D L X X I X.

A' Valente V I. & Valentiniano iuniore, usq; consulatũ eius Eudoxij, colliguntur L X I I I I. anni. Et per hoc à X V. Tiberij anno, quo Dominus prædicare cœpit, ad consulatum Eudoxij & Dioscori, sunt anni C C C C X I.

A' Troiæ excidio usq; ad primam Olympiadem, anni sunt C C C C V I.

Item à Troię excidio usq; ad destructionem urbis Romæ, anni C C C C X X X V I. Quæ condita est à Romulo V I I. Olympiade, anno secundo, qui X V I I. ab Aenea regnauit.

Ab urbe Roma condita usq; ad aduentũ Domini, anni D C C L I I. & ab eadem conditione usq; ad passionem Domini, anni D C C L X X I. Et à passione usq; in consulatum Eustachij, anni C C C X C I I.

Simul

Simul ab urbe condita usque ad prædictum consulatum, colliguntur anni MCLXXV. usque ad consulatum Domini Theodosij XV. anni MCLXXXIX.

A morte Cæsaris usque ad Consulatũ Theodosij XV, fiunt anni CCCCLXXXVI.

Passus est Dominus Iesus Christus à cõstitutione mũdi, post annos V̄CCXXIX. Eusebius ponit V̄CCXXX. si numeri non sunt transpositi.

Ab Abraham autem usque ad passionem Domini, anni Ī I. XLIIII. Idem Eusebius libro Temporum, ubi agit de passione Domini.

A Passione Domini usque ad Consulatum Eustachij, anni sunt CCCXCIIII. & usque ad consulatum Domini Theodosij XV, anni CCCCIX.

CVSPINIANVS LECTORI S.

En aspice candide lector, quanto labore & quanto studio hos tibi Coss. congesserim, qui tot seculis latuerunt. Vnicum habui Cassiodori exemplar, quod meus Stabius, homo acerrimi ingenij, mihi attulit: & id plerisque in locis mutilum, ac penè abrasum fuit. Habui & Coss. cuiusdam ignoti autoris, quem tandem reperi, & uetustissima quædam Chronica, quibus item Coss. continebantur. Hos omnes contuli: & quos præterea apud Plinium, Liuium, Diodorum Siculum, Dionysium, Orosium, Eutropium, Ioannem Monachum, Iornandem, Bedam, passim comperi, citra inuidiam adduxi: quosque & in Iure ciuili, ac in saxis & uetustissimis monumentis legi. Tu si idem feceris, pauci credo supererunt, quos desiderabis, & bona pars Liuij restituetur. Duos tantum habeo oculos, quibus hæc inuestigaui. Tu lector & tuum adiunge laborem huic meo, ut fiat perfectior. Multa fortasse uidebis, quæ me fugerunt. Nec id mirum. Habes spacium, quo adscribas, quæ hic desunt. Iuua laborem, & affer quæ potes, & boni consule. Vale.

Ἀμὴν, καὶ τῷ Θεῷ χάρις.

COMMENTARII DE CONSVLIBVS IOANNIS CVSPINIANI FINIS.

AVSTRIA

IOANNIS CVSPINIANI CVM OMNIBVS EIVSDEM MARCHIONIBVS, DVCIBVS, ARchiducibus, ac rebus præclarè ad hæc usq; tempora ab ijsdem gestis.

EIVSDEM IOANNIS CVSPINIANI ORATIO PROtreptica ad S. Ro. Imperij principes & proceres, ut bellū suscipiant contra Turcum: cum descriptione conflictus in Hungaria facti, quo perijt rex Hungariæ LVDOVICVS, & qua uia Turcus Solemet ad Budam usq; peruenerit ex Alba Græca. cum enumeratione clara dotium, quibus à natura dotata est Hungaria: & insertione multarum rerum annotatu dignissimarum.

ACCESSIT

CHRONICON MAGISTRI ALBERTI ARGENTINENSIS, INCIPIENS À RUdolpho primo Habspurgensi, usq; ad sua tempora.

CUM GASPARIS BRUSCHII POETAE Laureati & Comitis Palatini Præfatione, quæ Carmine Elegiaco scripta, Encomion eiusdem Austriæ continet.



BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum, 1553.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC AMPLISS. DOMINO, D. GREGORIO LECHNERO ABBATI Cremiphanensi in Austria supra Anasum sita: eiusdemq; germano fratri, D. Iacobo Lechnero, Philosophiæ ac sacræ paginæ Magistro, eximia uirtute ac doctrina præstanti uiro, Dominis ac benefactoribus suis S. D. GASPAR BRUSCHIUS Egranus Poeta laureatus, & Comes Palatinus.

QUALIS erat quondã pulcherrima Græcia, mira
Ubertate soli, & fertilitate soli:
Artium & illarum studijs, quarũ author Apollo
Aurea cultores tollit ad astra suos:
Sed quoq; mirificè populosis urbibus, atq;
Doctrina claris, ingenioq; uiris,
Principibus magnis hinc usq; ad sidera nota,
Et gestis horum rebus honorificis:
Talis & est, & erit (ueluti speramus, & à Dijs
Optamus superis) Austria, terra potens.
Austria multorum patria illustrissima diuûm,
Imperij sedes Austria, diua domus.
Ex qua tot magni Reges uenere, Ducesq;
Et tot Reginæ, magnanimæq; nurus.
Induperatores quæ iam dedit octo potentes E domo Austriaca octo Imperatores.
Imperio sacro Martia Roma tuo.
Ex Habspurgiaca prognatum stirpe Rodolphum, 1
Cuius Othaccarus sensit is ipse manus:
Qui Boiemorum & Morauorum robore fidens,
Efferus ac nimium seditiosus erat.
Istius & gnatum Albertum, qui post duo lustra 2
Cognati miserè concidit ense sui.
Et Fridericum, olim Ludouici competitorem: 3
Imperij quo cum sceptra is habebat ouans.
Nominis Albertum quin eiusdemq; secundum, 4
Cui Lachesis traxit non sua fila diu.
Et Fridericum illum, quo nemo diutius inter 5
Augustos omnes hæc sacra sceptra tulit.
Quinetiã magnum & Mauortem Maxmilianum, 6
Quo genuit maius non domus ista decus. Carolum V. & Ferdinandum.
Istius atq; duos magnos, fortesq; nepotes, 7
Imperij qui nunc inclyta sceptra tenent. 8
Quos omnes fato genuit meliore, Deorum
Austria bella nurus, Austria diua nurus.
Atq; hæc gloria (qua cunctis supereminet orbis
Partibus, ista dijs Austria chara soror)

Et tanta est, & tam præclara profecto, ut eidem
Vix maiorem aliam dicere fortè queas.
Prædicat ipsa suos ut Achilles Græcia, sic &
Tercentum Fabios maxima Roma suos.
Prædicet & (quis enim uirtuti & rebus honestis
Inuideat, nisi qui non generosa facit?)
Prædicet: hoc saltem nobis tribuatur, ut ipsa
Ornemus nostros hac quoq; laude duces.
Illustres proceres, stirps quos Habspurgica tanquam
E prisci fudit Laomedontis equo.
Spectemus uerò & reliqua ornamenta. Ubi maior
Copia uel frugum prouenit, atq; meri?
Vbertas & fertilitas soli Austriaci. Vel tanta ubertas magnorum est ingeniorum,
Austria quantam amplis exhibet una modis?
Ipsa suas taceant opulentas Gargara messes, phrygiæ mons
Nec deinceps tellus iactet Hetrusca suas.
Accola nec Latij Siculas mirare: nec ipsa
Gens Thuringa, licet sis opulenta, tuas.
† Sole. Austria cui cedat resolubilis ubere glebæ,
Non est sub† Clario terra reperta Deo.
Kumer seeh. Est fœcunda lacus Larij pars utraq;, gignit
Et uina & fruges, ac preciosa satis.
Nec Mediolanum taxauero: uidimus illic
Ceu Paradisi hortos, Hesperidumq; domos.
Sed Larius nihil est, nihil est Insubria tota,
Et Longobardus nil erit omnis ager:
Si spectes, frugum & uini quàm copia diues,
Copia quanta salis, copia quanta croci:
Atq; omnis generis pomorum (& si aurea desint)
Proueniat regnis Austria pulchra tuis.
Vina & fruges Italiæ caducæ. Utq; suas Itali fruges, sua uinaq; iactent:
Hoc iactare pari non tamen ore queunt,
Quòd durare queant, plures seruari & in annos,
Quæ Latijs crescunt Maßica uina uiris:
Post annos cum tres pereant, omnino & acescant,
Omnino prosunt amplius illa nihil.
Atq; eadem ratio est frugum. namq; ut citò fiunt
Præcoces: abeunt sic, pereuntq; citò.
Hinc quotiès perijt tantum spes unius anni,
Dira statim sequitur, tristis & ægra fames.
Austriacæ & reliquis Germani partibus orbis
Enatæ fruges, nataq; uina manent:
Et pulchrè longos seruari & commodè in annos,

Non in lustra aliquot, sed quoq; secla queunt.
Ac tales fruges, & talia uidimus ipsi,
Non seruata uno mascula uina loco.
Quod si iam pulchras etiam spectabimus urbes, Ciuitates Austriæ.
Has quoq; præclaras Austria diues habet:
Non Mahometigena fractam obsidione Viennam, Vuien.
Linczion illustri conspicuumq; foro: Lincz.
Vueelsam morte sui famosam Maxmiliani, Vueels.
Cremisium patrio nomen ab amne gerens. Krems. Pechlarn. Tulln.
Præclaram & Tulnam ueteres, Stiramq; potentem, Steyr. Neuustat.
Urbis quinetiam mœnia celsa Nouæ,
Innumerasq; alias: quis enim recitauerit omnes,
Austria queis hodie dicere iura solet?
Huc omnes etenim spectant, quas Stiria fortis,
Atq; Carinthia, quas Carniolanus ager, Austriæ ducũ latissimum dominium.
Quas Morani, Illyrij, & Croatæ, portusq; Naonis,
Ac Tyrolensis item quas comitatus habet:
Quas lacus Acronius uidet, & Brisgauia fœlix,
Nam pars Austriaco paret & ista Duci.
Iam si quis fluuios (quibus importantur abunde
Omnia) spectabit, uel numerare uelit:
Cremisium, Stirum, Trunamq;, Agriãq;, Anasumq;, Flumina Austriæ.
Nauigerumq; Oenum, Fœck heliumq; senem:
Erlachiumq;, Ipsumq; + Athesino è colle cadentes, Etscher.
Et Leytam, quæ nunc Pannona regna secat:
Quin Muram & Traysmam, maioremq; omnib. Istrũ,
Is paradisum istam non male dicet humum.
Si montes quæris, Comagenus, & arduus alter Mõtes Austriæ
Cæcius, illustris nomina laudis habent:
Et sexcentum alij, quos multa uestit ubiq;
Vite, immortali Bacchus honore suo.
Si quem planicies etiam delectat aprica,
Est Tulnensis ager latus, ubiq; uirens: Tulner feeld.
Plurimum & ipse ferens, atq; haud ignobile uinum,
Diuorum mensas quod decuisse queat.
Quod si fortè scholas quis quæret, in urbe Vienna
Ille illustre equidem & grande Lyceon habet:
Austriacis cœptum à Ducibus præstantibus olim, Academia Viennensis.
Præmia magna illis qui statuere uiris:
Quorum formatur studio & sudore iuuentus,
Auxilium patriæ ac fama futura suæ. Celtis.
Claruit hic quondam Celtis Protucius ille,
Egregius uates, magnus & historicus:

Qui primus lauri frondes gestauit ad Istrum
Porrectas manibus Rex Friderice tuis.
Hic Stabius quoq;, Collimitius, & Vegelinus,
Velius &, noster Cuspinianus item.
Et tercentum alij uixere industrij, & omni
Doctrina insignes & pietate uiri.
Illic hac etiam uiuunt ætate beata,
Ingenio proceres eloquioq; graues:
Doctor Ambro. Salczerus Canonicus Viennæ. *SALZERVS sacræ scripturæ Doctor, in ore*
Cuius diua Venus, diua Suada sedet:
Qui ueram Christi pietatem amplectitur illam,
Quæ Christo accepta hîc omnia nostra refert.
Omnia qui miro studio documenta Sophorum,
Et summo amplexus relligione fuit.
Doctor Philippus Güdelius. *Quinetiam nostræ ætatis doctißimus ille, &*
Verus Aristoteles uultu animiq; bonis,
GVNDELIVS noster, Patauina natus in urbe,
Eximius uates, mirificusq; Sophus:
Iurisconsultus, qualis uel Scæuola quondam,
Aut turbæ adiutor pauperis Ipho fuit.
Doctor Ioannes Gœselius Vuonsidlensis. *Qualis & ipse meus IANNES GOESELIVS ille est,*
Lumen honosq; scholæ clara Vienna tuæ.
Quem Rex, quem Regis ueneratur Curia tota,
Quem mons ex animo Pinifer ille colit:
Quattuor ex uno qui mittit flumina cornu,
À patria procul haud istius, atq; mea.
Quod si fortè uelis ea lumina Regis in aula
Docti in aula Regis. *Cernere, in illustri conspicuoq; loco:*
Sunt equidem, sunt hîc, quos ornamenta Viennæ
Summa, uel & soles dicere iure queas:
D. Sigismundus ab Herberstain Baro. *Gente SIGISMVNDVS satus Herberstainius ampla,*
Ingenij & generis nobilitate potens,
Multarum illustris linguarum cognitione,
Plurima qui uidit dißita regna procul.
Sæpe à Rege suo externas legatus ad oras
Missus, & in regnum barbare Mosce tuum.
Cui post non paucos alios (quis enim explicet omnes)
Doctor Iacob. Ionas, Cancellarius Regius. *Et Doctor IONAS subijciendus erit,*
Vir grauis eloquio, sapiens, doctusq;, bonusq;,
Consilio magnus, carmine & ipse potens.
Doctor Vuolf. Lazius. *Adde Machaonia præstantem LAZION arte,*
Oratorem illum Regis, & Historicum:
Cuius ubiq; uolant totum monumenta per orbem

Plu-

Plurima de patria, de ducibusq; suis.
Adde & IORDANUM nostrũ, sed & AVVION ipsum,
Eloquio magnos, consilioq; uiros:
Regi à secretis, à consilijsq; supremis,
Quos sua FERNANDUS pectora chara uocat.
Adde alios multos, quorum uix nomina noui:
Nam multos tales Austria tota fouet.
Austria doctorum sedes praeclara uirorum,
Austria Apollineis penè referta uiris.
Atq; hae sunt laudes, haec sunt decora alta & honores,
Quos ueluti proprios Austria diues habet.
Quos quia praeclarè celebrarunt, Cuspinianus,
Lazius &, multa clarus uterq; fide:
Eximia certè cantari laude merentur,
Et meritò Regi est charus uterq; suo.
Eximiam sed & hic famam laudemq; meretur,
Describenda sacris qui dedit ista typis,
Cōspicuus meritis IANNES DERNSCHUUAMIUS, ipsum
Quem quoq; nostra fouet Pannonis ora uirũ:
Cui debere libros hos ipsos Cuspiniani,
Se fateatur amans talia scripta cohors.
At defensores ut, tutoresq; fideles
His quoq; uicturis sint, genijq; libris:
Uos ego selegi, uos uestraq; nomina, pellant
Omnem mordacem quae procul inuidiam:
Quae derisorum sannas & sibila, linguas
Atq; uenenatas, diraq; tela premant:
Non secus ac Domini uenerabile nomen IESU
Daemoniorũ omnem uimq; facemq; premit:
Pellit & à nobis procul omnia tristia, tanquam
Inuictus gladius, ceu clypeusq; bonus.
Uos clari Heroes, tu magne ac nobilis Abba,
Ac tu docte uir, & chare patrone mihi:
Sumite, quod uobis de alieno munus amoris
Offerimus plenum, & consulitote boni.

Ioannes Iordanus, & Ioãnes ab Aauu, Secretarij Regij.

D. Ioannes Dernschuuam.

Dedicatio.

Uerè αὐτοσχεδιασὶ, quia uno die effusa & exarata: Basileae apud Ioan. Oporinũ, 20. Iulij, Anreparatae per filium Dei aeternum & pro nobis crucifixum salutis,

1553.

IOANNIS CVSPINIANI AVSTRIA, CVM OMNIBVS ARCHIDVCIBVS EIVSdem, ac urbis Viennensis descriptione, & quicquid in Austria præclari habetur.

PROOEMIVM IN VITAM *Leopoldi.*

MArchionis Austriæ diui Leopoldi scripturus uitam, & res gestas, operę duxi precium, maiorum suorum in primis enarrare genealogiam: dehinc Austriæ situm, & urbis Viennensis originem, ac ueram descriptionē, multo aliter & uerius quàm priores, qui partim odio, partim fauore, res huius regionis eleuarunt, & urbem insignem dehonestarūt: Postremò, quemadmodum diuus Leopoldus in numerum est relatus Sanctorum, miraculisq́ sanctimoniam uitæ plerisq́ testatus, à Friderico III. Cæsare August. apud Innocentium maximum Pont. & apud Alexandrum Pont. Max. Maximiliano Cæsare Augusto annitentibus, è tumba est translatus. Ea omnia uerissimis narrationibus, abiecto uerborū lenocinio & inani ostentatione, è receptis Annalibus, & uetustissimis antiquitatibus, ac diplomatibus, quæ oculata fide perspexi, exequar. Interim fidem lector habeat, quoad certiora intelliget. Si friuola, quæ temeritate quadam nonnulli sibi usurpant scriptores, nulla autoritate suffulti, attulerimus: id liberum sit cuiq; uel damnare, uel reijcere. In animo est uerissima quæq; afferre, & uetustissima, & prudens sciensq́ in nullius gratiam fictum aliquid afferre. In primis uerò obtestari lectores uolo, si qui has legent lucubratiunculas, ne stomachentur, si Germanica, quæ nō recipiunt latinam etymologiam, nomina germanicè exprimam. nullum enim est idioma, quod possit alterius sincerè & graphicè explicare uoculas. Et ob id innumeri sunt orti à scriptoribus Italicis errores in Germanicis historijs: quanquam nullius nomen ignominia perstringere uolo. Optimus quisq; enim, quæ meliora nouit, posteris relinquit à se scripta, qui hanc obit scribendi prouinciam. Nemo uolens errat: si uerò errat, aut indiligentiæ, aut negligentiæ culpam incurrit, ut nos homines esse recordemur. Nec enim Deus uni omnia præstitit. fragiles nos creauit, ut originis nostræ memores, non nos efferamus, néue superbiamus: sed quisq; secum reputet, quàm sit cuiq; curta supellex. Videmus Græcos, qui omnium disciplinarum literarumq́; sunt authores, utpote à quibus Romana lingua sumpsit exordium, nonnunquam Romanorum nomina, præsertim propria, corruptissimè enunciare: sicut ex Diodoro Siculo & Dionysio Halicarnasseo, in nostris Coss. latè ostendimus. Sic nomina urbiū, oppidorum, fluminum sæpe corrumpuntur, potissimum Germanica: quod ex Strabone, Ptolemæo, Arriano, Dionysio, Stephano, studiosus lector facilè deprehendet, si erit diligens. Sic & Plinius, Mela, & cæteri passim in Germanicis hallucinantur. Vnde quidam Austerauiam Germaniæ insulam, uel Austrauiam, maximo errore Austriam putant: & nonnulli nimis scioli, Germanicum nomen Fridrichus, ut pleraq; alia, à fœdere Fœdericum, ridiculè nimis enunciant: cum natiuum & genuinum sit, Fridrich, ut alia, quæ enumerare longi esset operis. Sic nōnulli Leopoldum, à Leone ineptè nimis deriuāt: cum, ut uetera diplomata testantur, Luipaldus sit dictus antiquitùs, quemadmodū in expeditione Asiatica Friderici primi Cæs. Ro. Tagenobatauensis Decanus attestatur. Veteres enim Germani nomina à proprietatibus quibusdam, quas nouerāt, indiderūt: hunc Wolfgang, hunc Bernhart, hunc Leonhart, hunc Erenreich, illū Fridreich, nominibus Germanis uocitantes, lingua patria. Posteaquā aūt Romana lingua in has regiones nostras penetrauit, ut est humana natura

Quid mouerit autorē ad hoc scribendum opus.

Fridericus Imp.

Maximilianus Cæs.

Modestia autoris.

prompta ad imitandũ exteras nationes, adiectione syllabę, uel nonnunquã unius literæ, Leonhardũ, Bernhardum, Fridericum, nomina effecerũt Latina. Sic Cato & ueteres Oscam Etruscamq; linguam polientes, reddiderunt Romanam. Cum uerò acutissimus ille Rhetor F. Quintilianus doceat, sermone fore utendum ut numismate, cui publica forma est: superstitiosum arbitror, inconsuetis uti nominibus, & affectatis, dummodò rectè sciamus ueras uoces, & non ea quæ perperam enunciãtur, nos fugiant. Loquendum enim est ut multi, sapiendum ut pauci: & ut ille dicebat, Laudamus nempe ueteres, sed nostris utimur annis: cum uetus sermo nihil aliud sit, quàm uetus loquendi consuetudo, ut Laurentius Valla in tribus illis libris regis Ferdinandi Arragoniæ longè lateq; disputat, afferens uoculas illas quibus olim Itali utebantur in Italia, longè esse diuersas ab ijs quibus hodie utimur. Et id quod Valla de Italia sentit, ego de Germania rectè afferre possum. Illud nullo piaculo præterire possum, ad iuniorum peritiam & utilitatem narrandam & intelligendam Germanica nomina siue uerba, dum non sunt composita seu deriuata, cuncta esse monosyllaba. Ordiamur ab homine. Nũquid dicimus, **haubt, aug, naß, mund, kin, halß, prust, bauch, bein, knie, füß**, & mille alia, neq; pudenda excipio: item uerba similiter, **geh, lauf, iß, trinck, ste, schlaff, wach, lig, zürn**, (muta enim cum liquida nullam facit syllabam) Immò infantes ipsi cum incipiunt lallare, monosyllaba natura enunciantes, aiunt, cũ parentes uocãt, **nenn, dett**: & cum cibum postulãt, **pepp, mem**, & mille talia. Quinimò si Latinæ aut alterius linguæ uoculas in nostrum traducimus idioma, si sunt polysyllaba, in unam contrahimus syllabam, & Germanicum efficimus uocabulum, ut maneat uel efficiatur monosyllabum: uerbi gratia, Ioannes quadrisyllabum, germanicè enunciamus, **Hanns** monosyllabo: Fridericus quadrisyllabum, enunciamus una syllaba **Fritz**: Chůnradus trisyllabum, uocamus **Küntz**: Heinricus, **Heintz**: Volfgangus, **Wolff**: Leonhardus, **Liendl**, per collisionem, quia muta cum liquida nullam facit syllabam. Et mille id genus alia, quæ enumerare ingens faceret fastidium: quisq; secum diligenter singula trutinet. Ob id etsi sciam Luipaldos Sueuiæ duces, qui Marchiones Austriæ facti sunt, ut clarius posthac docebimus, esse appellatos à proprietate, qua Sueui sua utuntur lingua, **Luipald**: tamen ne uidear affectatè nimis inusitatam usurpare uocem, ut & uulgo obsequar, protrito nomine nostrum Marchionem Leopoldum appellabo: dummodò antiquarij sciant, rectius hunc Luipaldum dici. Sed, mea sententia, peculiari oratione, & quidem prolixa opus esset, ut iuniores uetera Germanica rectè & intelligerent, & caperent: tum demum quo pacto scriptores, potissimum eminentiores, in rebus Germanicis essent decepti, uel mediocriter eruditi facilè caperent. Sed alio opere hæc res eget. Nos Marchionis nostri Leopoldi exordium antequam auspicemur, haud inutile censemus, Marchiones omnes Austriæ, quotquot sunt, quos in receptis Annalibus inuenimus, ordine explicare, quoad duces creati sunt, & hæc domus defecerit, familiaq; Habspurgensiũ Comitum successerit, in qua sex Cæsares Augusti in hunc usq; Carolum V. feliciter durant, sic ordientes.

Omnia Germanica esse monosyllaba.

PROOEMIUM IN DUCES *Austriæ.*

MArchionatus Austriæ initium ad amussim nunc scribere, perquàm difficile est, ob eius seculi scriptorum penuriam. Nec enim nugatori illi nugacissimo, & simul perditissimo, (qui Austriæ Chronica, opus scribens, Iudaisaptum in exordio adpellat) aures sunt adhibendę: in quo sunt tot nugæ, quot uerba: quem etiam Pius ille Syluius, Friderici Cæsaris olim à secretis, in opere illo imperfecto cui titulum fecit AUSTRIA, satis superq; confutauit, & mendacij coarguit, ineptissimum ipsum sycophantam, & nebulonem stupidissimum nuncupans: qui tum de Marchionatu scribens, cum in orbe toto hoc non esset inauditum uocabulum, quod & nouum est, & Germanicum à ueteribus nusquam lectum. Romani enim, quod doctis satis omnibus constat, finibus suarũ

Iudaisapta.

regionum

Limitanei milites. Liminarchæ. Marchiones unde.

regionum posuerunt exercitus ac milites, qui Limitanei dicebantur: quorũ quidam Limenarchę, quidam Præsides dicebantur. At Germani Imperiũ assequuti, peculiaribus malebant & natiuis uti uocabulis: & quos Latini limites, hi **March** patria lingua uocitarunt. unde Marchiæ, quasi dicas Limitanea dicta sunt: & qui his præerãt, Marchiones sunt dicti. Sic Marchia Austriæ, Marchia Morauiæ, Marchia Stiriæ, Marchia Badensis. & plerunq; ubi tales sunt limites, præterfluunt flumina quædam, quæ regiones secernunt, eadem uoce dicta. Quantum uerò ex uetustissimis annalibus colligere possumus, temporibus Caroli Magni, qui & mensibus & uentis Germanica nomina, quibus hodie adhuc utimur, in uniuersa Germania indidit, hæc quoq; nomina inuenta esse credimus, & haud inani coniectura argumentamur. Ante enim Carolum Magnum neq; Marchiones, uel Marchgrauios (quod tamen recentius est uocabulũ) neq; Burggrauios, aut Landgrauios, in ullis reperimus receptis Annalibus: nec **österreich**, nec **westerreich**, id est, Orientale regnũ, uel Occidentale: quæ omnia Germanica sunt uocabula, & à Germanis inuenta. Multa enim renascentur, quæ iam cecidere: cadentq;, Quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus: ut ille poeta cecinit. Et nunquid licet cuiq; nationi suas effingere uoces, quibus arbitrabatur proprietas rerum significantius exprimere posse suis genuinis & natiuis uocibus, quàm alienis? Græci putant multa esse uocabula, quæ Romanus sermo explicare nequeat: Romani uicissim, sese locupletiores Græcis arbitrantur. & certè nemo unquam tam Latinus fuit, qui posset omnia Germanorũ, ut hodie est locupletata Germanica lingua, aptè concinneq; sine circumlocutione inuenire: multo difficilius Græcè. nam hæc lingua magnum habet cum Germanica lingua cõmercium, tam in componendis dictionibus, quàm in inflectendis ac contrahendis. Verbi gratia, Gręci Demosthenẽ uocant, quẽ Germani Volckardum dicunt: Leosthenem, nos Leonhardum, ab Homero Timoleontem dictum. Græci Polyphemum, Germani Albrechtum uocant, quasi amplissimę famæ. Græci Chrysandrum, quem nos Mangoldum patria lingua dicimus. Græci Arctosthenem, nos Bernhardum. Nicolaum, Volckherum etiã appellitant. Græci Theophilum, nos Gotsholdum: quemadmodum passim Hulderychus, cui singuli fauent, & qui morum suauitate omnium fauore obblanditur, uocatur. Burchardus quoq;, qui nostris dicitur homo tam solidè fidei, ut in eum munitissima arx sit inædificanda: Fridericus, pacis autor & conseruator: **Chůnrad**, strenui consilij, & minimè inconstantis: **Erhard**, qui fortiter ea occupat quæ ad honorem ac rectam æstimationem attinent, quasi dicas Latinè Honorius: & mille talia, quæ ex Græca scaturigine uidentur detorta. Adeò ut Græca lingua uideatur non uulgare cum Germanica habere commercium. Sicut & ALEXANDER BRASSICANVS, plurima mihi amicitia iunctus fatetur: qui se peculiare opusculum de ijs conficere pollicetur. Et olim Ioannes Gracchus Pierius, ni morte fuisset præuentus, grammaticam pollicebatur in Germanicam linguam, sub certis regulis & inclinationibus sese scripturũ, idq; multis doctis palàm testabatur: & si uixisset, proculdubio præstitisset. Erat enim acuti ingenij, & carmine & prosa probè doctus, ut eius syntagmata clarè ostendunt: Elegiæ præsertim, quibus cum antiquis certat, in rebus præcipuè Germanicis. Cuius utinam manes, ambrosia pascantur & nectare. Ad historiam redeamus.

Græci cũ Germanis conueniunt.

AVSTRIAE MARCHIO I. LEOPOLdus, cognomento Illustris dictus.

Leopoldus Illustris.

CVm nunc non antiquiorem inueniã in ferè omnibus annalibus Austrię Marchionem, quàm Leopoldum cognomine Illustrem, primũ eius nominis ponam: si quis post me seniorem inuenerit, nõ grauetur subscribere. Hoc planè constat, Austriam esse per Marchiones gubernatam, ea tempestate qua Vngari sæuiebant per totam Germaniam, à palude Mæotide in Scythia egressi, nouas quærentes

sedes, expulsis Auaribus, qui & Hunni dicuntur: cum quibus Carolus Magnus postea bellum gessit grauissimum, quod inter cætera cōmemoratur Auaricum dictum, quod quidam nimis indocti Bauaricum stolidè nuncupant. Ipsisq; cæsis ad Budam usq; (quæ rectius Bleda, de Attilæ fratris nomine, qui eam cōdidit, uocitaretur) metropolim regni Auares est persecutus: expeditionisq; suę uestigiū linquēs, ut religiosus princeps, in honorē diuę Virginis templum construxit primū in Hungaria, quod hodie extat, & Albæ uirginis ædes nuncupatur. Habitabat tum fortissimā arcem Auarum princeps, quam ætas etiā nostra Auar, Germani Altenburg appellant. totus nanq; ille tractus ad Pannoniam superiorē spectabat, ut paulo inferius latius scribemus. Ob id sine dubio, ut olim Romani præsidia limitibus imponebant, quos Limenarchas uocabāt: sic sunt tum Marchiones huic impositi regioni, qui arcerēt Hungaros incursitantes, post obitum Caroli, sub Arnolpho, Ludouico, Chunrado & Heinrico Cæsaribus. Sed cum fortè per ea tēpora dignitates illæ, siue magistratus, ut sic dicam, non peruenirent ad hæredes, uel nomina Marchionū tunc interierunt, uel negligentia scriptorū ad nepotes non transierunt. Vnum inuenio, sub Heinrico I. Imperatore, Rudingerū de Pechlaren Marchionē Austriæ sine sobole decessisse: & in uetustissimis Annalibus tres alios, qui sua adhuc hodie perseuerantia monimenta habent in Austria, reliquisse, quibus nomina planè Germanica fuerūt: ut Rudingero, Perchtoldum scilicet, Gundoldū, & Gumpoldū: à quibus oppida & uillæ nominatæ sunt, corruptè hodie Petersdorf uocant, Gundolsfdorf, & Gumpolskirchen, uel Gumpoldorf, nobilissimis uinis clarū in Austria: ubi hi Marchiones olim habitarunt, priusquā urbs Vienna esset extructa, de qua inferius copiosius loquemur. Nihil tamen assero, præterquā quod ea sic reperi in uetustissimis annalibus uenerādæ antiquitatis. Et puto hunc Leopoldū I. Illustrē dictū, Gumpoldi Berchtoldi Gundoldi fuisse quartū fratrē, qui extruxit castellū patria lingua Leopolsdorff. Et idcirco Cęsarē Heinricū I. inuenio, anno à nato IESV DCCCCXXVIII. substituisse hunc Leopoldū I. eius nominis, quem nos primū Marchionē in Austria nuncupamus: à quo deinceps omnē eius familiam subscribemus, quoad deficiet. Hic itaq; Leopoldus ex ducibus erat Sueuorū, & ob id à scriptoribus Illustris appellatus, de insigni familia Alberti Comitis Babenbergensis, qui Conradum Francorū Comitem occidit, & ipse subinde astu Hattonis archiepiscopi Moguntini similiter est captus, & dehinc publica sententia condemnatus, & eius tunc familia dissipata: ita ab Heinrico imperatore in Austriam trāsmissus est, dehinc Marchio, ut nobilem suam plantaret familiam, & regionē fertilissimam, quæ crebras patiebatur deuastationes, feliciter fœcundaret, tutaretur, & gubernaret. Cum hac tēpestate Gyso quidam potens, Melicū arcem cū oppido possideret, quod Ferreum castrum tum nuncupabatur, Leopoldus cū eo congressus, hunc prostrauit & cæcidit: omnēq; sortitus prouinciā, ampliauit regionē, Marchionatūq; Austriæ fortiter administrauit, & annis 55. feliciter habenas gubernationis tractauit, in summo senio moriens. Nam anno Christi DCCCCLXXXVIII, diem suum clausit extremū, cum prius duodecim Canonicos seculares cū necessaria prouisione in tēplo arcis suę instituisset, qui Deo laudes psallerent. Habuit aūt uxorem Richardim, Ottonis ducis de **Braunschweig** filiam, Heinrici Romanorū Imperatoris sororem, quæ affinitate & consanguinitate contigit nobilissimos ferè totius Germaniæ Principes, duces Saxoniæ, Francorū, Sueuorum: è qua duos sustulit filios, Henricū scilicet Marchionem, & patris successorem, ac Popponem Treuerensem episcopum. Ipse ideo cū coniuge sua sepulti quiescunt in Melico, in medio templi, ante chorū sepulchro quodam eleuato à terra, ut magis conspicuum reddatur intuentibus.

[Margin notes: *Bellum Auaricum.* *Buda.* *Auares.* *Albæ uirginis ædes.* *Auar Vngari Ouar dicunt.* *Limenarchæ.* *Rudinger de Pechlaren.* *Gyso.* *Melicum, ferreum castrum.* *Richardis uxor Leopoldi.* *Poppo episcopus Treuerensis.*]

AVSTRIAE II. MARCHIO
Heinricus primus.

[Margin note: *Henricus Rebellis.*]

HEinricus primus eius nominis, Marchio Austriæ II. filius primogenitus Leopoldi Illustris Marchionis Austriæ, ex ducibus Sueuorum, & successor, ac Richardis coniugis, cognomento dictus est Rebellis, quòd imperio Ro-

rio Romano obedire recusaret diu. Nam ciuilia bella, ut sic dixerim, totum pene obruerant imperium: quibus adhæsit Marchio ille, quoad Heinricus Imperator II. sanctus, & Hungarorũ Apostolus, ad obedientiã hunc redegit, & obtemperare imperio coegit: Princeps alioqui iustus & seuerus, religioniq; deditus. Sub quo diuus Colomannus, ex sanguine regum Scotię, dum terram sanctam quæreret, in has delatus terras, in oppidulo ripensi, quod à truncis arborum in Danubiũ per inundationem crebram collapsis nomẽ sortitur Stockeraw (quasi dicas terram truncorũ, Asturis olim appellatum inuerso uocabulo) martyrium passus est. Et cum Marchio corpus sancti uiri in arbore anno toto & sex mensibus suspensum inaudisset illæsum, & terræ traditum pari temporis spacio non tabefieri, iussit effodi, & Melicum cum summa ueneratione transferri: quod à Meginardo Halberstatensi episcopo factum fertur, anno humanæ incarnationis M.XIIII, quum Heinricus II. Imperator Romæ eodem anno à Benedicto VIII. inungeretur. Sed adhuc hodie in templo Melicensi, splendido & eleganti sepulchro cernitur sepultus martyr ille, qui à uicinis incolis piè ac religiosè quotannis aditur, & solita ueneratione pro auxilio imploratur. Paucos post annos cum regnum Hungariæ Heinrico II. Imperatore annitente ad fidem Christi cum rege suo Stephano appellato esset conuersum, Poppo Treuerensis episcopus, Heinrici huius Marchionis Germanus, uir religiosus, à Petro Hungarorum rege, qui Stephano successit, rogatus, ut corpus diui Colomanni pro firmanda Christi fide in Hungariam abducere liceret, assensit. Fortè enim Poppo ea tempestate per Græciam & Austriam reuersus ab urbe, fratrem suum Marchionem Austriæ inuisit, & hoc ab eo facile impetrauit. Licet quidam putent Heinricum Marchionẽ tunc mortem obijsse, & à posterioribus Marchionatus patruelibus hoc assequutũ, ut corpus in Hungariã deferretur: mirum dictu, cum eo tempore quo corpus in Hungaria erat, semper aut pestis, aut fames, aut ariditas noxia, aut nimia humiditas regnũ molestauerit, quoad corpus sacrum Melicum reduceretur. Caput D. Colomanni ferunt in Alba Regali adseruatum, quod illic adhuc ueneratur. Cum autẽ Heinricus Marchio trigintaquinq; annos Marchiam hanc Austriæ rexisset, immatura morte obijt, anno à nato IESV M.XVIII. in Melico cum coniuge sua sepultus. Alij scribunt, M.LXXVI. hunc obijsse: sed falso. Habuit autem uxorem Suenhildin, nobilissimam matronam: de qua genuit duos filios, Albertum Marchionem, successorem suum in Austria, & Ernestum dictum seniorem ducem Sueuiæ, qui ab Alberone Comite sagitta cæsus in uenatione, qua plurimum oblectabatur, anno Christi M.XVII. obijt. Cuius uxor erat insignis & nobilis Gysela, Lotharij Francorum regis filia, ex Caroli Magni stemmate, Rodolphi Burgundionum regis consanguinea: quæ ex Ernesto gemellos peperit, Ernestum & Hermannum, duces Sueuię. Sed defuncto Ernesto, secundum duxit maritũ, Conradum ducem Franconiæ, qui pòst Imperator & Saliquus est cognominatus: è quo tulit filium Heinricum Nigrum, III. Imperatorem: licet aliqui eius filiam Kunigundam fuisse credant, quę Heinrico filio desponsata fuit: sed filia est dicta generali uocabulo, quo nurus & generos, filios & filias nuncupamus. Gysela autem Spyræ, cum eius marito Conrado Cæsare, iacet sepulta. Cuius aũt familiæ hæc Suenhildis fuerit, hactenus non inueni.

Heinricus Imp. II. Apostolus Hungarorum.
S. Colomãnus martyrizatus.
Heinricus II. Romæ inauguratus.
Suenhildis uxor.
Gysela.
Conradus Saliquus Imp.
Heinricus Niger.

ADELBERTUS III. MARCHIO
Austriæ, cognomento Victoriosus.

ADelbertus I. eius nominis & familię, Marchio Austriæ III. cognomine dictus Victoriosus, filius Heinrici Marchionis, & Suenhildis, patri successit tanquam primogenitus, & hanc Marchiam annis triginta duobus feliciter gubernauit, eamq; recuperauit cum filio Leopoldo forti milite, ab Hungarorum rege Abba, quem nonnulli Ouonem uocitant annales, euastatam & partim ablatam, ac in ius suum redactam. Hic enim Abba Hungarorum rex, in odiũ Petri à nõnullis factiosis, qui externos plus solito diligeret, per uim creatus, Petrum legiti-

Adelbertus Victoriosus.
Luipoldus fortis miles.
Abba.
Ouo rex.

Petrus Hung. rex. legitimum regem regno deturbat. Et quamuis Petrus prius Bratislao duci Bohemię contra Heinricum III, cui rebellabat, adhæsisset, eiectus regno non habuit nisi Cæsarem quò fugeret, eiusq; præsidio restitueretur. *Gotofredus.* Erat tum imperator contra Gotofredum Lotharingorum ducem in bello, qui indignè ferens Hungaros Austriam in utraq; ripa populari, & Bauariam similiter, spoliata etiam Carinthia: licet legatos regis Hungariæ audisset, qui explorandi causa Imperatorem adierunt: rem in suum aduentum distulit. *Leopoldus fortis miles.* Interea Adelbertus Marchio, eiusq; filius Leopoldus II eius nominis, Fortis miles cognomine dictus, quoad ueniret Imperator cum magno exercitu, collectis militibus magnam cladem exercitui regis Hungariæ intulit. Superueniens autem Heinricus imperator, Hungariam ingressus cum exercitu, igne & ferro omnia deuastat. Marchiones Austriæ, pater & filius, Heinrici imperatoris beneficio ablatam Marchionatus Austriæ partem iterum recipiunt, eorumq; libertates & priuilegia ab eodem confirmantur. Sed cum Abba Henrico Imp. omnem ablatam prędam ex Bauaria ac Austria cum captiuis polliceretur, & non modò restitueret Petrum regem: ira cõmotus, denuò ingreditur Hungariam, omniaq; populatus, regnum sibi subiecit, ac Petrum regno restituit. *Petrus excæcatus rex.* Sed quarto Ouone etiam pulso, post Cęsaris discessum, Hungari Petrum excæcarunt, & Andream regem sibi statuerũt. *Andreas Hungariæ rex.* Indignatus ergo rei atrocitate Albertus Marchio (nam Petri sororem, ut paulo inferius dicemus, habuit coniugẽ) collecta manu Hungariam iterum ingreditur: & facta maxima strage, cũ uictoria reuertitur in Austriam, & Victoriosus hinc cognominatus est. Ne itaq; in se Heinricum imperatorem concitaret, missis legatis Heinrico imperatori Hungariam subijcit, annuumq; tributum pollicetur. Imperator itaq; Albertum Marchionẽ Andreæ regi conciliat: qui captiuos omnes, prædamq; abactam sub Abba restituit, adiectis maximis donis. Sic itaq; pacatis, Andreas rex in unione uixit cũ Alberto Marchione: qui post sex annos diem suum clausit extremũ, anno à nato IESV MLVI, in Melico cum coniuge sua sepultus. *Adelheidis uxor.* Habuit autem uxorem Adelhaidem, Petri regis Hungarorũ sororem, & ob id leuir eius Petrus dictus est, quę ex magni Caroli familia traxit originẽ, affinitate diuum Sigismundũ Burgundiorum regem contingens: quæ ex Adelberto peperit duos filios, *Leopoldus fortis miles.* Leopoldum II. cognomento Fortẽ, qui multa fortitudinis suæ egregia edidit facinora, è quibus hoc cognomentum sortitus est, & patri affuit dum Hungaros debellaret, & patriam recuperaret, dignus qui multa secula uiueret. Sed dum in Ingelhaym nuptijs interest Imper. Heinrici III, inopinata morte uitã finiuit, ab uniuersa nobilitate defletus, à pio auunculo Poppone Treuerensi archiepiscopo corpus Treuerim delatũ est, ac honorificè sepultum. *Frouuiza uxor.* eius uxor Frowiza sine liberis decessit, cum socero suo Alberto in Melico sepulta. Alterum autem filium Ernestum habuit successorẽ: de quo mox dicemus.

MARCHIO AUSTRIAE IIII. ERNESTUS, cognomento Strenuus.

Ernestus Strenuus. ERnestus huius nominis III, cognomento Strenuus, filius Adelberti Victoriosi, dux Sueuiæ, & Marchio IIII Austriæ, patri mox successit, Austriamq; undeuiginti annis feliciter gubernauit. Nam cum per id tempus Hungari sæpius incursiones in Austriam facerent, tanquam strenuus bellator eos à regione sua repulit, nec ultra alias regiones populari permisit: multis cladibus eos affecit, & strenuum omnino principem egit: *Prior Rom. Imp.* ob id ab Heinrico IIII imperatore Prior Rom. Imperij est appellatus, quòd Christi fidẽ tam strenuè defensaret, multisq; est libertatibus ab Imperatore donatus. *Aduocatus episcopatus Laureacẽsis & Batauensis.* cõcessit enim sibi, ut aduocatus esset episcopatus Laureacẽsis & Batauensis, quodq; illum tanquam suum aduocatũ & præfectum uenerarentur & obseruarent. Indulsit illi præterea, & suis successoribus, ut nudus ensis cum suo uexillo palàm præferretur per totum Romanum Imperium. Quòd autem priuilegia idem Henricus imperator Marchioni cõfirmasse fertur, quæ Iulius Cæsar, quæ Nero dicuntur donasse, meræ nugæ sunt, & à quodam impudenti fatuo, qui rationẽ temporum non obseruauit, confictæ: quod cum dudum obseruassem,

sem, tanquã rem friuolam & uanam, tandem reperi à Francisco Petrarcha in epistola ad Carolum IIII, longè lateq; confutatum & irrisum. si cui legere uacat, Epistolarũ seniliũ, ut nunc uocant, adeat lib. 16. & intelliget id quod uerũ est. Hæc planè mendacia sunt, nescio à quo demente & insano scriptore conficta, ad emerendũ huius terræ principum fauorẽ: sed ignorauit ille nebulo, mendaciũ nullum posse senescere. Ad Ernestum nostrum reuertor, quẽ aiunt ferrum lanceæ D. Mauricij, cum ligno crucis, & paterã D. Vdalrici attulisse in Melicũ. Nam D. Vdalricus Augustensis episcopus circa annum Christi DCCCCLIII claruit: ipse, quod satis constat, Heinrico imperatori acceptus in bello Saxonico, quod gessit cum haud cõtemnendo exercitu, socius ac comes occisus est, apud fluuium quod patria lingua Mistrau, siue Vnstrut uulgo dicitur, anno humanæ reparationis MLXXV. relicta Iuditha filia, quæ in uirginitate obijt: & duobus filijs, Leopoldo successore, de quo nunc scribemus, & Alberto eius nominis II, ex Mechthilde coniuge, quæ unà cum filia in Melico quiescit cum marito. Albertus autem filius Ernesti, cognomento Leuis, cum fratre Leopoldo discordias inijt, & mutuis cædibus fraternas acies instituerunt: factaq; est maxima strages apud castrum, quod ex crudelissima & sanguinolentissima pugna Mordperg, uulgò Meilperg nuncupatur: de qua cæde inferius in Leopoldo copiosius scribemus. Hic uerò Albertus ex uxore ducis Poloniæ filia nullos liberos sustulit, sepultus in monasterio apud S. Crucem, in Austria in Capitulo, ut uulgò loquimur.

Lancea diui Mau[…]
Pa[…]r. D. Vdalrici.
Leopoldus.
Albertus.
Albertus Leuis.
Meilberg.

V. MARCHIO AUSTRIAE LEOPOLdus III. cognomine Pulcher appellatus.

LEopoldus eius nominis cognomẽto dictus Pulcher, ob proceritatem, & corporis elegantiam, Ernesti Marchionis & Mechtildis filius, V. Austriæ Marchio, patri successit in gubernio, anno Christi MLXXV, quo pater mortem obijt. Sed cum ea tempestate Bratislaus Bohemiæ rex, & Chunradus eius frater Morauiæ Marchio, Austriam infestarẽt, collectis copijs obuiam progressus, uiriliter cecidit. Conuenerant autem denuò & Bohemi & Bauari, Austriam uastaturi, & iuxta Danubium manus cõseruerant, ubi Palatini Comitis Cononis filius in acie cecidit. Ob idq; Popponis Treuerensis archiepiscopi (quẽ inuenio in quibusdam Annalibus fratrem suum appellari, in alijs filium) auxilium implorauit: qui illi Azonem cognatum ex Treueri cum magna militari manu misit, breuiq; Bauaros, Bohemos & Hungaros Austria eiecit, uictoriaq; potitus Azonem ob fortiter res gestas secũ retinuit, ac Marescalcum ac pincernã Austriæ in beneficium creauit. Qui eo anno MLXXXIII, ut Deo gratias persolueret percepti honoris ac beneficij, templum in honorẽ Apostolorum Philippi & Iacobi construxit, ab episcopo Batauensi Altmanno consecratum in eo Austriæ loco, qui uulgo appellatur à fundatore Azmansuuisen: quasi dicas, Azonis pratum: iuxta quod templũ Azonis nepotes post aliquot annos arcẽ miro opere extruxerũt, & nomine mutato Chůenring, à magnanimitate & fortitudine fundatoris appellarunt. Azo enim ille, ducta uxore Treuta, tris filios, Anshelmum, Azonem, & Adalberonẽ genuit. Anshelmus ex Gertrudi nullos procreauit liberos. Azo ex uxore Adelheide genuit Pijsimum, Hadmarũ de Gueffaren. Adelbero ex Gysela uxore genuit Adalberonẽ filiũ, qui se primũ ab arce constructa de Chůenring uocauit, ob animi sui uirtutẽ, à quo nobilis hæc familia originẽ de cognatione Marchionis Austrię duxit, & hodie in Austria uiget, floretq;. Nam hic Adelbero ad fundationẽ monasterij in Zwettel se accinxit, parrochia in Cistersdorff prius à se erecta. eius uerò uxor Elizabetha, quæ II Hadmarum de Chůenring peperit, unà cum filio monasteriũ perfecit, donarijs auxit, ac censibus locupletauit. Testantur annales, ex hoc Azone insignes familias Austriæ Baronum descendisse, Sunnenberg, Falckenberg, Puchberg, Mistelbach, Volckendorf, Schonberg, Starckenberg, Kranichberg, Hackenberg, Velsperg, de Liechtenstain, de Ottenstain, de Turstain, & Bottendorff, de Krey, de Vuittingau, de Vueitrau, de Capeln, quæ claræ in hoc Marchionatu fuerunt, & penè omnes hodie defecerunt: tam

Leopoldus Pulcher.
Batislaus rex Bohemiæ.
Chũradus Morauiæ Marchio.
Azo Marescalcus & pincerna Austriæ.
Azmãsuuisen.
Chunring.
Treuta uxor.
Zuuettel fundat monasterium.
Familiæ Baronum ex domo Chuenring.

felix fuit hæc prosapia. Sed ad Leopoldum Pulchrum reuertamur, Marchionẽ Austriæ, qui intestina & grauissima bella cum fratre Alberto gessit, quæ pleriq; scriptores memorant quidẽ uerbo, sed belli causas ob pudorem obticent: cum tamẽ deceat historicũ, ut antea diximus, in nullius fauorem ac gratiã, in nullius odium ac dispendium ueritatẽ celare, sed fideliter quæ gesta sunt ad imitandum uel fugiendum posteris tradere, ut hinc nepotes discant uirtutẽ sequi, uitia detestari. Scribã itaq; quæ reperi in uetustissimis Annalibus: liberũ sit cuiq;, uel fabulosum, uel uerum censere. Sæpe enim Deus Opt. Max. nobiliores quoq; sinit labi, ut sese agnoscant, & homines sese fore recordentur. Leopoldus hic noster, cum ob miram corporis elegantiam Pulcher esset cognomento dictus, uxorẽ cæpit Itham, Heinrici III. Ro. Imp. filiam, & sororem Heinrici IIII. Imperatoris. Hanc cum frater eius Albertus, qui tum in Berneck castro habitabat, uocatus à Leopoldo, qui eius gratia eo die uenabatur, ut fratrem lautè ac opiparè acceptaret, & ideo absens, uitiasset pulchritudine captus feminæ, uiolenterq; eiectis puellis, quæ illi subministrabant, cõstuprasset: reuersus in castrũ Gars domiciliũ suum, ubi habitabat, reperit mœstam ac penè moribundam uxorẽ, amissa pudicitia. quæ ubi fassa est facinus crudele, iniunxit illis secretioribus ministris, quibus hoc delictum innotuit, quàm grauissimis sub pœnis, silentium: omniaq; dissimulauit prudens ac sciẽs. Albertus frater, qui ob hoc credo stupendũ facinus Leuis est à posteris cognominatus, fratris miratus silentiũ, taciturnitatẽ Dominæ Ithæ laudauit. Sed cũ ducis Poloniæ filiã breui pòst duxisset coniugẽ, uocato fratre Leopoldo, qui armata manu ut sese ulcisceretur, positis in campo tentorijs, aduenerat: captaq; occasione, fratris cõiugi eandẽ uim intulit, eamq; palàm sub papilionibus constuprauit. sed scelus hoc quia palàm fiebat, tegiq; nõ poterat, ad arma uentũ est. Hinc fraternę acies utrinq; stabant ordinatę, & cominus & eminus arma iaciebant. Pugnatũ est sæuissimè in multã usq; noctẽ, ac cædes tanta est edita, ut sanguinis riuus in eo campo uideretur fluere. Paucisq; fuga elapsis, tot tantaq; cadauera terrã oppleuerunt, ut castrũ, ubi is factus est cõflictus, à crudeli hac pugna Mordberg sit appellatũ, quod uulgo hodie corrupte Meilperg dicitur. Albertus rem ad Imperatorẽ retulit. is uocato Leopoldo genero, quũ crudele hoc facinus principe indignũ obijceretur, quam sibi iniuriã frater ac suæ sorori intulisset, trepidè respondit. Territus hoc quoq; scelere, rem duxit componendam: remotisq; arbitris, ne uitia illa magis palàm innotescerent, iniunxit Leopoldo maiori natu, quia ipse palàm peccasset, ut à minori natu fratre Alberto flexis genibus feudũ præcedentibus duodecim uexillis submissè acciperet, seruata tamẽ dignitate Marchionatus: frater aũt Albertus Landgrauius minus honorificentiore titulo uteretur. Sic res inter fratres pacata est. Sed Leopoldus dehinc Imp. Heinrico IIII. rebellis, unà cum multis alijs principibus, ut in Cæsaribus nostris abundè scripsimus, cum annos unum & uiginti gubernasset, uitam finiuit suam, in Melico iuxta patrẽ Ernestũ sepultus: cũ expulsis Canonicis, qui inhonestã uixerãt uitã, monachos regulæ S. Benedicti imposuisset monasterio, anno à nato IESU MLXXXXVI. quo fere, aut paulo antè annis IIII, tẽpore, Althmãnus Batauẽsis episcopus (sic enim rectius loquimur, q; Batauiensis) ob eius pòst uitæ sanctimoniã in numerũ electorũ relatus, monasteriũ Gotuuense cũ Canonicis regularibus instituit, qui pòst etiã uersi sunt in monachos S. Benedicti: Itha uerò Leopoldi cõiunx, cũ ex eo sex filias sustulisset, & filios duos, Leopoldũ & Popponẽ, superstes suo marito, cũ Archiepiscopo Guelphone Salizburgẽsi, et Thyemone duce Bauarię, ac alijs principib. terrã sanctã petijt (nãtum expeditio Gotefridi Franci agebatᷓ) per ea tẽpora, in reditu, in Gręcia mortua est ac sepulta. Pleriq; Annales Popponẽ tradunt fuisse fratrẽ Leopoldi Pulchri, nõ filiũ, qui Azonẽ in exiliũ cõtra Hungaros & Bauaros misit, ut suprà scripsimus: quibus & ego accedo, & iudico D. Leopoldũ unicũ fuisse filiũ Leopoldi pulchri, & paternorũ bonorũ hęredẽ. Idcirco et tam potentẽ, & tam clarũ, tanta pręstitisse, tamq; excellẽtia facta. Ithę aũt primogenita filia Elizabetha, Ottochari Sueuorũ Marchionis et Stirię, cõiunx, mater Leopoldi & iunioris Ottochari, Marchionũ Stirię: secunda Leutoldo Marchioni Morauiæ despõsata est, filio Cõradi ducis Bohemiæ. Helpirgis tertia Ber

Itha uxor Leopoldi. *Berneck.* *Gars.* *Albertus Leuis.* *Nordberg.* *Melicũ monasterium Leopoldus fundauit cum monachis.* *Althmannus.* *Gotuueich.* *Guelpho episcopus Salizburgensis.*

sino duci Bohemiæ, Vladislai regis filio, cessit uxor: quartã Cõrado Bauaro Hirsuto pater despondit Leopoldus, quintam Comiti Sighardo: sexta data est uxor cuidam magnifico, cuius nomen nescitur, nec hactenus inuenire potui: inq; dotem oppidula duo, Ipsa & Pœsenpeugen. cũ castro, quemadmodum & Comitatũ Peilstain. Quartæ & quintæ, Comitatum de scala in dotes contulerat. Itaq; familia Leopoldi ob tale facinus defecit tandem, & degenerauit in Comites, cũ alijs quoq;: unde posteri fortè, ut Deo se conciliarent, fundauerunt monasteria. Ecuuardus Comes, qui in Berneck *Berneck.* habitabat, monialiũ fundauit monasteriũ: Huldericus uerò, qui in Gars habitabat, *Gars.* uirorum monasteriũ, quod patria lingua Gerens uulgò dicitur, fortè à Gars deriuatũ: *Gerens præpositus.* quod præpositum habet, qui ad comitia Austriæ uenit, quoties fiunt. Et sicut ab alijs fratribus Leopoldo & Alberto, Marchionibus Austriæ, originem hi sumunt Comites: sic hi Austriæ Marchiones in comites degenerauerunt, ob delicta fortè, quæ in Deum perpetrarunt sui maiores.

AUSTRIAE VI. MARCHIO, LEOPOLdus IIII. cognominatus Pius.

LEopoldus eius nominis IIII, Leopoldi pulchri, & Ithæ cõiugis filius, Pius cognominatus, ob eius singularem in egenos liberalitatem, Austriæ VI. Marchio, in cuius honorem hoc opus quamtumuis tenue, Georgio præposito huius cœnobij hac tempestate, uiro religioso, à me crebrius efflagitante, sumpsimus scribendum simpliciter & quàm uerissimè, citra phaleratã dictionem, nulli ostentationi inseruientes: longè aliter quàm cæteri, adulationi dediti: ut omnes planè intelligant, non immeritò tam pium Principem in numerum esse diuorũ relatum. à primis enim, ut aiunt, unguiculis rectè educatus, spem indolis præbuit futuri incrementi. Semper à pueritia in egenos liberalis, in oppressos clemens, in feroces iustus. Et ob id mox post patris obitum, anno à IESU nato MLXXXXVI, licet adolescens, omnium uotis gubernationem Marchionatus suscepit: quem tanta iustitia ac clementia administrauit, ut perpetuo Pij ac Felicis titulo Marchionis passim ab omnibus decantaretur, & uulgo pauperum pater nuncuparetur. Erant tunc atrocissima, & ut uerius loquar, parricidialia bella inter Heinrichum IIII patrem, & Heinricum quintum filium, imperatores. Filius enim contra legem naturæ patri insidiabatur, & prætextu religionis, quòd Cæsarem Pontifex patrẽ ferebatur anathemate notasse, sed reuera potius imperandi cupidine, ipsum imperio deturbare annitebatur. Duo autem potentissimi principes per ea tempora Henricum seniorẽ sequebantur, Bohemiæ dux, & hic Marchio Leopoldus: quorum uiribus fisus, filij factionem fecerat nihili. Iunior itaque Henricus, ut patris uires imminueret, ad astum confugit. illisq; duobus, si sese sequantur, seorsum cuiq; persuadet, sororem Agnetem, quæ eadem tempestate omnium ferebatur uenustissima, daturum in coniugem. Erat enim uidua à Friderico duce Sueuorum relicta, de qua ubertim paulo inferius scribam. Tanti Cæsaris sororem, tam pulchram, tot dotibus naturæ adornatam ut assequeretur, relicto patre, filium sequutus est: Agnetemq; in coniugem accepit, cumq; ea coniunctissimè multis annis uixit, multorum liberorum parens. Tandem ubi iunior Cæsar patrem atrocius insectatur, impellitq; imperio cedere, senior in maxima ærumnarũ ac miseriarũ perturbatione, ab omnibus penè suis derelictus principibus ac iuratis, Leodij ex mœrore mortuus est, relicto imperio Henrico IIII filio: quod lætus adijt quidem, sed infelicissimè in multis cladibus & turbis administrauit, ut in Cæsaribus nostris scripsimus copiose. Fuit diuus Leopoldus alioqui uir strenuus & bellicosus, cum Stephano II Hungarorũ rege congressus, quẽ Austria eiecit. Crebræ enim fuerunt ea tempestate Hungarorũ in Austriam incursiones: unde & D. Leopoldus militarem baltheum ob singularem fortitudinem accepit, anno à nato IESU *Leita fl.* M.C.IIII. Sed decemocto annis postea maximus est factus conflictus apud fluuium *Raba fl.* Leitam, qui hodie nescio qua ratione limes esse debet Austriæ uersus Hungariam: *limes.* cum

cum olim Raba fluuius uerior sit Pannoniæ superioris, quæ nunc Austriæ dicitur, terminus. Ibiq; cæsi Hungari, profligatiq; sunt, Leopoldusq; cum uictoria lætus domum rediit: sicut prius Stephano debellato. Defuncto autem Heinrico IIII. Imperatore, quatuor erant competitores Imperij, è quibus principes Cæsarem deligere curabant, Conradus scilicet Sueuiæ dux, Fridericus frater, nepotes ex sorore Heinrici imperatoris IIII, & priuigni Leopoldi Marchionis nostri, qui tertius erat: & Carolus Flandriæ Comes. Sed arte & ingenio præsulis Moguntini, Lotharius inuitus Cæsar est designatus.

Quatuor competitores Imperij.

Lotharius Cæsar.

Cæterùm Deus Opt. Max. sæpe, quos magnos efficere uult in æterna patria, ut sese recognoscant, hic labi nonnunquam sinit, ut tollantur altius, cæteris in exemplum, sibi in remedium. Marchio itaq; Leopoldus ducta coniuge, sæpe memor soceri sui Imperatoris senioris, cladem quam filia eius Agnes tanquam deuotissima mulier ingemiscebat miserata, ex patris casu mœstior semper facta, quoties sermo de hoc inciderat: nam eius corpus quinquenio inhumatum, impius filius relinquebat ante uestibulum templi Spiræ, quòd diris pontificis esset execratus Cæsar pater: in pœnitentiam uersus pius princeps, quòd sine causa seniorem reliquisset, cœpit cum uxore sua Agnete, cui delictum id patefecit, secretò deliberare, ut pro admisso periurio sese Deo conciliaret. Agnes coniunx, deuota mulier, marito suadet, ut locum aliquem designet, in quo laudes Christo dicantur, & diuæ eius genitrici Mariæ, pro monasterio condendo, ut misericordiã à Deo consequerentur ambo. id utrisq; uisum est pium opus, pro reconciliatione. Dum has sanctas inter se cogitationes meditantur (ex arce enim in altissimo monte Cecio, ubi Leopoldus habitabat, sua in fenestra arcis, tum fluenta Danubij fortè sic cõtemplantes, conspiciebant) leui Zephyro flante est è capite Agnetis flammeolum in nemus & syluam proximam in ripa Danubij delatum: quod cum post multos annos Marchio, dum uenararetur, inter dumeta insperatò illæsum & recens inueniret in frutice sambuci, post nouem annos scilicet, non sine Dei Opt. Maximi numine factum animo reuoluens, lætus ac hilaris arripuit, & coniugi Charissimæ gestiens præ gaudio attulit. quæ læta id accipiens, Charissimè marite, is locus, inquit, est à Deo designatus, quem sibi uult dicari: huc opes nostras congeramus, admissa scelera diluamus, Deumq; nobis propitium reddamus. Mox aduehuntur saxa, accersuntur architecti, secantur ligna, locus senticosus arboribus & dumis desectis purgatur, area constituitur, ut fundamenta firma pro templo & cœnobio iaciantur.

Origo claustrorum & monasteriorum.

Puto esse haud abs re, si originem Monasteriorum & claustrorum paulo altius repetam: [illegible] à maioribus nostris [illegible] excogitataq́; sunt, [illegible] abusus mali à bonis olim orti sunt exemplis. Dicam igitur libere, quid in uerissimis ac certissimis, dum hanc rem inquiro paulo diligentius, historijs ac diplomatibus inuenerim: quod fortè alij surda aure, uel cæcutientes præterierunt.

Decius, Diocletianus, Gallus, Volusius, Cæsares.

Persequutio Christianorum.

Constat apud omnes, sub Decio, Diocletiano, Gallo ac Volusiano imperatoribus, Christianorum sæuam factam esse persequutionem: licet & antea sub Nerone ac cæteris, Christi discipuli & imitatores persequerentur. Sed sub posterioribus multa sanctorum milia sæuissimè trucidata sunt. Et tum heremitæ latibula in syluis & nemoribus quærentes primùm uisi sunt, qui multis pòst seculis claruerunt, atque hi Monachi sunt dicti. Monasterium inde appellatum, in quo Deus religiose colebatur, & adorabatur. Nam sub Constantino magno Christiani respirantes, propter sanctissimã eius matrem Helenam, nobile illud Imperatoris edictum læti susceperunt, quo cauit, omnium gentilium templa subrui, subuertiq;, & tum fides Christi securius amplexa à multis, creuit indies: quamuis iterum pòst sub Iuliano apostata imperatore, Christiani persequuti sunt. Et Valens Cæsar lege data coegit monachos militare, recusantes fustibus ad interitum cædere: quo tempore multi monachorum, ut Annales attestantur, ab eius tribunis ac militibus sunt cæsi. At multis annis pòst, sub Iustino maiore diuus Benedictus in monte Cassino continentia uitę mirabilis, cœnobiũ instituit, anno à nato IESV quingentesimo tricesimoquarto circiter: uirosq; collegit, qui sub quadam regula honestã uiuerent uitã. hi piè simul degebant,

Heremitæ primi. *Monachi.* *Monasterium.*

Iulianus apostata.

Valens Cæsar.

Iustinus imperator.

Diuus Benedictus.

bant, & è cõmuni uictu communiq; pœnu uiuentes, gloriam altissimo concinebant
in primis, reliquum diei in bonis sacrisq; literis insumpserunt. sic fratres suos Benedi-
ctus instituit, & hinc cœnobium nomen sortitum est, quasi dicas communis uita. Ta- *Cœnobium unde.*
lis monachus fuit Casiodorus Rauennas, humanis ac diuinis literis satis eruditus, *Caßiodorus.*
Romanus Consul. In cœnobijs itaq; optimæ artes docebantur, erudiebantur fra-
tres in uirtutibus ac disciplinis, uitam uiuebant honestam ac sanctam, omnis conatus
erat in adipiscenda simul eruditione ac tranquillitate uitæ. Sic diuus Bernhardus *Diuus Bernhardus.*
dehinc cœnobiũ Cistertiense, sub anno humanæ reconciliationis M.LXXXXVIII
primùm fundauit. Sed diuus Bernhardus cum socijs cognatis & affinibus triginta fe-
rè, Cistertium ingressus dicitur, anno M.C.XIII. & Cistertiẽsis tum religio cœpta est,
quæ uiros habuit eruditione insignes, qui in talibus cœnobijs alebantur: quemadmo-
dum nostra ætate uiri docti in publicis gymnasijs ac scholis enutriuntur. Primùm e-
nim gymnasium Parisiense Carolus Magnus, præceptoris sui Alcuini uiri doctissi- *Parisiẽse gymnasium primũ.*
mi cohortatione, sub annum Christi septuagesimum nonagesimum primum circiter *Alcuinus præceptor Caroli Cæs.*
instituit: à quo cæteræ scholæ dehinc sunt deriuatæ. Licet & in abusum scholæ illæ
quoq; publicæ nostro seculo abierint, ut pleraq; alia. [redacted] Quum
tamen penè eadem res esse deberet gymnasium, & cœnobium, ac in utroq; simul hu-
manæ diuinæq; addisci disciplinæ, in tranquillitate honestæ uitæ. [redacted] Ita iam aberrauimus δὶς διὰ πασῶν longè à priscorum institutione. Cæte-
rùm aliud genus Monachorum apud primos Christianos inuenio, qui in claustris *Claustra & Monasteria differunt.*
degebant: quæ hanc appellationem sortita sunt, quasi in carceribus clauderentur illi,
qui & enormiter & grauissimè delinquebant, uel parricidia, uel homicidia, uel ince-
stus, uel grauissima scelera committentes. Pij enim Christiani olim indignum cense-
bant, hominẽ parricidam eculeo insui, aut extremo supplicio, aut perpetuo exilio, ne
in desperationem inciderent, mulctare: domus quasdam extruentes, in quibus miseri
illi homines pœnitentiam agerent pro suo reatu, Deumq; sibi reconciliarent, à cœtu
hominum seorsum degerent sequestrati. Atq; hi eleemosyna, quæ à pijs largiebatur,
uictitabant: quemadmodum cœnobitæ ex certis redditibus ac annuis censibus ui-
ctum sibi quærebant: ut liberè possent Deo & bonis disciplinis uacare. Qui uerò
sub Friderico imperatore Barbarossa cognominato, & deinceps Fratres mendicãtes *Mendicantes fratres.*
dicti, primùm in lucem prodierunt, perpetuũ cœlibatum, obedientiam extremã, ac
inopiam perpetuam iureiurando in ingressu promittẽtes, [redacted] Satis mihi sit, ueluti digito indicasse, qualem
cœnobia habuerint originem primã: & quid mouerit pientissimos Principes, ut tot
sumptibus, tantisq; expensis, ea tam magnificè extruerent, ac redditibus locupleta-
rent,

rent, ne egestate oppresi scilicet non possent id ad quod erant addicti, exequi: nempe Deum Opt. Max. cũ deuotione adorare, illi supplicare, eius laudes cũ intellectu psallere, literas sacras publicè plebi interpretari, cum commodo uitam æternam docere: & quod Apostolis Christus iniunxit, Euangelium uniuersæ creaturæ prædicare diligenter: [redacted] nullus status, nulla conditio, nullus sexus pene, quæ sua sunt, agit. Ciuis nobili, nobilis Comiti, Comes Principi, Princeps Regi, Rex Cæsari, Cæsar Deo, ob unicam ambitionem furatur suum titulum, decus, honoremq;. Cum enim solus sit Deus inuictus, homines tantæ fragilitati obnoxij ac debiles, cupiunt inuictissimi appellari: & cum subditi uicissim maioribus debeant parere, quascunq; possunt fraudes ac dolos suis patronis machinantur: uicissim cum superiores subditos fouere debeant, deglubũt, corradunt, sanguinẽ exugunt, ut præter pelles & ossa in corpore nihil habeant reliquum. Ideo uidemus hac ætate uillas, oppida, urbes, prouincias, regiones & regna indies imminui, desolari, & euastari, & ædificia corrui, susq; deq; uerti. Quod enim regnum in uniuerso Christiano orbe hodie est pacatum? An Italia? quæ extrema premitur inopia, ac angustia: ubi pestis, fames, bellumq;, & omnium rerum caritas: agri desolati sterilescunt, uineta corrupta & secta putrescunt, neq; terra suos fructus ut olim producit: & iam non amplius flos mundi Italia nuncupatur, sed terra deserta & effœta. An Francia? ubi adeò nullus fidei ac religionis est respectus, ita impietas grassatur, ut sub Diocletianis & Maximinis uerè Christianis olim tutius agere fuerit. An in potentissimo archiregno Hungariæ, à Turco desolato, & iam ense à rege nostro recuperato? ubi quotidie fiunt tot cędes, ut pauci salui hinc euadant. An in regno Dacię? uersus Septentrionem, ubi & quotidie mala oriuntur, quæ in finitimas grassantur regiones: ubi antiquus Daciæ rex expulsus, nouus suffectus: principes & reguli partim cæsi, partim extorres, semper inter se digladiantur, & simultates exercent cum uicinis. An in alijs regnis, quæ sunt suis regibus orbati? ut futurum pleriq; putent, extremũ diem breui affuturum: adeò undiq; bella, & excidia. in urbibus sunt intestinæ factiones, hinc eijciuntur principes, illinc eorum regna populantur incendijs, & ferro uastantur: & quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. Idcirco uoracissima interim bellua Turcus, per suos exploratores edoctus, finitima quæq; regna euastat, homines ut pecora abigit, in quoscunq; obuios truculentissimè desæuit: regno Hungariæ iam sua uestibula & antemuralia, Naudaralbam & Schabatz abstulit, & Taururum siue Bellgradum obtinuit: in mari nobilissimam insulam Rhodon, ut iter sibi pararet in Siciliam & Italiam, ui abripuit, non sine maxima Christianorum principum ignominia: qui dum inter se digladiantur, partim ob superbiam, partim ob inanem ambitionem quisq; iustam sibi fore putat pugnandi rationem: & hęc bella plus quàm ciuilia Christiani orbis gerunt primates, Deo ob scelera nostra permittente, & assentatoribus Consiliarijs obmutescentibus. Quin potius sincero corde, charitate Christiana, suspirijs nõ simulatis, ad Deum Opt. Max. manus porrigentes, enixè precamur supplices, ut sceleribus nostris ignoscat, nostri misereatur, & Turcorum inundationes & cataclysmos à nobis auertat pius & clemens pater, ob unigeniti filij IESV CHRISTI effusum in ara crucis sangui-

sanguinem: alterq́ alterum fraterne moneat, ut rancores, odia, inuidias, simultates quisq́ ponat, ac reipub. Christianæ studeamus unanimes. Hæc esset Christiana respublica si sic uiueretur. Expergiscimini igitur, expergiscimini Principes Serenissimi ac Illustrissimi: satis iam somno datum est, & bello: arripite uexillũ Christi, ac circumducite per orbem Christianum unanimes: sæuissimęq́ bestiæ Turco rictum suum hiantem ensibus confodite, tot animas quotidie uorantem ac deglutientem, de quibus principes olim rationē sunt reddituri. Quid autem in imperio Germanico fiet, Deus nouit. Nam auguror, ob tam densas fidei sectas, rem grandem & terribilem futuram. nemo enim animaduertit illud poetæ: Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet: ob principum Germaniæ inter se simultates, & discordias plus quàm hostiles.

Sed quum hoc anno M.D.XXVIII, mense Iulio, die XVIII, uentura sit coniunctio planetarum superiorum in Cancro, sperandus est de secta Mahumetica, quę etiam in Cancro accepit initium, nobilis finis, ac potius interitus prophanæ & bestialis sectę. Deus Opt. Max. faxit, ut suam gratiam assequamur, & uideamus, quandoquidem sine eius gratia nihil sperare homini licet fragili, ut iste suum errorem agnoscat, qui dixit, contra Turcos pugnare esse exitiale, & contra Deum: homo natus ad seducendum multos, & periclitandum innocentes: quia infiniti suum sanguinem fuderunt isto duce. Et quum frustra reuocare uellet, ac mactare turpiter doceret, sibi contrarius Scariotida sequutus, qui innocentem tradiderat sanguinem, cui à Iudæis est responsum, Tu uideris, quid ad nos? Itidem dicendum est huic impudenti sycophantæ, qui arroganter nimium de successu suæ hæresis sæpe dixit, Bene adhuc procedere opus suum, quo mediam penè Christianitatem infecit suo occulto ueneno: homo, cui melius foret non esse genitum in mundum, nisi se Deo reconciliet, & palinodiam cantet. De quo amplius loqui non licet, ne dum historiam cœpi, Satyram uidear scribere: & amphoram cum instituerim, fingam urceum. Obiter tamen attigisse hoc uolui, ut cur diuus Leopoldus & sua pudicissima coniunx noua monasteria instituerint, uetera collapsa reparauerint, illis pro necessarijs abundè prouiderint, ut hinc altissimi laus propagaretur, plebes in recta fide religiose institueretur, egenis necessaria subministrarentur, cæteri quoq́ principes idem facientes in memoriam reducant. Omnium enim cœnobiorum prima dos esse debet hospitalitas, ut libenter communicent cum peregrinis & aduenis, exteris & incolis, ea quæ Deus abundè illis subministrat, & principes liberalissimè in suos usus suppeditarunt. Ob id D. Leopoldus pauperum pater dictus est. instituit enim quotannis in eius memoriam, eius festiuitate, quicunq́ hoc cœnobium ingrediuntur piè, ut carne, uino, pane uescantur, ac obolo donentur, ut eius liberalitas passim omnibus innotescat, Deiq́ bonitas hinc extollatur ac laudetur. Diuus Leopoldus itaq́, Princeps pius, ut ad historiam reuertamur, inter frutices coniugis flammeolo reperto, cœnobium iactis fundamētis struit splendidum in ripa Danubij, uiris hoc probatæ uitæ & doctis adimplet, & Canonicos seculares cum Præposito suo, qui primus Ottho eius filius magnæ doctrinæ fuisse perhibetur, tandem episcopus Frisingensis factus, instituit: non ut paulo liberioris essent uitæ, sicut in magnis Cathedralibus cernimus hodie, plures aucupes ac uenatores, quàm studiosos aut doctos, aut religiosos. Nam & hi antiquitùs addicti erãt bonis literis: unde & eorũ congregationes & tẽpla Collegiata sunt dictæ ecclesiæ, quòd simul ueluti in collegio honestam uiuerent uitam, & tranquillam, non scurrilem. Appellauit pius princeps hoc cœnobium Nouumburgum, quod perperam hodie Claustroneoburgum uocant, cum claustrum non sit anno salutis quartodecimo post millecentum fundatum, & trigesimoquarto post mille centum ab Archiepiscopo Chunrado Salizburgensi, Reginario Bataujensi, & Romano Gurcensi episcopis consecratum, Lothario IIII Cæsare imperante: & eodem anno à diuo Leopoldo, Deo & S. Petro oblatum, quod ab initio secularibus Canonicis, postea regulam S. Augustini dicti canonici obseruarunt, ut nunc: quod dehinc pontifices Romani, Innocentius II anno Christi M.C.XXXII. Eugenius III anno M.C.XL. Vrbanus III anno M.C.LXXXVII, multis immunitati-

Quando Neoburgum conditum, & quando consecratũ sit.

bus, priuilegijs, & libertatibus donarunt: & sub anathematis pœna, ne huic cœnobio uis ulla inferatur, religiosissimè cauerunt. Diplomata & pij principis, & summorum pontificum oculata fide perlustraui. Fertur autem pius princeps antea

Cellæ Mariæ.

cœnobium, quod Cellas Mariæ appellant, in ruinam & egestatem uersum, refecisse & instaurasse. Dehinc cœnobium Melicense, uetustate & assiduis bellis, &

Melicense cœnobiũ.

Hungarorum irruptionibus collapsum, reparasse, censibusq; auxisse. Sed ut regula diui Bernhardi à uiris etiam religiosis in sua prouincia, & felicissimo illo Marchionatu dilataretur (passim enim tum laus diui Bernhardi increbuit) in ualle ne-

Cœnobium S. Crucis.

morosa S. Crucis cœnobiũ extruere cœpit, ac redditibus certis prouidere: Othone filio, qui ea tempestate in Morimundo cœnobio regularem uitam subierat, adhortante, alijsq; filijs, Alberto, Heinrico, Leopoldo & Ernesto, assentientibus, ut ex uetustis fundationis diplomatibus didici, quæ mihi Guilhelmus Abbas huius tempo-

Guilhelmus Abbas S. Crucis.

ris, uir honestæ religionis, exhibuit, olim in mea disciplina in scholis educatus: qui iam pertæsus laborum & inquietudinum, liberè cessit, soli Deo, literis & studijs deditus. E' quibus quidem diplomatibus discitur, quæ bona illis sint donata à pio principe: & acta multorum Baronum, qui illic nominantur, præsentia referuntur: anno M. C. XXXVI, indictione XIIII, regni Lotharij VIII, Imperij uerò III, paulo antè quàm uitam finiret. Diuus autem Leopoldus cum ex Agnete uxore decemocto liberos peperisset, Marchionatumq; annis summa integritate, clementia ac pietate, quadraginta administrasset, perfectis suis fundationibus, cum uxoris & liberorum assensu, quasi uiatico ad futuram uitam præparato, ultimum diem suum clausit XVII Calendas Decembris, humanæ salutis anno M. C. XXXVI, superstite coniuge Agnete cum VI filijs, & V filiabus, in cœnobio Nouiburgi in Capitolio (ut aiunt) sepultus, & post annos trecentos undequinquaginta in numerum beatorum receptus, ut ultimo loco huius opusculi clarè enarrabimus. Fuit autem Agnes hæc Leopoldi coniunx, primùm desponsata Friderico de Hohenstauffen Baroni, & dehinc Duci Sueuiæ, cui peperit Chunradum & Fridericum Duces Sueuiæ. Sed Chunradus factus est rex Romanorum, Fridericus uerò genuit Fridericum Barbarossam Imperatorem, à quo longa series Ducum Sueuorum orta est. Post Friderici obitum nupsit Marchioni Leopoldo, cui decem & octo liberos peperit, quorum septem, duo masculi & quinque puellæ, in pueritia immaturam obiere mortem: undecim iustam assequuti ætatem, principum digni-

Albertus III Deuotus.

tates obtinuerunt. Albertus enim primogenitus, III eius nominis, cognomine Deuotus dictus, aduocatus à patre institutus cœnobiorum à patre extructorum, Belæ cæci Hungarorum regis sororem habuit consortem, quæ tamen nullos liberos produxerat. Is cum Boritio Duce, Stephani II regis Hungarorum fratre bellum gerens, Alberti auxilium implorauit: qui fortissimorum militum manu congregata, uenit contra Boritium. qui cum Alemannorum copias insignes adesse audiret, ex strepitu magno & clamantium adhortatione, licet Polonorum quoque magnum haberet numerum, territus fugit, multis amissis. Subsequuti Alemanni, cædem magnam intulerunt: postquam pars cæsa, pars oppressa, uictoria Belæ & Alberto cessit. Sunt in eo conflictu centum & uiginti nobiles Austriæ baltheo militari adornati, anno nostræ salutis M. C. XXV. Hic Albertus mox patris obitum sequu-

Heinricus Ita me Deus amet. Leopoldus V. Ernestus. Otho, diui Leopoldi V filius.

tus, Marchionatum Austriæ non rexit. Heinricus secundus eius nominis, filius Leopoldi Marchionis secundus, ex patris testamento Leupoldo quinto eius nominis, Marchionis Leopoldi tertio filio postpositus in gubernatione: de utroque inferius scribemus. Quartus diui Leopoldi filius, Ernestus, eius nominis & familiæ IIII, adolescens excellentissimæ formæ, decimooctauo ætatis anno immatura morte diem suum clausit. Quintus filius Leopoldi Otho, in bonis disciplinis à pueritia educatus, cum Parisiense gymnasium adijsset pro bonis capessendis literis, post primi Præpositi obitum in cœnobio Nouiburgi à patre fundati, designatus Præpositus, multas ex Francia attulit Sanctorum reliquias, reuersus'que in

Franciam

Franciam pro maioribus assequendis disciplinis, in Burgundiam concessit: & cœnobium Morimundi ingressus, ordinis Cistertiensis, sanctam fratrum conuersatione, & arcã supremæ philosophię sectatus, breui ad episcopatũ Frisingensem electus, quàm felicissimè administrauit. alienata enim recuperauit, collapsa restituit, ac ueluti uigilantissimus pastor omnia in meliorem partem instaurauit. Cum imperatore Chunrado II, fratre ex genitrice Agnete, terram sanctam uisurus, & uestigia Seruatoris nostri adoraturus adijt. Reuersus aũt annales doctos, qui extãt, & eruditis probantur, à creatione mundi ad sua tempora, & in octo digestos libros, res gestas Friderici I. Imperatoris cõscripsit: imperfectis Friderici imperatoris rerum gestarum libris duobus, duos alios (nam quatuor extant) Raduuinus Frisingensis præpositus, & eius amanuensis adiecit: sed & ipse ante Fridericum mortuus, non expleuit Friderici imperatoris historiam. Cum Fridericus imperator iterum Italiam peteret, consilij gratia, ut secum iret, rogauit: fortè ut se cũ Romano Pont. Maximo, cum quo dissidebat, componeret: sed senium causatus, ad concilium Cistertiense, quod Morimundi agebatur, se potius contulit, ubi morbo & senecta oppressus, mortem oppetijt sanctissimè ac religiosissimè, postquam de æterna uita longa oratione habita, non sine astantium fratrum lachrymis multa locutus, illic honorificè sepultus, anno à nato IESV M.C.LVIII. Friderico I Imperatore. è cuius scriptis licet uidere, quales tum fuerint Cistertienses monachi, & an se ocio an literis tradiderint. Descripsit eius mortem copiose, simul & uitam, Radeuuinus præpositus, in quarto libro de rebus Friderici imperatoris gestis, capite II. si quis scire plus uoluerit, hunc adeat.

Chunradus episcopus Batauensis, dehinc Salizburgensis.

Chunradus sextus Leopoldi filius, primùm Batauẽsis episcopus, Reniperti successor, pòst Archiepiscopus Salizburgensis, Eberhardo successit, utrumq; bene administrauit: in altero uerò molestias passus à Friderico imperatore, qui cum Alexandro III. Pont. Max. dissidebat, cui ille adhæsit. Nec uictorem agnoscere uoluit, sed furori cedens, in cœnobium Admotense se contulit: & morbo correptus, Deo animam reddidit, anno Seruatoris nostri M.C.LXVIII.

Filiæ Leopoldi.

Vladislaus primus rex Bohemiæ.

Berchtam filiam primam diuus Leopoldus Heinrico Burgrauio Ratisponensi desponsauit. quemadmodũ Agnetẽ, secundam, Boleslao Poloniæ Duci: & Gertrudim, tertiam, Vladislao Duci Bohemiæ, qui à Friderico I. Imperatore primus rex Bohemiæ creatus est, ob insignia eius in Cæsarem beneficia & obsequia. & genuit ex ea tres filios, Fridericum, Primislaum regem Bohemiæ, & Albertum Salizburgensem Archiepiscopum. Elizabetham filiam quartam, diuus Leopoldus tradidit nuptui Hermãno Lantgrauio Saxonię. Quintã filiam Leuthã (quæ rectius Guetha, id est, bonitas dicta est) diuus Leopoldus Marchioni Montis Ferrati Regnigero matrimonio copulauit. Reliquas filias & filios, ut antè memorauimus, in pueritia mortuos, in Nouiburgi cœnobio sepultos iuxta parentes cernimus.

Lampedo.

Age iam candide lector, quod Plinius in septimo suæ Naturalis historiæ cũ magna admiratione scribit, dispice: Vna feminarum, inquit, in omnium æuo, Lampedo Lacedæmonia refertur, quę regis filia, regis uxor, regis mater fuit. Nũquid multo hanc Agnes diui Leopoldi coniunx superat ac excellit? quæ Heinrici IIII Imperatoris filia, Heinrici III Imperatoris neptis, Heinrici V Imperatoris soror, & item Chunradi regis Italiæ soror: & ex primo marito Duce Sueuiæ Friderico ab Heinrico IIII, creato ex Barone de Hohenstauffen, produxit Fridericum Ducem Sueuiæ, patrem Friderici I Barbarossæ imperatoris, & Chunradum regem Romanorum Ducem Franconiæ, pòst ex diuo Leopoldo dictos decem & octo liberos: adeò ut hæc Agnes

Clarescat esse Imperatoris	Filia		Regis	Soror
	Neptis			
	Soror			
	Auia			Mater.

Elizabeth.

Quæ Plinianæ Lampedoni, omnium iudicio, multo præstat. Sed ut obiter alteram de domo Austriæ afferam feminam longè Lampedoni excellentiorem, Elizabethã scilicet Alberti V Romanorum Hungariæ & Bohemiæ regis filiam, Ladislai Bohe-

miæ & Hungariæ regis sororem, Casmiri regis Poloniæ uxorem, matrem uerò Vladislai, Ioannis, Alberti, Alexandri, Sigismundi, regum Hungariæ & Bohemiæ, ac Friderici cardinalis, & Casmiri in numerum sanctorum relati: auiam regis Ludouici Hungariæ & Bohemiæ. Nescio si ulla ætas parem huic feminæ multis seculis tulerit, de qua inferius plura in Alberto V. scribemus. Nonne Ioanna filia regis Arragonū Ferdinandi & Isabellæ, reginarum Hungariæ & Bohemiæ Daciæ & Portugaliæ mater, Philippi regis Castellæ & Legionis uxor, inter raras feminas & clarissimas erit cōputanda: cum FERDINANDVM quoque regem Hungariæ & Bohemiæ, &c. & CAROLVM V. Romanorū Cæsarem produxerit? Vt igitur domum repetamus, nobilissima hæc Agnes, uiginti partus enixa, non sine ingenti dolore liberos in omnium uirtutum disciplina educauit, ueluti pudicissima mater sanctam prolem felicissima planta produxit, marito superstes aliquot annis religiosissimè uitam suam conclusit, in eodem sepulchro cum eo est sepulta, & aliquot impuberibus liberis. Quanquam autem iam libellum de gestis D. Leopoldi claudere possemus, quia tamen Austriam nos scripturos recepimus, Marchiones reliquos, quoad hæc familia defecerit, ordine recensebimus, ut textus rerum gestarum serie quadam continuetur: si prius Defensorium Canonizationis diui Leopoldi subijciamus. Quanquam autem Maximilianus Cæsar August. literis suis ad Innocentium Papam VIII. iuuit pro Canonizatione S. Leopoldi, superfluum recensere puto: qui uidi, quantum annixus est pius Cæsar in eius translatione, cum hic S. Leopoldus de tumba transferretur anno Christi M. D. VI, die 15. Februarij, qui quidem dies dicatus est translationi diui Leopoldi, qui hodie adhuc concelebratur. Hic nanque dies in præsentia principum & episcoporum celebratus est, reuerendissimi Leonardi episcopi Salizburgensis, reuerendissimi episcopi Vuigilei Batauensis, reuerendissimi Matthæi episcopi Gurcensis hodie Cardinalis & Archiepiscopi Salizburgensis: multorumque Prælatorum & Abbatum, Illustrissimi Principis & Ducis Iuliacensis & Cleuensis, multorumque Baronum, & nobilium Archiducatus Austrię, comitantibus Cæsarem Maximilianum: qui habitu Archiducis, S. Leopoldum in argentea fabrefacta capsa bene ornata compositis ossibus suis, sequebatur, omnes in fletum astantes commouens, ob D. Leopoldi memoriam. Non enim ut Cęsar coronatus ambulauit, sed in pallio ducali, cum corona rostrata: quem quidem habitū dehinc monasterio nouo S. Trinitatis, in Noua ciuitate, obtulit.

Ioanna.

LECTORI.

Hic iam subijciendum erat Defensorium Canonizationis S. Leopoldi. Sed quia in manuscripto exemplari, quo unico inter excudendum usi sumus, id desiderabatur: certis de causis sublatum putamus, maximè cum typis etiam excusum esse idipsum alicubi constet.

AVSTRIAE MARCHIO VII. LEOpoldus V, Largus cognominatus.

LEopoldus iunior eius nominis V. diui Leopoldi & Agnetis tertius filius, & Austriæ Marchio VII, Largus cognomine dictus, quem ob amorem pater maiori filio Heinrico in administratione præposuit, & Marchiam annis sex gubernauit, orsus suam gubernationem à patris interitu, anno à Christo nato M. C. XXXVI, & primogeniti sui Alberti fratris. Hic est à Chunrado III rege Romanorum, fratre ex matre Agnete, Dux Bauariæ creatus. nam cum post mortē Lotharij Cæsaris, Chunradus à cæteris Principibus esset designatus, unà cum Saxonibus Heinricus Bauariæ Dux cognomine dictus Superbus, Chunradum illegitimè electū causatus, rebellat, ipsumque calumniatur, Regalia à socero sibi collata Lothario pertinacissimè seruās: sed tandem reddere à principibus coactus, & Ratisponam deferre, Cum in odium Chunradus exercitū cōduceret,

Ducatum

Ducatus ei Bauariæ abiudicatur, & huic Leopoldo Marchioni à Cæsare confertur: qui electissimorum militum manu Bauariam ingressus, Ratisponā sedem Ducatus Bauariæ, & alia adiacentia sibi subdit: & ad Lycum usq; progressus, multis è suis missis celeriter reuertitur. Nam Heinrico Superbo ex mœrore mortuo, eius frater Guelpho ad sese iure hæreditario pertinere causatus, Cæsari quoq; rebellis, mox exercitū in Leopoldum, qui tum castrum quoddam Bauariæ Valeiam obsidebat, ductitans, cæsis ac raptis multis eius militibus, in fugam turpiter & ignominiose uertit. magna enim ibi & acris cædes facta est, pertinaciter utraq; acie diu ancipiti Marte pugnante. Guelpho dux dehinc exercitū in Cæsarem Chunradum duxit, qui castrū Vueinsperg obsederat: sed cæsus, fugatusq;, cum paucis militibus Saxoniam est ingressus. Luipoldus dum leges conderet Ratisponensibus, & iura illis præscriberet, Otho Palatinus de Vuitelspach in urbe tumultum quendam exciuit: unde territus ipse, cum suis armatus ex urbe uiam incendio fecit: hinc longè lateq; omnia populatus, haud longè ab urbe castrametatus, cum ingentes paulo post copias coegisset, ut fame in urbe omnes conficeret obsessos. Sed magna auri capta parte, obsidionem soluit: & ut priorem ignominiā apud Valeiam acceptam aboleret, Bauariam populatur usq; ad Lycum fluuium. Reuersus iam in Austriam, quieti sese tradidisset, cum annis quatuor bella in Bauaria gereret, ni morbo esset præuentus, qui eum in Bauaria detinuit. Sed cœnobio S. Crucis à patre fundato, auxit redditus, adijciēdo uillas, fundos, prata, prædia & flumina: opemq; tulit haud uulgarem Gotuuicensi monasterio, iam per bella deuastato. Sub id tempus ab Hadmaro de Chuenring, & coniuge sua Gertrude, qui ambo cœlibatum ducebant, quia liberis carebant, in monasterij Zuuetlensis fundatione omne suum patrimoniū distraxerunt, circa humanæ reparationis annum M.C.XXXVIII. Hoc Luipoldo gubernante, est à quodam Comite de Maglandt cœnobiū Paumgartenberg in Austria constructū, anno à IESV nato M.C.XXXXII, quo hic Luipoldus mortem oppetijt, cum in Bauaria ægrotare post Bauariæ desolationem cæpisset, in monasterio Alltag inferiori: sed corpus eius est delatum in Austriam, & cœnobio S. Crucis à se aucto & locupletato sepultū. Habuit uxorem Mariam Sobeslai ducis Bohemiæ, filij Vradislai regis Bohemiæ filiam: sed nihil liberorum ex ea tulit, quia cum ea paucis annis uixit. Nupta est dehinc Hermanno duci Carinthiæ.

Monasterium Zuetlense.

Cœnobium Paumgarten à quo extructum.

MARCHIO AUSTRIAE VIII. ET ultimus, & Austriæ dux primus.

HEinricus II eius nominis, & stirpis diui Leopoldi secundogenitus, Austriæ Marchio VIII, fratris Luipoldi fuit dicti successor, & in Marchionatu Austriæ & Ducatu Bauariç à prouerbio, ita me Deus amet, quod semper in ore habuit, **ia samer Gott** cognominatus uulgò, patri minus charus, & ob id minori filio Luipoldo postpositus, omnium fratrum superstes, hæreditates tandem assecutus est omnium, totam Austriam felicissimè rexit, & auxit annis trigintaquinq;, XIIII ueluti Marchio, XXI tanquam Dux, integer ac religiosus princeps, à Chunrado III Cæsare post fratris obitum dux Bauariæ creatus, quam annis quatuordecim gubernauit: & cum regē Chunradum in Saxoniam proficiscentem comitaretur, ab eo est data illi uxor Gertrudis, Lotharij Imperatoris & Saxonum ducis filia, olim Heinrici superbi Saxoniç & Bauariæ ducis relicta uidua, quç altero anno nulla prole suscepta obijt, secutaq; est pax inter Chunradum regem & Saxones. Cum dehinc generalis expeditio in terram sanctam Hierosolymam, cum magno Christianorum feruore, summaq; deuotione in ablutionem criminum, à multis passim susciperetur, Heinricus noster Chunradum & Ludouicum Francorum reges comitatus, unà cum fratre suo Othone Frisingensi antistite, ac alijs multis Christianis Flandriæ, Phrisiæ, & Alemaniæ principibus, circa nostræ salutis M.D. & XLVII annum, per multos sudores ac infinitos labores hanc peregrinationem hila-

Ia samer Gott.

ris assumit: utinam tam felicem exitum habuisset, quàm lætum principium ac feruens habuerat, non fuissent res Christianæ in Asia ad desperationẽ usq; periclitatæ. Vix enim exercitus Constantinopolim appulerat, dolo Orientalis Imperatoris Manuelis, qui liuentibus oculis nostros aspexit, licet multis muneribus allexisset nostros: apud Iconium gipsa uel terra cretosa immixta farinæ, uenenum pro commeatu, quem pollicitus erat regibus impius tyrannus subministrat. sic ludificati nostri dum magnis conatibus amplificandæ in Asia rei Christianæ studẽt, laceros exercitus, infinita multitudine pane uenenato & bello consumpta, reducere in Europam coguntur. In reditu huic Heinrico est desponsata Theodora Emanuelis imperatoris consanguinea: de qua paulo inferius. Cum autem post Chunradi III Cæsaris obitum, Fridericus I Barbarossa cognomento dictus, Cæsar esset electus, quia solus ille posset iamdudum pullulantes & succrescentes discordias sedare, omine ab eius nomine accepto, quod sonat pacis diuitem, Fridreich (ut nimium mihi scioli uideãtur, qui Germanico nomini indere uolunt Latinum etymon, à fœdere Fœdericũ deriuantes, ridiculè nimis & stultè) multis sedatis rixis, & intestinis bellis, grauissimum uidebatur exoriturum bellum inter Saxoniæ Ducẽ Heinricum iuniorem, qui hæreditario iure Bauariam petebat: & hunc Heinricum Austriæ Marchionẽ, qui Luipoldo fratri successor, Bauariam, quam Conradus illi donarat, & patri alterius ob rebellionem surripuerat, potenter iam gubernarat ac possederat. Imperator Fridericus utrunq; arcta sanguinitate contingebat, futuro malo mederi satagens, ut suis parcerẽt, consilio Vladislai Bohemię ducis, multorumq; imperij procerum assensu in Ratispona congregatorum, rem ita composuit, ut Marchio Austriæ Heinricus ducatu Bauariæ cederet Heinrico duci Saxoniæ, qui partem ducatus Bauariæ uicissim iure compensum, prouinciã dictam suprà Onasum, traderet Marchioni Austriæ, Clypeus ac cor sacri Romani Imperij appellatus. Et ipse Heinricus ut in honore aliquã pateretur iacturã, dictus ac creatus est Dux: est & à Friderico Imperatore magnis libertatibus, immutatibus ac priuilegijs supra alios principes Imperij donatus, quæ extãt ac circũferuntur: insignitus præcipuè pileo ducali crinito, qualis fuit apud Romanos corona rostrata: tum ueste principali, qui quidem habitus regius est, & inde Archidux dictus est. Incidit id in annum salutiferæ incarnationis M. C. LXI. cum iam Fridericus primus regnasset annis fermè quinq;. Longum esset recensere donatas ab Imperatore Friderico I, Heinrico Austriæ Duci libertates, & pòst à Friderico II Imp. confirmatas & auctas, Diadema scilicet cum Crucis insigni, cum plerisq; immunitatibus, anno Christi M. CC. XLV. eius Imperij uigesimoquinto anno. sed hæc priuilegia inferius in cõmodiore loco ponuntur. Fuit hic Heinricus princeps bellicosus, & sæpe ab Hungaris, sæpe à Bauaris, sæpe à Bohemis lacessitus: quibus uiriliter restitit, & sæpe manus cum illis conseruit. In obsidione Mediolani cum Friderico primo imperatore, tanquam strenuus miles, portam urbis qua Mediolanenses erumpere soliti erant custodiens, sæpe cum illis congressus, multas clades intulit. Marchioni etiam Stiriæ Othocaro iuniori arma intulit, ut ducatum suum ampliaret: & cum Hungaris congressus, Geysæ II regis Hungarorum exercitum bis circa fluuium Leytam profligauit: Guelphonem Bauarum sæpe in fugam uertit, Steinpach castrum destruxit, cum duce Carinthiæ conflixit: Sobeslaũ Bohemiæ regem, qui ducatum suum imminuere enitebatur, bello attriuit. Est itaq; Austria, præcipuè Transdanubiana, penè incendijs ferroq; euastata. Nam & Posonium direptum à nostris: sed iuxta Leytam fluuiũ uictoria penes Hungaros stetit, & Posonium redditum est, paxq; secuta. Semper enim Hungari & Bohemi pro finibus Austriæ concertarunt. Sed strenuus hic princeps non modò prouinciam, sed & ciuitatem Viennam, ut dein latius scribemus, & alia oppida auxit, & dilatauit. Cum filijs quoq; suis Luipoldo & Heinrico, superato fluuio Marchia, Bohemis occurrit, illosq; abegit. Morauiam præda incendioq; populatus, patriam suam tutatus est. Arcem autem suam in eo loco ciuitatis Viennensis habuit, ubi hodie fratres de monte Carmelo monasterium habitant: & idcirco hodie adhuc locus ille Curia appellatur, quòd princeps illic sedem suam habuit, uixit autem religiosus prin

Austria suprà Onasum.

Corona rostrata.

Posonium.

Fines Austriæ.

Curia, am hoff.

sus princeps in timore Dei, & patris fundationem cœnobij S. Crucis imperfectã perfecit, adiectis duabus uillis, Minchendorff & Sigenfeld. Et ut memoriam quoque suam pijs factis extenderet, cœnobium Scotorũ Viennę D. Mariæ & S. Gregorio dicauit, fundauitque, & censibus locupletauit: quod Scotis, qui tum habebantur religiosiores, ut sub S. Benedicti normã uiuerent, adimpleuit, in quo post multas exantlatas erumnas sepultus iacet: casu equi in glacie improuidè lapsus, dum cum suis militibus uoluptatis gratia obequitat, mortuus anno nostræ salutis MCLXXII, Calendis Februarij, relicta superstite coniuge sua altera Theodora (nam duas habuit) è qua sustulit Agnetã filiam, quam Stephano Hungarorum regi matrimonio copulauit: duosque filios, Leopoldum successorem suum, & Heinricum: quos baltheo militari accinxit, antequã moreretur: de quibus nunc dicam, omnes sepulti Viennæ ad Scotos. Heinricus II eius nominis enim minor natu, de Medling senior cognominatus, oppida illa & uillas inter Viennã & nouam ciuitatem possedit, & cum patre suo ac fratre Leopoldo contra Sobeslaum ducem Bohemiæ circa Olomutium & Brunnam Morauiam longè lateque uastauit, ex Reytza uxore, filia regis Bohemiæ, Heinricũ iuniorẽ de Medling genuit, qui sine liberis decessit in Nouoburgo sepultus. A burgo Medling, quo uterque habitabant, nomen sortiti sunt. Pater cum cõiuge in cœnobio S. Crucis quiescit. Obijt autem senior anno à nato IESV MCC.XXIII. Iunior autem, post patris obitum non admodum diu superstes fuit.

Cœnobium S. Crucis. Minckẽdorff. Sigenfeld. Cœnobium Scotorum.

Heinricus II. de Medlin senior.

Heinricus iunior de Medling.

AUSTRIAE DUX II. ET PRIMUS *Stiriæ, Leopoldus VI. cognominatus Virtuosus.*

LVipoldus VI eius nominis & familiæ, cognomine dictus Virtuosus, Austriæ Dux secundus ex Marchione à Friderico imperatore factus, filius Heinrici Ducis Austrię I. & Theodorę primogenitus, post patris obitum Austriæ ducatũ suscepit gubernandũ, anno ætatis suæ uigesimo: quẽ tanta felicitate rexit, ut passim Pater patriæ diceretur: religiosorũ amator præcipuus. & quo anno mortẽ eius pater Heinricus oppetijt, hoc est, à nato IESV M.C.LXXVII. ipse in Italiam ad Fridericũ Imperat. I. unà cum Hermanno Carinthiæ concesit, ac iuxta Pisaurum in castro quodam uicino Ducatus Austrię feudum multis Italis & Germanis astantibus suscepit, VI. Calend. Martij. Aiunt hunc quidã interfuisse reconciliationi Alexandri III. Pont. summi, & Friderici I. Imperatoris, quæ sub id tempus Venetijs agitabatur. Reuersus in Austriam, cõtracto exercitu, Bohemos, qui Transdanubianam Austriam uexabant, expulit, ac in fugam conuertit. Quia autem religioni admodum deditus erat, cum multis principibus ut terram sanctã, in qua Christus uestigia impresit plantis suis sanctis, inuiseret, sese accinxit, sub Clemẽte Pont. III. ac dein sospes reuersus, magnam S. crucis portionem secum attulit, quam cœnobio S. Crucis donauit. Collecta hinc Bohemorũ Hungarorumque magna manu, obsidionem castri Ortenberg Comitis Rapatonis moliebatur: sed cum Batauiã aduentaret, occurrit illi Comes, imperata facere pollicitus, seseque submisit. & multorum suasione iram princeps remisit: in suamque reuersus patriam. Magno luctu paulo pòst per uniuersam Germaniam increbuit rumor, circa annũ nostræ salutis M.C.LXXXVII. Sarracenorũ & Aegypti regem quẽ Saladinũ uocant, uulgus Suldanum, Damasci habitantem, castellisque expugnatis Sarracenos imposuisse cæsis Christianis, Syriam armis inuasisse: ac Palæstina in suam redacta ditionem, urbem Hierosolymam expugnasse: quod & Græcorũ Imperatori molestũ erat. suspecta enim erat illi ipsius potentia. Itaque Friderico imperatori nũcios mittit, ceu bellicosissimo principi, ne terra Sancta prorsus periret, subsidia petẽdo. qui cũ principibus Imperij, designato pòst Heinrico filio suo Cęsare, expeditionẽ Asiaticã suscepit, cũ episcopo Dietpoldo Batauẽsi, Herbipolensi, Monasteriensi, Ossenburgẽsi, Misnensi, principib. Friderico duce Ale-

Comes de Ortenburg.

maniç, Bartoldo Morauiæ ex Bauaria de castro Andochiso, Hermanno Marchione Badense, cruce signatis, ut crucis ignominiam uindicaret Christianissimus princeps. Et anno uirginei partus M.C.LXXXVIIII, per Hungariam ac Bulgariam, Græciam penetrat: multisq; tandem exantlatis laboribus, à Græco imperatore Grçca fide accepitus, cum iam Eugenius III pontifex Romanus in Seleuciæ campos descendisset, cũ lætissimo exercitu post labores superatos innumeros, IIII idus Iunij fluuio quodam submersus, tristem ac lacerum reliquit exercitum, anno nostræ reparationis M.C. LXXXX. Expeditionem hanc Asiaticã scripsit Dietpoldus Batauensis episcopus, per suum Decanũ, qui Comes itineris erat, cui nomen erat Tageno. Ad hunc Luipoldum Austriæ ducẽ (ut Auentinus noster, uir doctus, & diligens antiquitatis indagator, qui se in monasterio Boioariæ Richobergomo inuenisse hanc expeditionis Asiaticæ descriptionem testatur) dum Friderici ossa Antiochiæ sepeliuntur, & Fridericus dux Sueuiæ filius reliquijs exercitus collectis Accaron ad cæteros Christi milites uenit: mox febre correptus, patrem sequitur. Nam pestilentia sæuissima subitò orta, magnã cladem uniuerso intulit exercitui, quæ & Dietpoldum Bathauensem episcopum cum plerisq; alijs principibus sustulit. Quo ferè tempore Philippus Franciæ rex cum Comite Flandrensi, & Richardus rex Angliæ perfidus, pariter excitati à Cardinalibus, à Cœlestino III missis, hanc expeditionẽ ineunt. Et in Germania Heinrico VI Imperatore monente, hic Leopoldus dux Austriæ cum multis Germaniæ præsulibus cruce signatis, iter hoc assumunt, ut Sarracenis debellatis, Acconem Palæstinæ urbem Christianis restituant, quam miles Christianus iam secundo anno obsessam expugnare non poterat. Rex Franciç aduertens Richardi perfidiam, quòd cum Saladino uidebatur colludere (est enim inter Francos & Anglos odium plusquam humanum) relicta terra sancta, & traiecto mari, concessit Apuliam. Leopoldus autem hic noster, & Richardus, diuersis à se inuicem locis locatis castris, ac bene munitis, oppugnationem urbis aggrediuntur, quam frustra impedire Saladinus nitebatur. Expugnata itaq; urbe, Richardus signa triumphalia in turribus undiq; affixit, uictoriam sibi soli ascribens: cum tamen Luipoldus dux Austriæ hic noster, cum suis una turri ciuitatis capta, primus muro eius loci superato, ante omnes adeò cum hostibus conflixisset, ueste alba ornatus, quam totam cruentam militis sanguine conspersam post pugnam reperit, solo spacio albo quo baltheus medium hominem cingebat relicto: ut plerisq; pro insignibus ac armis, quibus nũc utuntur principes Austriç, arbitrentur à Cæsare in rei memoriam clypeum rubrum cum linea intersectum alba donatum. Licet alij aliam causam referant armorum, bonitatem scilicet, seu feracitatem terræ Austriæ, quam secat fluuius Danubius per mediũ. In hac itaq; turri à Luipoldo & suis capta, cum uexillum ducis Richardus aspexisset, deijci in opprobrium, ac conculcari iussit princeps perfidus, non sine ducis Orientalis ignominia ac uerbis contumeliosis, & quibus regi Francorum pòst occasionem dederat abeundi. Ad hæc indignus Rex prædam communi sudore partam, inter suos tantum partitus, magna iniuria cunctos afficiebat: suoq; usus tantum arbitrio, cæteros omnes despexit. Offensi tanta contumelia milites & Italici & Germanici, in regem inuolassent: nisi milites templi Teutonici Hierosolymitani dicti fratres, orando ac supplicando furorem ac iram aliorum lenijssent & mitigassent. Detestantes itaq; alij principes Anglicam perfidiam, conscensis nauibus unà cum Luipoldo duce Austriæ abierunt. Interea Heinricus VI Imperator à Pont. Maximo cum coniuge benedictus & inunctus, Apuliam debellauit. Cui priusquam suas iniurias à Richardo rege contumeliose & iniquè irrogatas conquereretur, præter spem omnium eundem Richardum per terras Austriæ in suum regnum repetentem (nam naufragio conquassatus, ob superbiam suam, Deo sic ordinante, multis è suis amissis, ac dispersis in loca uaria, cum paucis per Austriam reuertitur) Luipoldus dux capit, dum in uenatione lepores sectatur. Nam ut in uetustissimis Annalibus Austriæ, & fide dignis reperi, in uillula propè Viennam in ripa Danubij, cui nomen patria lingua est Erdpurg, à Luipoldo Richardus capitur, & Hadmaro de Chunring Baroni in castrum Tyerenstain asseruandus traditur:

Accaron.

Accon.

Arma Austriæ noua.

Regẽ Angliæ capit dux Austriæ.

Erdpurg.

traditur: sed quum Ottho de S. Blasio, non indiligens scriptor, qui Otthonis Frisingensis episcopi historiam ad annos centum dilatauit, tradat, regem hunc, ne cognosceretur, habitu priuato ac seruili, ob timorem, in ueste coci assantẽ, à duce Austriæ, prodente ipsum annulo cum preciosissima gemma, quem in digito retinuit improuidus (sic uolentibus fatis) captum, dum in diuersorio publico extra urbem ob prandij necessitatem à quodam Ducis ministro, qui apud Acconem ipsum nouerat, casu cerneretur, ac dein Ducem certiorem de eo faceret, pleriq; hanc captiuitatem detestabãtur, quasi in peregrinũ sepulchri Dominici sacrilegiũ admisisset princeps Austriæ: & idcirco Max. Pont. anathemate feriebat ducem, ne scilicet transmarinę expeditionis milites deterrerentur, ignari contumeliam tam sæuam & crudelem à rege perfido pio principi inustam. Mittitur igitur captus rex Anglus Vormaciam Cæsari Heinrico VI, quò multi è suis confluũt. Sed diligenti examine discussis omnibus, pro redemptione sui magno auri & argenti pondere mulctatus, & ipsi Cæsari Heinrico centum milia, & Luipoldo Orientis duci ducenta milia, priusquã liber abiret, afferre iubetur. Imperator hanc mulctam militibus in stipendium donat, qui Apuliam ex hostium manibus reciperent. Dux Austriæ ne auaritiæ insimularetur, suam sibi donatam pecuniam in constructionem urbium suarum Austriæ, potissimum in exteriorem urbis Viennensis murum, ac pomœrium eiusdem, cum congestis illis aggeribus per urbis circuitum, qui hodie adhuc extant, expendit. Aspice lector huius rei non contemnendum uestigium in muro Viennensi, inter turrim rubeam & Salis cognominatã, ubi duas uidebis lapideas statuas, quarum una regis capti formam habet, altera ducis Luipoldi erat. His imaginibus annexa tabula, quæ scriptis hoc monumentum testabatur: quam uidi, sed iactura temporis & incuria nostratium iam perijt. *Duæ statuæ in muro Viennensi, Ducis scilicet Austriæ & regis Leopoldi.* Hic Leopoldus, uel ut uerius scribam, Luipaldus, dux Austriæ, fratres Hierosolymitanos ex Accaron, postquam à Friderico II Imperatore in imperium assumpti, & magnis libertatibus sunt insigniti, etiam in Austriam uoluit implantare, multisq; redditibus ac annuis censibus locupletauit. Et uillam illam prope Viennam, Erdpurg dictam, ubi captus est ab hoc Luipoldo duce rex Angliæ Richardus, liberè donauit, cæteraq; bona suppeditauit, quę posteriores Austriæ duces Fridericus pater & filius cõfirmarũt: necnon Alberti, quorum diplomata oculata fide cõspexi. Nam hic princeps urbem Viennensem ampliauit, ob amorem ciuium, quos mirè dilexit, ac plerisq; libertatibus donauit. Sobeslaum Bohemiæ ducem, Austriæ infestum, adeò oppressit, ut & Brunnæ & Olmutio urbibus Morauiæ multa incommoda, ferro, præda, incendijs, adductis copijs suis, adduceret & inferret. Fridericum insuper Bohemiæ ducem, Vladislai filium, à Sobeslao regno deturbatum, suo auxilio restituit, tanquam consanguineus pientissimus. Cæterùm cũ Marchioni Stiriæ Ottocaro iuniori, nuper à Friderico imperatore Duci creato, filiam Kunegundim uxorem dedisset, quæ sine liberis ante maritum discesserat, lepræ morbo incurabili Otthocarus infectus, Ducatum Stiriæ ultrò socero suo, huic Luipoldo, donauit, antequam moreretur: huic uni omnia sua bona fauens. quod cum ægrè tulissent alij, tot tantaq; bona gratis dari, sine cuiam subditorum assensu, ne res in dissensionem ueniret, néue quis cauillari posset, Stiriam omnem Duci Luipoldo uendidit, sed admodum precio perexiguo. Heinricus VI Imperator hanc emptionem & donationem, cessionem legationemq; approbauit, literisq; ac diplomatibus ratificauit, Luipoldoq; feudum concessit, ipsumq; principem Stiriæ creauit. Sic is nunc primus erit huius stemmatis dux Stiriæ. *Primus dux Stiriæ.* Qum autem & tertiò, ut quidam ferunt, Palæstinam cuperet cum nonnullis Christianis principibus ingredi, in Stiria descendens ex arce Gretio (quod rectius Grenitium, quasi dicas limitem, patria lingua Grenitz, uocaretur) casu equi decidit, natoq; præter spem iuxta fracturam ossis crudeli apostemate, ob intolerabilem dolorem amputare pedem coactus, Monachi habitum induit, ac summa religione uitam suam finiuit nonagesimotertio anno supra millesimum centesimum, quum cœnobiũ S. Crucis, ubi sepultus iacet, quibusdam uillulis ac annuis redditibus auxisset, ac Gottuuicense cœnobium quibusdam donarijs locupletasset: relicta Helena filia, Geyse II sorore,

Dux Austriæ monachus. Cœnobium S. Crucis.

rore, Belę III regis Hungarorum coniuge: quę illi sex annis superstes, duos sibi procreauerat filios, Fridericum & Leopoldum, ac Kunegundim, quæ uxor erat Otthocari iunioris ducis Stiriæ: à quo, ut scripsimus, Ducatus Stiriæ ad Austriam delatus est.

AUSTRIAE III. DUX, ET Stiriæ II.

MOrtuo Luipoldo VI Duce Austriæ & Stiriæ, successerunt duo fratres, Fridericus I Catholicus cognominatus, & Leopoldus VII dictus Gloriosus, qui paternas inter se diuidẽtes hæreditates, Fridericus Austriam, Stiriam Leopoldus sortitus est, tanquam maior natu. Qua ferè tempestate in Carinthia ingens locustarum multitudo, cum insigni corporis magnitudine, arborum germina & sata depasta, magnam terræ sterilitatem induxit: quam caritas annonæ, fames ac pestilentia subsecuta est. Fridericus princeps religioni deditus, qui in omni sua uita ab adolescentia hostibus Christi esset infensus, contraq; eos semper ensem stringeret, Catholicus princeps est appellatus. ideoq; cum multis præclaris & illustribus principibus traiecit in Hispaniam, debellaturus gentes Barbaras, & Christiani nominis hostes: quæ ex Aphrica in Hispaniam pridem ingressæ, magnam cladem Christianis intulerant, undiq; agros, oppida & urbes euastantes: quibus eiectis & cæsis, reuersus hortatu Heinrici VI Imperatoris, qui tum Apuliam compescebat, cum multis Germanię & Galliæ principibus charactere crucis insignitus, ut Sarracenos quoq; debellaret, & gloriam Christi ampliaret, tanquam princeps Catholicus, mare traiecit, ac Hierosolymam sospes delatus, multa egregia suæ uirtutis facinora edidit, nulli in tota militia secundus. & altero suæ expeditionis anno, dum hostes Christiani nominis persequitur, ualetudine aduersa correptus, uitam cum morte commutauit: anno à nato IESV M.C.LXXXXVIII, sine liberis, sine coniuge decedens. in Austriam eius corpus delatum, in cœnobio S. Crucis, quod & censibus auxit, sepultus iacet optimus Princeps, cum iam Austriam post patris obitum sex annis uixisset moderatus.

Locustæ.

Fridericus in Hispaniam.

AUSTRIAE DUX IIII.

LVipoldus VII huius nominis & familiæ, Gloriosus cognomine dictus, Friderici fratris Catholici cognominati successor, utrunq; post eius obitum sortitus Ducatum & Austriæ & Stirię, feliciter, sed nõ sine labore rexit. Nam Emericus rex Hungariæ uulgò dictus, rectius uerò Heinricus (ita enim patria lingua sua Hungari nomina Germanica inuerterũt) Austriam mox post fratris obitum cum magno præter spem exercitu ingressus, ferro, flamma, præda populatur, absente principe: sed interuentu Chunradi archiepiscopi Moguntini, & Eberhardi Salizburgensis, & Volffgeri Batauensis, qui cœnobiũ Scotorum ab Heinrico fundatum sub id tempus dedicauit, paulo pòst Aquilegiensis patriarcha creatus: huius aliorumq; principum ope rex Heinricus Hungariæ, & Luipoldus dux Austriæ, compositi pacatiq; sunt. Similiter rex Heinricus, & Andreas II, frater eius, qui illi succesit, diu in rancore uersati, persuasione prefatorum Principum cõcordiam inierunt. Hinc Leopoldus in tanto publico gaudio, baltheo militari est donatus. Sed ne continuò Hungari per fluuium Leytam in Austriam irrumperent, nouam ciuitatem tum cõdidit, ut incursiones illic arceret. Semper enim illic irrumpebant: licet Austria, quod postea scribemus, longè ulterius naturali limite protenderetur, ad Rabam usq; fluuium. Noua aũt ciuitas propter cõtinua incendia sic dicta est, quòd omni penè anno innouetur, & ex nouis ædificijs noua & renata appareat: unde & arma huius ciuitatis gẽtilitia sunt, alba mœnia cũ turri noua in rubeo cãpo. Statuit Ferdinandus noster princeps, rex Hungariæ & Bohemiæ (Deus sibi uitam prorogat) qui Burgũ illud ornatissimè & magnificè extruxit, & fontibus per aquæductus ornauit,

Emericus, Heinricus.

Noua ciuitas conditur.

ornauit, ut nimirū regia sit dicenda, condere hospitale cum triginta personis, qui de-
bent hic ali & nutriri necessarijs sumptibus, quos certa pecunia & parata uult insti-
tuere: Deus faxit, ut hoc sanctū propositum procedat. Tum forte hæc urbs ampli-
us non Noua ciuitas, sed Fernadinopolis iure & meritò dice. Habet hoc Burgum
uiuariū amœnissimū, ex damis, ceruis, hinnulis, cuniculis & labyrintho ingeniosissi-
mo. Præterea priusquam urbs conderetur, Heinricus rex Hungarorū (quod est pau-
cis notum) statuit præuenire hunc nostrum Leopoldum, & aream haud longè à No
ua ciuitate fossa & aratris circunduxit. Conuenerant hi duo principes pacto, ut qui
prior ex illis urbem extrueret, alium superaret & uinceret. Leopoldus itaq; dicto ci-
tius urbem suam perfecit. Heinricus Hungarus uidens rem perfectā, rubore perfu-
sus, cum ignominia discessit. quales namq; sint Hungarici artifices & architecti, si ca-
reant Italis & Germanis, hinc omnibus manifestò patet. Quum meditantur domum
extruere, cum faciunt stabulum, & ut poeta dixit Horatius, Amphoram cum insti-
tuunt, uix urceus exit. Cernitur hodie haud longè à Noua ciuitate area illa Hungari-
ca pro urbe condenda, quæ futuro seculo apud posteros post annum Platonis extrue
tur. Sed ad Leopoldum nostrū ueniamus. Hic Dux, Viennę habitabat: Burgumq;, Burgum Vien nense quando
quod iam regijs ædificijs exornatum est, extruit. nam Heinrici primi Ducis Austriæ extructum.
habitatio Carmelitis cessit. Multum enim Viennenses amabat, pluresq; illis immu-
nitates concessit, & priuilegia: quia illum uicissim deuotissimè obseruabant, illiq; fi-
deliter obtemperabant. ob id nuptias hic præsente rege Romanorū Philippo, alijsq;
principibus magnificas regijs sumptibus, cum Theodora Emanuelis Constantino-
politani Cæsaris expulsi consanguinea, celebrauit honorificentissimè. unde & illi sup
petias tulit, dum Coloniā obsideret, pluresq; in circuitu inimicos & castella caperet,
commeatum eorū interciperet & aquis ac terra, Nussiamq; occuparet. Nam Ottho
Bauariæ Dux à quibusdam per ea tempora designatus erat rex Romanorum, contra
Philippum regem: è qua re multi sunt facti conflictus & strages, de quibus in Cæsa-
ribus nostris copiose scripsimus. Perrexit paulo pòst Luipoldus hic noster Austriæ
dux, & Stirię, cum multis alijs principibus in terram sanctam. Tantus erat tum feruor
& zelus in religionem Christi, ut nemo ex Ducibus Austriæ putaretur bonus Chri-
stianus miles, qui terram sanctam non inuiseret ac adiret: è qua ingentem S. Crucis
portionem secum religiosus princeps abstulit. Sed cum Sarraceni ex Aphrica traie
cissent in Hispaniam, cunctaq; ferro & flamma euastarent, Leopoldus dux Austriæ
cum suis illos ipsos in Hispaniam aggressus, in Gallicia manus cum illis conseruit,
deq; hostibus triumphauit: multisq; fortitudinis suæ præclaris facinoribus editis, re-
uersus in patriam, quia admodum religioni deditus erat, maiores suos sequi, ne ab Cœnobiū cam
ijs degenerare uideretur, statuit. Cœnobium itaque quod Liliorum campus appel pi liliorum.
latur, fundare cœpit, in quo repositi sunt Monachi S. Bernhardi, pulchris ædificijs
exornatum, censibus ac redditibus auctum. Adiecit & plerasq; arces & ciuitates huic
prouinciæ, quas emit suo ære, ac se frugi principem modis omnibus ostendit. Cum
uerò Sarracenorum princeps in Palæstina ac Iudæa aliquot urbes & oppida Christia
nis eripuisset, euastassetq; in Hispanijs multa loca, superbissimè minatus est regi Ar-
ragonum, cæterisq; Christianis principibus, ni legem Sarracenam, abiecta Christia-
na, acceptarent, fore ut breui orbe Christiano uniuerso debellato, grauissimas essent
sibi daturi pœnas. Conueniūt itaq; pleriq; Christiani Principes, & signati cruce mare
traijciūt. Ibi Luipoldus hic noster, uocata uniuersa sua nobilitate Austrię & Stiriæ in
Nouoburgo cœnobio, secundò se cū suis charactere crucis consignat: ac per Hunga
riam descendens, Andream II regem hortatur supplex, ut sit comes itineris: feliciq;
ac prosperrima nauigatione paucis diebus, quod uix credibile est cuiquam, Dancia-
tam urbem Aegypti perueniunt, eamq; è manibus Sarracenorum liberant, potissi-
mum hoc Leopoldo duce authore: hostibusq; Christi profligatis ac cæsis, reuersus
est saluus & sospes Luipoldus Dux Austriæ & Stiriæ, in Austriam, non sine magna
subditorum suorum lætitia. Cum autem princeps Luipoldus ex sua coniuge Theo-
dora, de qua paulo pòst uberius, Margaritam filiam maiorem natu procreasset, circa
hæc

hæc tempora despondit Heinrico regi Romanorum Friderici II Imperatoris filio in coniugem: quę anno à nato IESV uigesimoseptimo, post mille ducentos, in reginam consecrata est, Nornbergæq; nuptiæ tanto apparatu factæ, ut multi homines in ijs nuptijs ferantur oppreßi uitam amisisse. Sunt & eodem die & in eadem urbe alteræ celebratæ nuptiæ Heinrici ducis Austriæ de Medling, Crudelis appellati, fratris Margarethæ, & Richardis sororis Ludouici Thuringiæ Landtgrauij, maximo & splendidißimo apparatu. Vt autẽ lector scias, quis ille fuerit rex Romanorũ Heinricus, cum septem tantum Heinricos catalogus Cæsarum teneat, scito Fridericum II Imperatorem ex prima coniuge Constantia Arragonum regina (nam sex habuit legitimas uxores) genuisse hunc Heinricum ducem Sueuiæ, & Iordanem, qui in pueritia obijt: quæ quidem Constantia prius habuit maritum Emericũ, siue Heinricum, regem Hungariæ. Post cuius mortem hic Luipoldus dux Austriæ hanc Constantiã, ut tutò perueniret cum sua supellectile & regia dote in Arragoniã, illi non uulgares suppetias tulit. & hæc dehinc Imper. Friderico II nupsit. Cumq; is Fridericus imperator à Pontificibus toties lacesseretur, ne fortè uiolenter Imperio deturbaretur, hunc primogenitum ope multorum principum, uix adhuc decennem, regem Romanorũ designauit. & cum adolesceret, illi uxorem huius Ducis Austrię & Stiriæ filiam Margaritam matrimonio copulauit: è qua duos sustulit filios gemellos, Fridericũ & Heinricum: quos in duodecimo ætatis anno Manfredus spurius Imperatoris, ne sibi Siciliæ regnum auferrent post Friderici Imperatoris obitum, ueneno sustulit. Hic itaq; Heinricus Romanorum rex, octo annis tantum Imperio præfuit, Friderico II Imperatore tum in Apulia bella agitante. Ob res itaq; præclarè à Luipoldo Duce Austriæ gestas, Heinricus is Romanorum rex uolens socerum suum magis exornare, ac cæteris ducibus præferre, de regali sua potestate diadema regium, hoc est, circulum aureum coronæ adiecit pileo suo serrato Ducali: quod quidem insigne nostra tempestate nullus princeps gestat. Extat huius donationis diploma, cuius exemplar hic subnectam, ne quispiã me calumnietur in principis mei fauorem cõfinxisse: è quo colliges, si annos Christi supputabis ex fide, hoc priuilegium non ab Heinrico VI Imperatore, ut pleriq; decepti sunt arbitrantes, principibus Austriæ, sed ab hoc Heinrico Friderici II Imperatoris filio concessum & largitũ. Sub id enim tempus Heinricus sextus dudum decesserat, qui Leopoldo Virtuoso, hoc est, patri huius, Stiriam collatam approbauit: ut superius scripsimus. sed donatio hæc principis ita sonat:

Heinricus de Medling, Crudelis dictus, Luipoldi frater.

Septem Imperatores Heinrici dicti, hic octauus.

DONATIO HEINRICI IMPERAtoris, Duci Austriæ.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amẽ. Heinricus Dei gratiar ex Romanorum semper Augustus: Dignum est nimirum & consentaneũ, poßibilibus rogatibus regiã Maiestatem omni tẽpore annuendo largißimè subuenire, ipsosq; benigniter adimplere. Nouerit igitur omnẽ Christi nostriq; regni fideliũ ætas, & successura posteritas, quòd nos Principũ, quorũ iuris quenq; Romanorũ Regẽ est eligere, bene placito, cõsilio & fauore, omnia iura, gratias & libertates, cunctasq; bonas cõsuetudines nobiliũ terrarum Austriæ & Stiriæ, quę usq; ad nos uariè deuenerũt, de quibus etiã ritè & rationabiliter noster & sacri regni dilectus Leopoldus dux Austriæ & Stiriæ, antiquorũ Imperatorũ Romanorumq; regũ literis, quas certitudinaliter læsione procul mota, quales uidimus, plenius nos instruxit: & cũ diuina gratia, Regia perfectißima perfruamur potestate, proculdubio nostram Regalem bene condecet liberalitatem, ut nostros & sacri regni principes, eorumq; terras, iuribus & gratijs specialibus sublimemus: è quibus specialiter Magnificum & sacro regno fidelißimum, summum nostrum principem Leopoldum, Ducem Austriæ & Stiriæ, easdemq; suas terras sequentibus iuribus, gratijs & libertatibus uolumus honorare. Primò, quòd si quis alicui Ducum Austriæ & Stiriæ, quacunq; censeretur dignitate, suarum terrarũ prouincias, & alia cætera quocunq; nomine nuncupationeq; censeantur: quæ autem à regali magnificentia seu à Principibus spiritualibus concesßionis, collationis'ue officio

officio deriuaretur, legare, dare, obligare, unde cōtinget eosdem uenditores siue obligatores huiusmodi nostra regalis Maiestas, nec aliquis hominum æqualiter ualeat impedire. Quod si autem eadem uenditio, obligatio, datio, legatio euenire continget tam repentè, quòd nec regia sublimitas, nec harum rerum collatores possent aliquatenus requiri, Ducibus Austriæ & Stiriæ prædictis in eorum iuribus ob hoc nullum eueniat penitus detrimentum. Etiam idem generosus princeps Leopoldus Dux Austriæ & Stiriæ, coram nostrę Maiestatis oculis, & electorum Romani regni culminis inquisitione & sententia obtinuit, pro solerti suarum antiquarum literarum recitatione, ut omnia sua iura seu feuda, cuiuscunque sint cōditionis, in equo resides recipiat, talibus collationibus magnificè prædicatus. Præterea eidem illustrissimo Principi Leopoldo Duci Austriæ & Stiriæ, cunctisque suis sequacibus hanc largiter concedimus dignitatem, ut sui principatus pileo nostræ regalis coronæ diadema solenniter ferre possit. Volentes largius, suas terras seu ditiones, districtus, & cætera ad huiusmodi pertinentia, uel quæ in posterum poterint obtinere, habere cuncta iura, libertates, gratias, bonasque consuetudines, quas Duces olim terrarum iam dictarum piæ recordationis in cōmendabilem ex antiquis consuetudinem perduxerunt, atque recenter à nostræ manibus excellentiæ susceperunt, quibusuis impedimentis inuiolabiliter procul motis. Demum mandamus, & sub interminationibus nostræ gratiæ districtè præcipimus, ut nullus sit qui ausu ductus temerario, strenuissimum Principem Leopoldum Ducem Austriæ & Stiriæ præfatum, suosque sequaces, audeat impedire, uel alicuius ingenij scrupulo molestare. Quod qui facere præsumpserit, offensum nostræ Celsitudinis se nouerit incursurum. Ad quarum etiam gratiarum concessarum perennem memoriam hanc ei literam conscribi, & sigillo nostro iussimus insigniri. Testes hi sunt: Ludouicus Dux Bauariæ, Palatinus Comes Rheni, Vlricus & Ludouuicus Comites de Ferroto, Conradus Burgrauius de Neurnberg, Fridericus de Thruhendingen Comes, Eberhardus Dapifer de Vualpurg, Conradus Pincerna de Vuintterstetten, Chunradus de Sindelueld, & alij quàm plures. Acta apud Eslingen, anno Dominicæ incarnationis M. CC. XXVIII. nono Calendas Septembris, indictione prima.

Fuit hic Leopoldus Pater cleri à plerisque dictus, cum sacerdotes nimirum ueneraretur, & monasteria collapsa reficeret. nam Carthusianorum claustrum Stiriæ Geyrach uocitatum reparauit, & censibus auxit. hic hospitale S. Spiritus dictum de Saxia Viennæ fundauit, multisque magnis libertatibus donauit: & templum diui Antonij eregionè parrochiam fecit, ac priuilegijs muniuit, quæ uidi. sicut & omnium Principum Austriæ diplomata, quæ singulis monasterijs & templis dederunt, summa diligentia disquisiui, ut fidem facerem omni posteritati, uerè domum Austrię religiosis Principibus semper fuisse claram & insignem. Cæterùm cum exitiales inimicitiæ sub id tempus essent inter Gregorium IX Pontificem Maximum, & Fridericum II Imperatorem, quem diris deuouit Pontifex Maximus, ob amorem Imperatoris, concessit in Apuliam cum Patriarcha Aquileiensi, Bertoldo Archiepiscopo Salizburgensi, Vdalrico Patauiensi, Hermanno Duce Carinthiæ, accersitisque nonnullis alijs Principibus, Imperatorem Pontifici conciliauit, pacemque fecit, anno à nato Christo M. CC. XXX. Quo anno lethali morbo correptus, in Apulia ad S. Germanum uitam suam finiuit, cum iam Stiriam annis XXXVII, Austriam unum & triginta annos gubernasset, intestinis suis sepultis in monte Casino: ossa uerò delata in Austriam, in cœnobio Campi liliorum à se fundato & constructo conduntur in sarcophago elato, qui hodie in choro cernitur D. Andreæ apostoli, quo ab Archiepiscopo Salizburgensi templum cœnobij est consecratum. Habuit aūt uxorem Theodoram, Alexij Constantinopolitani Cæsaris consanguineam, è qua tris filios & quatuor filias procreauit, Leopoldū scilicet VIII, cognomēto Infantē dictū: qui puer ex negligentia pædagogi sui, cum in horto ex arbore præcipitatus periret, nono ętatis suę anno, patri uehementē dolorem excitauit. In cœnobio Nouiburgi sepultus est, anno Christi M. CC. XVI. cum matre sua Theodora, quę etiam illic quiescit. Alter *Luipoldus VIII.*

Ff filius

Heinricus V Crudelis. filius erat Heinricus V eius nominis, de Medling, cognominatus Crudelis et impius, quòd patri rebellis, matrem Theodoram ex arce Haymburgo cum omni suo gynæcio expulerit, oppidumq; & castrum iniquè possederit, utrisq; parentibus insidias locauerit: sed Dei iudicio ante ætatem, & triennio ante patrem mortuus, & castra oppidaq; ablata ui, & alia quæ sibi hæreditario cesserant, parentibus reliquit impius filius, qui pœnas dederat scelerum suorum. Nam & Richardis eius coniunx, Ludouici Thuringiæ Landtgrauij soror, qui Ludouicus diuæ Elizabethæ matrimonio copulatus fuerat, post unicam filiam Gertrudim, mortua sepelitur. Gertrudis autem illa per patruum suum Fridericum Austriæ Ducem, de quo paulo pòst, desponsatur Vladislao Marchioni Morauiæ, filio regis Bohemiæ, qui post Fridericum Austriæ ducem successit in ducatu Austriȩ, ob suam coniugem. Sed cum nullam ex ea gigneret prolem, breui occubuit. Gertrudis autem secundò nupsit Hermanno Marchioni Badensi, qui paucis annis obtinuit Viennam, & nõnulla alia oppida Austriȩ: ex eoq; tulit filium Fridericum, qui Neapoli est capite tuncatus innocenter: & filiam Agnetem, quæ Vlricum ducem Carinthiæ maritum habuit: sed nullam prolem. *Fridericus Neapoli truncatus.* eoq; defuncto coacta est nubere Comiti Vlrico de Heuunburgo, per Otthocarum Morauiæ & Austriȩ ducem, quemadmodũ copiosius paulò infrà scribemus. Ex hoc Comite nati sunt filij & filiæ, è quibus orta dehinc est familia Comitum de Pfannenberg, & de Cilia. Sed & illo marito defuncto, Gertrudis tertiò nupsit Romano Russiȩ regi: qui eam relinquens impregnatam, redijt in Russiam, nec unquam reuersus est ad eam: quȩ tum peperit Mariam, quȩ pòst Stephano de Sagabria, Capitaneo Stephani V, Hungarorum regis, desponsata est. *Stephanus de Sagabria.* Multa est perpessa hæc Gertrudis incommoda ab Otthocaro, qui eam, ne ducatus Austriæ in suas perueniret manus, persecutus adeò est, ut ipsa relicta Austria secederet in Misnam, ad consanguineã suam Constantiam, de qua in sequentibus scribemus. Tertius Leopoldi filius erat Fridericus, de qua sequenti capite scribemus. Restat ut etiam eius quatuor filias ordine recenseamus. *Margareta.* Prima erat Margareta, quæ fuit desponsata Heinrico Romanorũ regi, filio Friderici II Imperatoris, ut paulo antè scripsimus: & ei duos gemellos peperit. Sed pòst anno Virginei partus quinquagesimoquarto post mille ducentos, cum iam per obitum Friderici ducis, Austriæ & Stiriæ ducatus careret masculo hærede, per prouinciales Austriæ denuò desponsata est Margarita, unica hæc Austriæ soboles, Ottocharo Morauiæ Marchioni, & dehinc Bohemiæ regi: qui per eam, Austriam sortitus est. *Ottocharus.* Sed cum nullam ex ea ferret prolem, septimo post nuptias anno repudiata illa, duxit Kunigundim Rassslai Moscorum ducis filiam. hæc autem Margarita reposita in Kremps oppido, sexto post diuortiũ anno est ab impio marito sublata ueneno, in Campo liliorum sepulta, cui cœnobio multa bona fecit. *Agnes.* Altera filia Luipaldi ducis, Agnes, desponsatur à patre duci Saxoniæ. *Constantia.* Constantia, tertia filia Luipaldi, & Theodoræ, per fratrem suum Fridericum Ducem Austriȩ copulatur matrimonio Heinrico Marchioni Misnæ, cui peperit duos filios, Theodoricum scilicet & Albertum: è quibus, ni obstitissent Ottocharus & Vuenceslaus reges Bohemiæ, alter creatus fuisset Dux Austriæ post Friderici obitum. *Gertrudis.* Quarta Luipaldi & Theodorȩ filia, Gertrudis, Landtgrauio Thuringiȩ fuit uxor collocata: quos uerò illi liberos perpererit, annales Thuringorum requirendi sunt. Hanc post se reliquit propagationem gloriosus ille Princeps, & in omni uita sua humanus ac religiosus, Luipaldus VII, Austriæ dux IIII, & Stiriȩ II.

AUSTRIAE DUX V, ET ULTImus, Fridericus II, cognomento Bellicosus.

Fridericus secundus eius stirpis & nominis, Bellicosus cognomine dictus, quintus & ultimus Austriæ Dux, & Stiriæ III, filius fuit Luipaldi septimi, & Theodoræ: qui mox patre defuncto, utrunque sibi Ducatum regendum usurpauit. *Henricus de Medling.* Nam & frater suus de Medling, sine filijs

lijs breui, unica sola filia Gertrude superstite relicta, ut superius scripsimus, decessit. Estque omnis huic hæreditas ad Fridericum deuoluta. Strenuus Princeps in periculis obeundis, animo imperterrito, bello fortunatus, sed petulans, atque ideo improuidus militibus: liberalis præcipuè, licet & aliàs non esset parcus, ut est natura totius familiæ Ducum Austriæ. Viuente patre, anno à nato IESV uigesimosexto supra mille ducentos, uxorem duxit Gertrudim, Ducis de Braunschweig filiam, reginæ Hungariæ Gertrudis, quæ mater fuit diuæ Elizabethæ, neptem: qua cum magnificis apparatibus, multorum principum præsentia, nuptias in ciuitate Braunsuuicensi splendidissimas celebrauit. Sed triennio pòst, quum liberos non procrearet, eam repudiauit, superducta filia Otthonis senioris Ducis Morauiæ: quod plerisque uisum est indignum, & impium. Quandoquidem Gertrudis regina Andreæ regis Hungariæ uxor, & mater S. Elizabethæ, soror erat Otthonis Ducis Morauię, Bechtholdi patriarchæ Aquileiensis, Egberti episcopi Babenbergensis, & Heinrici Marchionis Histriæ: cuius sorores fuerant, diua Heduuigis ducissa Poloniæ, Agnes regina Franciæ, uxor Philippi regis: & Abbatissa quædam, cuius † nomen hactenus non reperi, in Kytzing, propè Herbipolim. Incestuosæ itaque putabātur hæ nuptiæ. Post patris obitum fortè cum absens esset à patria Fridericus, eius subditi & familiares paternos thesauros hæredi uero contra ius ac phas abstulerunt, prædis ac direptionibus intenti: quorum authores feruntur fuisse duo fratres de Chuenring, Heinricus & Hadmarus, Canes à sæuitia & crudelitate erga suum naturalem dominum dicti. Nam & Krembsam & Steinam oppida, in Danubij ripa locata, incendio euastarunt, magna sęuitia usi in ciues illos iniquè. Sed redeunte Principe, mox pœnas suorum facinorum dederunt. Nam Hadmarus in desperationem redactus, eo anno ignominiose est mortuus in Zuuettl monasterio, ad quod confugiebat, inops consilij honorum fundationis: & clàm sepultus, Heinrico fratri Princeps abstulit Tyrnstain, & adiacentes uillas, quæ huius familiæ prius erant, & in suum usum conuertit, potiunturque adhuc hodie Principes Austriæ his bonis: pulchrè itaque eos humiliauit: cæteris thesauros paternos ui raptos iterum abstulit, supplicioque affecit condigno, partim ense, partim cruce scelera ultus. Baro autem de Chuenring Heinricus, Canis dictus, & suos & fratris sui filios, Hadmari defuncti obsides, Principi dedit, ut quoad omnia ablata restituerentur integrè, & persoluerentur, his pro arbitrio uteretur. Sic est & hoc bellum ciuile uix sedatum, quum Bela IIII Hungariæ rex, cum Andrea filio, in principio gubernationis Friderici in Austriam irruerent, fortè ob nuptias parum æquas, de quibus iam scripsimus. Quibus obuiam Fridericus usque ad Heymburgum occurrit, uiriliter ac intrepidè manus conferens cum illis, adeò ut incruenta uictoria illico remearet ad Viennam: quam uix ingressus, audit Vuenceslaum, uel ut alij scribunt, Primislaum regem Bohemiæ, Transdanubianam Austriam ferro & igne euastare. Exciti ferebantur Bohemi à Baronibus de Chuenring, & rebellibus alijs, quos Princeps iam ultus erat. Verùm audientes, punitos authores seditionis, & belli illius ciuilis, reuersi sunt in suum regnum, sed non absque præda. Quod Fridericus, quia tum occasio non erat, paulisper dissimulauit, uindictæ tempus opportunum quærens. Sed ut suos milites more antiquo Imperatorum exerceret, quo bello fierent accommodatiores, ex omni militia ducentos elegit, quos in uilla Pentzing, Viennensi urbi propinqua, ordinibus & phalange rectè quasi in legionibus adornatis, iusta acie decertaturos commisit. qui uerò inepti uisi, reiecti sunt, & alij substituti agiliores. Delectos uerò, nobilissimo habitu, albo & rubeo purpureo, qualem præferunt colorem arma Ducatus Austrię, cohonestauit: uelitari id ueteres dixere. Inde Calendis Februarij post Christum natum anno M. C. XXXII, Gebhardo Bathauensi episcopo, alijsque multis insignioribus pręsentibus in cœnobio Scotorum, cum ducentis nobilioribus baltheum militarem assumpsit: quos dehinc donarijs & congio militari donauit, uti eos inescaret, quo fierent ad arma capessenda feruentiores. Et hinc uilla Pentzing nomen sortita est, quasi irritamentum dixeris uerę pugnę. Post memor illatę à Morauis ac Bohemis iniurię, collectis copijs Morauiam ingreditur:

† Bruschius inuenit eam Mechtildim fuisse dictam, ducissamque Meraniæ fuisse.

Velitari.

Pentzing.

& arcem quę Vetouia uulgò dicitur, furum ac prædonum receptaculum, nullo penè labore, nemine uel pręsentiente, in deditionem capit: quod suis etiam militibus uisum est facile fieri non posse. Quinimò Vuenceslaus rex tam inopinato & subito casu deiectus, non modò non illi obuiam prodit, sed per syluam Bohemicam exercitum suum fugienti similis traduxit, non ausus illi occurrere. At rex Hungariæ Andreas II, felicitati Ducis Austriæ inuidens, nescio qua causa, quá ue ratione motus, magno exercitu Austriam ingreditur: & uillam quæ haud longè à Pruck in Leyta flumine locata, Hofflein patria nuncupatur lingua, adoritur: longè lateq; finitima populatus loca. sed illa haud incruenta uictoria cessit, multis è suo exercitu cæsis ac profligatis, multis captis. Teben arx & oppidum incendio cōflagrauit: ideo coactus retrocedere rex, pacem à duce Friderico petijt coactus. quam cum ille concessam acceptasset, inter redeundum iuxta ciuitatem Nouam Friderico occurrit: à quo humanissimè acceptus est, simulq; honorificentissimè pacem firmarunt. Rex præterea Ducem ad regnum Hungariæ inuitauit, quò simul profecti sunt. & iunctis dextris, cum aliquot dies publico gaudio uixissent, Fridericus Austriam reuersus, Hungari uerò inscio rege suo Stiriæ fines populati, cum longius abduxissent Stirios, qui sine Duce uagabundi, sine ordine palati hostes adgrediuntur, cæsi fugatiq; sunt. sed ancipiti Marte utrinq; pugnantes, neutris uictoria cessit. Audiens autem contra se moliri Marchionem Morauiæ, qui iam Vetouiam arcem cum alijs castellis recuperauerat, exercitum quadraginta milium coegit, Vetouiam denuò cępit cum nōnullis alijs castellis, processurus in regnū Bohemiæ, atq; omnia euastaturus. sed morbo correptus lethali penè, ab incepto destitit: ualetudini uerò pristinæ restitutus, celeberrimas nuptias cum sorore Constantia, quam Heinrico Marchioni Misnæ desponsauerat, extra urbem Viennensem, iuxta Stadlaw in planitie, Calendis Maij maximo apparatu & splendore perfecit, præsentibus regibus Hungariæ Andrea II patre, & Belę IIII filio Venceslao Bohemiæ: episcopis Salispurgense, Batauense, Babenbergense, Frisingense, Secouiense: ac principibus Vladislao Morauio Marchione, Vdalrico Carinthiæ duce, item & Saxoniæ duce, Landtgrauioq; Thuringiæ, multisq; Comitibus, Baronibus ac nobilibus, matre etiam Theodora præsente: in quibus nuptijs omnia genera militiæ exhibita sunt, magnis impensis ac sumptibus. Noluit Princeps in Vienna has celebrare nuptias, ueritus & seditiones & incendia. Nec enim satis tutum erat credere uicinis suis, qui quotidie limites Austriæ supergressi, finitima loca populabantur. Et maius suis flosculis arridebat, & concentus auium suauissimi aures demulcebant: florebat tum omnis ager, & erat formosissimus annus. Mouebat hic luxus animos Hungarorum: qui mox sequenti anno tantæ fertilitatis terræ inuidentes, sperabant se Fridericum è terra sua deturbaturos. magnis itaq; copijs Austriam populantur. Erant in exercitu pater & filij Andreas & Bela, ac Colomannus: penitusq; sibi Austriam subigi posse sperabant. Fridericus tantæ potentiæ impar, licet esset animi ad omnia subeunda pericula parati, formidans ne omnem amitteret prouinciam, ad astum confugit. Oratores mittit, ueniamq; si quid deliquisset rogat: conuiuio acceptat reges, & munificè tractat. sic per hoc omnes abigit è prouincia bene pacatos. Venceslaus autem Bohemiæ rex, haud ignarus Hungarorum irruptionis, ipse per Morauiam ingressus Austriam, sperans, dum manus Fridericus cum Hungaris consereret, sese potiturum prouincia. Sed ecce dum haud longè à ripa Danubij castrametatur, triduana pluuia, & resoluta in montibus nix, Danubij inundationem procreat: quæ tanta fuit, ut plerisq; hominibus ac iumentis submersis, uillis, brutis, agris, & satis coopertis, impelleret cum omni exercitu regem, etiam impedimentis relictis retrò abire. Præcesserat hanc inundationē prior alia tempore uerno, quū glacies resolueretur. nam asperrima eo anno fuerat hyems, hominibus ac pecudibus admodum molesta: quę ita aquam conuerterat in glaciem, ut alueum egressus Danubius, ripam, & adiacentes in ea syluas & oppidula penitus destrueret, arbores radicitùs euerteret, segetes obrueret, ut ualida sequeretur ex satis destructis fames, & ingens penuria. Cum itaq; Fridericus nouis & insolitis exactionibus

Stadlauu ultra Danubium.

Hungarorū in Austriā amor & proba uicinitas.

nibus ciues suosque subditos molestaret, unoque die cuncta totius Austriæ cœnobia inopinatò suis thesauris spoliaret, depositaque præter omnem honestatem diriperet uiolenter, suorum incidit odium capitale, sanguine expiandum. Accessit aliud, & intolerabilius facinus principis. Deperibat Fridericus uxorem quandam forma eximia Viennensis cuiusdam ciuis: appellabatur hæc ex re, pulchra Braunhildis. ea cum potiri non posset (nam neque donis neque promissis pellicere pudicam feminam impudicus princeps ualuit) conuiuium Viennæ instituit, ciuesque insigniores accersit cū coniugibus ac filiabus. facta cœna, chorea celebratur: subornantur lenones, subsessores, abactores, qui Braunhildim in media chorea (dum aut maior adest iuuenū ac puellarum tripudiantium copia, aut uino maior pars hominum sepulta, haud facile aduertit quæ in strepitu fiunt) inuitam quidem, sed uerbis fictis, quasi ad aliam habitationem abducturi, demulcentes in principis cubiculum abripiunt. cui cum uim princeps inferret, maritusque id senioribus conquestus, ciuium tumultum excitasset, princeps clàm de muro urbis demissus, aufugit in arcem Starckenberg prope Nouam ciuitatem, illicque delituit. Cum autem plerique etiam uicini super iniuria eis à principe illata lamentati essent Friderico II Cæsari & Imperatori Romano, qui quoties ab eo uocatus, semper eius mandata non modò cōtempserat, sed Cæsaris etiam nuncium literas afferentem inhoneste tractauerat: quinimò & matrem suam Theodoram custodiæ mancipauerat, quæ elapsa ad regem Venceslaum Bohemiæ confugerat, delatis prius ad Imperatorem querimonijs: ob id Imperator eum banno imperiali prosequutus, omni suo honore exuit, ac terris suis hæreditarijs spoliauit, in publico principum Germanorum consensu, & ob id contumaciā proscripsit. Cum autem Fridericus Imperatoris edicta aspernaretur, Imperator regem Bohemiæ & Ducem Bauariæ in Austriam præmisit, ut hominis rebellionem compescerent. hi licet terram incendio & ferro uastarent, Princeps in arce **Starckenberg**, & Noua ciuitate sese præmunijt, ut illæsus ab omnibus permaneret. Cum autem Burgrauius Norinbergensis, collectis copijs ad persequendum Ducem usque ad Nouam ciuitatē perrexisset, aduocaturus Stirios, quibus Imperator id iniunxerat, & opem insuper à Patriarcha Aquileiēse imploraturus, quo ducem in obedientiā reduceret: Fridericus dux unà cum Comite de Borgen ex Bauaria, quem secum habuit, suppetias sibi ferentem, subsequutus illos, partim cæpit, partim occidit, plures in fugā uertit: Stirienses re infecta, cum confusione domū repedarunt. Episcopus Bathauensis Rudigerus, & Frisingensis Chunradus, cū multis nobilibus, qui pro defensione terræ ab Imperatore huc missi erāt, à Friderico capti, irrisi sunt. Tota Austria bello, ob bellicosum uel potius rixosum principē eo uastatur. Coactus est itaque Imperator, & si multis magnisque distringeretur negocijs, Austriam ingredi. Per Stiriam idcirco delatus, fortissima munimenta & castra occupauit, quæ huic Principi abstulit. ingressus Viennam, à ciuibus est honorificentissimè exceptus. Comitati sunt Imperatorē Eckenuuertus antistes Babenbergensis, Ottho Dux Bauariæ, Burgrauius Normbergensis, Comites de Hennenberg, de Eberstain, cum multis episcopis, baronibus & nobilibus. Descendit per Danubium Chunradus Imperatoris filius, rex Romanorum, cum insigni nobilitate, tribusque mensibus hybernarunt Viennæ: & quia Fridericus Dux exul, præter Nouam ciuitatem, Medling oppidum & castrum, & arcem Starckenberg, nihil reliquum habebat in Austria: Imperator Viennam Imperialem urbem creauit, eamque Romano imperio subiecit, *Vienna Imperialis urbs.* duci Austriæ auferens: insigniaque urbi donat, quibus hodie utitur, aquilam scilicet auream in campo nigro. mansit quatuor annis in ditione imperiali, quoad Fridericus dux exulauit. Arma hæc urbis Viennensis, auream scilicet aquilam in campo nigro, cum imperiali corona ac diademate, post aliquot annos Fridericus imperator III, sed rectius quartus dicendus, confirmauit, ut inferius cōmodiore loco adponemus, cum catalogum ducum Austriæ de familia Habspurgensium scribemus. Cum dehinc Imperator Ratisponam, ubi comitia indixerat, cum suis ascenderet, moturus hinc in Apuliam, Viennæ reliquit antistitē Babenbergensem Eckenbertū (qui breui pòst mortem obijt, ad Scotos sepultus) Burgrauium Norinbergensem, Comites de Hennen

berg & Eberstain, qui urbi præessent Viennensi. Sed nulla re consternatus dux Austriæ, quinimò minas, proscriptionem, & alias calamitates faciens nauci, animosior factus, indies eruptionibus lacessebat præsidia in Austria relicta: & quoties uel equites uel pedites in campo Steinfeld, patria lingua ita appellato, deprehenderet, uinctos in Nouam ciuitatem abduxit: qua re territi pleriq; discedebant. Quibus successibus elatus Fridericus Dux, quotidie & uillas & oppida in suam recepit ditionem. Cum autem Imperator denuò comitem de Eberstain, qui & cum cæteris præsidijs discesserat, remisisset ad Austriam tutandam, ueluti supremum capitaneum, & Austriæ præsidem (strenuus enim erat, bellicosusq; Comes, & qui inter militares imperij non haberet secundum) cum Austriam cum suo exercitu ingrederetur, iuxta Tulnam Fridericus Dux illi occurrit, manusq; cōserit: adeoq; cæcidit, ut magno labore uix Viennā attingeret, quæ adhuc firmiter Duci resistebat. non erat ausus Comes ille de Eberstain, Theodoricus nomine, illi se credere: ita erant omnia confusa, erroribusq; completa: quisq; sibi timebat, & huius aut illius gratiam ac fauorē mercabatur. Fridericus itaq; dux artes bellicas omnes cognoscens, cum audisset Venceslaum regem Bohemiæ Imperatori rebellem: occasionem sumpsit, ut in suam partem eum deduceret, multa illi pollicitus, præsertim eam Austriæ partem quæ Marchiæ campus trans Danubium dicitur. sed & Laha oppidum mox illi in arrabonem contulit, promittens illi omnem Trāsdanubianam Austriam. Erat præterea, ut antè meminimus, in exercitu Friderici Ducis Austriæ, Comes de Bogen (qui nunc uocātur Comites de Archie Latina uoce, & in comitatu Tyrolensi degunt, ecclesiæ Tridentinæ feudatarij) ex Bauaria, acer & bellicosus uir. Coacto igitur insigni exercitu, Vienna obsidione cingitur, ne ullus importetur commeatus: omnia itinera, omnes semitæ intercluduntur, ad summā inediam & famem ciues impellūtur, multi fame pereunt, & ad fœtidos immundos & inhumanos cibos comedendos coguntur. Multi fuga elapsi urbem relinquunt, maximo precio & frumenta & uina distrahuntur: nulla quies, nulla tranquillitas, plena omnia calamitatum. Quum Princeps omnem undiq; annonam coemisset, & omnia horrea uacua reliquisset, fames undiq; inualescit, & commeatus penuria. Prouinciales itaq; & ciues Viennenses sese principi dedunt coacti: utq; gratiam illis largiatur, & beneuolentiam ostendat, precantur humiles. Omnia itaq; bonis consilijs pacantur. Fridericus Viennam ingreditur, in gratiam ciues suscipit, bono fauore illos prosequitur, amnestia celebratur. Venceslaus rex Bohemiæ sibi à Duce promissa, hoc est, Transdanubianam Austriam postulat. Princeps dissimulat, non modò non se daturum quippiam, sed Laha oppidum, quod prius erat illi dicatum, clam se suo Principi subigit, & dedidit sponte sua. Noui itaq; tumultus, noua bella surgunt inter Regem & Principem: & ni sæuitia obstitisset hyemis, erat iterum cum magno exercitu prouinciam euastaturus Bohemię rex. Sed ut omnia pacatiora redderentur, Fridericus Heinrici fratris filiam Gertrudim, Vladislao Marchioni Morauię, filio regis Venceslai, coniugem despondet. tum sunt omnes lites & differentiæ hoc matrimonio sublatæ inter principes. Et ut se cōciliaret Imperatori Friderico, tempus expo-scebat, ne grauiora pateretur: diris deuouebatur, & imperio Romano erat execrabilis. Delectis itaq; ducētis equitibus splendidè ornatis purpureo & albo nobiliore habitu, intrepidus Imperatorem Veronam usq; adijt: à quo benignè susceptus, in gratiam recipitur submissus, omniaq; condonata sunt illi quæ prius patrarat scelera: honoriq; pristino restitutus, accepit omnes iterū sibi ablatas prouincias, Austriam, Stiriam, & Carniolam, quam paulo antè obtinuit: & insignia ab Imperatore munera, duodecim mulos excellētes Hispanicos bene ornatos, cū duodecim externis curatoribus animalium. In reditu à Verona egressus, circa urbem in ponte Athesis fluuij ab Italis molestatus, uiriliter cum illis pugnans, plures in fluuium præcipitauit. Ab Ecelmo pòst res est composita. Dehinc ut Ducem Austriæ, qui ab auo suo imperatore Friderico II serto puniceo siue corona rostrata, & à filio suo Heinrico rege Roman. diademate & circulo aureo erat exornatus, magis honorificentiusq; condecoraret, crucem auream, qualem Cęsares in suis coronis gestant, prioribus insignibus adiecit,
quo

quo ipsum parem Regiæ dignitati efficeret, ut inter cæteros imperij duces ueluti Ar-
chidux splendesceret. Nullus enim in uniuersa Christianitate princeps tot tantisq;
gaudet immunitatibus, priuilegijs, eminẽtijs, ab imperatoribus & regibus Romanis
concessis, quemadmodum dux Austriæ: ut meritò Albertus Krantz Saxoniæ scri-
ptor neq; indoctus, neq; indiligens, iam mirari desinat, qui in sua Saxonia, incertum
quo duce hanc appellationem sibi usurpauit, Princeps orientis nouissimus prodit.
Sed ne uidear lateres lauare, & pro meo arbitrio fabulas cõminisci: ecce huius dona-
tionis Friderici II Imperatoris exemplar, cuius archetypon in archiuis (quamuis alij
rectius ἀρχεῖον græcè dici credant, ut Budęus & Alciatus) principum Austrię conserua
tur, quod bona diligentia uidi, & huc adscripsi.

FRIDERICI II. IMPER. I. PRI-uilegia pro Duce Austriæ.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Fridericus II diuina fauente
clementia Romananorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ rex.
Iustis Principum nostrorum petitionibus cõdescendere cogimur: quas nisi fauorabi
liter audiremus, obaudire quod iustè petitur, per iniuriam malè audiremus. Eapro-
pter per præsens priuilegium nouerit tam præsens ætas, quàm successura posteritas,
quòd noster excellentissimus Princeps Fridericus Dux Austriæ & Stiriæ, ac Domi-
nus Carniolæ, dilectus Princeps ac consanguineus noster, quoddam priuilegium di
ui Augusti Imperatoris quondam Friderici, aui nostri scilicet, primi eius nominis,
memoriæ recolendæ Heinrico quondam duci Austriæ proauo suo dudum indultũ,
nostro culmini præsentauit, supplicans attentius, ut ei illud innouare, & omnia quæ
continentur in eo confirmare de nostra gratia dignaremur. cuius tenor per omnia ta-
lis est. In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Fridericus diuina fauente cle-
mentia Romanorum Imperator Augustus, primus eius nominis. Quanquam rerum
commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere: nec ea quæ legiti-
mè geruntur, ulla possint refragatione conuelli: ne causa rei gestæ ulla possit esse du-
bietas, Imperialis debet interuenire autoritas. Nouerit igitur omnium Christi impe-
rijq; nostri fidelium præsens ætas, & futura posteritas, qualiter nos, eius cooperante
gratia, à quo cœlitùs pax missa est hominibus super terram, in generali nostra curia
Ratisponæ, in natiuitate S. Mariæ celebrata, in præsentia multorum religiosorum &
catholicorum, litem & controuersiam, quæ inter charissimũ nostrum patruum Hein
ricum ducem Austrię, & inter nepotem nostrum charissimum Heinricum ducem Sa
xoniæ, diu agitata extitit, super ducatu Bauariæ, & super Marchia, à superiori flumi-
nis parte Anasi, terminauimus hoc modo: quòd dux Austriæ resignauit nobis duca-
tum Bauariæ, & dictam Marchiam, quos tenebat. Qua resignatione facta, mox eun-
dem ducatum Bauariæ in beneficiũ contulimus duci Saxoniæ. Prædictus uerò Dux
Saxonię cessit & renunciauit omni iuri & actioni, quas habebat ad dictã Marchiam,
cum omnibus suis iuribus & beneficijs. Ne autem in hoc facto honor & gloria pa-
trui nostri charissimi aliquatenus minuatur, de consilio & iudicio principum, illu-
stri Vladislao duce Bohemiæ sententiam promulgante, quam cæteri principes ap-
probabant, Marchionatum Austrię, & dictam Marchiam supra Anasum commuta-
uimus in Ducatum: eiusdemq; ducatum cum subscriptis iuribus, priuilegijs, & gra-
tijs omnibus liberalitate Cæsarea contulimus Heinrico prædicto patruo nostro cha
rissimo, prænobili suæ uxori Theodoræ, & liberis eorundem, ob singularem fauo-
rem, quo erga dilectissimum patruum nostrum Heinricum Austriæ ducem, eius con
thoralem prænobilem Theodoram, & eorum successores, nec non erga terram Au-
strię, quæ clypeus & cor sacri Romani imperij esse dinoscitur, afficimur, de consilio
& assensu principum imperij, dictis coniugibus, eorum in eodem ducatu successori-
bus, necnon prætactæ terrę Austriæ subnotatas constitutiones, concessiones, & in-
dulta, authoritate imperiali in iura plena & perpetua redactas, donauimus liberali-
ter uigore pręsentiũ, & donamus: primò quidem, quòd dux Austrię quibusuis subsi-
dijs &

Priuilegiũ Friderici I. Imp. pro Henrico duce.

Austria superior supra Anasum in ducatum uersa.

Terra Austriæ clypeus & cor sacri Rom. imperij.

dijs & seruitijs tenetur, nec esse debet obnoxius sacro Romano imperio, nec cuiquã alteri, nisi ea de sui arbitrij libertate fecerit: eo excepto duntaxat, quòd Imperio seruire tenebitur, in Hungariam duodecim uiris armatis per mensem unum sub expensis proprijs, in eius rei euidentiam ut Princeps Imperij agnoscatur. Nec pro conducendis feudis requirere seu accedere debet imperium extra metas Austriæ, uerùm in terra Austriȩ sibi debentur sua feuda conferri per Imperium, & locari. Quod si sibi denegaretur, ab Imperio requirat, exigat literatoriè trina uice: quo facto, iustè possidebit sua feuda, sine offensa Imperij, ac si ea corporaliter conduxisset. Dux etiam Austriæ non tenetur aliquam curiam accedere, edictam per Imperium, seu quemuis alium, nisi ultrò de sua fecerit uoluntate: Imperium quoq; nullum feudum habere debet, Austriæ in ducatu. Si uerò Princeps aliquis, uel alterius status persona nobilis uel ignobilis, cuiuscunq; conditionis existat, haberet in dicto ducatu possesiones ab ipso iure feudali dependentes, has nulli locet seu conferat, nisi eas prius conduxerit à Duce Austriæ memorato: cuius contrariũ si fecerit, eadem feuda ad Ducem Austriæ deuoluta, liberè sibi ex tunc iure proprietatis & directi dominij pertinebũt, principibus Ecclesiasticis & monasterijs exceptis duntaxat in hoc casu. Cuncta etiam secularia iudicia, bannum syluestrium & ferinarum, piscinæ & nemora in ducatu Austriæ, debent iure feudali à Duce Austriæ dependere. Etiam debet Dux Austriæ de nullis oppositionibus uel obiectis quibuscunq;, nec coram Imperio, nec alijs quibuslibet, cuiquam respondere, nisi id sua propria & spontanea uoluerit facere libertate: sed si uoluerit unum locare, poterit de uasallis seu homologijs, & coram illo secundum terminos præfixos parere potest, & debet iustitiȩ cõplemento. Insuper potest idem dux Austriæ, cũ impugnatus fuerit ab aliquo de duello, per unũ idoneum, nõ inenormitatis macula detentum, uices suas prorsus supplere. Et illam ipse eadem die seu princeps, uel alius quisquam pro alicuius nota infamiæ non potest impetere, nec debet impugnari. Præterea quicquid Dux Austriæ in terris suis seu districtibus seu fecerit, uel statuerit, hoc imperium nec alia potentia modis seu uijs quibuscunq; debet alio quoquo modo in posterum commutare. Et si, quod Deus auertat, Dux Austriæ sine hærede filio decesserit, idem Ducatus ad seniorem filiam, quam reliquerit, deuoluatur. Inter Duces Austriæ qui senior fuerit, dominium habeat dictæ terræ. Ad cuius etiam seniorem filium iure hæreditario deducatur: ita tamen, quòd ab eiusdem sanguinis stipite non recedat, nec ducatus Austriæ ullo unquam tempore diuisionis alicuius recipiat sectionem. Si quis in dicto ducatu residens, uel in eo possesiones habens, fecerit cõtra Ducem Austriæ occultè uel publicè, est dicto duci in rebus & corpore sine gratia condemnatus. Imperium dicto Duci Austriȩ cõtra omnes suos iniuriatores debet auxiliari & succurrere, quoad iustitiam assequatur. Dux Austriæ principali indutus ueste, supposito pileo ducali, circundato serto pinnito, baculũ habens in manibus, equo insidens, & insuper more aliorũ Principum Imperij, conducere ab imperio feuda sua debet. Dicti Ducis institutionibus & destitutionibus in ducatu Austriæ suo est parendum. Et potest in terris suis omnibus tenere Iudæos, & usurarios publicos, quos uulgus uocat **gewertteschin**, sine Imperij molestia & offensa. Si quibusuis imperij curis publicis Dux Austriæ præsens fuerit, unus de Palatinis Archiducibus est censendus. Et nihilominus in consessu & incessu, ad latus dextrum imperij, post Electores principes obtineat primum locum. Dux Austriȩ donandi & deputandi terras suas cuicunq; uoluerit, habere debet potestatem liberam, si (quod absit) sine hæredibus liberis decederet: nec in hoc per Imperium debet aliqualiter impediri. Præfatus quoq; Ducatus Austriȩ habere debet omnia & singula iura, priuilegia, & indulta, quȩ obtinere reliqui principatus Imperij dinoscũtur. Volumus etiã, ut si districtus & ditiones dicti ducatus ampliati fuerint ex hæreditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, uel quibusuis alijs deuolutionũ succesibus, præfata iura, priuilegia, & indulta ad augmentũ dicti dominij Austriæ plenariè referant. Et ut hȩc nostra Imperialis cõstitutio omni ȩuo firma & incõuulsa permaneat, pręsentes literas scribi, & sigilli nostri impressione fecimus insigniri, adhibitis idoneis testibus,

XII uiri armati in Hungaria per mensem.

bus, quorũ nomina sunt hæc: Pilegrinus Patriarcha Aquileiẽsis, Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis, Ottho Frisingensis episcopus, Chunradus Bathauensis episcopus, Eberhardus Babenbergensis episcopus, Hartmannus Brixniensis, Hartuuicus Ratisponensis & Tridentinus episcopus, dominus Vuelffo, dux Chunradus frater Imperatoris Friderici primi Cæsaris: Palatinus Rheni Fridericus, filius regis Chunradi: Heinricus dux Charinthiæ, Marchio Engelbertus de Histria, Marchio Albertus de Stadẽ. Marchio Deopaldus de Vochburg, Hermannus Palatinus Comes de Rheno, Ottho Comes Palatinus, & frater eius Fridericus de Schierñ. & Vuitelspach, Eberhardus Comes de Sultzbach, Rudolfus Comes de Suueinsheut, Albertus Comes Hallensis, Eberhardus Comes de Purchausen, Comes de Putina, Comes de Peilstain, & quamplures, &c. signum, &c. Ego Reynaldus Cancellarius uice Arnoldi Moguntini Archiepiscopi & Archicãcellarij recognoui, regnante Domino Friderico Romanorũ Imperatore Augusto, eius nominis primo, in Christo. Datum Ratisponæ, quintodecimo Calend. Octobris, indictione quarta, anno Dominicæ incarnationis M. C. LXVI. feliciter, Amen. Anno regni eius quarto, Imperij II. Nos itaq;, qui fidem & obsequia nostrorum Principum non patimur irremunerata transire, attendentes fidem puram & deuotionem synceram, quam prædictus Princeps ad Maiestatis nostræ personam & sacrum Imperium habet, pro gratis quoq; seruitijs quæ nobis & Imperio exhibuit hactenus fideliter & deuotè, & quæ exhibere poterit ut in antea gratiora ipsius supplicationibus fauorabiliter inclinati, suprà scriptum priuilegium D. Augusti aui nostri prædicti, huic nostro priuilegio de uerbo ad uerbum inseri iussimus, omnia quæ continentur in eo de Imperialis præeminentiæ nostræ gratia confirmantes. Igitur cõpetit etiam nostro Imperiali imperio, illustri Principi nostro prædilecto Friderico, speciali gratia gratiando. Quapropter concedimus ei, & damus eidẽ illustri principi Duci Austrię hæc subscripta, ad habendum pro iure plenario, ut nullus suorum feudalium, aut suarum terrarum inhabitantium, uel possidentium, nulli alteri aliquid iuris obediat, excepto etiam sibimetipso nostro prædilecto Friderico principi Duci Austriæ, ac suas uices supplentibus, siue potestatem habentibus. Concedimus etiam nostro illustri principi Duci Austrię crucem nostri diadematis, suo principali pileo sufferendam. Volumus etiam, ut dictus Dux Austriæ omnia sua feudalia siue iura liberaliter suscipiat, datione sine omni. Igitur iura omnia præscripta illustris Dux Austriæ ritè & liberaliter tenere debeat, in omnibus suis terris quas iam possidet, & in futurũ possidebit. Statuimus igitur, & Imperiali sancimus edicto, quatenus nullus Rex, nullus Marchio, nullus Princeps, nullus Comes, nullus Prælatus, nulla deniq; persona alta uel humilis, Ecclesiastica uel mundana, contra præsentis innouationis & confirmationis nostræ tenorem uenire præsumat. Quod qui præsumpserit, indignationem nostri culminis & pœnam mille librarũ auri se nouerit incurrisse: quarum medietas Cameræ, reliqua uerò parti passæ iniuriam applicetur. Ad huius igitur innouationis & confirmationis nostrę futuram memoriam & robur perpetuò ualiturum, præsens priuilegium fieri, & bulla aurea typario nostræ Maiestatis impressa, iussimus cõmuniri. Huius testes sunt, Conradus Frisingensis episcopus, Henricus Bambergensis electus, Fridericus filius illustris Regis Castellæ, Rudolphus nobilis Comes de Habspurg, Rodomerus Comes de Helffenstain, Albertus de Nifre, & alij quamplures, & cætera. signum, &c. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. CC. XLV. Mense Iunio, tertia indictione: imperante Domino nostro Friderico gloriosissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ rege, Romani Imperij eius anno uigesimoquinto, regni Hierusalem uicesimoprimo, regni uerò Siciliæ quadragesimoseptimo. Datum Veronæ, anno, mense, & indictione prædictis.

M. C. LXVI.

M. CC. XLV.

Adhæc reperi nuper in epistolis Petri de Vineis, qui Friderici II Imperatoris ab epistolis fuit, exemplum priuilegij cuiusdam, quo Ducem Austriæ in Regiam extulit dignitatem: quod ut posteris etiam innotescat, subieci.

Priuilegiũ Friderici II Imperatoris, pro Duce Austriæ in Regem exaltato.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Fridericus II, diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, Friderico II Duci Austriæ & Stiriæ, suo dilecto Principi, & Comiti Carniolæ, gratiam suam & omne bonũ. De fulgore throni Cæsarei, uelut ex sole radij, sic cæteræ prodeunt dignitates, ut primæ lucis integritas innominati luminis non sentiat detrimenta: tantoq; magis Imperiale scriptũ extollitur, tanto cura regiminis à sollicitudinibus releuatur, quanto tribunal ipsius digniores in circuitu circumspicit consimiles regiones. Hac igitur consideratione commoniti, qui cœlesti prouidentia Romani Imperij moderamur habenas, solij nostri decus tam ueterum dignitatum ornatibus confouemus, quàm nouis honoribus ampliamus. Tuis igitur, deuotissime Princeps noster, supplicationibus fauorabiliter inclinati, nec minus ad exaltationẽ honoris sacri Imperij nostri respectum habentes, de infrascriptorũ Principum consilio, uidelicet C. Ratisponensis episcopi, & Vormacensis episcopi, O. Bambergeñ. episcopi electi, P. Brixinensis electi, A. Abbatis Campidunensis, C. Abbatis Cluniacensis, F. Ducis Prauantiæ, R. Ducis Bauariæ, Ducatus Austriæ & Stiriæ, cum pertinentijs & terminis suis quot hactenus habuit, ad nomen & honorem Regium transferentes, te hactenus Ducatuum prædictorum Ducem, de potestatis nostræ plenitudine & magnificentia speciali promouemus in regem, per libertates & iura prædictum regnum tuum præsentis epigrammatis autoritate donantes, quę regiam doceant dignitatem: ut tamen ex honore quem tibi libenter addimus, nihil honoris & iuris nostri diadematis aut imperij subtrahatur. Enimuero sicut hactenus tanquam Dux, Princeps, & fidelis noster extiteras: sic in posterũ Regio decoratus honore tu & successores tui, multum Principes fideles & deuoti nobis & successoribus nostris in Imperio assistatis: nihilq; propterea iuri & honori Imperij in prædictis regno & terris tuis omnino depereat, uel decrescat: & quæ hactenus habuit, in eisdem, eo specialiter & nominatim expresso, quod successores tui non per electionem Prælatorum, Ducum, aut quorumlibet nobilium eligantur in Reges, sed semper maior natu seu senior ex generatione tua, ex te & successoribus tuis ultimis descendẽtes, in regno succedant: nullusq; ex eis coronam aut consecrationem in prædicto regno tuo de manu cuiusquam accipiat, sed à nobis & successoribus nostris tantum in curia nostra, uel ab his qui speciale mandatum à nobis super hoc habeant, coronationis aut consecrationis munus detur pro tempore. Alij uerò hæredes minores natu, nõ habeant aliquid, quod ex Regis gratia possint obtinere, illud etiã iuri & honori regio coniungimus, ut si aliquis Comes, nobilis aut ministerialis, uel miles, de regno tuo contra te & successores tuos & terram tuam forsitan excesserit, ut pro suo excessu castrum uel munitiones suas ab excedente parte eos uel per nuncios tuos peti contigerit, ipseq; negauit assignare ipsum, ex iure Regiæ dignitatis per sententiam curiæ tuæ bannire & forbanire ualeas, ipsumq; extra legem facere omnis iuris suffragio, prout est moris Imperij carcerare. Cæterùm ut pacem & iustitiam, quæ sunt regnorum omnium fundamenta, possis in prædicto tuo constantius confouere, præsentium tibi autoritate concedimus, ut si quis in prædicto regno tuo manifestus extiterit malefactor, tuo uidelicet iusto iudicio aut curiæ condemnetur. Cumq; aliquis de prædicto regno tuo tenuerit, fouerit, uel defenderit eundem, & requisitus cum tuo iudicio noluerit assignare, eadem pœna puniri debeat receptator, eadem defensor, qua malefactor ipse puniri debet, & transgressor. Ad decus præterea regni tui præsentis priuilegij authoritate permittimus, ut de prouincia Carniolæ Ducatum facias immediatè tibi subiectũ, parte nobis & successoribus nostris & Imperio responsurum: & ut in Ducatu ipso C. cognatum tuum, fidelem nostrum, in Ducem ualeas promouere, plenam tibi concedimus potestatem. Ad cuius rei memoriam & robur perpetuò ualiturum, præsens priuilegium fieri, & bulla aurea typario nostræ Maiestatis impressa iussimus communiri. Hoc diploma, ut memoraui, in epistolis Petri de Vineis extat, qui Secretarius Friderici Imperatoris II fuit, uir doctus & diligens: sed ut ueritatem afferam, in archiuo Principum non uidi. Ideo nullus annus salutis hic ponitur; nisi uelimus idem esse cum superiore, ubi

Dux Austriæ Rex creatur.

annus

annus scribitur. Quantum autem dignitatis addiderit Duci Austriæ, ac quibus præro
gatiuis fulgeat is Archiducatus, CAROLVS V Cæsar ac Rex catholicus nuper suo
diplomate testatus est, quod sequitur uernacula lingua: licet Maximilianus Cæsar ex
regionibus Austrię omnibus apertè regnum, quod Orientale ipse uocitabat, institue
re, id palàm sępius testatus, si non fata obstitissent, decreuerat. Caroli diploma au-
tem ita sonat patria lingua: nam Latinum adhuc non uidi, licet extet.

WIR Carol der fünfft / von Gotts gnaden erwelter Römischer
Khaiser / zů allen zeytē merer des Reichs / in Germanien / Hyspa
nien / zů Castilia / zů Aragon / zů Leon / beyder Sicilien / zů Jhe-
rusalē / zů Hungern / Dalmacien / Croacien / zů Nauara / zů Gra
naten / zů Tolleten / zů Valentz / zů Galitien / Maioritarum / zů
Hispalis / Sardinię / Cordubę / Corsicę / Murcię / Giennig / Altzaron / Altze-
tzire / zů Bibraltaris / vnd der insel Canarię / auch der insel Indiarum vnd terrę
Firmę / des Mörs Oceani / etc. Khönig. Ertzhertzoch zů Osterreich / Hertzoch
zů Burgund / zů Lotthring / zů Brabant / zů Steyr / Kherntten / Crain / Lim
purg / Lützelburg / Geldern / Wirtenberg / Calabrię / Athenarum / Neopa-
trien: Graue zů Flandern / zů Habspurg / zů Tiroll / Gortz / Barsilonien / zů Ar
thois vnd Burgundi: Pfaltzgraue zů Hönnigaw / zů Holland / zů Seelād /
zů Phierdt / zů Khiburg / zů Namur / zů Rossilian / zů Territan / vnd zů Zut
phen: Landgraue in Elsaß: Margraue zů Burgaw / zů Oristain / zů Gotz
rain: vnd des Heyligen Römischen reichs Fürst zů Schwaben / zů Cathalo-
nia / Asturia: Herr in Friesland / auff der Windischen March / zů Portaw /
zů Biscaria / zů Mouia / zů Saling / zů Tripoli / vnd zů Mechlen.

Bekenn für vns vnd vnser nachkommen im Reich offentlich mit disem
brieff / vn̄ thůn khundt aller meniglich / Wie woll wir auß Khayserlicher wier
digkaidt / darzů vns der almächtig Gott durch sein göttlich gnad vnd güttig
khait gericht hatt zů erhöhen / vnd auch durch angeborne gütte vnnd miltig-
khait / allezeit willig vnd geneigt sein / aller des heiligen Reichs Fürsten vnnd
mercklicher glider / erwirde vnd gnad zů handhaben / vnd sie dabei gnädigkli
chen bleiben zůlassen. Nach dem vnnd sölliche gnaden von vnseren vorfo-
dern / vnd dem heilgen Reich durch ir getrew dienst uff sie kumen sein. Yedoch
so sein wir in sonderhait / vnd billich mer bewegt / vnd zimbt vns auch gebür-
lich / daß wir sölche Freihait vnd Gnad / die vnser vorfordern / die Durchleuch-
tigen Fürsten / vnnd das löblich hauß von Osterreich / von dem heilgen Römi-
schen reich / vnd von den altten Khaisern vnnd Khünigen mit irem blůtver-
giessen / schwären darlegungen vnd arbeitten in der heiligen Christenhait / vn̄
des Reichs diensten erworben vnnd cosparlich erdienet vnnd erobert haben.
Durch sollich dienst vnd bestandne trew sy auch vormals erhöcht / vnd zů dem
heiligen Reich ercthorn sein / vnd das lang vnnd manig iar vestiklich vnd lob-
lich verwesen vnnd geregiert haben / nit vergessen / sonder der eingedenck sein /
als das die vernunfft vnnd allerecht das billich hayschen / vnnd naturlich lieb
vnd zůnaygung vnser geburtt vnd stammens vns darzů bewegt. Wan̄ nun
der Durchleichtig Furst / her Don Ferdinand Infant zů Hispanien / Ertzher-
tzog zů Osterreich / Hertzog zů Burgundt / zů Brabant / zů Steyr / zů Khärn
ten / zů Kran / zů Wirtemberg / etc. Graue zů Habspurg / zů Tiroll / zů Görtz /
etc. vnser lieber Brůder vnd Fürst / vor vns erschinen ist / vnd hat vnß mit vleiß
ersůcht vnnd gebetten / dieweill nach absterben weiland des allerdurchleuchti-
gesten Fürsten herr Maximilians Römischen Khaisers / Ertzhertzogen zů
Osterreich / etc. vnsers lieben herren vnd anherren löblicher gedächtnuß / das
haus Osterreich mit allen seinen verlassen Fürstenthůmben / Pfaltzgraffschaff
ten / Landgraffschafften / Margraffschafften / Graffschafftē / Herschafften /
landen

landen vnd gebietten/ an vnß vnd sein lieb erblich kūmen vnd gefallen wären/ das wir als Römischer Khayser/ im an vnser vñ sein selb stat/ vñ vnserm loblichen hauß Österreich all vnd yedlich freihaittē/ gnad vñ priuilegia/ brieff vñ handtwesen/ vber was fürstenthumb/ land oder stuckh die lautend/ die vnser vorfodern vnd das hauß von Österreich von alten Khaysern vnd Khünigen treffenlich herbracht haben/ zů confirmieren/ zů bestetten/ zů vernewern vnd zů befesten gerůchten. Des haben wir angesehen sollich sein vleißig vnd zimblich bit/ vnd sonderlich das vnser vorfodern die durchleuchtigen Fursten von Österreich/ sollich gnad vnd freyhaitten mit iren gůttaten vnd grosser bestendigkheit vnd lauter trew erworben haben/ vnd das der selb vnser lieber Brůder/ vnß vnd dem heilgen Reich in khünftikhayt woll dienen mag vnnd soll. Vnd darumb mit wol bedachten můt/ gůttem zeittigen rhatt vnser vnd des heiligen Reichs Curfürsten/ Fürsten vnd Grauen/ herren vñ ander vnser treffenlich rhätt so dazůmall in gůtter antzall beieinander gewesen sein/ vnd rechter wissen/ den gemelten vnsern lieben Brůder den Ertzhertzogen Ferdinanden/ von vnsern vnd sein selbs wegen/ auch allen vnsern andern erben/ vnnd nachkhommenden Fursten des hauß von Österreich gmainlich vnd sonderlich zů ewigē zeitten sollich priuilegien/ gnadē/ freihaitten/ gerechtigkhait/ vñ gůt allten gewanheitten/ confirmiert/ bestätt/ vernewert/ vnd befestet/ vnd sonderlich die freihaitten so der Edlen Margraffschafft vnnd Ertzhertzogthumb Österreich von den allten Römischen Khaysern vnd Khünigen gegeben vnd verlichen sein. Erstlichen/

Daß das land Österreich/ der herschafft von Österreich/ vnd der erben/ in abstendigen irers geschlechts nochkomen/ ewig lehen sein soll/ also das kein Römischer Khayser/ kain potentat oder gwalt darum setzen soll.

Der Fürst soll auch alle nutzung des lands haben/ deßgleichen sein nachkhommen.

Er soll auch sein der allergehaimest ratt des Römischen reichs/ also das khain sach so in ewigkhait raicht/ on sein wissen beschlossen werden oder beschehen soll/ desgleichen seine nachkhomen.

Das land Österreich ist auch exempt vnd frey/ sampt seinem ainnemē/ für all ander land/ aller zinß vnd auffschlegen der Khayser in ewigkhait. Vnd die selben Fürsten von Österreich sein dem Römischen Khayser khain steür noch dienst schuldich/ si wellen dan das gerñ thůn: außgenomen zwelff gewapneter man in seinen costen in Hungern ain monat lang zůhalten.

Sie sein auch nit schuldig vmb empfachung irer lehen/ ausserhalben des lands Österreich nachzůraisen/ sonder sollen sy im in dem selben land gelichen werden: vnd ob im das versagt wurd/ sollen sie das drey mal schrifftlich erfordern/ vnd mögens demnoch on forcht der seligkhait besitzen/ als hetten sy es leiplich empfangen.

Der selb Ertzhertzog zů Österreich/ so im/ wie oben stett/ seine lehen vom Reich gelichen werden/ soll er die empfahen beklaidet mit ainem Fürstlichen gewandt/ vnder seinem Ertzhertzog hüttlin/ vmbfangen mit ainem getzimmeten oder gespitzten khrantz/ vnd ain stab in seiner handt haltendt/ auff seinem pferdt sitzendt/ vnd ist mit solcher gstalt der leyhung Grosmechtigklich für ander gehabt.

Der Ertzhertzoch zů Österreich hat die würdighait vom Reich/ das er der Künighlicher kron diadem/ vnd das kreütz der Khayserlichen diadem/ auff seinem Ertzhertzog hüttlin offentlich tragen mag.

Er empfacht auch sein lehen frey/ on ainiche gab.

Die Fürsten von Österreich sollen vnd mögē ir gericht/ fürstlich schwert/ vñ des lands panner offentlich vor dē Reich vñ aller welt tragē/ oder fürē lassen.

Der

Der obgemelt Ertzhertzog ist vmb khain sach schuldig vor dem Reich zů recht zůsteen / er wöll dañ gern / sonder mag er ainen seiner lehenman setzen/ vor dem selben sol er dem rechten gehorsam oder stat thůn.

Er ist auch nit schuldig auff die Reichs tag zů kommen/ vnd zů erscheinen/ dañ mit gůttem willen.

So aber der Hertzog auff ainer Reichs versamlung ist/sol er als ein Pfaltz Ertzhertzog gehalten werden / vnnd nichts weniger im sitz vnnd gang zů der gerechten seiten des Reichs / die erst stat nach den Churfürsten haben vnnd behalten.

Das Reich soll auch dem Ertzhertzogen zů Osterreich wider all seine vergweltiger/oder die ime vnbillichs zůfuegen/hilff bewisen/ das er recht erlang.

Er mag durch ainen vnuerleumpten mañ khempfen/vnd den selben seinen khempffer mag des selben tags khain Fürst/noch ander personen/ainicher ver leümbdung anziehen.

Was der Hertzog zů Osterreich jn seinen landen vnd gebietten thůt / oder auffsetzt/das sol weder Khaiser noch ander gwalt hernach nit verendern.

Das Reich sol khain lehen haben im Hertzogthumb Osterreich.

Welcher Fürst oder Herr jm Hertzogthumb Osterreich guetter hatt/so von jme lehen sein / die soll er nieman leyhen noch zůstellen / er habs dañ vor vom Hertzog von Osterreich bestanden oder empfangen . wo das nit beschäch/sein die guetter dem Hertzogen frei aigen verfallen:allain die Gaistlichen Fürsten vnd Clöster hieriñ außgenomen.

Die Bistumb vnd stifft Saltzburg vnd Passau/mit allen jren guettern/ gehören vnder die Costuogtey des lands Osterreich.

All weltliche gericht/schatz/perckwerck/müntzer/wildpret/vischweid/vorst vnd weld/in obbemelten jren landen/sollen von dem vorgemelten Ertzhertzogen zůlehen sein.

Der eltist vnder den Hertzogen soll die herschafft des lands habē/ vnd nach jm sein eltister sun/ erblich.

Doch also/das er von dē stammen des blůtts nit khem/vnd das diß Hertzogthumb nimmermer getailt sol werden.

Wo aber bemelt Fürsten vnerbsam abgiengen / so soll das Hertzogthumb vnd die landt an sein eltiste verlasne tochter fallen.

Der Ertzhertzog hat frey macht sein landt zů vergeben vnd zů verschaffen wem er will/ so er (das Gott verhůt) on erbkhinder abgieng / vnd sol daran durch das Reich nit verhindert werden.

So yemandt/in was würden der wäre/ etwas seiner landen / oder wie das genandt möcht werden/ so er vom Reich oder von geistlichen Fürsten lehens/ oder ander gabweiß jnnen heet / ainem Hertzog von Osterreich vnnd Steyr verschaffe/gaben / verpfenden wurd/ das die selben gaben kheuff vnd versatzungen weder Khaiser noch yemand verhindern mügen.

Vnd ob solche gaben kheuff vñ vermechtnuß so eylends beschehen / das der Khaiser oder die lehenherren nit mechten darumb angesůcht werden / das sol dem Hertzogen khain nachtail geberen.

Des Ertzhertzogē von Osterreich vnd aller seiner Fürstenthumb vnd land/ vnderthanen/hauptleutt/vögt/pfleger/ rhätt/ diener vnnd ampleütt/sollen für khain frembdt gericht des Reichs zů Westuallen/ zů Rottweill/noch für khain ander hoff oder land gericht geladē noch erfordert werden / sonder das recht vor des Ertzhertzogē von Osterreich geordneten vnd gesetzten Richtern nemen vnd geben.

Ob aber von ainichem frembden hoff oder landgericht wider des gemelten hauß Osterreich vnnd seiner zůgehörigen land vnderthanen ichts gehandelt/

geurtailt oder gesprochẽ wurdt/das selb sol nichtig khrafftlaß vn̄ cassiert sein.
Der obgemelt Ertzhertzog sol auch sein landgericht mit Edlen/ oder sunst
mit andern erbern vnuerleumbten mannen / an Ritterßstat besetzen / vnnd
verordnen mögen.
Auch so sollen die vnderthanen vnd diener des Hauß gewalt haben / offen
achter zůhaltẽ/ vnd mit jn gemainschafft zů haben/ doch das sie auff anruef-
fen der parthaien die zů recht haltenn.
Ob auch yemandt an der gemelten Ertzhertzogen zů Osterreich hoff oder
landgerichten in die acht erkhendt wurde / so sollen die selben an vnserm vnd
des Reichs hoff nit darauß genommen werden mügen/ die seien dan̄ zůuor an
der gemelten Ertzhertzogen hoff oder landgericht darauß khommen.
Vnd was also vor des Fürsten der Osterreichischen landen verordnetn vnd
gesatztẽ hoff vnd landgerichtẽ/ oder ander jren gerichtẽ / mit vrtail vnd recht
erkhandt vnd entschidẽ wurdt/dabey soll es endtlichen bleiben. Es were dan̄/
das die sach ein appellation auff jro trůg / so soll doch die selb nach ordnung
des regierenden Landsfürsten/vnnd der landgebreuch/ auch nit weitter dan̄
in deß Landsfürsten Chamergericht volfürt / vnd daruber an vns noch vn-
sern nochkhommen am Reich Rhömisch Khaiser vnd Khönig/ noch an deß
Reichs Chamergericht/oder ander gericht nit appelliert/suppliciert/noch re-
duciert werden.
All auß jeden Juden / so der zeit vnder jrem gwalt sitzen/ vnnd khunfftig-
khlich sitzen werden / sollen bei alln ieren rechten vnd zůgehörungen bleiben/
wie die Hertzogen vnnd jre vorfodern solch Juden herbracht haben / vnd die
in jren landen halten/ stewren / vnd damit in alweg handlen vnd farn mugen
in aller maß / alß wir vnd vnser nochkhõmen Rhömisch Khayser vn̄ Khönig
jn dem heiligen Reich von rechtẽ frihaitten/ gewonhaitten/ vnd altẽ herkho-
men die haltẽ/vnd mit stewren / vnd jn ander weeg mit in farn gethůn vn̄ han
deln mugen. Sie mugen auch sunst in allen jren landen offen wůcher halten.
Der gemeltẽ Ertzhertzogen zů Osterreich vnuerait Amptleut/sollen in khai
nen Reichstetten ainich recht haben: vnnd wer auß ieren landen zeucht / der
mag nimmer auff sein gůt wider darein ziehen.
Welcher einwoner des lands/oder der guetter darinnẽ hat/wider den Ertz
hertzogen thůt/haimlich oder offentlich/der ist jm leib vnd gůt verfallen.
Die Ertzhertzogẽ mugẽ jn den vorgemeltẽ jren Fürstenthumbẽ/Herschaff-
ten vnd landen/die sye ietz haben / oder in khunfftigen zeytten gewinnen/ sich
aller gewaltsam gebrauchẽ/ mit freyung zůgebẽ/ new auffschleg/meutt/zoll/
vnd ander merung ir nutz vn̄ rendt zůmachẽ/ vnd auff zůsetzung/ vnd dero jn̄
all ander weg/ wie die genandt sein/vnd sich bewegen werden / zůgeniessen vn̄
zůgebrauchẽ/zůgleicher weiß alß wir vn̄ vnser nochkhõmen Rhömisch Khay
ser vnd Khünig/die in dem Reich geben/machen / auffsetzen/vnd gebrauchẽ
mugen/nichts darin außgenomen.
Auch das sie vnd jre erben vnd nachkhõmen/in allen jren landen/herschaff-
ten vn̄ gebiettẽ/alß oben gemelt ist/Grauen/Freyherrẽ/Ritter/khnecht/ auch
daugsam vnd verdient personen von newem edel machen / den selben wappen
vnd clainatt mit schilt vnd mit helm/vnd allerlay zierhait / farbẽ vnd plasnie
rungen geben vnnd leihen / der Khayserlichen rechten/der ertzney/der siben
freyen khunst lerer vnd maister / auch offen schreiber vnd geordent Richter se-
tzen vnnd creieren / also daß die selben Grauen / Freyherren/ Ritter /khnecht/
Edlleut/lerer/maister vnd offenschreiber vnd geordẽt Richter/von Khayser-
lichem gwalt gemacht/geordent vnnd creiert/ der gebrauchen/ üben vnd nies-
sen/von gerechtigkhait vn̄ gewonhait/ doch das sie voran gebürlich gelüpt vn̄
aid / darumb von jn an vnser stat vnnd nochkhommen/ vnnd des Reichs stat
nemen/

Eeren vnd wirdigkhait
nemen / alß dan solch gelüpt vnnd aid vor den selben
wegen zůthůn gebürt.

Das sie auch in allen iren landen/herschafften vnd gebietē/alß oben gemelt
ist / all vnd yeglich bastarten / vnd ander vneelich geborn / in welcherlay weiß
das ist/ oder was gebrechē die an irer geburt haben/eelichē/vnd zů dem rechtē
deß so eelich geborn sein/ bringen/ auch zů eeren/ würden vnd ständen vnd al-
len ämptern tauglich machen/vnd sie zů vätterlicher vnd mütterlicher vnd al-
ler ander erbschafft beider selben ir vatter vnnd mutter / lebendig oder noch
irem todt/es sein Eelich erben vorhanden oder nicht/zůlassen/Auch all vnge-
leümbt von welcherlay tat/die söllen durch vrtel oder sunst gemerckt vnd ver-
leumbt/vn̄ an ieren eeren/wierden vnd stenden geschwecht/ irn leumbder vnd
würd wider geben/vnd sie in ir vordern stand wider zůsetzen.

Auch Grauen/Freyherren/ Ritter/khnecht/vnd Edellewt/ lerer/ maister/
offen schriber/vnd die geordneten Richter/die irer wird vnd ampt nit gebrau-
chen alß recht ist/dauon entsetzen von aller irer wird vnd ampt/auch den die eß
verschulden der Ritterschafft vnd maisterschafft zierhaidt abnemen/vnd von
in auffheben mögen.

Daß das selb Hertzogtumb hab all vnd jede recht priuilegien vnd indult/
wie die andern Fürstenthumb deß Reichs auch haben.

Ob auch die districkt gebiett vn̄ herschafft vorgemelts Ertzhertzogs erweyt-
tert werdē durch erbschafft/gabungē/kheüff/vermachnussen/oder ainich an-
der anfall/so sollē obbemelte recht freyhaittē vn̄ indult auff die selbē mörungē
oder erleuterungē volkhōmenlich auff gerefirt vn̄ gezogē werdē. Si sollē auch
habē all vogteyē vn̄ vogtrecht/in Bistumbē/Abteyen/ Probsteyē/ Clöstern/
Gotts heusern vn̄ khirchē/an lewtē vn̄ guettern/ die in jren herschafftē vn̄ lan
den oder anderstwo gelegē sein/ dern Erbuögt sy sein/vnd zů recht sollen sein.

Vnd wider die obgeschribnen gnadn / priuilegien vn̄ freyheittē sollen nicht
helffen thůn oder sein khainerley gemain/ Khaiserlichen geschriben gesetz vnd
recht/noch khainerley gewonhaitt/ oder ander sonder satzung oder ordnung
an ainicherlay end oder statt gemacht / jn waß laut die sein / ob die auch also
gethon werden / das dauon sondern meldung vn̄ von wört zů wort beschehen
solt/wann wir den selben allen vnd yedlichen in den obgeschribnen dingen en-
tziehen/vnd entzogen haben wellen / durch disen vnsern brieff: doch den selben
gesetzen/vnd in den andern jren sthuckhen vnd inhaltungē / vnuergriffenlich.

Ob auch vnser vorfarn vnnd vordern Römisch Khayser vnnd Khünig/
icht freyhait gnad oder brieff/ wie die wärn/ gegeben hetten/die wider vorge-
meltē des hauß Osterreich freyhayt/brieff/gerechtikhayt/wird/gnad oder ge-
wonhait weren/die selben vernichten wir/ vnd wellen daß sie gantz khrafftlos
vnd vngeschedlich sein sollen/vnd dem selben haus Osterreich/ noch deß selben
haus Fürsten/ Hertzogen vnnd nochkhommē khaynerlay schadē noch irrung
nicht bringen sollen noch mögen/in khain weg.

Es sol auch dem gemeltē Ertzhertzogen nit schaden/noch abbruch gebern/
ob ainicher der vorgemelten brieff/oder sonderlich ainicher artikhel darin zer-
rissen oder verbrochen wer/von Khünig Ottakhern zů Behaym/oder Khü-
nig Bela zů Hungern / oder noch verbrochen möchte werden/sonder die Her-
tzogen sollen die freyhaitten all haben/ wie die vorgemelten lauttend.

Wie dan die vorgemelten freyhaitten/priuilegien/gab vnd gnad in etlichen
vnsern vorfarē Rhömischen Khaisern vnd Khünigē priuilegien vn̄ brieffen
vn̄ vrkhundūg/ mit merer auffeirung lautter begriffen vn̄ außgedruckt sein/
vnnd sonderlich in den nachgemelten brieffen / namlich Khünig Hainrichen
des vierdten / mit infierung zwaier brieff von Khaiser Julio vnd Nerone/
Khünig Hainrichen des fünfftē/Khayser Friderichs des andern/ mit inserie

rung Khaiser Fridrich des ersten / Khünig Rûdolff / Khünig Albrechten / Khünig Hainrichen / Khaiser Ludwigen / Khaiser Kharln des viertten / Khünig Wentzla / Khünig Sigismunden / vnd Khaiser Fridreichen des dritten / aller Rhômischer Khaiser vnd Khünig / mit sampt ander freihaytten vñ handuesten / mit mer außfierung vnd gruntlichen antzaigen begriffen sein.

Deberet etiam fieri mẽtio Regis Friderici, ut inferius patebit.

Darauff vernewern / confirmieren / bestetten vñ befestnen wir die vnd sunst all ander freyhaittẽ / so hierin nit benẽt vnd begriffen sein / vñ doch die Ertzhertzogen / vñ vnser hauß Osterreich habẽ möchtẽ / zû gleicherweys als ob die von wort zû wort hieriñ auch begriffen vnd geschriben stûnden / von Rhômischer Khaiserlicher macht volkhommenhait / wissenlich in khrafft diß brieffs / was wir dem selben vnserm Brûder dem Ertzhertzog Ferdinanden in namen vnd an stat / wie obgemelt ist / vñ den obbemeltẽ Fürstenthumbn / landẽ / herschafften vñ gebiettẽ von recht vnd billichkhait auch gnad wegẽ daran vernewern / confirmiern / bestetnen vnd befestnen sollen vnd mügen.

Meinen / ordnẽ / setzen vñ wöllen auch / daß der vorgemelt vnser lieber Brûder / wie obgemelt ist / vnd all vnser baider erben vnd nochkhommen / der vorgemelten Fürstenthumb / lanndt / herschafften / vnnd gebiet / so wir ietz habent oder in khünfftigen zeitten gewünnen möchten / mit der hilff des almechtigen Gots aller sôlicher freihait / recht vñ gnaden zû ewigẽ zeitten gebrauchen vnd geniessen söllen / als ob sie in selber vñ von newes gegeben wären / on allen eintrag vnd widerred. Wir erfülln auch von der eegemelten Rhômischer Khayserlicher macht volkhomenhait alle gebrechen / die jn soliichen brieffn vnd priuilegien von vnbillichen inttragẽ die man fürbringen möcht / wie das am quemisten gefunden werden möche: vnd wellen das die sölchen brieffen vnd priuilegien khain khreckhung / jrrung oder schadẽ pringẽ söllen / jnnerhalb oder außerhalb gerichts / sonder sie sollen in allen jren puncten / clausulen / artikhel vnd mainungen / wie die von wort zû wort lautendt vñ begriffen sein / gantz khrefftig vnd beständig belaiben zû ewigen zeitten / alles getreülich vnd on generde.

Vnd gebiettẽ darauff allen vñ yeglichen vnsern vñ des hailigẽ Reichs Churfürsten / Fürsten / Gaistlichen vnd weltlichen / Prelaten / Grauen / Freyherren / Rittern / vñ khnechtẽ / haupleüttẽ / landtuögtẽ / landtmarschalckhen / vögtẽ / phlegern / landtrichtern / Richtern / Amptmã / Schluthaißẽ / Stettn / gemainden / Burgenmaistern / Rhätten / vnd sunst allen andern vnsern vnd des hailigen Rheichs / auch vnser erblich Fürstenthumbn vñ landen / vnderthanẽ vnd getrewẽ / in was würdẽ / sthatt / oder wesen die sein / võ Rhômischer Khaiserlicher macht volkhomenhaitt / ernstlich / vestiglich / vñ wellen / das sie den vorgemelten vnsern lieben Brûder den Ertzhertzogen Ferdinanden / in namen / wie vorgemelt ist / auch vnser baiden erben vnd nochkhommẽ der obbemeltn vnser landen / so an vnß baiden erblich gefallen vnd khômen sein / oder khünfftikhlich an vnß vñ die vnsere fallen vnd khômen möchten / gemainlich vnd sonderlich / an den berürttẽ gnaden / freihaittẽ / rechtn / brieffen / priuilegien / handuesten / altẽ herkhômen / gebreuchen / gûtten gewonhaittẽ / nach aller jrer jnhaltung / vñ diser vnser Khaiserlichen cõfirmation vnd beuestigung nicht hindern noch jrrẽ / sonder sie der aller vñ yetlicher / wie obstett / on einredt / außzug / eintrag / oder verhindernuß geruebleichẽ / gebrauchẽ / geniessen / vñ gäntzlich dabei bliben lassen / vnd hiewider nicht thûn / noch das yemantz andern zûthûn gestattẽ / jn khain weyse / als lieb ainẽ yeden sey vnser vnd des Reichs schwer vngnadt vnd straff / vnd darzû ein peen / nemlich M marckh lötigs goldeß zûuermeiden: die ein jeder / so offt er fräuenlich hiewider thät / vnß halb in vnser vnd des Reichs Cammer / vnd den andern halben taill den vorgemeltẽ Ertzhertzogen vnd Fürsten der obbemeltten landẽ / dem sölchs widergetth vnd beschicht / onablâslich zûbezalẽ / verfallen sein soll. Datũ Wurmaciæ / jn Imperiali vrbe nostra / etc.

Manife-

Manifestant & confirmant hæ literæ, omnium antecessorum Imperatorum priui-
legia, libertates domus Austriæ antiquitùs datas & concessas, ut innouetur, & poste-
ris declaretur, qualis domus Austriæ erat, & qualis etiam nunc sit, licet crebris impul
sibus sit molestata & uexata, tamen Deo duce hactenus illæsa permansit: quod du-
bio procul ex religione Christiana, feruore & zelo in fidem Christianam uenit.
Nunquid enim satis id declarauit Rodolphus rex Romanorū & Archidux Austriæ,
qui cū uideret diuinam Eucharistiam à quodam sacerdote infirmo cuidam deferri, di
misso proprio equo, cui insedit, donauit sacerdoti qui pedester erat: indignum existi
mans, hunc pedes ire, & ipsum equestrem proficisci. Magna herclè Principis pietas,
magna clementia, magnus feruor in religionem Christi. Sic quoties in Deum pec-
carent, euidenter puniti sunt: ut patet de Rodolpho IIII, qui in iuuentute perijt, cum
sine sacramento nobilem fecisset minus prudenter decollari. Sed ut reuertar ad hi-
storiam, per ea tempora, sub Friderico scilicet II, dicto Bellicoso, Austriæ duce, Cu-
mani, gens crudelis, duce Gotthano Hungariā ingressi, simulantes sese fidem Chri- Gotthanus.
sti accepturos, sedem ab his expetiere: quæ cum illis concederetur, ad innatam uersi
sæuitiam, in omnes utriusq; sexus adeò desæuierunt, ut ne infantulis quidem parce-
rent, uirgines prostituerent, in uxores ac feminas quascunq; nullo discrimine debac-
charentur. Suppetias rex Hungariæ à duce Austriæ Friderico petijt, qui in omni sua
uita ad quæcunq; subeunda pericula animo erat forti & imperterrito. Itaq; collecta
forti manu ex suis prouincijs, usq; Pestum oppidum, Budæ è regione locatum perue
nit. Nam illic Gothan cum suis concubinis latuit, cum quo primùm certare statuit. Fridericus cū
Sed cum duellum mulierosus ille expauesceret, & detrectaret, diuersorium illud quo Gothano pe-
bestia illa latebat, succendit. At ille, quo se ab ignominia assereret, primùm concubi- tit duellum.
nis, quas reginas appellabat, gladio occisis, se tandem manu interfecit. Fridericus sa-
tellites tyranni cęcidit, ac fugauit, Austriamq; repedauit. Mox crudelior gens sub-
sequuta Tartari, Tartarorū irruptio in Hun
Quæ lac concretum cum sanguine potat equino: gariam.
cum quinquies centenis millibus hominum Hungariam deuastat: ac triennio de-
structis templis ac ædibus sacris, crudelissimè totum regnum inundat ac depascitur,
euastata prius Polonia & Russia, quæ sibi Cumanos subegit. Subsequuta est in
Hungaria incredibilis caritas annonæ, quòd toto triennio pauci agros coluere: cul-
tos autem locustæ, quarum ingens multitudo, quæ uolando tenebris diem uince- Locustæ.
bat, depasta est: adeò ut plures fame, quàm prius ense perirēt. Sed cum Austriā irrum
pere uellent, à Friderico profligati sunt. Demum in Græciam euntes, à Balduino Im-
peratore Græco cæsi fugatiq; sunt: non tamen incruento prælio. Fridericus Dux
Austriæ accipiens, regem Bohemiæ oppidum Laha potenti manu expugnaturum, Laha.
& solo æquaturum, & ex Morauia præter spem irrupisse Austriam, quòd, ut paulo
antè dictum est, ciues se sponte sua principi naturali subdidissent: ne mora obesset, ili-
cò cum paucis equitibus oppidum ingreditur, cum innumerum exercitum rex Bo-
hemiæ ductaret: in quo & Vdalricus Carinthiæ dux, cum ducentis electis equitibus
fuerat: & duo fortissimi milites Germani Seufridus & Catoldus, Orphani dicti: Vuo Nobiles Orphani.
cho de Rosenberg centū armatis bene munitis, Smilo de Leuchtenberg cum equis Vuocho.
cataphractis quinquaginta: & alij multi insignis familiæ bellatores. Quibus certè Smilo.
Princeps feruidus cum paucissimis occurrisset, seq; præcipitasset, nisi à capitaneo suo Preusel.
Bernhardo Preussel admonitus, & milites & arma expectasset: ubi, quantum breui-
tas temporis poterat cogere milites, dictu citius affuerunt: acie ordinata, pauci cum
multis congressi, Bernhardus Preusel Seufridum Orphanū, Henricus Preusel Capi-
tanei frater Catoldum Orphanum, duos fratres duo germani prosternunt, & in ditio Duo germani
nem capiunt. Fridericus dux Vdalricum Carinthiæ ducem manu propria capit. Rex fratres à duo-
cum omni exercitu se fugæ committit: prælium sopitum est, dux cum triumpho do- bus fratribus
mum repedauit. Sed nō admodū diu quieuit. nam semper aut cū Bohemis, aut Hun- germanis.
garis, pro limitibus suæ prouinciæ erat dimicandum. itaq; placuit utrisq;, uicinis Au-
striæ. Bela itaq; Hungariæ rex (quem scriptor Saxoniæ Balam uocat, nonnulli ob

 sæuitiam

sæuitiam belluam uocitant) immemor beneficij sibi ab Austriæ duce collati, dum Cumani regnum suum euastaret, quos Princeps ille egregius forti manu profligauit, in Regis fauorem, immò circa Leytam fluuiũ, haud longè à Noua ciuitate castra locat, & finitima quæq; populatur. Fridericus iusto exercitu Regi occurrit. fit cruentißima pugna: multi cadunt, multi capiuntur. Hungari cædem tamen maiorẽ sentiunt. Princeps fortiter pugnans, iuxta oculum dextrum lancea traiectus, equo decidit. Strenuè uerò pugnantes Australes, VI Hungaros in fugam uertunt, multis cæsis ac profligatis. Fuisset læta proculdubio tanta uictoria, nisi Principis casus ingentẽ attulisset uictori exercitui luctum. Quum enim supra mille septingenti Hungari cecidissent trucidati, totidem sunt in carcerẽ & custodiam coniecti: cæteri in fugam uersi, & palati, temeritatis suæ dederunt pœnas. Aiunt apud oculum dextrum graue uulnus Principem accepisse, & equo lapsum, incertum à suis an alienis contritum, occubuisse XV Iunij, à IESV nato M.CC.XXXXVI. matrem uerò Theodoram suam ex nuncio mortis filij, octauo pòst die. Alij uerò memoriæ prodiderunt, uulnus quidem in hoc uictorioso prælio accepisse Ducem, sed non lethale extitisse: at conualuisse. Post conflictum uerò Dux uenationi cũ indulgeret, à quodam Barone Austriæ de Pottendorff, esse freno seu capistro equi sui strangulatum, & pugione transfixum: quòd longam cum cognata sua consuetudinem habuisse putaretur. Huius rei afferunt illi qui hæc tradunt, duo indicia. primum, quòd eulogium suæ sepulturæ in cœnobio S. Crucis, quod censibus etiam adauxit, ubi eius corpus quiescit, cum imagine sua laqueis sculptis & capistro equi sui, quo à carnifice Barone illo ab equo detractus cernitur, hoc clarè manifestat. alterum, quòd hæc familia ab omnibus Austriæ ducibus tanquam infamis, ad nullum fuit pòst officium admissa multis seculis, & semper suspecta habita, usq; ad Leopoldum tutorem Alberti V Romanorum regis, qui anno Christi M.CCCC.X. hanc ab hac familia labem sustulit, & Hartuidũ de Pottendorff Marescalcum & suum à consilijs fecit. Sed hæc tota familia iam prorsus defecit. Haud longe à Noua ciuitate in agris positi sunt duo insignes lapides, testantes spacium terræ, quo Dux ille tractus ab equo fuisse fertur. Habuit hic princeps Fridericus duas coniuges, Gertrudim scilicet, ducis de Braunschuuich filiam, quã tertio anno post splendidißimas quas habuit nuptias, repudiauit, tanquam sterilem: quæ apud S. Crucem iacet, mortua ex mœrore. Altera eius uxor fuit Agnes, Otthonis senioris ducis Meraniæ filia, è qua etiam nullam prolem cum susciperet, & incestuosæ à plerisq; iudicarentur nuptiæ, quemadmodum superius retulimus in præsentia Eberhardi Salisburgensis & Rudigeri Bathauensis episcoporum, hanc quoq; quarto post nuptias anno repudiauit, ex neutra liberos suscipiens. Ob id in eius morte tota hæc Marchionum & ducum Austriæ familia defecit, & Austria legitimis est orbata hæredibus. Vnde innumeræ subsequutæ sunt calamitates, de quibus nunc scribemus, antequam Austriæ descriptionem ordiamur. Hic Fridericus dux Austriæ Carniolam Austriæ adiunxit, uir à prima ætate semper bellis deditus, rarißimè quieuit, aut pacem habuit usq; in exitum uitæ suæ. Vno enim die dum in castro Hinperg uoluptuaretur, tres simul accepit nuncios, qui bellum indixerant, ex Bohemia scilicet, Hungaria & Bauaria. nihil tamen territus, conuiuium quod instituerat, cum animi alacritate perfecit. Princeps alioqui & admirãdus, & laudandus. Post mortẽ Friderici ducis Austriæ & Stiriæ, cum hæ regiones orbatæ essent suo principe, Margarita soror Friderici, Heinrici Rom. regis, filij Imperatoris Friderici II, olim uxor, ex quo gemellos (ut suprà scripsimus) pepererat, Fridericum & Henricum, marito & filijs orbata, in Austriam redijt unica hæres. Sed cum Gertrudis quoq; mortẽ audisset Friderici, in Austriam concessit, filia olim Henrici ducis de Medling, fratris quoq; Friderici, & per eundem desponsata Vladislao Marchioni Morauiæ, quo cum octo & decem uix menses uixerat: copulata dehinc Hermanno Marchioni Badensi, quum filium procreasset Fridericum ducem Austriæ & Badensem Marchionem, cui procul dubio ambo ducatus cessissent, nisi fuisset capite truncatus in Neapoli, ut in Cæsaribus nostris copiose scripsimus: Agnetem unicam quam habuit filiam, Vdalrico duci Carinthiæ

Fridericus oculum amisit.

Friderici obitus M.CC.XLVI.

Theodora mater ex mœrore mortua.

Fridericus à Domino ex Pottendorff strãgulatus.

Pottendorff infamis.

De uxoribus S. Friderici.

Austria defecit in Marchionibus.

Margarita soror Friderici, unica hæres.

Gertrudis Vladislai marchionis Morauiæ uxor.

Hermannus Badensis Marchio.

dedit

dedit uxorem. Sed cum neq; Hermanus ille superstes admodũ diu uixisset, quatuor tantum annis cum coniuge uiuens, orbata marito, Gertrudis in Austriam uenit, & Medling arcem & oppidum uidua possedit, quemadmodum Margaritæ Heymburgum fuit asſignatum. Cum itaq; Fridericus castrum Starckenberg cuidam fratri ordinis Teutonicorum, cum suo, quem ibi habebat, thesauro cõmendasset, diu ille hæredibus cedere noluit: uictusq; tandem & arcem & thesaurum tradidit, qui in tres partes diuisus est: una Margaritæ: altera Gertrudi Constantiæ Misnensi Marchionissæ, quę duos habebat filios, Theodoricum & Albertum: tertia cesſit sororibus Friderici defuncti. Subinde maxima est inter Barones & prouinciales exorta dissensio, quem sibi dominum statuerent: cum ex mascula sobole nullus extaret Princeps, solę superessent mulieres. Frequenter enim Principum mortem subsequuntur tumultus & seditiones, potisſimũ cũ nullus extat certus hæres. Quanta enim nuper sit orta in Austria tempestas, post clementisſimi Principis Maximiliani Cæs. Augusti immaturam mortem, licet certisſimi extarent hæredes, Carolus scilicet rex Catholicus, & iam Cęsar, ac Ferdinandus Hispaniarum infans clarisſimus, Austriæ Archiduces, Principes potentisſimi, nemo ignorat: & nos nõ sine periculo satis superq; experti sumus, qui omni die mortẽ ob oculos sic habuimus: omnibus nempe consiliarijs fugatis in Nouã ciuitatem, meq; solo relicto in hoc naufragio inter lupos feroces. Licet Principis nostri FERDINANDI clementia discussa sit hæc nebula, & tempestas in serenitatem redacta. Bifariam itaq;, ut nuper, proceres Austrię diuisi sunt. Vnam factionem tenuit pincerna Austriæ de Rattenburg: alteram fouit Ottho de Haslaw, Hattmarus de Liechtenberg. quibus adhæsere, Pottendorff pincerna de Vuelsperg, de Chuenring, de Volkesdorff, de Vuinckel, de Misnau, de Liechtenstain, de Sunneberg, de Zelking familiæ. E' quibus discordijs multa sequuta mala, rapinæ, deprædationes, tumultus, & calamitates innumeræ. Nam adiacentes & uicini Principes incolarum uidentes discordes factiones, ipsi quoq; tumultuabantur, & spolia & uastationes machinabantur, ut nemini satis tutò liceret domũ egredi. Fridericus II Imperator audita Principis morte, Palatinum Rheni in Austriam, ut tutelam ducatus Austriæ Imperatoris nomine assumeret, cum honesto comitatu misit. cui subiunxit paulo pòst Meinhardum Tyrolis Comitem, ut has prouincias usurparet. Sed cũ Cæsar paucis pòst annis ueneno est è medio sublatus in Apulia, creuerunt Austriæ calamitates. Quandoquidem & Bela IIII Hungariæ rex Cumanos, & quos habere potuit bellicosos populos, ut in suam traducerent ditionem Austriam, cum exercitu uenit, multa hominũ milia occidit, multos sine causa abduxit. Stiriam tamen in primis molestauit corruptisq; quibusdam nobilibus, ducatum sibi uendicauit. Otho item Bauariæ dux misso filio suo Ludouico, superiorem Austrię partem supra Onasum, cũ oppidis et uillis, quam olim Fridericus Barbarossa Imp. Austriæ adiecerat, cum Heinricũ diui Leopoldi filium ex Marchione Ducem crearet, ui rapuit, & hostiliter sibi usurpauit: quæ tamen pars Austriæ postea sub ducibus Austriæ Habspurgensibus iterum recuperata est. Conuenerunt itaq; proceres Austriæ in uetustisſimum Tulnę, antiquisſimi oppidi Austriæ, uicinum oppidulum, quod patria lingua Trebentsee appellatur, comitia celebrantes, ac deliberaturi quem sibi in tanta rerum perturbatione ducem deligerent. ibi omnes unanimi consensu (quod in magna urbe, ubi diuersa plerunque &
„ mala ingenia, bona sæpe consulta inuertunt, uix factum foret) in unum Heinricum
„ Marchionem Misnensem conueniunt, ut alterum scilicet filium (nam duos habuit, Theodoricum & Albertum, ex Constantia Friderici defuncti sorore) sibi daret Ducem, Austriam & Stiriam qui gubernaret. Missi itaq; oratores ad Marchionem, Abbas Scotorum, Dietmarus præpositus Neoburgensis, pincerna de Hauspach, Heinricus de Liechtenstain. qui in Bohemiam delati Pragam, quum à rege securitatem in Misnam proficiscendi peterent, regioq; excepti conuiuio, cum imprudenter cõsilia suæ profectionis detexissent, Rex ilicò eos admonuit, ut obmissa profectione, filium suum Odoacrem, seu Othocarum (quod idem pleriq; nomen existimant) sibi dominum ac Austriæ ducem sumerent. Quod cum recusarẽt, alia sibi mandata, quæ transgredi

Teutonicus magister.

Turbæ in Austria post obitum Friderici.

Diuisio nobilium, domini de Rattẽberg. Domini de Potten dorff.

Meinhardus Tyrolis Comes.

Meinhardsperg.

Factiones in Austria post Fridericum.

Ludouicus Dux Bauariæ Austriã supra supra Anasum.

Tulna uetustũ oppidum.

Trebentsee.

Heinricus Marchio Misnensis.

Stulti oratores

gredi

gredi non liceret, causati: iter eis interclusum est. additæ etiam minæ, ni obsequerentur, prouinciam omnem armis sese obruturum. Mœsti itaq; redeunt, imperfecta legatione: ac iterum noua hæc res proceres diuisit, &

Scinditur incertum studia in contraria uulgus. Othocarus autem, ne tanta sibi è manibus elaberetur occasio, ab alijs præripienda, adit Viennam sine mora, & suæ factioni se credit, quæ illi mox gubernationem Austriæ & Stiriæ contulit. Alij contrariæ factionis, Dietmarum Vueissenecker Heinrico Bauariæ duci mittunt, qui gener regis Hungarorum Belæ fuerat, offerentes illi Ducatum Austriæ. Sed cum is soceri consilium in hac re quæreret, Rex hunc Ducatum prius usurpare annixus, ilicò Comitem Stephanum de Sagabria mittit Capitaneum in Grecium: qui pluribus nobilibus Stiriæ pecunia corruptis, titulo emptionis Ducatum sibi uendicat. successorem dehinc illi, ob illius insolentiam, Catoldum de Lindauu submittit, & Amboldum huius prouinciæ præsidem adiungit. quibus breui, ueluti ingratis patriæ, eiectis, Othocaro obedientiam pollicetur: ob id potissimum, quòd Margaretam reginam olim Romanorum Friderici demortui sororem, unicam Austriæ hæredem, duxerat uxorem: quæ licet prouectæ esset ætatis, & absq; matrimonio reliquos uitæ dies in religione decreuisset absumere, tacitè professa (ut quidam uolunt) persuasa tamen à suis secretarijs & silentiarijs, & in odium Philippi ducis Carinthiæ, fratris Vlderici olim à Friderico capti, qui plures sibi & iniustè arces Stiriæ uendicauerat, ut Rotenman, & telonium uallis Anasi: plures de nouo arces erexerat ac condiderat, Cziechperg scilicet in monte Pesselberg, & arcem in monte Zuitsperg, in matrimonium tandem cum Ottocharo consensit, qui Austriam regendam accepit anno à nato IESV, M.CC.LIII. (nam alijs annis prioribus & Vladislaus Marchio Morauię, qui Gertrudim filiam Austrię ducis Heinrici de Medling uxorẽ habuit: & Hermannus Marchio Badensis, qui Vuadislao in connubio cum Gertrudi succesit) Austriã rexerant. Postea quam uerò Otthocarus ob matrimonium Margaritæ in Austrię gubernationem successerat, indignata Gertrudis, tertiò nupsit Romano, filio regis Russiæ Leonis, sperans maritum auxilio Belæ regis Hungarorum Austria potiturum. ex quo genuit filiam Mariam, quæ pòst desponsata est Stephano de Sagabria: licet prior filia ex Hermanno Badensi Marchione, Agnes, desponderetur Vlrico duci Carinthiæ. Sed cum à Romano impregnata desereretur, in Iudenburga oppido, post obitum mariti, qui nunquam redijt, relicta est. Interea Hungari Austriam irruentes, nullum nõ genus sæuitię in Austriacos, quod humanum excogitare potuit ingenium, patrarũt. Feruntur enim nõ modò populando agros, uillas, & oppida, innumeros occidisse, iugulasse, & crudelissimè trucidasse, uerumetiam ingentem numerum hominum ueluti pecora abegisse: in quibus erant uirgines moniales è claustris eductę, uxores uiduæ: quibus ita abusi sunt crudelissimi homines & procacissimi, ut pleræq; sibi mortem conscirent, multę uenere nimia exspirarent, pars diuisę per medium, reliquę post abusum istum & expletam libidinem diuenditæ & distractæ ut pecudes. ita didicerant humanitatem à Cumanis, socijs belli, Hungari. quibus cum Ottocarus resistere uellet, genitor eius Venceslaus rex Bohemię diem suum claudit. Ne autem hoc quoq; regnum primùm amittat, quia iam Cumani per Austriam, Morauiam irruperant, cum Hungaris de pace agit: & promissa illis Stiria, quiescendum deliberauit, quoad composito regno Bohemię posset fœlicius terris suis prouidere. Bela igitur Rex cũ Stephano filio manu potenti Stiriam aggreditur: Petouiamq; primùm obsidet, ex itinere: deinde aggressurus Stiriam omnem, quam Huldericus dux ratione coniugis sibi asserere nitebatur. Maxima sunt tum excitata bella inter Salisburgensem episcopum, ducem Carinthię, Belam Hungarorum regem, & ducem Austrię, quæ multis annis durabant & in Stiria, & in Austria ac Morauia. Tandem Ottocharus in Margaritam cõcepto odio, à se eam alienauit, collocans eam in Kremps: ubi post aliquot annos ueneno est sublata, & in patris cœnobio Campi liliorũ sepulta. ac fingẽs Vrbanum IIII Pont. Max. id sua authoritate diuortium fecisse ratum, superduxit neptem regis, Belis reginæ Mosouię filiam Kunegundim. Itaq; absq; feudo Ottocharus du-

Marginalia: *Stephanus de Sagabria.* — *Greuitium.* — *Philippus dux Carinthiæ.* — M.CC.LIII. — *Othocarus Margaritã ducit.* — *Gertrudis cũ Romano Russiæ rege.* — *Stephanus de Sagabria.* — *Hungari in Austriam.* — *Crudelissimi Hungari in mulieres.* — *Venceslaus pater Otthocari.* — *Margarita uxor Ottochari ueneno sublata.*

tus ducatum Austriæ administrans, ob donationem uxoris sibi factam, pòst in Prussia bella gessit. Reuersus iterum cum Bela, certamina uaria habuit, partim ob limites Stiriæ & Austriæ circa montem Seminium, partim cum Stephano eius filio post patris obitum. Nam & in Austria quædam factio duce Seufrido Vuehinger, Hungariam ingressa, † Iaurinũ & Nitriam urbes euastarat, capto Quinqueecclesiensi antistite. Sed dum lacum gelu concretum improuidi transeunt, magna pars glacie resoluta obruitur aquis. Vicissim Stephanus Hungarorum rex Carinthia multis in locis euastata, Austriam ingressus, uno prælio duos, fratrem Othonẽ, & Chunradum de Hardeck & Pleyhen comitem, cum haud parua nobilitate fudit. Otthocarus exercitum Hungarorum profligauit, & ex Austria deturbauit: Agnetemq; Leopoldi, neptim Vlrici Carinthiæ ducis, ne iterum sobolem ex aliquo Principe produceret, cui Austria olim legitimè cederet, Vlrico Comiti de Hauunburg in Carinthiam, in dedecus familiæ desponsauit. Circa quæ tempora oppidum Marcheck, anno à nato IESV, M. CC.LXVIII, iuxta fluuium Marchiam ob incursionem frequentem Hungarorum ab Otthocaro extruitur, ob uictoriam olim cõtra Belam & Stephanum reges habitam. Coegit dein Philippum Salisburgensem, Patriarcham Aquileiensem electum, mortuo Vlrico duce Carinthię, Carniolam sibi suppeditare, quibusdam illi ex Austria assignatis redditibus: occupataq; Charinthia, multa incommoda Stiriæ, & cuidam nobili Ortolpho de Gretz intulit, de quibus paulo pòst. Sed haud multum est lætatus de tanta factione. Interea etenim Rodolphus Comes de Habspurg, cũ pluribus annis Romanorum uacasset Imperium, rex est Romanorum designatus. Cui cum hic Otthocarus rex Bohemiæ rebellis existeret, & crebrò uocatus uenire dedignaretur ad comitia procerum Rom. Imperij, quòd nulla unquam feuda ab ullo Imperatore accepisset, Ducatibus Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ est legitimè priuatus: quod latissimè in Cæsaribus nostris, ac in Rodolpho scripsimus. Sic itaq; Austriæ ducatus à Rodolpho Romanorum rege, filio suo primogenito, est collatus, & in hanc Habspurgensium familiam transijt, in qua nunc per annos ducentos quinquaginta amplius felicissimè manet, septemq; Cæsares ac Reges produxit, quos instar catalogi nominibus suis explicabimus. nam omnes ordine, & eorum res gestas scribere, nunc non est nostri instituti, aliàs id præstitimus.

Iaurinum ve ctius dicitur.

M.CC.LXVIII.

Marcheck quando conditum.

Ortolphus in Gretz.

Rodolphus de Habspurg Rex.

Priusquam autem catalogum Ducum & Principum Austriæ ad nostra usq; tempora describam, qui orsus sum hos Annales à primis Marchionibus ex antiquo stipite Ducum Sueuiæ ad Habspurgenses, qui nunc secuti sunt: præfari mihi liceat bona uenia in Hieronymi Geuuileri libellum ad Serenis. Regem Ferdinandum Hungariæ & Bohemiæ, &c. Principem meum clementissimũ, cui opus inscripsit, quod latinè & patria lingua impressum circumfertur: in quo præterquam quòd duces Austrię ex arca Noæ deducit, unde totum humanum genus prodijt, si sacris literis credimus, post cataclysmum generalem, quo totus mundus perijt: sibi arrogat inuentionem Ioannis Stabij, historici & poetæ eruditissimi diui Maximiliani Cęsaris, propriã, non suam: quam quidem inuentionem D. Cæsar Maximilianus ab initio admiratus est & laudauit, sed tandem reiecit & uetuit, cõtentus ex Regibus Francorum ducere suam prosapiã. Audiui ego quoq; coràm D. Maximilianum sæpius loquentem cum meo Stabio: Tu me ex arca Noe ducis? & stemmatis originisq; meæ authorem tribuis Iaphet, tertium scilicet filium Noe, qui pudenda patris detexit? quasi ex radice non bona, possit produci stipes bona & fertilis, cũ tamen mala arbor nunquã bonum producat fructum? Et licet Stabius acutè diuo Cæsari multis aulicis astantibus respondisset (nam haud uulgariter amabatur à Cæsare, quod omnibus cõstat & compertũ est) tamen Cæsar postea dixit: Caueas hanc ignominiã mihi & posteris meis inurere, qui mihi irascentur, & alij exerta lingua me subsannabunt. Cessauit deinde Stabius à tali tantaq; adulatione. Quod si Carolus Cæsar & Rex Ferdinandus tantas assentationes (quibus inescãtur Principes ab adulatoribus, qui frontẽ perfricuerũt, coruis peiores) inaudierint, credo equidem (ut sunt candidi Principes) nollẽt seduci, ac tales audire

Iaphet.

dire nugas, quas etiam mediocriter docti subsannant ac derident. Et quod deinde libro secundo longa serie recenset idẽ Hieronymus Gebuuilerus, Comites ab Habspurg, post reges Austrasię, Otuuerthũ primũ Comitẽ ab Habspurg, usq; ad Vuernherum: dehinc alios, quorũ gẽtilitia insignia in cœnobio Aue maris stella Cistercien sis ordinis (uulgò Vuettingen, ut ipse inquit, appellatur) extant, ubi gentilitia signa sua habẽt, fortè hic sepulti: labor meo quidẽ iudicio est magis superstitiosus, & ostentationis plenus, quàm utilis aut necessarius: cum hi Principes nunquã attigerint Austriam, fortè nec unquam somniarint, posteros suos in hac terra tam diu longè lateq; dominari, & tantam post se relinquere progeniẽ, & generosam prosapiam, quæ nunc totam ferè Christianitatem consanguinitate aut affinitate contingit, ut inferius latissimè prosequemur: ut certè (aliorũ Principum pace dixerim) nulla reperiatur domus in uniuerso Christiano orbe, quæ huic sit conferenda, ut mox in catalogo comprobabimus. Nam per sexingentos annos amplius, à nato scilicet IESV, D.CCCC.XXVII. ad annum M.D.XXVIII, quo hæc scripsimus, una serie ex duabus familijs, Sueuorum scilicet & Habspurgensium, quæ Austriam rexit, tam numerosa soboles propagata est, quæ omnes penè Christianos principes aut affinitate aut consanguinitate cõtingit. Et nisi Serenissimus rex Ludouicus Hungariæ & Bohemię, genitus ex Vladislao patre, qui matrem habuit de familia Austriæ, Elizabetham Casimiri regis Poloniæ uxorem (quę quatuor Reges, & Cardinalem progenuerat) à sæuissimo Turco Solemanno esset obrutus, dubio procul ex Maria uxore sobolem produxisset innumeram. Sed Deus seruet hanc pudicissimam Mariam reginã marito, qui faciet hanc sobole pulchra beatam. Sed nunc ad catalogum Principum Austrię descendamus, de domo Habspurgensi: qui iam satis superq; de Marchionibus Austriæ, & eorum gestis loquuti sumus.

CATALOGUS DUCUM AUSTRIAE *de familia Habspurgensi.*

RODOLPHVS rex Romanorũ, Comes Habspurgensis, filius Alberti eius nominis II, Comitis Habspurgẽ. Langrauij Alsatię, & præfecti Argentinensis, ex comitissa de Kyburg Hayduuige, quę filia erat Hartmanni Comitis senioris. Hic ex prima cõiuge Anna, comitissa de Hohẽburg in Sueuia, Alberti Comitis de Hohenberg filia, † sustulit septem filios, totidemq; puellas.

Hæc Basileæ sepulta est.

I. ALBERTVS primogenitus, qui etiam, ut pater suus, Rodolphus dictus. post patrem factus est rex Romanorum, ut infrà scribetur. Cum enim à Friderici II Imperatoris obitu interregnum fuisset, hic Rodolphus Romanorũ rex electus, in obsidione Basileæ creatus est, & regnum Romanum administrauit annis XVIII. Post patris obitum, rex item Romanorum electus, ex Elizabetha Meinhardi Comitis Tyrolensis filia, procreauit XXI liberos: quorum sex in pueritia sunt mortui, ut infrà patebit.

II. FILIVS Rodolphus, Rodolphi regis, mortuus & sepultus Pragæ: qui prius ex Agnete Otthocari filia genuit Ioannem ducem Austriæ, patris nomẽ referentem, qui puer XII annorum obijt.

III. HARTMANNVS, qui cœnobium Monachorum & Monalium Tulnæ, à patre incœptum, post eius mortem compleuit.

IIII. FRIDERICVS, qui in adolescentia mortuus, Tulnæ est sepultus.

V. HERMANNVS, qui anno XVIII ætatis suę in Rheno submersus, cum XIIII nobilibus militibus, glacie rupta, priusquã cũ sponsa regis Angliæ filia cõcumberet.

VI. CAROLVS, in pueritia obijt, Basileę sepultus. Et ideo quidam numerant tantum quatuor filios regis Rodolphi, qui ad iustam ætatem prouenerunt: excludentes eos, qui in pueritia mortui sunt.

NVNC DE SEPTEM FILIABVS RODOLPHI loquemur ordine.

I. EVPHEMIA dicta, quæ ingressa cœnobium, quod pater Tulnæ extruxit, monialem egit.

II. GVTA

II. GVTA, quod est latinè Bona, siue Bonitas, Venceslao Bohemiæ regi despōsata.
III. MECHTILDIS, desponsata Ludouico Palatino Rheni, & duci Bauariæ, Electori Imperij.
IIII. CATHARINA, Othonis regis Hungariæ, & ducis Bauariæ uxor legitur.
V. AGNES, Alberto Saxoniæ duci nupsit, Electori Imperij.
VI. HEYDVVIGIS, Othoni Brandenburgensi desponsata est uxor.
VII. CLEMENTIA, Carolo Martello, regi Sicilię & Neapolis, nupsit, qui & rex Hungariæ fuit. Quòd uerò tam felices successus Rodolphus rex cum filijs & filiabus sortitus est, quis non credat diuinitùs factum? Vnde nos olim iuuenes lusimus hoc tetrastichon:

Austriacam sobolem fundauit ritè Rodolphus,
Germine felici, & semine prolifico.
Bisq́ nouem Imperij rexit feliciter annos,
Et quater ac decies prælia uictor obit.

Nam quoties manus cum hostibus conseruit, ut latè in eius uita in Opere nostro Cæsarum disseruimus, semper cum uictoria redijt. Habuit autem Rodolphus & alteram uxorem Agnetem, filiam ducis Burgundiæ, neptem regis Francorum, quam iuuenculam in senio duxit, & nihil liberorum ex ea sustulit. Ea post regis obitum, in patriam est reuersa. Secunda uxor Rodolphi.

ALBERTVS I, cognomento dictus Victoriosus, comes ab Habspurg, Austriæ dux, rex Romanorum, Rodolphi Cæsaris filius, ex Elizabetha, Meinhardi ducis Carinthiæ & Comitis Tyrdensis filia, genuit XXI liberos, quorum decem impuberes obierunt mortē: de reliquis XI, sex masculis, & quinqꝫ puellis, nūc ordine uideamus.

I. Rodolphus, eius nominis tertius, primogenitus Alberti, cognomine dictus Mitis, duas habuit uxores: Blancā scilicet, Philippi III Francorum regis filiam, Viennæ sepultam: & Elizabetham, Venceslai regis Bohemię uiduam, per quā rex Bohemię est factus. Ex singulis singulos filios genuit, duces & reges Bohemię. Pragæ sepultus est, & mortuus anno Christi M. CCC. III.

II. HENRICVS dux Austriæ, Alberti filius, cognomento dictus Placidus, Rodolphi regis Bohemiæ frater, ex Elizabetha comitissa de Viruburg, nulla prole auctus, in cœnobio Regij campi cum patre Alberto sepultus, anno à nato IESV, M. CCC. XXVII.

III. OTHO dux Austrię, filius Alberti regis, cognomento Venustus dictus, Annā Iohannis Bohemiæ regis filiam coniugem primam est sortitus, absqꝫ prole. Alteram dein assequutus coniugē Elizabetham, Stephani Bauariæ ducis filiam, è qua Fridericum & Leopoldum sustulit liberos, in pueritia morte immatura mortuos. ipse obijt anno salutis M.CCC.XXXX, in cœnobio Austriæ dicto Nouo monte sepultus. Neuperg.

IIII. LEOPOLDVS dux Austriæ, Alberti Romanorum Cæsaris filius, dictus cognomento Gloria militū, quòd bellica uirtute splendidus erat. ex Catharina Antici, siue Amadei Allobrogum comitis filia, duas genuit filias: Agnetem scilicet, quæ desponsata fuit Slesiæ duci de Sueinitz: & Catharinam, uxorem ducis Slesiæ, de magna Glogouia.

V. FRIDERICVS dux Austriæ, filius Cæsaris Alberti primi, cognomine dictus Pulcher, duas sortitus coniuges: Isabellam scilicet ducis Geldriæ filiam, quæ ante celebratas nuptias mortua est: Elizabetham pòst Iacobi minoris Arragonū regis filiam coniugem duxit, ex qua tres liberos genuit, scilicet Fridericum patri cognominē, in adolescentia mortuum: & duas filias, Elizabetham Ioanni Bohemiæ regi desponsatam, quæ uirgo mortua est: & Annam, quæ Poloniæ regem primò sortita cōiugem, sed postquam naturæ concesit, Ioanni Carinthiæ Comiti nupsit: quo iam fato functo, monialis effecta tandem est, Viennæ apud S. Claram in Austria. M.S. Claræ Hic Fridericus mortuus est anno Christi M.CCC.XXX, in Maurbach Carthusiana domo Austriæ sepultus: cuius ego ossa mandato Imperatoris Maximiliani, unà cum Laurentio

tio Saurer Quæstore Regio, lota in loculos deposuimus, anno Christi M. D. XVIII.
De quo Friderico mihi nō abs re quædam præfari licet hoc loco. Antiquissimos
quosq; annales ducum Austriæ de more meo (qui omnes angulos & schedas disqui-
ro, ut studiosos iuuem) reuoluens, & præsertim diligentissimū annalium scriptorem
M. Albertum Argentinensem, qui per ea tempora floruit, & res Austriacas summa
fide cōplexus est: tamen hoc anno M.D.XXVII, affinis meus Guilhelmus Putschius,
regis Ferdinandi à secretis, antiquitatis zelator studiosus, ex archiuis principum Au-
striæ uetera diplomata recognoscens, quorum mihi copiam fecit, reperit, quæ patria
lingua sic sonāt, ut omnis homo intelligat qualis domus Austriæ olim fuerit, in hunc
usq; diem sic (Deo uolente) aucta: quomodo scilicet hic Fridericus & Ludouicus
Bauarus reges effecti Romanorū, simul gubernarint. Attende Lector, & lætaberis,
si cum sale hæc legas.

Wir Ludwich vnnd Friderich/ von Gottes gnaden Römische Künige/ zů
allen zeittē merer deß Reichs/ thůn khundt allen den die disen brieff sehen/ oder
hören lesen/ das wir jn dem namē Gottes/ Gott vnd seinen heiligen zů lob/ der
khirchen zů Rom zů eeren/ Römischem reich zů frum̄/ vnd der hailigen Chri-
stenheit zů fridt vnnd zů schirm/ noch weiser vnnd gelertter leutte pfaffen vnd
layen rhatt vnnd weisung/ vnß miteinander verainet vnd verbunden haben
ewiglich/ das wir daß Römisch reich/ darzů wir beide erwölt vnnd geweicht
sein/ mit allen seinen würden/ eeren/ rechtē/ leutten vnd guettern/ vnd waß es
hat/ vnd darzů gehörtt/ über alle die welt mitainander/ glaich als ain person/
ainem nicht baß dañ dem anderm yetweder/ mer noch minder besitzē/ haben/
phlegen/ vnnd handlen sollen vnd wellen vnß mitainander beholffen sein mit
stetter trew/ mit rettē/ mit arbait/ mit fleißikhait/ mit reden/ mit werckhē/ vñ
mit allen vñ an allen sachē/ als ferr vns leib vñ gůtt wärett/ wider aller menig
khlich/ vñ sollen ainer den andern nit lassen/ noch im entweichē/ ob ainen son-
derlich sach angeing/ weltlich ader geistlich: sonder was ains sach ist/ die sol
ouch des andern sein/ auff alle ort/ vnd auff alle not: Vnd sollen übel vnd gůt/
frum̄ vnd schaden/ gleich wegen an allen dingen. Wir sollen auch gleich eer ha
ben zů strassen/ zů khirchen/ vnd an aller statt/ vnd vnß baide Römische Khö-
nige vnd merer des Reichs schriben vnd nennen/ vnd vnß Brůder haissen vnd
schreiben an ainander/ vnd auch als Brůder haben. Vnd wer vnder vnß dem
andern schribet/ der sol jn fürsetzen: schreiben wir aber beide mitainander
handtuest oder breiff/ so setz sich der heutte/ der morgen für/ das daran
khain vorgang sei. Handlet vnser ainer icht/ do der ander nit entgegē ist/ an
weelcherlai sach das ist/ der sol das thůn jñ jehnes vnd in seinen namen/ vnnd
sol jñ fürwerffen/ das man nicht war nem/ das die handlung deß pöser sei/ der
sie thuet/ dañ des andern: wañ vnser werch von baider wegen vntailig gesche
hen sollen/ an allen dingen. Wir sollen tzway newe jnsigel machen/ jn den yet-
wedern vnser baider namē geschriben sein/ vñ jn vnserm Khünig Ludwigs
insigel sol Khünig Fridrichs namen vorsteen: alß den in vnserm Khünig Frid
richs insigel/ sol Khünig Ludwigs namen vorsteen: vnd sollen die insigel glei-
cher größe/ form vnd puechstab sein. Was grosse lehen/ als Khünigreich/
Fürstenthumb/ Grafschafft/ Herschafft/ vnnd die anderst grosse lehen seind/
dem Reich ledig werdent/ die sollen wir beide mit ainander leihen/ vñ ainer on
den andern nicht. Ander weltliche lehen vñ geistliche/ Probstey/ khirchen/ wie
sie genant sein/ werden die ledig/ wer die verleihet vnder vnß/ sol der ander stät
haben/ vnd hat fürgang. Leihen wir aber gleich/ wer die gwer ee gwindt/ der
gwintt. vnnd nach weltlichen lehen/ die ledig werdent/ welcher vnder vnß lei-
het/ der sol den aid nach dem lehen nemē/ das vns baiden geschworen werd: vñ
der fürgesetzt an dem aid/ der nit entgegen ist: vnd sol er den lehenman zů dem
andern

andern weisen/so er schierist zů jm khumē mag/daß er sie auch vō jm emphahe.
Ist es aber das ein geistlicher od weltlicher Fürst/prelat oder herre/der sein lehē
von dē Reich nemē soll/vō vnsern ainē emphieng/der sol den aid vō jm nemē/
vñ in zů dē anderñ weisen/als vor geschribē stet. Vnser yetweder on den an-
dern/sol noch mag des Reichs steet/burg/veste/herschafft/lādt/vñ leutte/vñ
waß so groß ist/nicht emphremdē noch verkhumnē/noch gar grosse sach han-
delen. Fert vnser einer gen wälisch landē/dem sol der ander sein gwalt hinein
gebē/vñ ihener disen hie aussen lassen williglich. Was auch vnser einer fürbas
thuet/das sol der ander stät haben/vnnd bestätigen mit seinen brieffen. Was
aber vorher vnser yetweder gethon hat/mit gaben/mit lehen/mit versehen/
verkhumbern/vñ welcherlay anders das ist/es sei an weltlich oder an geistlich
sachen/da er gwalt het/das sol stet sein yederman. Es sei dan/das wir mit ge
mainem rat vnd willen dem Reich bas gebessern mügen. vnd mit namē/was
wir Künig Ludwig gen vnsern sun dem Margrauē von Brandenburg/vnd
gen vnserm aiden dem Margrauē von Meissen/mit lehē jrer Fürstenthumb/
vnd mit andern gethon haben/das soll gantz vnd steet sein. haben wir baider
seit ein gůtt oder ding/was das ist/zwaien oder mer gegebē/verlihē/versetzt/
oder verkhumbert/welcher des in nutz vnd gwer sitzet/dem sol das belaiben. al
les auch das vnser yedtweder des Reichs jnne hat/oder noch eingewinnet/
land/leutt/vnd wie das genandt ist/das sol er dē andern vnderthänig machē.
vnd wer ainē geschworē hat/oder schweret/der sol dem andern auch schwerē/
er sei Fürst weltlich oder gaistlich/Graue/frey/dienstman/Stett/marckht/
pfaffen oder laye/vnd wer vnser aines fründ vnnd gunner: wer aber sich des
setzte/wider den sollen wir vnß anainander beholffen sein mit aller macht/das
der oder die sein benöttet werden. Wir sollen auch baide ainē hofrichter/vnd
ainen hoffschriber habē/das vnser gericht vngetailt sei:vnd die sollen ein halbs
jar/oder viertl jares/bei vnser ainem/das ander tail bei dem andern sein: vnd
was vor vnser ainem gerichtet wirdt/das ist vor dem andern stät:vnd das an-
gefachet wird vor ainem/das mag geendet werden vor dem andern/vñ herwi
der khumen/als digk sich die zil verlauffen: vnd wer vor vnser ainem geåchtet
wurdet/der mag vor dem andern daruon khummen/wañ es ain gericht vnd
richter ist. Was auch vor vnß gericht zwischē den die vns für Khünig hetten/
das soll beider seitt stett sein vnd volfiert werdē. Was aber wir Khünig Fride
rich gen den die an Khünig Ludwigen iähen nach der vnser khlage/vnd wir
Khünig Ludwig hinwider gen den die Khünig Friderich iähen/nach der vn
ser khlag gerichtet haben/das ist baider seit ab: vnd soll yederman fürbaß von
dem andern recht nemmen vnnd thůn vber das alles/an allen sachen/wirden
vnd eeren in allen landen/über all die welt/zů allen rechtē vnd wirden/vnd zů
allen dingen gen Fürsten gaistlich oder weltlich/Grauen/freien/stettē/gen rei
chen vnd armen/edlen vnd vnedlen/sein wir gleiches gewalts vnd herschafft/
das aindtweder der vorder noch der hinder/der ober noch der nider ist jn allem
das das Reich hatt:vnd sollen vns baid setzē als ain man/ob man wider vns/
oder wider vnser ainen mit gaistlichen oder weltlichen sachen/es seind pfaffe o-
der laye/ichtes ich gehandeln oder thůn wolt/oder vor gehandelt oder gethon
hett/vnß oder dem Reich zůgeuerde oder zůschaden/welcherlay weiß das ist:
vnd sollen vns anainander nit lassen/durch khain not/geistlich oder weltlich.
Vnd wan wir in Gott/vnd mit Gott/alles das vorgeschriben ist/ainmüttig-
khlich gethan haben/gehaissen wir bei vnsern ayden vnd trewen/die wir darü
ber leiplich geschworen vnd gegeben haben/vnd bei aller verbindnuß der wir
vns gen Gott zwischen vns vor vnsern beichtigern vor verbunden haben/das
wir es alles von wort zů wort/als oben geschriben ist/bis an vnser baider ende
vntzerbrochenlich stett vnd gantz haltē/leiplich vnd getrewlich/vnd volfüren

 wellen/

wellen/an allen ſeinē ſtuckē:vnd beſonderlich/das wir in der aynung dē Römi
ſchē Reich ſein eere/ſein gůt/vñ wirde vordern/wārē/haltē/vnd merē wellen/
mit aller macht/als wir ferriſt mugen/leibs vnd gůtz halb/noch rechtem glau
ben vnnd Chriſtenlichem leben. Darüber zů vrkhund haben wir diſen brieff
mit vnſern anhangenden jnſigel/den wir ietzt wolten verſigeln/vnd gehaiſ-
ſen/bei aller der verbindung/als nun vorgeſchriben iſt/das wir in vernewen
vnd verſigeln mit vnſern newen inſigeln/als ſy ſchiriſt gegraben werden. Aller
der vorgeſchriben ſachen ſein gezeuge/Graue Berchtolt von Hennenberg/Fri
derich burggraue von Nurnberg/Brůder Conrad von Gundelfingen Mai-
ſter des Teutſchē ordēs in Teuſchē landē/Hermā vō Liechtenberg Cantzler/
Maiſter Vlrich der wilde oberſte ſchreiber vnſers Khünig Ludwigs/Diet-
rich vō Billichdorff/Hans Drugſāß von Dieſſenhofen/Beigand von Trawſ-
nicht/brůder Cunrad prior von Münichen/vnnd brůder Gottfrid prior zů
Maurbach in aller hailigē tall/vnſer baider beichtiger/die alle dabei geweſen
ſein. Der brieff iſt gebē zů Münichē/an dem Pfintztag/vor vnſer Frawē tag/
als ſie geborn wardt/da man tzalt von Chriſti geburtt dreyzehenhundert jar/
darnach jn dem fünfundtzwantzigſten jare/in dem ailfftē iar vnſers Reichs.

Der ander brieff laut alſo.

Wir Ludwig von Gottes gnaden Rhömiſcher Khünig/alle zeit merer des
Reichs/veriehē vnd thůn khundt allē den die diſenn breiff ſehend oder hörend
leſen/das wir durch gemainen frid der Chriſtenhait/vnß des bedacht haben/
das wir mit guetlihē willen/vñ mit freiem můt/vnſerm lieben Ehöm vnd brů
der Khünig Friderich von Rom/entweichē wollen an dem Khünigreich von
Rom/vñ alles das darzů thůn/mit mund oder mit breiffen/dero er notturff-
tigiſt/vñ jm nutz vñ fürderlich mag ſein zů dē Reich/on alle geuerde/alſo be-
ſchaidenlich/als ob er vō dē Papſt beſtāttiget wurd an dē Khünigreich/es ſei
mit der Furſten willen/oder on jren willē. Vnd geloben diß zethůn bei gůtten
trewen/on alles geuerde. vnd des zů ainem offen vrkhund/henckhē wir vnſer
Khünigklich inſigel an diſen brieff/der ward geben zů Vlm/do man zalt von
Gottes geburtt dreyzehenhundert jar/vñ jn dem xxvj jar an dem Erichtag/
nach dem zwelfften tag/jn dem zwelfftē jar vnſers Reichs.

Ex his literis planè liquet, longè erraſſe ueteres Analiū ſcriptores, qui putant ſolū
Ludouicū imperaſſe, & Fridericū Auſtriæ omni caruiſſe regali dignitate. Sicut & o-
lim D. Cæſar Maximilianus, qui nunquā ſine lachrymis & ſuſpirijs mentionē huius
Friderici uel audiuit, uel ipſe fecit (nā has literas nunquā uidit, neq; in eius conſpectū
uenere unquā) ſic ex hoc ſeculo harū ignarus tranſijt clemētiſsimus princeps. Anno
itaq; Chriſti M.CCC. in die cœnę Domini, à fratre Conrado priore Monacēſi, ordinis
heremitarū S. Auguſtini, ambo reges Fridericus & Ludouicus ſacrā Euchariſtiam aſ-
ſumūt. Coram quo, & Priore de Maurbach, iureiurando ſeſe mutuò ad cōmunem fra
ternitatē aſtringunt, & oſculo pacis totā fraternitatē conferunt. Fridericus poſita bar
ba, eam mittit Carolo regi Hungarię, & poſt Feſtū paſchę Viennā deſcēdit, à Baroni
bus & ciuitatibus munificè ſuſceptus. Paulo pòſt apud fratres Auguſtinenſes, pręſen
tibus ſuis fratribus, Alberto, Leopoldo & Otthone, uoti reus, diuo Auguſtino uotū,
quod in carcere uouerat, ſoluit ſolenniter, multis aſtantibus nobilibus. Dehinc filiam
ſuam filio Ludouici deſponſat, & Othonem fratrē filiæ Ducis Stephani in matrimo-
niū collocat: quæ nuptiæ Monaci factæ ſunt eodē anno. Cæterū Deo ſic uolente, hæ
literę in lucem ſub Ferdinando noſtro uenere, in quibus apparet ſingularis Dei Opt.
Max. pietas in noſtros Principes, qui & Deū purè confitentur & amant, & ob id glo-
riā aſſequuntur perpetuā & nunq; interiturā. Sed pergamus catalogū ducū Auſtriæ
recenſere, filios filiasq; Alberti I. regis Ro. poſt hunc Fridericū Pulchrū (qui, ut fer-
tur, diē obijt M.CCC.XXX.) in Maurbach Carthuſiana domo à ſe fundata ſepultū.

VI. ALBERTVS II, dictus Sapiens, ſiue Claudus cognomine, uulgo

Contra-

Contractus uocatur, frater Friderici regis: qui ex Ioanna Hulderici Comitis Phiretarum filia, genuit quatuor filios, & duas filias, ut paulo inferius dicam, quum eius familiam recensebo. nunc filias narrabimus quinque, post dictos sex filios.

I FILIA Elisabetha, Theobaldi ducis Lotharingiæ uxor, illi peperit tres liberos: Rodolphum scilicet Lotharingiæ Ducem, in bello cum Ioanne Bohemiæ rege occisum: Margaritham dehinc filiam, quæ Duci Cabilonensi primùm nuptui datur, sed eo à fratre occiso, sumpsit D. de Rapolstain: ex quo filium procreauit, qui XVIII anno intoxicatur.

II ALBERTI filia Anna dicta, quæ primum maritum habuit Hermannũ Marchionẽ Brandenburgensem: quo mortuo, duci Vratislauiensi uxor datur. ex utroque utriusque sexus liberos peperit, sed ex Vratislauiensi quinque genuit filias.

III ALBERTI regis filia Gutta uulgò Teuton. Latinè Bonitas: maritum sortita est Ludouicum Comitem de Ottingen in Rhœtia: ex quo filium peperit, in pueritia defunctum.

IIII ALBERTI regis filia Agnes dicta, uxor Andreæ regis Hungariæ, quem quidam Ducem fuisse tradunt Venetiarum: sed nullos liberos omnino ex eo genitos inuenio.

V ALBERTI primi regis filia Catharina dicta est, & primùm Heinrico septimo Imperatori, quem Dominicani fratres ueneno in sacra hostia intoxicarunt, numpsit (in perpetuam sui sceleris memoriam hi fratres & calicem sanguinis Christi abscondunt, dum diuinum celebrant officium, ob crudele & inhumanum facinus, digni ut ex omni Christiano orbe extirparentur nephandissimi lenones & homicidæ) sed eo mortuo, Carolo duci Calabriæ iuncta est, post morte in æde D. Laurentij Neapolis sepulta iacet. Nunc ad Albertum II eius nominis, ordine ueniamus, eius enarraturi liberos.

ALBERTUS II, Sapiens cognomine dictus, Alberti primi Romanorum Regis filius, Comes ab Habspurg, dux Austriæ, mira grauitate & prudentia excellens, Christianæ pietatis amator singularis, Claudus ab alijs cognominatus, siue Contractus, & ob id in iuuentute sacris initiandis traditus. Sed cum Rodolphus, Henricus, Ottho, Fridericus, Leopoldus, Alberti huius fratres, sine prole mascula mortem obijssent, ne posteritas fraudaretur, data est illi uxor Vdalrici Comitis Phiretarum ultimi filia, Ioanna nomine, per quam accessit domui Austriæ Comitatus Phiretarum, postquam socer neminem uirilis stirpis hæredem reliquerat. Vnica enim filia supererat, Vrsula dicta, cui octo millia marcharum argenti pro sua paternæ hæreditatis portione data sunt. qui quidem Vlricus Comes obijt circa annum millesimum trecentesimum uigesimumquartum. Hic itaque Albertus circiter annum Virginei partus millesimum trecentesimum quinquagesimumprimũ, ad Rheni partes concessisse fertur, atque Reinfeldam imperiale oppidum Austriæ ducibus oppignoratum, à Comite de Nidaw redemisse: Imperij quatuor oppidulis tunc Alberto duci audientibus, Schaffhausen, Rinfelden, Nouum castrum, & Brisacum: simul ut Ioannem Comitem ab Habspurg iuniorem, cognatum suum, quem Thuricenses in uincula coniecerant, redimeret. Hic itaque Albertus, præter Comitatum Phiretarum, adiecit domui Austriæ ducatum Carinthiæ uacantem, morte ultimi Ducis ad Ludouicum Imperatorem deuolutum: quem in feudum Alberto concessit. qui quatuor pòst genuit filios, & filias duas, ut nunc enarrabimus. Mortuus anno à nato IESV, millesimo trecentesimo quinquagesimooctauo, sepultus in Gemming, Cartusiano monasterio à se constructo in superiore Austria supra Onasum, decimotertio Calendas Augusti, quum primum lapidem anno millesimo trecentesimo trigesimosecundo Idus Augusti in fundamento collocasset. in Gemming quidem sepultus, sed in Habspurg natus: cuius uxor Ioanna, anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio obijt, in Gemming quoque sepulta. Multos hic Sueuos in Austriam deduxit, & præsertim quatuor insignes familias, de Walsee, de Dirstein, Comites, qui pòst de Ebersdorff dicti sunt: & Dominos de

Leopoldus primus.

Missaw, & Mareschalcos de Reichenaw. Et cum Australes quererentur de multitudine Sueuorũ, quasi minoris ipsi æstimarentur, indignatus Princeps, quasi ipsi uellent ei prescribere, è qua prouincia sibi essent habẽdi familiares, ijs respondit: Ne canẽ quidem Sueuicũ ob causam uestrã dimitterẽ: Liceat mihi uiuere ut Principẽ decet.

I RODOLPHVS IIII, cognomento dictus Industrius, siue Ingeniosus, qui domui Austriæ Comitatum Tyrolis adiecit per uxorem Margaritam, cognomine dictam Maultasch, ob os deforme quod habuit. quam quo ingenio sortitus sit, inuenies in nostris Cæsaribus, in uita Friderici regis Romanorum, latissimè: qua mortua, superduxit alteram uxorem Catharinam, Caroli quarti Romanorum Imperatoris filiam: ex neutra, prole auctus in iuuentute. Mediolani obijt, in æde diui Stephani, quam Cathedralem fecit, cum ambabus uxoribus sepultus. Hic & studium generale Viennæ excitauit, & uiris doctis allatis condecorauit: quod iam ruinam minatur, nisi Ferdinandus noster bellis multiplicibus intricatus, paulo liberior, ut speramus in Deum Opt. Maximum, resarciet. Mortuus est anno Christi millesimo trecentesimo sexagesimoquinto. Eius uerò uxor Elisabetha, filia Imperatoris, obijt anno millesimo trecentesimo septuagesimotertio, decimotertio Calend. Octobris: Pragæ quidem genita, Viennę uerò sepulta.

II ALBERTVS, Alberti secundi filius, cognomento dictus Cum trica, duas habuit uxores: Elisabetham, Caroli quarti Imperatoris & Bohemiæ regis filiam: qua mortua sine prole, sortitus est Beatricem Nurnbergensis N. Burgrauij filiam, ex qua Albertum quartum Austriæ ducem, unicum filium procreauit. Hic Albertus tertius gymnasium Viennense, à Rodolpho fratre incœptum, perfecit, & censibus auxit, animam efflans anno humanę redemptionis M.CCC.XCVIII. Calend. Septembris, in æde D. Stephani Viennæ sepelitur.

III LEOPOLDVS quartus, Alberti secundi filius, dictus cognomine Militiæ decus, ab alijs Gloria auratorum equitum, primus eius nominis de familia Habspurgensium, ex Catharina uxore Anticij, siue Amadei Allobrogum Comitis filia, duas filias genuit: quarum altera matris nomen referebat, N. Duci Slesiæ dicto de Grossenglog, id est, Glogouia magna: altera uerò Agnes, duci Slesiæ de Schweinitz nupsisse legitur. Mortuus anno Christi millesimo trecentesimo uigesimoseptimo, in cœnobio regij Campi cum uxore sepultus, sine mascula prole. In alijs Annalibus inuenio, defunctum Leopoldum millesimo trecentesimo octogesimosexto idus Iulij, in Köngsfeld monasterio monialium prope Pruck, ciuitate prima Bernensium, cum Comitria tumulatum. Quantum autem mœrorem attulerit clades Leopoldi circa Sempach facta, ubi tot nobiles cum suo Duce sunt cæsi à suis, nemo est qui nesciat: quum flos Sueuiæ illic occiderit, ex Alsatia, Brisgouia, Stuttgardia, Hegouia, qui Principem suum sequuti sunt, quorũ cadauera ad domestica & gentilitia sua conditoria abducta & sepulta sunt. Dux ipse ad Regium campum, cœnobiũ suum perlatus. Quia autem Leopoldus quartus Alberti filius, præter duas filiolas, nullam masculam prolem reliquerat, natus est ex Alberto eodẽ Claudo, siue Sapiente, Leopoldus secundus dux Austriæ, alter dictus Leopoldus, Probus cognomento: qui ex Virida Bernabouis Mediolanensis ducis F. quatuor genuit filios, & unam filiam Elizabetham, Heinrico Comiti Goriciæ desponsatam, sed ante nuptias mortuã. Hic Leopoldus ab Heluetijs, qui Suitenses sunt dicti, circa Sempach oppidum crudeliter à suis occisus, anno Christi M.CCC.LXXXVIII. De huius filijs paulo inferius suo loco dicemus. est autem in cœnobio Regij campi tumulatus. Genuit & Albertus Sapiẽs duas filias ex Ioanna uxore:

I CATHARINAM scilicet, quæ contemptis mundi illecebris, cœlibatus studiosa, monialis effecta est, & apud S. Claram Viennæ Abbatissa secunda fundatrix effecta est: de qua inferius plura, ubi monasterium S. Claræ Viennæ describemus.

II MARGARITAM alteram primò desponsatam Meinhardo duci Bauariæ, Comiti Tyrolensi, qui sine liberis decessit: secundò locatur Ioanni Marchioni Morauiæ, fratri Imperatoris Caroli quarti, Brunæ sepulta in Morauia, in Augustinensium monaste-

monasterio. Exigit nunc ordo, ut Alberti III filium, qui genuit unicum hæredem, Albertum scilicet quartum, ex Ioanna Alberti ducis Bauariæ & Comitis Holandiæ. & unicam filiam Margaritam, Henrici ducis Bauariæ uxorem, ac filium, enarremus. Albertus itaq; quartus genuit ex Ioanna uxore ducis Bauariæ:

ALBERTVM V, qui rex Romanorum Hungariæ & Bohemiæ fuit, cuius uxor Elizabeth, Sigismũdi Imperatoris filia, genuit duos filios, & duas filias. Hic V Albertus cum ex eius uxore Elizabetha sortitus esset duo regna, astu Sigismundi Imperatoris soceri sui, & post eiusdem mortem electus in regem Romanum, ab electoribus Imperij quod acceptare recusauit, quia Hungari questi erant super Sigismundo Imperatore, qui in Imperio multa obmiserat: nec acceptasset unquam electionẽ, nisi ducum Austriæ importuna interpellatione, qui Hungaros rogabant ut in electionem assentirent. Tum Albertus V lachrymatus, alta uoce & longis suspirijs exclamauit: O monstrosa fortuna, non diu duratura, uno anno tria regna consequi? Id quod factum est. Nam uix duos annos, cum aliquot mensibus, regnauit. *Albertus V.*

I. LADISLAVS rex Bohemiæ & Hungariæ, filius Alberti V, Posthumus dictus, ex Elizabetha uxore, Sigismundi Imperatoris filia, priusquam sponsam Magdalenam (alij Margaritam uocant) Caroli VII Francorũ regis filiam traduceret, ab Bohemis intoxicatus est (peste mortuum finxerũt laudatissimum Principem, anno eius ætatis XVIII) dux Austriæ nunquam satis laudatus.

II. GEORGIVS dux Austriæ, & Comes ab Habspurg, in pueritia est mortuus.

Genuit & Albertus V, filias duas, Annam scilicet, Guilhelmi ducis Saxoniæ uxorem: & Elizabetham, Casimiri regis Polonię coniugem, quę longè superauit Lampedona illam apud ueteres, quæ scilicet fuit filia regis, Alberti scilicet V, soror regis Ladislai: mater quatuor Regum, Ioannis Alexandri, Alberti, Vladislai, Sigismundi, & Friderici cardinalis, auia regis Ludouici Hungariæ & Bohemiæ, & uxor regis. Quis mihi similem ostendet matronam, quę filia Regis, soror Regis, uxor Regis, & mater quatuor Regum, & auia Regis fuerit? At talem feminam produxit domus Austriæ decantatissima, Deo amabilis & accepta. Veniamus nunc ad Leopoldi prosapiam, quę habuit filios & filias. *Anna. Elizabetha.*

LEOPOLDVS itaq; filius Alberti II, cognomẽto Sapientis, ipse Militię decus dictus, quòd strenuus & impiger miles, fidei firmus athleta, ob quam etiam à suis est Heluetijs cũ magna nobilitate fusus et stratus. habuit ex uxore Virida, Bernabouis ducis Mediolanensis filia, liberos utriusq; sexus, ut sequitur, quemadmodum paulo antè scripsimus.

I. LEOPOLDVS, patris nomẽ referens, primogenitus, cognomento Ambitiosus, siue Superbus, cuius uxor Catharina, Philippi ducis Burgundię filia, absq; prole obijt. Sed hic patrem ulturus, ingentes copias coegit: quem tamen infecto negocio, finitis inter ipsum & hostẽ inducijs, uix anno duraturis, Heluetij quoq; uicerunt: qui hac uictoria elatiores redditi, remp. suam sub Alberto Sapiente inchoatã auxerũt. hic arcem Nouæ ciuitatis in Austria restaurasse fertur. Quemadmodum autem Luipaldus VII ex ducibus Sueuię, ut suprà scripsimus, Nouam ciuitatem condidisse fertur, mira arte: sic hic arcem instaurasse, siue burgum ædificasse ac instaurasse legitur. ex domo Habspurgensium ambo uiri insignes & gloriosi, licet ex diuersis familijs oriundi. *Arx Nouæ ciuitatis.*

II. GVLIELMVS cognomine dictus Curialis, cuius duę leguntur uxores: prima dicta Heduuigis, Ludouici Hungarię & Polonię regis filia, cui desponsata quidẽ fuit, sed eam nõ traduxit, quia præerepta illi à duce Mazouię Semouito & rege Poloniæ: quam tamen primùm ui abducere licuisset Vuilhelmo duci Austrię, quem magis amabat, & cum quo occultè congressus & choreas clanculum crebrò deduxerat: & nisi summa custodia fuisset detenta, cum illo obijsset. Sed postquã in reginam Poloniæ fuit consecrata & inuncta, & redditus illi annui assignati, cessit Semouito, exclulo Guilielmo duce Austrię, cui terra Polonię fuit prohibita. Hæc Heduuigis cum regi Poloniæ & duci Mazouię traderetur inuita, quia ducem Austriæ plus amauit, ab eo tandem imprægnata, simul cum fœtu occubuit miserè, anno à nato IESV, M.

CCC.LXXXVIII. Hæc itaq; Heduuigis, filia Ludouici regis & Elizabethæ, tam miserandum exitum habuit: & eius soror maior natu Maria, ex eisdem parentibus lætam & feliciorem sortita est fortunam. Nam hæc desponsata fuit Sigismundo Marchioni Brandenburgensi, regi Bohemiæ, qui pòst rex Hungariæ fuit, & Imperator Romanus. Sic dispar fortuna sororibus accidit. Ostendit mihi antiquum diploma Sigismundus de Hermstein, quod nuper Strigonij, cum rex Ferdinandus arcem expugnasset, & Hungariã armis sibi subigeret, sese reperisse aiebat: uir antiquitatis studiosus, à consilijs Regis, homo militaris, uir nunquam satis laudatus, ut propediem eius Mazouia, ab eo descripta, omni posteritati docebit ac manifestabit. Id diploma ne periret, subscribendum duxi, quod tale est:

Sigismundus ab Herberstain.

Eiusdem Moscouia.

Nos Leopoldus Dei gratia dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ, Comes Tyrolis, &c. profitemur & recognoscimus per pręsentes, prout de pręsenti, cũ illustri & præclara Domina Elizabet regina Hungariæ, sorore nostra dilectissima, de quodam tractatu concordati sumus, super consummatione & ultimata expeditione parentelæ & matrimonialis contractus, quos aliàs illustris Princeps Dominus Ludouicus rex Hungariæ, felicis recordationis, & nos cum ipso fecimus & ordinauimus inter illustrem Reginam puellam Heduuigem filiam suam, & illustrem Principem dilectum nostrum primogenitum ducem Vuilhelmum, iuxta tenorem & continentiam earum literarum, traditarum super hoc à parte utraq; hinc & inde. Sicq; nos promisimus & spopondimus, promittimus & spondemus fide nostra mediante, quòd quãprimum præfatus noster filius ad prædictam suam conthoralem adpositus fuerit, & dictus matrimonialis contractus fuerit legitimè cum omnibus nuptialibus iuxta dictarum harum cõtinentias expeditus: quòd nos tunc indilatè & præter fraudẽ, dum de hoc requisiti fuerimus, præfato nostro filio duci Vuilhelmo, ad prædictam suam conthoralem, ipsius maritagiũ uidelicet ducenta milia florenorũ expedire debemus, uel super certis redditibus tradere, & earundem literarum tenorem realiter assignare. Est etiam inter nos proloquutum & ordinatum, quòd præfatus noster filius dux Vuilhelmus præsentialiter & post mortem nostram, cum alijs nostris filijs & liberis præsentibus, & tunc relictis, ad iustam & hæreditariam portionem omnium nostrarum patriarum principatuum & dominiorum ius habeat patrimoniale, & æqualem cum ijsdem portionem habere debeat, iuxta iura & consuetudines Principum, præter fraudem: harum testimonio literarum. Datum Budę, die XXIX. Mensis Iulij, anno Domini M.CCC.LXXXV. Altera Guilhelmi ducis Austriæ uxor dicta Ioanna, Caroli Pacis regis Hungariæ & Siciliẹ filia fuit.

III. FRIDERICVS senior Leopoldi filius, duas consortes sortitus: Elizabethã scilicet, Ruperti regis Romanorum & Comitis Palatini filiam, quę illi unicam peperit filiolam, matris nomen referentem, in puellari ætate defunctam: alteram, Annam ducis de **Braunschwig** filiam, quę illi produxit Heiduuigin & Margaritam filias, quæ in pueritia extinctæ sunt. Duos item filios: Sigismundum ducem Austriæ, & Volffgangũ, in prima iuuenta mortuũ cognomento. Hic Fridericus patria lingua erat dictus, Cum uacua pera, **mit der leren taschen**: quia collegit thesauros, quos Sigismundo filio reliquit, & Fridericus tertius & Maximilianus repererunt: Sigismundus autem cum duas haberet uxores, Leonoram scilicet, regis Iacobi Scotiæ filiam, & Catharinam ducis Alberti Saxoniæ filiam, nulla prole auctus, sed ut olim Priamus cum quinquaginta filijs & filiabus locupletatus, liberalissimus Princeps est habitus passim, quoad uiueret.

IIII. ERNESTVS Leopoldi 4. filius, Ferreus cognominatus, duas item habuit uxores: Margaritã scilicet de Stetin Ducis filiam, è qua nullam sobolem sustulit, nisi quasdam puellas in infantia mortuas, in Campo liliorũ sepultas. Post quã duxit Zimburgam, alteram uxorem, Alexij ducis Masouię filiã, è qua filios quinq; & filias tres procreauit, Leopoldum, Rodolphum, & Ernestum: qui sine liberis & uxoribus decesserunt. Item Albertum Prodigum, quem alij Mitem cognominant, Academiæ Friburgensis fundatorem: cuius uxor Mechtildis, Ludouici Comitis Palatini Rheni

Leopoldus V. sine uxore.

Albertus Prodigus.

filia,

filia, sine prole decessit: qua defuncta, uiduam Ludouici Comitis Vuirtenbergensis duxit, sed nullam ex ea sobolem produxit. Item Fridericum Romanum Imperatorem, qui ex Leonora Eduardi Portugalliæ regis filia tris filios, & duas genuit filias.

Habuit & Ernestus, præter quinque filios iam scriptos, ex Zimburga filias tres: Annam, infantili ætate mortuam: Catharinam, Caroli Marchionis de Baden conthoralem: Margarittam, ducis Saxoniæ Friderici coniugem.

FRIDERICVS autem IIII Imperator, ex Leonora coniuge genuit tres filios, & duas filias: quem idcirco IIII scribo, propter Fridericũ Pulchrum, qui rectius III dicitur, ut patet superius. Filij eius sunt,

Christophorus } in pueritia mortui, & in Nouomonasterio
Ioannes
Helena } Austriæ sepulti.

MAXIMILIANVS Imperator Romanus, qui duas habuit uxores: Mariam, Caroli ducis Burgundiæ filiam, è qua & filios & filias sustulit, ut mox explicabo: & Helenam, Friderici Imperatoris filiam, quæ in pueritia mortua, & in Noua ciuitate sepulta est. quam denuò repeto, quia quoties Fridericus Imperator, alioqui uir strenuus, & animo imperterrito, etiam in senili ætate, & in rebus periculosis, recordabatur trium illorum liberorum, Christophori, Ioannis & Helenæ, ita deiecti fuit animi, ut tremeret præ ira: sic indignatus uxori, quòd hæc causa fuisset mortis suorum filiorum, quos pascere uolebat more Portugalensium, aromatibus ac speciebus aromaticis: cum infantes sint lacticinijs, quę sunt prima illorum alimenta, nutriendi. Et ideo cum etiam Kunegundis, altera eius filia, in pueritia ægrotare inciperet, iussit in suum cubiculum deferri, & nostratibus alimentis eam pauit ac nutriuit. Id quod in tanto Principe est magnopere mirandum, & obseruandum.

KVNEGVNDIS Friderici altera filia, uxor Alberti ducis Bauariæ, tres peperit filios, totidemque puellas, Guilelmum scilicet, & Ludouicum, duces Bauariæ, & Ernestum administratorem Batauensem, nunc episcopum Salisburgensem. Item tres filias: Sophiam, quę nupsit Casimiro Marchioni Brandenburgensi: Sibyllam, quæ nupsit Ludouico Palatino Rheni, quam proculdubio propediem uidebimus matrem multorum liberorum: Sabinam, quæ uxor data Vlrico duci Vuirtembergensi, mater uidelicet filij Christophori, qui in Noua ciuitate à rege Ferdinando tanquam filius regiè nutritur, in bonaque disciplina sustentatur. Sed filia Kunegundis Friderici Imperatoris, licet astu eam abduxerit Albertus Bauarus, literis à se fictis nomine Imperatoris, sigilloque adulterino eiusdem, quibus decepit Sigismundum Archiducem Austriæ, apud quem ipsa educabatur in Gynecio: futura erat sponsa Mahumeti II Cæsaris Turcorum, qui Cõstantinopolim expugnauit, & se Cęsarem Orientis Constantinopolitanum effecit (cum quo pactus erat Fridericus Imp. si fidem Christi cum omni sua plebe assumeret, filiam haberet suam. Ac missæ sunt ultro citroque literæ cũ imaginibus utriusque, Cæsaris uicissim, & filiæ) nisi princeps Bauarus tam sanctum opus intercepisset. Multa enim sanguinis effusio Christianorum facta non fuisset ab hoc tempore, multæ animæ seruatæ, honor Christi creuisset latius, multæ urbes non fuissent periclitatę, aut euersæ penitus, multa regna custodita & seruata, homines infiniti in miserã seruitutẽ non fuissent abacti. Decet maximos Principes, grãdia huiuscemodi tractare consilia, & suos cogitatus in res arduas iacere ac dirigere. " Sic Maximilianus, de quo paulo pòst disseremus, cogitabat cum Balazathe II (cum quo fuit occulta & paucis nota, sed arcta amicitiæ cõsuetudo) si uterque diutius uixisset. Audiui eum disserentem sæpe de integritate huius Turci. Det Deus Opt. Max. ut quod maiores non poterant, nepotes ad felicem exitum deducant. Nec enim mirum cuipiam uideri debet, cum, ut superius scripsimus, plerique Archiduces Austriæ uxores à Græcis Imperatoribus duxerint, priusquam Turci has terras occupabant. Quid igitur, si unita religione affinitas inter tantos Principes olim futura sit, quam nemo iam sperat? Est enim necesse quandoque fieri ouile unum ex tam diuersis gregibus. Nunquid & Heinricus II Imperator, quũ haberet Giselam sororem immensæ pulchritu-

dinis, regem Hungarorum, ut idolorum cultum abijceret, & religionem Christi assumeret, uxorem dedit. qui postea Stephanus dictus est, & ex ea filium genuit Emericum: qui Henricus rectius dicitur, si patria lingua Hungarorum admitteret. Vnde & prǣfatus Imperator Henricus II, Hungarorum apostolus est dictus, ut latisime in nostris Cæsaribus scripsimus. Pergamus iam ad sequentem prolem Friderici scribendam Maximiliano Cæsari. Extat huius rei uerum & euidens indicium in Noua ciuitate: ubi Fridericus fabricari & scalpere fecit arborem Iesse ante chorum, ubi uterque Cæsar, hic Dauid regem, ille regem Solomonem refert, cum suis imaginibus graphicè expresis ac delineatis, ut si quis alterū semel uiderit, absque dubio dignoscat: & uera me scribere probè intelliget, sine fuco ac dolo.

MAXIMILIANVS Cæsar ex prima cõiuge, Caroli Burgundiæ ducis filia Maria, primò genuit Franciscum, in pueritia mortuum.

PHILIPPVS alter Maximiliani filius, rex Castellæ Legionis ac Granatæ, ex Ioanna Ferdinandi senioris & Elizabethæ filia, Hispaniarum regina, coniuge, duos genuit filios, & puellas quatuor.

I. CAROLVS V, Imperator & rex Catholicus, ex Isabella, Lusitaniæ regis filia, uxore tulit regem Philippum: paritura plures, ut speramus, ut hæc soboles adolescat, & domus propagetur. Hic aui nomen refert, ut Ferdinandi filius Maximilianum seniorem repræsentat.

II. FERDINANDVS Archidux Austriæ, rex Hungariæ & Bohemiæ, ex Anna Vladislai regis Hungariæ & Bohemiæ filia, coniuge sua, tulit filiam Isabellam primo genitam, & Maximilianum iuniorem, & Annam matri cognominem: plures adhuc, ut speramus, paritura.

GENVIT & Philippus rex & Ioanna quatuor, ut scripsimus, filias: Leonoram scilicet, quæ Francisco Francorum regi, dum apud Carolum captiuus esset, data est uxor: qui ea relicta, in Franciam transgressus est: de quo quid futurum, breui uidebimus. Isabella altera, Philippi regis ex Ioanna, filia, Christierni regis Daniæ uxor, nuper mortua. Maria tertia, Philippi regis ex Ioanna, filia, uxor Ludouici regis Hungariæ & Bohemiæ, miserè à Turco occisi: ipsa uidua adhuc in humanis degit. Quarta Philippi regis filia Catharina, iuniorem Lusitaniǣ regem consortem adepta est.

MAXIMILIANI filia Margarita, primùm uix bimula, Flandrensiū opera Carolo octauo Francorum regi desponsata est: quam repudiauit, Anna ducissa Britaniæ Maximiliano desponsata, superinducta: quod indignū facinus Deus Opt. Max. immatura morte Caroli ultus est. Tum uxor Ioannis regis Hispaniarū, dehinc Philiberti ducis Sabaudiæ, ex nullo mater, sterilis adhuc uiuit.

EPILOGVS.

Tot filij, filiæque, ex domo Austriǣ, de familia Sueuorū, & stirpe Habspurgensium, Austriam tanquā Marchiones & Duces & Reges rexerunt. Nam consultò & sciens obmisi priores Habspurgenses, qui Austriam non uiderunt: in quibus usque in hunc diem fuerunt septem Cæsares, Rudolphum primùm & Fridericum Pulchrum etiam computando. Et nisi mens auguratur falsum, propediem uidebimus octauum Cæsarem, & Orientis quoque, Ferdinandum nostrum: sic enim speramus in fatis esse Austriadum regum. Deus Opt. Max. dignetur sua clemētia adesse, & Christianitatē fouere, ac reddere unum ouile, quod tam firmis septis munitum, securum reddatur à sæuis lupis oues Christi laniantibus ac discerpētibus. Quod faxit immortalis Deus, trinus & unus: cui sit laus in secula. Ex ijs omnibus præterea liquet, unicam hanc familiam Habspurgensium habuisse quinquagintaseptem masculos, Duces, Reges, & Principes: ac filios quinquagintanouem circiter, ut patet calculanti, produxisse: quibus si addideris filios & filias Marchionum & Ducum Austriæ, ex ducibus Sueuiæ, erit numerus ingens liberorum, non modò Niobis numerosior, sed fortè multo etiam felicior & splendidior, clariorque: cū uetustas illum admirata sit ob septenarium

numerum

numerum filiorum & filiarum, licet exitus eorum fuerit infortunatus. Occulta enim sunt scelera hominum, quæ diu latêre non possunt, & plerunque malo exitu terminantur. Nunc uerò ad Austriæ descriptionẽ, & urbis Viennæ ueniamus, ut promisimus.

REUERENDISS. SIMUL ET AMPLISS. Principi & Domino, D. Bernardo episcopo Tridentino, & Regis Hungariæ ac Bohemiæ, &c. magno Cancellario, felicitatẽ, cum seruitiorum debita oblatione, & prompta animi seruitute, & corporis, Cuspinianus urbis Viennensis præfectus optat.

SCRIPSI hac hyeme opus de Marchionibus Austriæ, à primo exorsus Marchione, qui in has terras delatus est ex Ducibus Sueuiæ, cum omni sua prosapia & nepotibus, quoad stirps hæc defecerit. His desinentibus, quum Habspurgenses Comites in demortuorum successerint gubernationem, omnes eos à primo Marchione, Rege Romanorum scilicet Rodolpho, usque ad Carolum V. Cæsarem, & Ferdinandum regem, cum omni familia & posteritate recensui, non sine magno labore & diligentia, longè aliter quàm & impressi & scripti annales, qui circumferuntur, habent: quod Lectores singuli, si qui legent, licet inuiti, fateri cogentur, sine falerata oratione & lenocinio uerborum ampulloso planè & simpliciter, ut historiæ & annales scribi debent, seruata ueritate & integritate, quę oculus est historię scribendæ dexter. Idque iure optimo Principi nostro dicatum est opus, FERDINANDO. Nactus hinc occasionem, Austriam descripsi. unde scilicet sortita sit nomen, quantum pateat ac extendatur, quibus fluminibus irrigetur. Et Danubij descriptionem ab eius ortu usque in pontum Euxinũ, quibus fluminibus nauigalibus augeatur: & Austriæ descriptionem, quam Stabius mathematicus Maximiliani iussu, Cæsaris Romanorũ, pinxerat, & noster Collimitius auxerat & perfecerat. Quo itẽ pacto publica comitia fiant, quoties Princeps omnes suos subditos conuocat ex quatuor ordinibus prouincialiũ, quis ordo seruetur in tractandis negocijs. Et hunc quidem Tomum tuæ Reuerendiss. D. & ampliss. dignitati dicaui, qui altera es manus Principis, & magnus Austriæ ac omniũ regionum Australium Cancellarius, ac Curiæ, ut meritò secundo loco illi succedas: qui statui etiam tibi mox, si Deus mihi uitam prorogabit, catalogum Antistitum Tridentinorum tuo nomine edere: quum iam Vigilij episcopi Tridentini opus haudquaquam pœnitendum, sit nomini tuo dicatum. Ita certant omnes nostri seculi scriptores passim tuum nomen immortalitati consecrare, & quidem meritò, qui bonas literas pro uirili iuuas, & simul studiosos omnes, quos enarrare longum esset. Ego qui iamdudum in album tuorum clientum, tanquam humilis seruitor, & hospes olim tuæ Reuerendiss. D. adscriptus sum, ne uiderer ab alio superari, quum nulli cedere libenter

uelim

uelim in amore & obseruantia erga te mea, & emeritum fauorem amitte-
re, uolui hac noua lucubratione, & præterita hyeme apud me nata, pe-
ctus tuum demulcere: qui gaudes raris & non protritis scholijs. In do-
ctrina facile alijs cedam: in obseruatione autem nulli penitus, quantum-
uis doctis & eruditis. Accipe igitur Reuerendiss. Antistes, & simul am-
plissime Princeps, hos meos benignè labores, & boni consules: qui scis,
quibus obruor negocijs in repub. & quàm paucissimæ horæ, succisiuæ ui-
delicet tantum, meis studijs pateant: & quòd sola nocte literis mihi inui-
gilandum sit, dum tota die publicis curis & domesticis addictus sum ne-
gocijs. & res domi angusta non sinat ut uelim, & ex animo cuperem, to-
tus esse deditus literarum studijs, & ijs tantum inuigilare. Vale Reueren-
dissime Antistes, & Princeps clariss. Præsulum Germaniæ decus & splen
dor. Ex ædibus nostris, Viennæ. Anno à nato IESV, M. D. XXVIII,
uigesima Maij.

AVSTRIAE REGIONIS DE-
scriptio.

CVm animũ induxissem, uitam & historiã D. Luipaldi Marchio
nis Austriæ posteris tradere, necessariũ mihi uisum est, quomo-
do hæc familia in hanc terram descenderit, orsus à primo Mar-
chione usq; ad duces Austriæ, quoad hæc stirps defecerit: dehinc,
quomodo Comites Habspurgenses in locum successerint, & in-
numeros Duces, Reges, Cæsares, in hunc usq; Carolum v. Cæsa
rem Romanum, & Ferdinandum regem Hungariæ & Bohe-
miæ, infantem Hispaniarum, Archiduces Austriæ procreauerint, hanc inclytam do-
mum Austriæ aucturi deinceps felicissimè, recensere. Superest itaq;, ut hanc regionẽ
Austriæ, unde nomen sortita sit, quibus finibus claudatur, quantum pateat, cum suis
partibus nunc ostendam, & situm in ea urbis Viennensis, caput regionis, cum alijs
scitu dignis posteritati tradam: non obstante, idem olim Aeneam Syluium, summũ
Pontificem, ante me tentasse quidem: sed quid ipse adiecerim, alij iudicent. imperfe-
ctum enim opus, cui titulum dedit Austria, reliquit: & in descriptione urbis Vien-
nensis, dum situm & ordinẽ urbis, cum plerisq; antiquitatibus quæ illic reperiuntur,
obmisit, longè lateq; errauit: in plerisq; uerò etiam scopum non ut debuit assequutus
est, aliò tendens quàm quod concepit. Sub Attila itaq; Hunnorum Principe (Deo
Opt. Max. sic uolente, quia mundus flagitiorum ac scelerum plenus, ut flagellum mit
teret in terras, omniũ regna ac principatus confudit) sic perijt Italiæ, Franciæ, Germa
niæ, finitimarumq; regionum status: imperiumq; Romanum diu fractum, diu pas-
sum est desolationem. Nec usquã Ducatus aliquis sincerus ac integer, inuiolatus'ue
permansit, ob Hunnorum Gotthorumq; diluuium & inundationem. Ea ergo tem-
pestate Ostria, quam nunc Austriam appellamus, à Gotthis, post Attilæ obitum, sen
Austria. sit etiam hoc malum: & hoc uocabulo patria lingua Osterreich appellata, hoc est, O-
Ostria. stria, siue Austria, diphthongo adiecta, ut Sueui loquuntur, qui plerunq; o per au e-
nunciant: quum primi inhabitatores huius terræ fuerint duces Sueuorum, post Lon
Longobardi. gabordos, qui prius hanc terram possederunt, expulsi à nostris. Sic itaq; Australes
ab Austro dicti: sicut Ostrogothi & Vesogothi cognominati sunt, quasi incolentes
Orientem ac Occidentem: quemadmodum Franci Orientales & Occidentales uul-
gò hodie etiam appellantur. & ideo hæc regio Marchia Orientalis recto uocabulo
cœpit appellari Austria: ubi enim claudebatur Germania, atq; limes quidam, quem
nostra patria lingua March uocitamus, dicta à maioribus, Pannonia superior olim ap
pellata

pellata eſt, Noricum antiquitùs dictum, cum nõ haberet principes priuatos qui hanc prouinciam regerent. Id nuper inueni, cum Euſebij Chronica paulo diligentius perluſtrarem: qui tradit, S. Seuerinum Auſtralium apoſtolum, Noricum ueniſſe, per quẽ fidem Chriſti maiores noſtri edocti, ad hanc conuerſi ſunt. Quod factum tradit ſub annum Chriſti CCCC. LIII. circiter accidiſſe. Villam enim S. Seuerini, ubi cellam habuit pius pater S. Seuerinus, iam ego poſsideo, ubi nobiliſsima creſcunt uineta, arboribus illic deſectis ac purgatis. Aliud euidentiſsimum huius rei argumentum eſt, quòd hæc regio Noricum ſit dictum, quòd cum meus ſeruus nuper in uilla mea Schuuechat, in domo lanij coloni mei, cellam uinariam ſub terra effoderet, duo corpora reperit humana in ſepulchro quodam latericio coctili, in quo legebatur Romanis literis, LEG. I. NOR. in alia linea, LEG. X. NOR. ſequentia ob uetuſtatem legi non poterant. Item affinis meus Doct. Marcus Beck, Quæſtor Regius, cum ſtagnũ piſcium nuper effoderet, quod non plenè duobus milibus paſſuũ à uilla mea Schuuechat diſtat, in caſtello ſuo cui nomen eſt Leopolſdorff, duo ſimiliter corpora effodit humana cum antiquis Romanis numiſmatis, & urna Romana: in quo etiam legebatur ſepulchro lapideo Romanis literis, LEG. NONAGESIMA: qui quidem lapis coctilis eſt, & latericius. Quæ omnia indicant, hanc terram Auſtriæ olim fuiſſe dictam Noricũ, & à Romanis ſuis legionibus & ſubſidijs adminiſtratã, ad cuſtodiendas Danubij ripas: quemadmodũ olim circa Viennã legio Alaudarũ quieuit, quæ dedit ueteribus ducibus Auſtrię arma, quibus antiquitùs uſi ſunt: ſicut S. Leopoldo, cuius ueſtes ſunt quinq; alaudis condecoratę, de quibus alaudis & Suetonius & Ammianus Marcellinus meminerũt. Cum itaq; hæc regio Germaniæ terminus Auſtria, dicta Marchia Oriẽtalis, et antiquitùs fuerit Noricũ: quod ob id dico, quemadmodũ olim fuerint Oſtrogothi & Veſogothi, id eſt, orientales & occidentales Gothi, & nũc orientales & occidẽtales Franci ſunt: & ego orientalis ſim Frãcus, ex Imperiali ciuitate Schuueinfurt oriũdus, patria lingua, quæ ruſticano tumultu deſtructa eſt, queadmodũ tota penè Germania: factus iam Auſtriæ incola annis propè quadraginta, incẽdio & alijs incommoditatibus ad miſeriã redactus, niſi quòd adhuc quibuſdã uillulis & poſſeſsionibus ac ſtipendio Principis mei adhuc honorificè dego: quieſcendũ eſt mihi, & ideo gratiæ habendæ ſunt, quòd uiuo, & reliquũ temporis ſcribendo inſumere poſſum. Sẽper enim Vergilianũ illud mihi occurrit, etiã impræmeditato: Fata uiã inueniẽt, aderitq; uocatus Apollo: hoc eſt, Chriſtus, qui eſt Deus ſapientia, imò uera & æterna ſapientia, in quẽ ſpem meã colloco. Quod ſi Deus Opt. Maximus uitã mihi prorogabit, natale ſolum ruſticano tumultu fœdatum, etiam lubens ſcriberem, ut patriæ aliquid rependerẽ, amore principis mei Reuerendiſs. antiſtitis Chunradi Herbipolenſis, ac illuſtriſsimi principis Franconiæ: qui cum nuper in tanta animi perturbatione ab inſultu ruſticano commotus, cogeretur à uicinis Principibus ſuppetias quærere, in arce ſua diuæ Virginis cuſtodem reliquit illuſtrem Principem Marchionem Brandenburgenſem Fridericum, Præpoſitum maioris Eccleſiæ, uirum bellicoſum & nobilem Sebaſtianum de Rottenhan, de Remperſdorff, utriuſq; militiæ equitem auratum, uirum nunquam ſatis laudatum, re bellica clarum, literis eruditum, qui manibus eiſdem arma tractare, quibus annales ac res geſtas ſcribere ſolitus eſt: exẽplo Iulij Cæſaris, cum alijs inſuper uiris clariſsimis, quibus arcẽ ſuam tutandã reliquit. Inter quos etiam fuit meus gentilis Georgius Cuſpinianus, in iaciendis ignibus mirus artifex, quo pro magiſtro Artalariæ uſus, qui ſtrenuè contra inſultus ruſticanos ingeniũ ſuũ exercuit, quos pulchrè abegit & repulit: olim à me in Gymnaſio Viennenſi educatus, & ſub præceptoribus non pœnitendis inſtitutus: tum ſacris initiatus, & Canonicus Herbipolenſis factus. Et hoc anno, quo hæc ſcripſi, Sereniſs. regi Ferdinando pulcherrimũ opuſculũ de iaciendis ignibus arte & ingenio ſingulari obtulit Regi, ab eodem ſplendidè remuneratus. Cur autem hoc non patriæ meæ, cui omnia debeo, tanquam natali ſolo, iure optimo perſoluerem (qui iam Cæſares omnes à primo Iulio uſq; ad Maximilianum, cum omnibus Græcis Imperatoribus ac tyrannis: omnes Coſs. à primo Iunio Bruto & Collatino, uſquequò defecerunt ſub Iuſtinia-

S. Seuerinus.

Sebaſtianus de Rottenhan.

Georgius Cuſpinianus.

Iustiniano & Iustino Imperatoribus non sine ingenti labore duobus magnis uolumi
Francia Orientalis. nibus perscripsi, qui propediem egredientur) cum hęc patria mea, Francia scilicet Orientalis, regio sit non minus fertilis, quàm potens ac ampla, haud facile alijs regionibus cedens bonitate, ubertate ac aeris clementia. hæc etenim Francia Orientalis, nomen Occidentalibus sine dubio dedit, qui Francigenæ, quasi de Frācis geniti, uulgo dicuntur. Et quemadmodum Oriens præstantior est Occidente, quòd hic solem habet orientem, ille uerò occidentem: ita nobiliores sunt Franci orientales, quàm occidentales, utpote ab eis geniti. Vnde est quòd hi liberi Franci dicuntur, quòd nemini tributa pendent: & Francus ex suo etymo sonat liberum. Hæc nunc passim non
Franconia. Francia, sed Franconia uulgò dicitur, tribus decorata Antistibus: Herbipolensi scilicet, qui Dux quoq; Franconiæ appellatur, & utrunq; ius, spirituale etiam & seculare habet, iuxta cōmune & protritū uerbum, Herbipolis sola regnabit ense & stola: episcopum dehinc Bambergensem, ac episcopū Aichstatensem: tum Marchionē Brandenburgensem, secularem Principem, unde elector Imperij nascitur. Adde quòd multi alij Principes bonam Franciæ Orientalis partem occupant: utpote Comes Palatinus Rheni, & Comites Misnenses, qui ducibus Saxoniæ cohærent. Tam latè patens est Francia Orientalis, quæ ab Hercinia sylua usq; in Galliam protenditur per Rhenum (unde & Carolus Magnus Imp. in Ingelheym natus, Francus iure appellatur) multo longior latiorq; regio quàm sit Austria, de qua præsens opus scripsi. Hæc autem ueluti parerga & per digressionem adieci, ut meam patriam legentibus aperirem, cui multa debeo. licet utrobiq; sim redactus ad miseriam: hic in Austria per incendium destructus, ubi sum aduena: illic per rusticorum impetus paterna priuatus hæreditate. licet nec in Austria caruimus hoc malo rusticorum, quod totam Germaniam penè infestauit. Quis tanti sit sceleris author, nemo non uidet, licet sit talpa cæcior. Melius foret profectò, hominem hunc non prodijsse in mundum. Sed tibi Deus uindictam, qui nouisti hominum corda. A' te expectamus ultionem: licet lento proficiscaris gradu, sed longitudine pœnę tarditatem recompensas. Satis iam satis euagatus sum: domum itaq; repeto, nempe ad descriptionem Austriæ, quam Pannoniam superiorem appellaui, quondam Noricum dictam, cum sit Germaniæ quasi limes quidam, qui patria lingua Marck uulgo dicitur. Sic etenim necesse est me loqui, cum scribam præsentibus futurisq; hominibus. Nam hæc & cætera loca aduersis subinde uocibus appellata sunt. Et uetus sermo nihil aliud, quàm loquendi uetus consuetudo est. Hæc terra agris, pascuis, pratis, hortis, fluminibus ir-
Laus Austriæ. rigua, satis omnium fructuum ferax, fluminibus honestata, uillis, oppidis, castris, templis illustrata, syluis decora, montibus eminēs & aucta, nihilo planè quod desideres, tam in situs amœnitate, quàm uictus necessitate, carens: uinetis speciosa, fontibus & aquis decora. Vnde tanta abundantia quotidiani uictus prouenit, quod adiacentes regiones suis alimentis nutrit & fouet, adeò ut olim prouerbio ueteri & protrito dictum sit ab exteris, Austriam non habere parem. Vt omittam clementiam & bonitatem aeris, cum omni puritate ac tranquillitate. Terra profectò nobilis, si bene gubernetur: omnium fructuum quos Germania habet, ingens copia. Aromatica ex Venetijs afferuntur. Sale utitur proprio, uidelicet arte cocto & facticio. Auri & argenti uenas non habet. piscium maxima multitudo, & quicquid ad uictū spectat humanum, mira abundantia. Sed huius terræ termini multum sunt uariati, tum ob continua bella, quæ in multa secula durauerunt: tum ob Principum, qui has terras rexerunt, uarietatem. Tempore enim Ladislai Posthumi dicti, ut uetustiores Marchiones omittam Austriæ, Bohemia & Hungaria unius erat Principis. Sub Friderico Imperatore, alià fuit ditio: sub Maximiliano item Cæsare, filio Friderici, alia ab ea quæ nunc est sub Ferdinando: qui cum sit Archidux Austriæ & infans Hispaniarum est, & Hungariæ & Bohemiæ rex, & nunc feliciter Austriam, Bohemiam & Hungariam gubernat, utinam in multos annos. Nouis certè literis ac diplomatibus hanc urbem Viennensem ornauit. Si autem diligenter inspexerimus fluuios, montes, syluas, quibus natura prouincię & regiones disiungūtur: quis credit fluuiū illum exiguū, tantillum

quidem, quē Leytā à uicinis collibus fluentē, Leytterperg dictā, Pannoniā superiorē
siue Austriā secernere à Pānonia inferiore, siue ab Hungaria latissimo regno, & esse
limitē utriusq; Pannonię? Malo ego Austriā uersus ortū terminare fluuio Raba (qui
Ptolemęo Arabo dicit̄) qui ex Styrijs mōtibus fluit in Scaurinū, ubi est insignis urbs
& castrum cum episcopatu: q̄ oppidulo Pruck, & flumine Lyta finire. Quanq; bellis
& seditionibus Principū nō modò is uersus ortū limes uariatus est, sed & ad meridiē,
occasum & septentrionē usq;. Sic olim Carolus Magnus Marchiā orientalem, deui
ctis Auaribus & Hunnis, limitē orientalē esse uoluit Rabā fluuiū, ubi Scaurinū, q̊d
perperā hodie Iaurinū, olim à Marco Scauro, qui suas legiones hic habuit, oppidū à se
dictū appellari uoluit, qui Pannonias utrasq; separat. Nos hūc imitati sumus, quia ho
die uidemus homines illos Vngaros in Scaurino moribus nostris aptiores, q̄ inferio *Raba.*
res Pannones. Vbi alius etiā fluuius pari penè passu haud longe à Raba Danubiū in- *Rebnitz.*
fluit, Rebnitz dictus, scaturiens prope Kirchschlag: ubi sunt etiā duæ uillæ, superius *Kirchschlag.*
Rebnitz, et inferius Rebniz, ab eo fluuio dictę. qui pòst etiā fluit per lacū Neuusidel, *Neuusidler*
qui in longū septem miliaribus, & in latū tribus protenditur, ut in tabula nostra Hun *see.*
garię apertè uidemus, Regi nostro dicata à me: quę duo in quā flumina insulā efficiūt, *Tabula Hungariæ Cuspiniani.*
Rabauu dictā, populosam & fertilem. E' regione ultra Danubiū insulæ dictæ Schut-
te, quam Danubius bifurcatus efficit, oppidulis, uillis, castris, & frugibus feracē & fer
tilē, piscibus insuper abundantē, & locupletē omnis generis fructibus. Porrò uersus *Rabauu.*
occasum Austrię, sine dubio naturalis limes Austrię erit Oenus fluuius, qui Danubiū *Schutte.*
influit iuxta antiquā hāc et insignē urbē, quę Batabis antiquitùs Gothico uocabulo, *Oenus fl.*
nūc Patauia latinè uulgò dicit̄, quā Valēs, Valētinus, Gratianus, Cęsares Aug. colo- *Batabis.*
niā deduxerūt, sicut ex uetustissimis monumētis & annalib. obseruaui: quandoquidē *Valens.*
& facile b in u, et rectè uertit̄, et Batabinus in Patauinus facilè trāsit. Et uicus pręterea *Valentinus.*
hodie & platea circa Oenū, **Bewtern**, Boiotrū olim, uulgò dicit̄. quēadmodū haud *Gratianus.*
lōgè infra Batabim, & Quintanā ueterē, supra Viltzhofen, patria lingua **Küntzing** *Beuutern.*
appellatur: ut etiā Ioannes Auentinus, uir doctiss. Baioarię scriptor eruditissimus, & *Boiotrum.*
mihi amicitia iunctus, olim meus auditor & discipulus, longè lateq; differit. Au- *Quintana.*
stria itaq; in superiorē (quæ Onaso fluuio terminat̄, & qui olim ducatus à Friderico *Ioan. Auentinus.*
Imperatore primo factus, cū Heinricus diui Luipaldi filius, primus dux Austriæ crea
retur, & alter Ducatus illi auferentur, ut suprà scripsimus, ob pacē & quietē) & infe-
riorē secernitur. ut rursus Danubio simul diuisa, partit̄ in quatuor campos: sic enim *Austriæ diuisio.*
hodie uulgò distinguit̄ Austria. Duo cis Danubiū: Steinfeld, quasi dicas campum pe
trosum, uina & frumenta nobilia producentē: & Tulnerfeld, ab oppido uetustissimo *Steinfelt.*
Austriæ Tulna, à primo Rodolpho rege Rom. & duce Austriæ nobilitata, monaste *Tulnerfelt.*
rioq; & quorundā liberorū suorū sepulrura insignita. Duo præterea campi ultra Da-
nubiū, Marchfeld, à Marchia fluuio appellati: frumētis, uini copia, & croci abundātia *Marchfelt.*
insignes: ac quartus Gensfeld, ab anserū copia dictus, qui illic proueniūt prope Vuei *Gensfeld.*
tram oppidū, clarus & nobilis. Rursus hæc eadē inferior Austria in quatuor partes *Alia Austriæ*
secernitur, quoties ad publica comitia Australes in quatuor status diuisi, prælatos sci *diuisio.*
licet, barones, nobiles & oppidanos, aduocātur. Vna pars cis Danubiū, infra nemus
Viennense, altera supra nemus Viennēse. Vltra uerò Danubiū una sub mōte Mein- *Quatuor ordines prouincialium.*
hardi, altera supra montē Meinhardi. Ex his quartis uocant̄ ad comitia prædicti qua
tuor status prouincialiū, sicut paulo inferius latius differemus. Quemadmodū in Sue *Sungeuu.*
uia, ut Cęsar in suis Cōmentarijs prodidit, quę centū pagis habitabat̄ olim, à fontibus *Algeuu.*
appellatis felicius q̄ rura. Γῆ enim terrā notat græcè: unde si uertas in **Gew** patria lin- *Heugeuu.*
gua, ex gręca lingua rectè torquebis. Hodie uerò septē habet principalia rura, quę pa *Eergeuu.*
tria lingua **Gew** uulgò nominant̄: ut **Sungew**, quasi dicas solis rus, ob antiquitatē: *Preysgeuu.*
Algew, quasi dicas alpiū rus, q̊d ijs adiacet: **Heugew**, quasi dicas fœni rus, q̊d abūdè *Nortgeuu.*
illic prouenit: **Eergew**, quasi dicas honoris rus, ubi nobilitas habitat ab Eluetijs penè *De Danubio,*
expulsa: **Preyßgew**, quasi dicas laudis rus, ob fertilitatē insignē: **Nortgew**, sic dictū *eius ortu, et fluminib. quæ in*
quia Noricis adiacet. Sic itaq; diuisa Austria suos habet limites & terminos, ut scripsi. *illū ingrediuntur, usq; ad mare Euxinum.*
Nūc superest ut de Danubio paulo altius repetā, quæ apud Cosmographos & To
pographos inueniā: quæ etiā ipsa experientia, quæ neminē fallit, docet. Cū enim Da-

nubius, insignis Europę fl. magnitudine, ab occasu in ortum fluẽs per mediã Austriã,
secet & Pannoniã inferiorẽ, sexaginta fluminibus nauigabilib. auctus, tandẽ sex ma-
gnis hostijs in mare Euxinũ descẽdat (ut Plin. lib. 3. de Norico agẽs, & Pãnonijs) rece
ptis in sese Sauo & Drauo fluminibus nostris notis: tamen nõ facile inuenies candide
Tanstetter. lector, qui tibi hos sexaginta fluuios, cũ suis hostijs & nominib. recẽseat. Ego itaq;, ut
accepi à fide dignis, et potissimũ à Collimitio nostro, qui ad Lycũ genitus, hos fluuios
tanquam insignis Mathematicus & Cosmographus, quàm notissimos habet, fideliter enarra
bo, patria lingua suis nominibus fluuios enuncians, utpote qui nõ patiuntur Latinã
etymologiã: & hæc propria in aliã linguam uersa, suã amittunt gratiã. Debent enim
hæc propria siue locorum, siue fluminũ, natiuam & genuinam seruare originẽ: alio-
quin infinitos pariũt errores: ut in plerisq; neotericis, si uacaret, ostenderẽ, qui & do-
cti & excellẽtes aliâs uisi & habiti sunt. Nũc rem ipsam aggrediar, originẽ Danubij
sumẽs bonis auibus (ut aiunt) ab eo loco ubi nasci putatur. Veteres aũt Cosmographi
Arnoba. hunc è radicibus montis Abnobæ, quẽ Plinius Arnobũ uocat, oriri scribunt: cũ tamẽ
nõ è monte, sed è fontibus quibusdam ebullientibus prope uillam notissimã, quę pa-
Donesching. tria lingua Doneschingen appellatur, erumpat: quasi dicas Danubij lotionẽ, ex fon-
te paulo infra tẽplum medio ferè uillæ, uix mille passus à templo. Adeò ab initio exi-
guus, ut uix sit anseribus nauigabilis, non dignus ut fluuius nominetur.

Flumina Danubium ingredientia.

Sed mox paululũ infrà duobus augeť fluminibus, quorũ origo altius ex iugo Herci
nię syluę deriuať: quorũ alterũ Persch, alterũ Perschlingen uocãt accolę, duob. milibus
1 passuũ Alemanicis supra Vlmã Imperialẽ urbẽ, prope Phullendorff. Et hinc nata est
ambiguitas de origine Danubij, an in præfata uilla Donesching, an ad radices Herci
2 nię, ubi Persch & Perchling nascunť, ortũ habeat Danubius: id quod ueteres dubitabãt.
flumina enim illa maiora sunt, quàm tenuis ille ortus prope uillã. Et ideo quidã putãt hic *Persch*
potius oriri Danubiũ, quàm illic. & coniectura est aptior. Vadit enim primũ lentus, ante- *Perschlingen*
3 quã augeatur prope Vlmã Hilaro, qui à Campiduno descendit nauigabilis in Danu
bium, à meridie. Sed eregione Vlmę alter fluuius Danubiũ irrumpit, à septentrione, *Hilarus.*
4 Blabus: ubi monasterium situm propè, siue cœnobium potius, Blabpeyren à fluuio
cognominatum, nomẽ ab eo sortitũ. pòst per Marchionatũ Burgouiã à dextris ingre *Blabus*
5 ditur Danubiũ à meridie fluuius, patria lingua dictus Gins: ad cuius hostiũ, oppidũ
sitũ ex eo nomẽ seruans, Ginspurg appellatũ. Pòst alter celer fl. per eundẽ Marchio *Gins*
natũ Burgouiã à meridie, Kamlach dictũ, prope Offingen, Burgauu oppidũ alluẽs. *Ginsburg*
6 A' sinistris intrat Danubium præterfluẽs Haiden, Gengen, & Gundelfingen ma- *Kamlach*
gnus fluuius, à Septentrione fluens, patria lingua dictus Prentz.
7 Deinde prope Lauhingen, ingreditur amnis cognominatus patria uoce Tuuirch, *Prentz*
à Septentrione fluens. *Tuuirch*
8 Inter Tullingen & Höchstett oppida, prope uillam dictam Staina, à Septentrio-
ne fluit fluuius dictus Eguua.
9 A' sinistris post oppida, mille passibus incedit fl. profundus, propè Taphel, à meri- *Eguua*
die fluens uillę Zuzunhalte & Pfaffenhofen intermedia, alteri nomẽ donans Zuzũ.
10 Prope dehinc Vuerdeã à sinistris, & Septentrione magnus fluuius præterlabitur, *Zuzen*
11 dictus Vuirnitz, Vuending oppidum alluens. A' dextris uerò prope Vuerdeã
12 preceps fl. à meridie supra Augustã fluit, Schunter. Prope hostium uilla dicta est *Vuernitz*
Larding, à dextris simulatè fluens, fl. profundus, à meridie, Egisseæ. *Schunter*
13 Dehinc amnis notus & decãtatus, aquis diues, præteriẽs Schongauu, Fuessen, Lãg *Egissee*
sperg, Augustã, Raniã, oppida, à meridie fluẽs Lycus, qui prope hostiũ uillã habet o-
lim comitatũ insignẽ, cuius rudera cernũť: Lechmũd patria lingua Lyci hostiũ diciť. *Lycus*
14 Post Raniã mille passus magnos prope Ranthertzhofen, à Septẽtrione fluit fl. Vrs. *Lech*
15 Circa Ingolstadium à Septentrione fluit in Danubiũ fluuius dictus Schutter. *Vrs*
16 Paulo post Ingolstadiũ præterit fluuius Aichen, & Schrobenhauser, dictus Pir. *Schutter*
17 Itẽ post mille passus à meridie circa Voburg, ingrediť Danubiũ fluuius dictus Ill. *Pir*
18 Hinc haud longè prope Kelhaim, à septentrione fluit fluuius Altmull. *Ill*
19 Deinceps prope Absperg, à meridie labitur Abs. *Altmull*
20 Haud lõge à Ratispõa, siue Tiberina, à septẽtriõe currit Nab. paulo pòst à septẽtrio *Abs* *Nab.*
ne fluit

21 ne fluit fluuius, urbi nomen concedens, dictus Regen. Inde Regenspurg, urbs olim *Regen*
Tiberina, iam Ratisbona dicta.
22 Sub Ratispona à meridie labitur fluuius in Danubium, propè Phetter ac Geissel-
ring, dictus Laber. *Laber*
23 Infra Deckendorff haud longè ab inferiori Alta, à meridie fluit Iser fluuius. *Iser*
24 Prope Filtzhofen oppidum, à meridie labitur fluuius Filtz. *Filtz*
25 Paulo infrà ingreditur Danubium fluuius, dictus Vuolffang. *Vuolffang*
26 Intra Patauiam & Viltzhofen labitur fluuius, dictus Gaissa. *Gaisa*
27 Patauiæ à meridie ruit nominatissimus fluuius Oenus, In patrio uocabulo Pata- *In*
28 uiæ, à Septentrione, gemmas ferens, ut aliqui asserunt, ex Bohemia, Ils. *Ils*
29 Infra Batauiam à Septentrione currit fluuius Renn arci, nomen donans. *Renn*
30 Infra Rennam iuxta arcem Neuuenhaus, à Septētrione, fluit fluuius dictus Rott. *Rott*
31 Supra Efferding mille passus prope Aschach, labitur fluuius dictus Aschach. *Aschach*
32 Infra Efferding currit fluuius dictus Iun, torrens, sicut est Vienna. *Iun*
33 Infra Lintz regium oppidum, à meridie, ex lacu Hallis, ubi sal coquitur, & ex lacu
Gmunden, labitur fluuius dictus Trauun, per utrunq; lacum medius fluens. *Trauun*
34 Prope Metthausen, à meridie, intrat Danubium fluuius Ens, Onasus siue Anasus *Ens*
latinè dictus.
35 Post 50. passus à Septentrione preterlabitur liberam ciuitatem fluuius dictus Aist. *Aist*
36 Infra Metthausen prope Perg uillā, à Septentrione labitur fluuius dictus Horen. *Horen*
37 E' regione à meridie iuxta cœnobium Erlacloster, labitur fluuius Erlach. *Erlach*
38 Iuxta oppidum ipsum ingreditur Danubium à meridie fluuius dictus Ips. *Ips*
39 Prope arcem, siue cœnobiū Melicum nobile, à meridie fluit fluuius Melch dictus. *Melch*
40 Paulo inferius à meridie labitur fluuius dictus Pylach. *Pylach*
41 Infra Pechlaren oppidum subintrat Danubium à meridie Erlauff. *Erlauff*
42 Prope uetustissimum oppidum Tresmaur, ciuitatem & cœnobium S. Hippolyti
præterfluens, labitur fluuius dictus Trezen, à meridie fluens. *Trezen*
43 Infra Krembsam urbem, à Septentrione labitur fluuius, dictus Kamp. *Kamp*
44 Circa uetustissimum oppidum Austriæ Tulnę, cuius crebra est mentio superius, à
meridie uenit fluuius Tuln, & urbi & adiacenti regioni nomen tribuens. *Tuln*
45 Circa Viennā Austriæ metropolim, de qua plura, torrens eiusdē nominis Vien- *Vien*
na, fortè urbi nomen concedens, ab ea simul dictus est.
46 Infra duobus millibus passuum est uilla nostra, quam possidemus, Schuechat flu- *Schuuechat*
uius, cum alio item fluuio nostro Kaltengang dicto. *Kalttengang*
47 Paulo infra nostram possessionem Fischa fluuius, circa cuius hostium Fische. *Fische*
48 Posthac Leytta fluuius iuxta urbē, ubi debet finiri Austria, de qua re abundè alibi. *Leytt*
Omnes hi fluuij à meridie currentes, Danubium ingrediuntur.
49 Eregionè Viennæ prope oppidū Marcheck, à Septentrione fluit insignis fluuius, *March*
dictus Marchia.
50 Circa Scaurinum, ubi episcopatus & ciuitas, à meridie currit Rebnitz. *Rebnitz*
51 Paulo pòst Raba fluuius: quę duo flumina quasi insulā faciūt, annis duob. prius q̃ *Rab*
scripsimus, à rusticis obsessa, cū Turcus urbē Bledā euastaret. Strenuè sese defenderūt, *Rabauu*
se & suos ab incursu defensantes. Sed postq; Rex noster Ferdinandus manu armata
Hūgariā ingressus, suū ius quęsiuit et obtinuit, dicto audiētes, sese pacificè dediderūt.
52 Prope Istrogranum, quod corruptè Strigonium uulgò dicitur, ubi Archiepiscopi
sedes, à Septentrione labitur fluuius in Danubium, uulgò dictus Gran. *Gran*
53 Prope nobilem in Hungaria arcē & uillam dictam Comarum, à Septentrione in-
greditur Danubium uulgò dictus Vuag, qui per Vaciensem episcopatū labitur, no- *Vuag*
men inde sortitus, Trentschin oppidum & castrum præterfluens: ubi nuper maxima
fuit clades à nostris facta, & arx debellata cum oppido, & incensa.
54 In Hungaria castrum, oppidum & arx est insignis, qua fluuius à meridie in Danu-
bium mittitur, uulgò dictus Trag, latinè etiam decantatissimus, Drauus appellatus. *Trag*
55 Circa Nauderalbam recipit in se Danubius fluuium à meridie currentē, æquè no-
bilissimum, dictum Sauu: à Latinis uerò Sauus, passim descriptus. *Sauu*

56 Per Segedunum agrum erumpit à septentrione fluuius Danubiũ ingrediens, uulgò dictus Teyssa, à ueteribus Tibiscus appellatus, nũc Titia, pisculẽtissimus fluuius. Teyssa
57 Prope Titellum arcem per Senderouiam, à meridie labitur Themis fluuius, qui urbem à se nominatam Temeschuuar, quasi Themesis urbem appellat.
58 Intra Senderouiã & Gallenpotz à meridie intra Danubiũ fluuius dictus Moraua. Themisch Moraua
59 Prope Pudanum à meridie irrumpit Danubium fluuius Ischar.
60 Per Trãssyluaniã à meridie intra Pudanũ & Nicopolim ingredit̃ Danubiũ fl. Allu Ischar
61 Sub Nicopoli infra per Vualachiam à septentrione irrumpit Galophitz. (tus. Allut
62 Per Moldauiam à septentrione, currit fluuius Steritus. Galophitz
63 Per eandẽ Moldauiã fl. appellatus Prutt. Hæc sexaginta & amplius flumina, ut nostra ætate uulgo dicunt̃, scripsimus: ꝗuis ueteres, & Plin. in 3. de Noricis agens, parcè de ijs scribat, ubi solũ Sauũ & Drauũ celebrat. in quarto uerò de Danubio scribẽs, Histrũ appellat, ubi Illyricũ alluit, sexaginta amnibus receptis, medio fermè numero eorũ nauigabili, in Pontũ uastis sex fluminibus euolui scribit. Ac primũ Peuce, alterũ Naracustoma, tertiũ Calostoma, quartũ Pseudostoma, Boreostoma quintũ, ac ultimũ Spireostoma appellat. In ijs fluminibus hoc quoq; obseruandũ duximus, horũ nomina penè omnia, quæ Germanica sunt, monosyllaba esse. Et quanq; Plinium defendat antiquitas, nemo tamẽ naturã effœtam putet: quoniã his auribus à fide dignis ex Liuonia audiui, asserẽtes, in Liuonia esse tractũ Danubij: huiusce rei asserẽtes hoc efficax argumentũ, ꝙ ille idẽ fluuius sua patria lingua uocat̃ Danubius, qui & pisces nutriat copiose sine ossibus, cũ cartilaginib. tantũ, ut apud nos sunt, quos lingua nostra Husones, Styriones, Schirikios, magnos & paruos passim appellamus. Sed cũ in hac essem admiratione, subijt cogitatio, ne Tanais fluuius pro Danubio ab indoctis putaretur. Tandẽ diligẽtius quęrẽs, offendi tabulã, quã mihi Sigismũdus ab Herberstain, eques auratus, Ferdinãdi regis à Cõsilijs, qui multas peregrinationes fecit in Germania, Polonia, Hũgaria et Moscouia, quã etiã graphicè descripsit, utpote qui ter fuit in Moschouia, et has regiones luculẽtissimè ut topographus depinxit: lucubrationibus insuper nõ cõtemnẽdis, quę propediẽ ꝑdibũt in lucẽ, quas mihi ostẽdit, illustrauit, etiã oculata ego fide uidi: qui asserit, ducẽtis miliaribus Germanicis amplius Ripheos montes à Moschouia distare, & fluuios Rha ac Boristhenẽ, qui hodie Neper dicit̃, & Duinã, cũ Tanai, nõ ex mõtib. sed plana terra oriri. Ex hoc ego didici, fluuiũ quendã esse, qui in mare Balthicũ siue Germanicũ exonerat̃, Duinã nomine, circa Richã, ubi est archiepiscopatus in Liuonia, quẽ nunc uulgares Danubiũ putant fluuiũ, cũ patria lingua uterq; dicatur Duna & Duina, facili errore, unius literę auctu. Vnde hos sexaginta fluuios Danubiũ irruẽtes, quidã nostri seculi poeta haud uulgaris, Richardus Bartholinus, in opus suũ, cui titulũ fecit Austriados, in lib. scilicet quartũ, ductu Georgij Collimitij, Astrologi et Mathematici insignis, trãstulit, referẽs latinè fluuios prędictos, quos ego patria lingua, ut oẽs nostrates intelligãt, posui. Richardus sic cecinit: Prutt

Moscouia Sigismundi ab Herberstain. *Duina.*

Principiò ante omnes Persęæ cursib. undæ Cõueniunt ęquis, & Cãpidunius Iler Deserit Algouios, genus insuperabile bello. Diuitis hinc Vlmæ descẽdit Blauus ab oris, Burgouiusq; altas infertur Gynsus ad undas Danubij, & de se dictã præterfluit urbem, &c. quos subscribere potes lector.

Vt itaq; in descriptione Austriæ pergã, operepreciũ est scire, Pannonias utrasq; apud ueteres fuisse cõiunctissimas: ꝙ, præterq; quod in Plinio hoc leges, etiã in itinerario Caij Iulij Cæsaris, ac itinerario M. Antonini Imperatoris inuenies, si eris diligẽs lector. Tum ex historia diui Martini, quã Seuerus Sulp. scripsit, facile disces: qui tradit, S. Martinũ ex oppido Pannoniorũ Sabaria oriundũ, quod Claudij Cæsaris colonia ferebat̃, insigne olim emporiũ, quo succinũ ex Germania Romã deferebatur, ad incrustandos parietes, & tessellata pauimenta: quod licet hodie sit in Hungaria, & inferiori Pannonia, Germanicũ tamẽ nomen sortitũ, & patria lingua Steinemanger uulgò appellatur: ut multa alia Hungariæ oppida, quæ Germanicis nominibus sunt notiora, ꝙ sua propria lingua, & Latina. Ceu Suppronĩũ, quod ego à Sempronio Romano, qui legiones illic habuit, rectius Semproniũ dici puto: nostra lingua Oedenburg, quasi dicas desertũ burgum, minus conuenienti & apto nomine. Quanquã alij conten-

Sabaria. *Suppronium.*

contendant, rectius Erenburg dici, quòd sub Honorio Imperatore sit ædificatū. Fui-
mus in hoc burgo sæpius orator & commissarius sub Maximiliano Cæs. & sub Fer-
dinando rege, & multas discordias inter finitimas gentes sustulimus & cōposuimus. *[Posonium.]*
Posonium in ripa Danubij, quod certè à L. Pisone, Pisoniū crediderim rectius di-
ci: nostri Presburg uocāt. ibi arx sita est, ubi Ferdinandus rex, priusquam Budam oc-
cuparet, & regnum sibi subiugaret, Consiliarios longo tempore habuit, & olim ab
antiquis Marchionibus Austriæ multa bella facta sunt, ut suprà scripsimus. Auar, *[Auar.]*
quod sine dubio ab Auaribus, qui & Hunni dicuntur, nomen sortitum, à nostris uer-
nacula lingua dicitur Altenburg. Et sexcenta alia, quæ enarrare longi esset laboris.
Satis sit id inde comprobare, Pannonias utrasq; olim fuisse cōiunctas, præsertim ante
Carolum Magnū. Et nunc iterum fatis orbem rotātibus, unius Principis factę ambæ
Pannoniæ: nolimus uelimus cogimur esse coniuncti, id Deo sic gubernante. Fecit id
Ferdinandus rex Bohemiæ & Hungariæ, infans Hispaniæ, Archidux Austriæ, &c.
ex Hispania in terras has delatus, ut utranq; gentem olim discordem uniret, & unam
faceret. nec enim ullam occasionem obmittit, quin totis id uiribus conatur, legatio-
nes ad confinia mittit, ut querelas subditorum audiant & componant.

Nunc itaq;, ut ordo exigit, de prouincialibus Austriæ in quatuor quartas diuisis,
& ex quatuor ordinibus compositis, latius disseremus, qui ad publica comitia conue
niunt quoties Archidux D. noster rex clementissimus suos aduocat, cis Danubium
& ultra, ac supra nemus Viennense & infrà, supra & infra montē Meinhardi, qui pro- *[Meinhardus.]*
pe Meissaw oritur, à Meinhardo comite Stirię & Goricię & duce Carinthię dictus.
ut meritò quis mirari possit, tantulam regionem tot habere prælatos: illis exclusis,
qui in superiori Austria sub Anaso conuenientes, in suis comitijs pinguissima sa-
cerdotia possident. sicut est Prępositus S. Floriani, Abbas Kremßmünster/Wille-
ring/Paumgarttenberg à Comite de Machlandt fundatū, & alia cœnobia à Leo-
poldo duce & Marchione Austriæ, filio S. Leopoldi ædificata & condita: Lampach,
ab episcopo Herbipolensi, Walthausen. De nostris nobis sermo est in inferiore Au
stria, qui in nostris comitijs conueniunt, quoties à Principe aduocantur: quos enarra
bimus, ut sunt ab Austrię ducibus fundati, & à quibusdā alijs nobilibus. In primis
conueniunt duo episcopi, Vuiennensis, & Nouæ ciuitatis, uterq; à Friderice III Ro
1 manorum Imperatore fundati, principales Prælati. Magnus inde magister ordinis S. *[Magister Magnus S. Georgij.]*
Georgij, à Friderico item tertio Imperatore Romano & Archiduce Austriæ funda-
tus, à Maximiliano Cæsare auctus, & qui eundem ordinem cum militibus & proceri
bus induit, quorum professio est contra Turcos & infideles pugnare, & ideo rubra
cruce in pectore munitur pro habitu suo: qui quidem magister ordinis summus statū
Principis gerens, & si in Austria habeat possessiones aliquot, in Carinthia tamen ad
mille statuas plerunq; habitat, & Principis titulo fruitur, primū locum in ordine præ-
2 latorum post duos Antistites occupat. Et Magister huic Teutonicus Hierosolymi
tanus, Viennæ ad S. Elizabeth habitans, à Friderico I Imperatore ex Accone in Pru
siam delatus, ubi supremus eorum magnus magister, plerunq; Dux natus, cæteros
in Germaniam mittit. hunc nostrum ab Austriæ duce supra quatuor prouincias, Au
striam, Stiriam, Carinthiam & Carniolam, supremum constituit, & in Viennam ciui
tatem suscepit Fridericus I, dictus Catholicus: & Fridericus II, dictus Bellicosus, ex
ducibus Sueuiæ. quem pluribus libertatibus Leopoldus VII donauit: parrochiam
scilicet in Gundelskirchen dedit, id quod & Albertus confirmauit. Vidi Friderici I *[Diplomata]*
& II, & patris eorundem Leopoldi VII, super uarijs libertatibus †: quorum data sunt
M.CC.XL. quæ Albertus confirmauit anno M.CCC.LXV. Fridericus Imperator II o-
mnia in primis ratificauit. Luipaldus item VII, anno M.CC.X. plures libertates dedit,
quæ omnia oculata fide diligenter conspexi & uidi, ut posteri mihi fidem certam ha
beant. Et hodie hic magister Teutonicus, Iodocus de insigni familia dapiferorum
ex Francia orientali, uulgo dicti Truchsas non Vuetzhausen, haud parua mihi fami-
liaritate iunctus, à consilijs regis nostri D. Ferdinandi, cuius opera in plerisq; grandi-
bus negocijs utitur, uir dignus & nobilis, cōsanguineis & fratribus præclarus, ab eo-

dem Ferdinando cum omnibus antecessorum suorum, & priuilegijs optime prouisus & adiutus. Magister S. Ioannis Rodiensis, à duce Austriæ Viennam receptus, cuius Superior in Boemia habitat, de magna familia nobilium, de Rosis uel Stragnitz uulgo dictus: atq; hi duo magistri posteriores sedent in ordine Baronum supra alios prælatos. Magister tamẽ S. Ioannis Hierosolytanus, Viennæ ad S. Ioannem plantatus, per Rodolphum regem Romanorum, pluribus immunitatibus ab eodem est donatus, ut liberè possit sine omni exactione ac telonio per terras & aquas mersas quascunq; traducere. Ab Elizabetha regina, uxore Alberti Romanorũ regis uidua, super sale ex Hallestat, uulgo dicto Gottseyle, quasi dicas eleemosynam Dei, & item super cætera bona mobilia & immobilia, quæ omnia Ottocharus rex Bohemiæ & dux Austriæ intrusus confirmauit.

1 Præpositus Viennensis à Friderico III Imperatore fundatus, postquam in ecclesia cathedrali diui Stephani episcopatum erexit, hunc alteram eius manum creauit, & Vniuersitatis siue studij Viennensis Cancellariũ ordinauit, licet ipse contendat, esse Cancellarius ducatus Austriæ, quod rex ipse discutiet.

2 Præpositus Neoburgensis à diuo Leopoldo Marchione, qui in numerum sanctorum est receptus, ob cuius amorem præsens opus scripsi, ut ab initio latè disseruimus, anno M.C.XIIII. fundatus à Leopoldo Pio, & Agnete sua coniuge, qui illic sepulti iacent. Sunt autem hic infrà notati Præpositi omnes huius cœnobij ordine, qui huic præfuerunt usq; in præsentem Georgium Hausmanstetter, in cuius honorem hoc opus, ad eius preces, scripsi.

HIC NOTANTVR PRAEPOSITI ECCLEsiæ Neuburgensis.

Ottho primus, Præpositus secularis.
Ottho secundus, Præpositus secularis.
Hardmannus primus, regularis Præpositus.

Rudgerus	Chunradus
Marquardus	Nicolaus
Pabo	Stephanus
Vuerngerus	Nicolaus
Gotschalcus	Ruduuinus
Vuernherus	Ortolffus
Rudolphus	Cholomannus
Dyetram, Dietmarus	Petrus
Vuysento	Bartholomæus
Vualterus	Adelbertus
Perichtoldus	Georgius.

Simon: hic coram erat, cum in noua turri S. Stephani fundamenta altera iacerentur, ut inferius patet, cum de turribus templi S. Stephani abundè scribo.
Simon Heindel, Ioannes Hechtel, Iacobus Pamperl, Georgius Hausmanstetter. Hic est Georgius, qui me induxit precibus, ut hoc opus, puto non triuiale, haud absq; sudore conscriberem, posteris ac posthumis usui & commodo futurũ.

3 Præpositus S. Hippolyti, ab episcopo Bathauiensi fundatus.

4 Præpositus ex Glocknitz, à *

5 Præpositus S. Andreæ prope Dresen fluuium, ab Othone III Rom. Imperatore fundatus: sed ob bella, quum hæc regio infestaretur, à Leopoldo instauratus legitur.

6 Præpositus S. Dorotheæ, ex Vienna, fundatus cum suo cœnobio à quodam plebano in Gars, Andrea Planckner, qui fuit Cancellarius ducis Austrię Alberti quinti, sed ab initio incœpta ædificataq; ab Alberto III Archiduce Austriæ, Stiriæ, Charinthię. Sed ante consummationem, eo defuncto, Rodolphus primogenitus eius Alberti magis cõstruxit & dotauit. Dehinc Leopoldus germanus Rodolphi successit, qui Andream Planckener, plebanum in Gars aduocauit, quem cõfirmauit, & ei commisit Capellã. Idem fecit Albertus IIII, & pòst Albertus V, qui impleuit patris sui incœpta fe-

pta feliciter, & subitanea morte Alberti præuenti laudabiliter terminauit, & de nouo dotauit, ut in eius literis patet, quæ idem Præpositus S. Dorotheæ oculata fide lustranda exhibuit.

7 Præpositus S. Hulderici ex Noua ciuitate, fundatus cum suo cœnobio à Friderico III Imperatore, qui uoluit omnes religiones maiorum suorum plantare, sicut & fecit. Sed præsens Præpositus immemor sui honoris & famæ, & omnipotentis in primis Dei Opt. Max. contra edictum regis nostri sparsit nouam doctrinam in concione, & uitam cum suis horrendam egit in nobilissima præpositura. Itaq; carceri est iam Viennæ mancipatus, suis annuis redditibus, sexingentis annuis florenis & plus priuatus: quos census Rex noster pro gymnasio Viennensi deputauit, ipse pœnam quam meretur luet. Fui ego cōmissarius cum alijs consiliarijs regijs, & rem ut iuuaremus, perfecimus, mēse Iulio anni præsentis M.D.XXVIII. Nunc emissus è carcere, priuatā uitam apud S. Dorotheā agit miserè, sine honore & fama, ab episcopo Viennensi iussu Regis Deo reconciliatus.

8 Præpositus ex Liechtentall, prope Zuuettel, à Friderico III Imperatore fundatus, & liberaliter donatus: aliàs dictus Clareuallis, ex re ipsa.

9 Præpositus ex Berneck.

10 Præpositus ex Eysgar, à nobilibus antiquis Austriæ dictis Klingeñ, qui ex Sueuia huc descenderunt cum Alberto duce Austriæ & Sueuiæ, & in choro sepulti quiescunt, fundatus cum quinq; sacerdotibus secularibus, quorū quintus semper eligitur Præpositus, & iterum alius substituitur: quæ quidem familia nobilium hodie defecit in Austria.

11 Præpositus ex Hertzoburg, fundatus à quodam episcopo Bathauiensi Vlrico, qui Comes fuit Ciliæ & Tyrolis, redditibus & annuis censibus abundè prouisus. In amœnissimo loco constitutum est hoc monasterium.

12 Præpositus ex Ardacker, qui Latinè Ardeata aliàs dicitur.

13 Præpositus ex Tirnstain.

SEQVVNNTVR NVNC ABBATES.

1 Abbas ex Melico, ubi olim erat Ferreum castrum dictum, dehinc secularibus sacerdotibus cohonestatum: & cum prophanam ducerent uitam, religiosis fratribus ordinis S. Benedicti est donatum: fundatū anno Christi M.LXXXIX. ac tandem Luipaldo III huius nominis dicto, cognomento Pulchro, tandem à diuo Leopoldo auctum censibus & redditibus, ac locupletatum. Hic ergo Abbas primum habet inter Abbates locum. cœnobium insigne, diui Colomanni corpore, quod ibi quiescit, clarum. Consecrauit monasterium Melicense Calixtus Papa VIII, idibus Martij, anno M.C.XXII.

2 Abbas Scotorū ex Vienna, à uiris olim Scotis, qui circa id tēpus cæteris religiosiores putabātur, possessum: ab Heinrico Marchione diui Luipaldi filio, ac primo duce Austriæ fundatum, cognomento dicto **Ja summer Gott**, quod latinè est, Ita me Deus amet. Nam cū ea tēpestate urbs Vienna non tantū extenderetur, extra urbem in suburbio cœnobiū extruxit, relicto suo burgo fratribus ex monte Carmelo, quod ipse tum inhabitauit. Vnde adhuc hodie locus ille Curia, patria lingua dicitur, quòd illic Princeps habitat. Et ante hunc Ducem, cum Hunni Austriam irruerent, & in uilla haud longè à Vienna mille fortè passuum dictus locus sanctorum, qui illic mactabantur ueluti pecudes, ad urbem usq; minando hominibus cædem, ense nudato discurrerent, ubi hodie statua locata, quæ dicitur **Haidenschuß**, quasi dicas, illuc usq; sagittis molestati sunt homines Christi religione initiati. *Curia.* *Statua Hunni sagittantis.*

3 Abbas S. Crucis monasterij, seu cœnobij potius, in nemore prope Viennam, quatuor fortè millibus passuū circiter, à diuo Leopoldo dotatū, & censibus auctū, anno M.C.XXVI. dedicata aūt est ecclesia S. Crucis à uenerabili cardinale Theobaldo, Hostiensi & Veltrensi episcopo, Apostolico legato, Dominica septuagesima anni Christi M.C.LXXXVII. Sed chorus in S. Cruce cōsecratus est à uenerabili Vuernhardo

Patauiensi & Secouiensi episcopis: ubi tantus cōuenit populus, quòd multi ex niue & frigore morerentur, anno Christi M. CC. L X X X X V.

4 Abbas S. Trinitatis, ex Noua ciuitate, ordinis S. Benedicti, à Friderico III Imperatore fundatur: ubi eius liberi, Dux Ioannes, Christophorus & Helena, cum uxore D. Leonora, quiescunt: eiectis fratribus Prædicatorum, quibus alium locum S. Petri scilicet dictum, in clausura, ne & illi quererentur, assignauit.

5 Abbas Gotuuicensis, in monte arduo Gotuueich situm, olim canonicis secularibus ædificatum, sicut sunt Batauiæ apud S. Nicolaum, ab Altmanno episcopo Patauiensi fundatum: tandem ordinis S. Benedicti monachis, ut hodie, repletum. cui annexum est monasterium, ut uulgò loquimur, monialium, bene prouisum redditibus & censibus.

6 Abbas ex Seusenstain, fundatus à dominis de Vualsee, qui fuerunt potentissimi Barones in Austria, ex Sueuia cum Alberto secundo dicto Sapiente in Austriam descenderunt.

7 Abbas ex Altenburg.

8 Abbas Campi liliorum, fundatur à duce Austriæ Leopoldo VII, dicto Glorioso, de familia diui Luipaldi, anno Christi M. CC. VI. redditibus certisq; censibus auctū. Illic etiam sepultus est in choro sepulchro eleuato, ut superius in Luipaldo septimo abundè scripsimus. Quinimo ipsum Principem constat in Apulia mortuum, & ad S. Germanum in monte Cassino sepultum. Ossa eius tantum in hoc monasterium Campi liliorum delata ex Apulia, ad suam fundationem.

9 Abbas in cellis Mariæ: fundatur hoc monasteriū à diuo Leopoldo dicto Pio, cum coniuge sua Agnete, anno M. L X X X X.

10 Abbas ex Seitterstetēn, fundatus à Vueigando episcopo Babenbergensi, in Francia orientali.

11 Abbas ex Zuuettal: fundauit hoc monasterium Adalbero de Chuenring, de cognatione Leopoldi III, dicti cognomine Pulchri, ex Popone Treuerēsi Archiepiscopo, qui huc miserat Azonem cognatum, quem Marchio Pincernā & Marescalcum suum creauit: unde postea genitus Hadmarus & Adalbero de Chuenring: qui fundatores monasterij, postquam parrochiam in Cistersdorff erexissent, fundatores nunc monasterij in Zuuettel, & abbatis illius qui multo est ditior suis fundatoribus, licet fuerint multarum familiarum Baronum Austriæ autores, ut suprà scripsimus in Leopoldo III, cognomento Pulchro.

12 Abbas ex Gereus, fundatus ab Ecquardo Comite in Berneck, cum eius frater Vdalricus monasterium monialium extrueret. Hi namq; Comites nati sunt ex Luipaldo & Alberto Austriæ Marchionibus. Hi namq; Marchiones Austriæ cum post crudelem cladem apud Meilberg fraternas acies commisissent, ut superius scripsimus, tantum degenerarunt, ut eorum posteri ad Comites usq; mutarentur. hi postea pœnitentia moti, ut se Deo conciliarent, monasteria & templa Deo dicarunt: unde & Abbas ille cum suis monialibus est fundatus. Originem tamen hæc monasteria ab initio ab Austriæ ducibus sumpserunt, Leopoldo scilicet III & Alberto, qui cognomento dicebatur Leuis.

13 Abbas ex Nouo monte, ab Otthone marchione & duce Austriæ, fratre Friderici Pulchri regis Romani, electi cum Ludouico IIII, duce Bauariæ, rege Rom. de quibus multa superius, fundatum, redditibusq; auctum & locupletatum, annoq; Christi M. CCC. X X V. fundauit ritè, plenè, cum fratrum suorum consensu, hoc nomen illi indidit Nouum montem: in quo eius conthoralis Elizabeth primùm sepelitur, M. CCC. X X X. Tandem & ipse Ottho, anno Christi M. CCC. X X X I X, cū prius monasterio castrū suum Reichnauu contulisset, cum suis censibus. Ibidem etiā sepulti sunt Fridericus & Leopoldus filij, in adolescētia mortui. Cōueniunt & ad prouincialia comitia Priores tres, qui sua loca in ordine habent prælatorum, ordinis Cartusiensis.

1 Prior in Aspach, cuius fundator fuit Baro quidam Austriacus clari nominis, & famæ non contemnendæ.

2 Prior in Gemming, cuius fundator fuit Albertus dux Austriæ II, dictus Claudus, siue Cōtractus, uir sapiens, illic sepultus. Vbi sunt ipsius & aliorum Ducum Austriæ epitaphia, & uaria Eulogia: quæ subscriberem, nisi fastidium timerem, quandoquidem & passim alibi inseruntur.

Prior in Maurbach Austriæ ualle, omnium sanctorum, Cartusiensis ordinis, à Fri-
3 derico duce Austriæ Pulchro cognominato fundato, rege Rom. electo, illic sepulto: de quo multa superius scripsimus, & pulchra.

Hi omnes episcopi, prępositi, abbates, priores, unū statū Prouincialiū efficiunt, & dicuntur Prælati: & hi sunt primi in ordine. Secundus ordo prouincialium est Baronum, & procerum Ducatus Austriæ. Tertius est ordo, nobilium & militum. Quartus est ordo oppidanorū & ciuitatensium, in quibus hæc series seruatur. Quoties Archidux Austriæ publica celebrans comitia, uel subsidium aliquod, uel auxilium petit, Viennæ tanquam in metropoli conueniunt: nisi alius locus ex certa causa Principi placeat. Ibi domus est prouincialium Regia, mirificè magnis impensis & sumptibus extructa, quatuor mansionibus, pro quatuor ordinibus, eleganter disiuncta, ut in ijs singuli ordines deliberare, cōsultareq; possint. Cū itaq; Principis cōmissarij animum Principis explicarint, post dies aliquot habita deliberatione prouincialium, iterum in eundem locum conueniunt, accepturi responsum à prouincialibus, à quatuor ordinibus. Tum in stato tempore fit contributio, ut promiserunt. Est autem hæc domus tam egregiè, tamq; magnificè extructa, ut licet sint pleræq; domus Viennæ, quibus possit Princeps aliquis inhabitare, tamen hæc omnes alias longè superet, ut iurè possit Regia dici, utpote secunda post Burgum: tanta arte est polita. Necdum est ei extrema manus addita, ob bellicos Regis tumultus: adeò insignis extat domus.

Hi itaq; Prælati, qui in comitia publica ueniūt, sunt omnes à Principibus Austriæ, & nobilibus huius prouinciæ fundati, aucti, & locupletati, Principem superantes in censibus, redditibusq;. præterea qui, quæ possident in Austria alienigenæ & exteri prælati, uineas, decimas uini & frumenti, iura montana, ut nostri loquuntur, quę nescio cur Principes Austriæ exteris supra liberalitatem largiti sunt, in primis Archiepiscopus Saltzburgensis, episcopus Batauiensis, episcopus Frisingensis, episcopus Ratisponensis, multa insuper Bauariæ cœnobia superius & inferius, Altag, Vueihenstephen, & reliqua, quę enumerare difficile: hi omnes liberalitate Principis habent in Austria decimas, iura montana, quę ex Austria obducuntur, & quidem sine exactione liberè adeò, ut nullus angulus sit Austriæ liber, quin laceretur, & quisq; externus partem suam abducat. Quę regio quæso, dij boni, potest Austrię conferri bonitate & fertilitate terræ, amœnitate & ubertate soli, copia fructuum omnis generis? quod nimirū efficit, ut Principes Austriæ zelo & feruore religionis moti, sua liberalitate ob laudem Dei tot tantaq; munera tam incolis quàm exteris largiti sint. Ob id tota Germania non habet parem Austriæ regionem. Quod si, ut cæteri principes, auariciæ studuissent, & in suum fiscum & proprium commodum singula attraxissent, quis princeps Germaniæ possit Austriæ duci comparari? adeò ut non immeritò Archidux censeatur. Et hæc tantum de Austria uerè dicere possum. Quid de comitatu Tyrolis, qui etiam subest Archiduci Austriæ, loquar, argento & mineris refertissimo? qui solus comitatus pendet principi quotannis ordinariè tercentum millia aureorum nummûm. Vbi talis reperitur in Germania comitatus? Sed hunc missum facio, de Austria mihi sermo est, quā scribo. Duo itaq;, meo iudicio, fuerūt, qua causa moti Austriæ Principes (quo tandē concludam) tantā liberalitatē exercuerunt: primùm bonitas patriæ, alterum feruor & religio Christi. Et hinc adeò tantam uicissim acceperunt mercedem, ut eorum familia sit adeò aucta & multiplicata instar seminis Abrahæ, ut nulla possit regio huic conferri, pace aliorum dixerim: quod longè lateq; superius in catalogo ducum Austriæ recensui; & toti penè mundo est notum ac perspectum. Vnum penè obmiseram, quod non debui, quandoquidem inter prælatos Austriæ canonici diui Stephani unum semper mittunt capituli procuratorem, qui publicis comitijs, quoties prouinciales conueniunt, intersit, & sua suffragia etiam locat. Illi

Canonici

Canonici fundati à Rudolpho IIII duce Austriæ, quum in Cathedralem ecclesiam erexisset, & simul gymnasium Viennense fundasset, ordinemq; dedisset ut ex XXIIII Canonicis media pars ex collegio iuxta senium illic assumeretur ex quatuor nationibus, quibus constat Vniuersitas, ex Australibus, Rhenensibus, Hungaris & Saxonibus: ita enim omnes studiosi qui illuc cõueniunt discendi causa, partiuntur in has nationes, undecunq; confluunt. Reliqua pars Canonicorum Princeps suis ministris, qui sacris initiari uolunt, sibi ad conferendum reseruauit, locupletauit eos censibus annuis, eisq; uigintiquatuor sacellanos substituit, cum quibus & ipsi horas canonicas psallerent. Dedit autem eis peculiarem habitum, quem nõ alibi in uniuerso Christiano orbe reperies: chlamyden scilicet rubeam ex purpura, ut ferunt, cardinalis uestem, cum cruce gemmata in pectus pendente: iussitq; totidem fratres de monte Carmelo, quos Heinricus I dux Austriæ, diui Leopoldi filius, fundauit, & suum illis burgum, ut alibi diximus, assignauit, eodem numero uigintiquatuor in medio canonicorum incederent, & gentilitium Austriæ insigne repræsentarent, scutum scilicet rubeum, cum albo insecto per medium. Sed quid facit luxus hominum? Dum eorũ fundator Rudolphus quartus Mediolani esset, ubi etiam uitam suam finiuit, prædicti Canonici spernentes tam decorum honestumq; habitum, clam Principe, indultu (ut aiunt) Pontificis, ueterem abijcientes habitum, qui etiam cardinalibus displicuit, ne sibi pares uiderentur, communem aliorum Canonicorum habitum, ex pellibus uarijs scilicet caputia, sibi impetrant, ac assumunt supra lineas suas uestes, quas subpellitia nominãt. Id ubi intellexit Princeps, fratrem rogat Albertum, ut hunc luxum Canonicorũ castiget: quod & fecit. Nam defuncto Rodolpho, cum Albertus à Canonicis suã & fratris fundationem requireret, quibus ita erant dotati, ut singuli canonici scilicet ducentos aureos nummos Hungaricos quotannis perpetuò haberent, & ipsorũ sacellani quadraginta aureos nummos eiusdem mensuræ, arreptis suis literis quibus fratris sigillũ appẽdebat, discerpsit, in eamq; redegit inopiã (si inopia dici potest) ut sacerdotẽ uellet habere annuos florinos certos centũ, aut circiter: nõ amplius, post multas etiam preces. quin & hodie nunc laborant, ut uix pro sumptu quotidiano ipsorum census sese extendat, & queruntur auari homines, quibus nihil satis est: ita castigatus est ipsorum luxus. Manet autem uestigium huius fundationis, qua solent in magnis solennitatibus Carmelitæ post Canonicos in ædem diui Stephani ex suo monasterio descendere, & ædem diui Stephani circuire. Est alioqui hoc templum mirificè instructum atq; exornatũ organis, musicis instrumentis, & uiuis uocibus: adeò ut nemo sine admiratione hoc ingrediatur, à Friderico III Imperatore Rom. episcopatu insignitum: qui habet templo adiacentem curiam, & episcopalem domum. In choro habet cryptas, in quibus Archiduces Austriæ, & Marchiones, cum uxoribus & liberis, resurrectionem extremam expectant. In abside altera, quæ uocatur Apostolorum, est miri operis mausolæum Friderici Cæsaris, ex nobilissimo & uario marmore sculptũ, quod pientissimus eius filius Maximilianus Cæsar maximis sumptibus & impensis extruxerat, cum imagine Friderici, & omnibus Ducatibus & armis ac insignibus prouinciarum, nec non cum fundationibus cœnobiorum & monasteriorum quæ extruxit: ut si quis hoc lustrare pergat diligenter, uix illi dies sufficiet legendo titulos & inscriptiones suæ fundationis: tam religiosus fuit Princeps. Sed hæc & multa alia in Cæsaribus nostris abundè scripsimus. Fiunt in hoc templo ceremoniæ tam Christianæ quàm religiosæ, sacrorum mysteriorum λ(ε)ιτουργίαι, quas uulgò Missas trito uocabulo nominamus: fundatę hæ tam à ciuibus quàm nobilibus, numerantur plus quàm ducentæ quotidianæ, quarum pars tamen nunc abolita incassum abijt: pars in alios usus templi & eius ministrorum uersa est, exigẽte necessitate, ne tam insigne templum rueret. Quoties in magnis festiuitatibus circuitur templum, duodecim ex Senatu Viennẽsi, cum Burgimagistro, & Iudice ciuitatis, & duodecim assessoribus iudicis, cum argenteis baculis circa Canonicos ob Dei honorem obambulant, & Principis decorẽ: qui etiam ad Offertoriũ sua munera eodem ordine offerentes, eleganter incedũt. Episcopus in suis pontificalibus religiose officium peragit, cui cantores & musici egregiè respondent. Toto anno digna fiunt Deo obsequia. In hebdo-

hebdomada sanctæ diei Parasceues fit figuratio passionis Dominicæ, & simul sacramentum Eucharistiæ in sepulchro reconditur. Multi ex ciuibus & incolis urbis utriusq; sexus atrati nudis pedibus, & cereas manibus gestantes, summa deuotione, primum templum pręcedente episcopo & clero tandem ingrediuntur, & Seruatoris nostri corpus Dominicum ad sepulchrum comitantur, adstantes in lachrymas & deuotionem prouocantes: quæ omnia ob honorē altissimi fiunt, & pueros ad memoriam Dominicę passionis alliciunt. Licet iam has ceremonias quidam irrideant, asserentes has non fuisse tempore Apostolorum: à quibus libenter scirem, ut mihi dicerent, antequam urbes & oppida conderentur, qualis uictus tum hominum fuisset? Nunquid respondebūt, ex glandibus fructibusq; cæteris, quos natura produxit, potumq; è puris fontibus hausisse? Sed postquam homines agros colere, uitesq; didicere plantare, num alium uictum homines didicere? Ita illis responderim, si more prisco uiuendum censent, obmissis ceremonijs, uescantur glandibus, & aqua pura, & tum crediderim eis opus non esse cęremonijs. Circa diem omnium animarum episcopus atrato habitu cum canonicis ter ædem circuit, sequēte senatu: ac loca mortuorū cum precibus, ubi ossa defunctorum seruantur, salutat piè ac religiosè, in refrigerium omnium animarum. Circa festū S. Ioannis euangelistæ, omnes sacerdotes templi preciosissimis sacris uestibus ornati, statuam quandam lapideam forma angeli ultro citroq; obambulant, in memoriā diui Ioannis euangelistæ, qui uiuus sepulchrū ingressus creditur, post Pathmos exilium perpessum. Longi esset laboris, & fastidientis, enumerare singulas huius tēpli ceremonias, quę non absq; pulchra religione & deuotione fiunt, ad excitandam plebem in deuotionem ac religionem piam. Ob id cum exteri è diuersis mundi regionibus ad hanc urbē conueniunt, in primis hoc templum nō sine admiratione, & excellentissimā huius turrim spectantes, quæ cōdita fuit anno à nato IESV M.CCC.XL. & finita anno M.CCCC. adeò ut sexaginta annis circiter turris fuerit absoluta, quæ habet in altitudine à terra usq; ad coronam qua circuitur, ducētos pedes, & aliquot, iuxta mensuram, ut calcei siue pedes secundū lapicidas mensurantur, ac à mathematicis: à corona autem usq; ad summitatem cacuminis, ducentos calceos, aut pedes, & decē: quod in summa facit quadringentos & octuaginta calceos, ut sæpe qui ascendit & descendit insignis lapicida, huius templi architectus, magister Gregorius Hauser ex Friburgo mēsurauit. Superat hanc turrim in altitudine turris Argentinensis, octo & decem pedes circiter. Extructa est autem hęc turris sub Alberto II, qui dictus fuit Sapiens, Alberti Victoriosi filius, & ob malos pedes Claudus: sub quo tanta fuit omnium rerum fertilitas Austriæ, ut nemo aliquam inopiam quereretur, ut ex ædificijs, quę tum condita sunt, cernere licet, cū prius semel & iterum depascerent segetes locustæ. Est eo anno M.CCC.XL. chorus sancti Stephani à pluribus episcopis consecratus. Sed hic Albertus non uidit perfectam turrim, mortuus circa annum M.CCC.LXXVIII, in Carthusia Gemming, quā fundauit, sepultus. Cuius uxor Ioanna, ultimi comitis Phiretarū Hulderici F. comitatū illum Phiretarū domui Austriæ attulit, ut patet ex insignibus illius domus, quæ sculpta cernitur in uestibulo diui Stephani è regione domus cantorum in cęmiterio Viennæ. Minabatur hæc turris ruinam, nam apex cacuminis sese flectebat, ictus fulmine sæpius. Et licet multi magistri accerserentur, ut cōsulerent quo pacto subueniretur tanto malo: nullus tamen repertus est ex tot architectis qui accersebantur, qui tale ingenium inueniret, quale Leonardus Hauser ex ualle Circo, olim Maximiliani uenator, & capitaneus peditū nobilis, qui unà cum Gregorio Hauser prædicto lapicida & architecto tēpli, cuius suprà mentionem feci, turrim scandentes, secto lapide in particulas, cacumen absq; omni periculo demiserunt, & partem post partem sine iactura templi sancti Stephani in terram demiserunt, & absq; periculo, & id quidē paucis diebus. Lapicidæ huius templi paulatim lapides turris, tempestate & igne combustos, refecerunt: & paucis annis in eam faciem, ut olim fuit, reædificarunt. Præcipuus autem labor erat in rectificando longo & quadrato ferramento, quod cacumen ferebat. Sed & illud sine periculo, per ignem in turri ipsa est ad æquilibriū rectificatum: idq; in XII annis circiter, magnus herclè labor & incredibilis: & cum denuò cacumen imponeretur, architectus quo tempore Caro-

re Carolus v. Cæsar est designatus, & urbs hæc publico gaudio in cacumine nouo quinq; ignes ex pice & sulphure iussisset incendi, qui in mediam noctem durabant: Architectus inquam præfatus fumo illo morbum contraxit, quo paulo pòst expirauit, indignam mercedem sui immensi & magni laboris accipiens. Magnum autẽ reliquit sui desiderium, ob eius excellentissimum ingenium: dignus ut multa secula uiueret, uir omni memoria dignus. Veniamus ad alteram nouam turrim, huic uicinam e regionè, cuius fundamentũ fuit locatum, sicut à senioribus fide dignis accepi, nam nullam occasionem inquirendi à singulis obmisi, omnes insuper annales diligentissimè euoluens quidem, ut posteritati seruirem, & studiosis omnibus. Ita igitur à maioribus accepi, huius fundamenta turris bis iacta esse: primùm anno M.CCCC.XLIIII. Sed episcopus Bathauensis, & architectus ecclesiæ, ea occuluit, iterum consita ac cooperta aliquot annis. Tandem anno à nato IESV, M.CCCC.L. denuò positum ad hoc fundamentum in die S. Hippolyti, XIII. mensis Augusti, à uenerabili patre D. Simone Præposito Neuburgæ claustralis, & Ioanne Puchspaum lapicida & architecto templi. Eo anno creuerunt tam acerba & immatura uina, ut plerıq; ciues effunderent in plateas publicas, quòd nemo illa bibere posset præ acerbitate, quę uulgò & patria lingua dicebantur Reiffbeisser, quasi dicas, à pruina antequã maturescerent adusta. Ignari & indocti, quasi circulos uasorum adurerent ac consumerẽt, Reiffbeisser cognominabant, falso. Tum Fridericus III rex Romanorum, uetuit graui edicto, ne ita profunderent uina: sed si quis nollet bibere, ad cœmiterium S. Stephani duceret, ut hinc calx uino posset extingui, & fundamentum rectè locari. Tum discoopertum fuit denuò uetus fundamentum, & nouum cæmentũ ex uino inductum: quo completo, creuit iam altera turris in hanc quam uides celsitudinẽ, cum notis numerorum inscriptis, quantum singulis annis fuit ædificatum. Quis igitur non miretur hanc terram Austriam, nõ modò tot Ducibus, Regibus ac Cæsaribus, quot fortè nulla habet sub orbe regio, sed tanta ubertate soli locupletatam, tot ædibus sacris, tot cœnobijs ac monasterijs refertam, tanta nobilium ac procerum copia insignem: ut non immeritò sex habeat patronos sanctos in numerum diuorum relatos, sanctum scilicet Quirinum archiepiscopum Laureacensem & apostolum Australium, beatum item Maximilianum quoq; Laureacensem episcopum, diuum Florianum tribunum militum, S. Seuerinũ alterum Australium apostolum, S. Colomannũ martyrem, & diuum postremò Leopoldum Austriæ marchionem: qui hanc regionem tutantur, defendunt, ac custodiunt. De quibus nunc mihi scribendum censeo ordine, initium sumens à diuo Quirino Laureacensi episcopo.

Reiffbeisser.

QUIRINUS ARCHIEPISCOPUS LAUreacensis, & patriarcha Aquileiensis.

Dum diuus Petrus Apostolus iussisset beatum Marcum Euangelium conscribere, ut omni populo innotesceret, ad Aquileiam magnam urbem uenit: Hermagoram episcopum ordinat pro se, & Fortunatum archidiaconum instituit, ut Euangeliũ prædicent. qui in has terras delati, plerosq; ad fidem Christi conuertebant. inter quos Laureacensis quidam extitit, qui Laureaco nomen primũ indidit, ab eo qui sub Decio Imperatore ac tyranno martyriũ passus fertur cognominatus, à nato IESV CC.LV. circiter, unde à diuo Laurentio martyre Laureacũ urbs nomẽ sortita: quæ meruit prima in ijs terris Euãgelij prædicationẽ, ut illic archiepiscopalis sedes cõstitueretur, doctrina magni Origenis abiectis idololatris. Ad hoc plurimũ iuuit Philippus Imperator I Christianus. qui cum duos haberet filios, hunc scilicet Quirinum, cum quo ex æquo iunior Philippus patrimonium diuidens, in laudem Dei uertit, & sedem episcopalem erexit. Postquam perfidus Hunnus Attila in Austria copiosum Christianorũ sanguinem fudisset, multis urbibus dirutis & solo æquatis, adeò ut macellum Christianorum sæuus Attila undiq; atq; lanienam institueret, & urbem Laureacum duobus milibus passuũ in longitudine protensam adeò dirueret, quod hodie è uestigijs cernere licet, ut nulli non uerisimile uideretur, tantam illic fuisse urbem, Sed & luce clarius

Laurentius. *Quãdo S. Laurentius passus sit sub Decio, uide Prudentium in hymno de S. Laurentio martyre.* *Vide nostros Coss. de Philippis duobus, patre & filio.*

clarius potentia Quirini episcopi è patrimonio coniectari potest, & hinc qualis olim fuerit episcopatus Laureacensis, à quo ueluti ex equo Troiano manarunt episcopi totius ferè Germaniæ, Salisburgensis, Batauensis, Aichstatensis, Frisingensis, Ratisponensis, & alij complures. Habebat enim Philippus Imperator utranque Pannoniã, qui Pannon natura fuit, & utranque Misiam, Dalmatiã, Illyricum, Bulgariã, usque ad pontum Euxinum. & cum Romæ, priusquã occideretur à Decio, iunior Philippus ingentem thesaurum Sixto ad cõstruenda templa Deo Opt. Max. & largis eleemosynis in solatium egenorum distribuisset, quos etiã beatus Laurentius pauperibus erogauit, ob quod etiam igne coctus est, ac martyriũ subijt. hic itaque Quirinus Philippi Imperatoris filius maior natu, ex Serena matre Christiana (ab grandi doctore Origine bene in fide instructa, quã quidam Genofeuã aliàs uocant, ita postea dictã) claris quidem natalibus, ut patet, ortus, sed longè clarior uirtutibus paternis insigniter dotatus, quũ aliquot annis Laureacensem ecclesiã administrasset, cum XXII ciuitatibus huic ecclesiæ subiectis: tandem est ad ecclesiã Aquileiensem feliciter translatus, cuius & primus cõstitutus est & factus patriarcha: in qua post multos agones & claras pro Christo uictorias, demũ sub Diocletiano grauissimo tyranno & persecutore coronã martyrij adeptus, odio patris & fratris Philipporũ. Alij, quod mihi uerisimilius uidetur, asserunt, sub Claudio successore Gallieni in Tyberim submersum, non potuisse submergi. ac post crebras immersiones lictorũ, beatum Quirinum à Deo rogasse, ut animam in aqua exhalaret. & ita tandẽ eius corpus è cemiterio Pontiani honorificè sepultum, miraculis claruisse. Et cum olim dux Baioariæ Albertus, & dux Burgundiæ Ottocharus, gemini fratres, hæredibus orbati, per filiũ Pipini regis Francorum ob homicidium limina Apostolorũ uisitassent: & tum fortè Sarraceni urbem popularẽtur, quos fortiter hi Principes & strenuè insequerentur, & urbẽ tutarentur, spolia abacta reducerent, & manubias summo pontifici Zacharię offerrent: nullum aliud præmiũ suorũ postulant laborum, nisi ut corpus diui Quirini illis detur deferendum ad suam fundationẽ in Bauariam, ad cœnobiũ Deegernsee: quod facile impetrant. Sed uix dici potest, quanto labore illuc sit delatũ, per uarios casus, & inopinata disturbia, quę illis in itinere acciderũt: ut planè indicat huius cœnobij fundatio, & annales illius monasterij, ubi profectò mira hospitalitas exteris ostenditur. de qua si dicere pergerem, fortè esurientibus, qui hic gustarunt ientacula & iura quæ hospitibus exhibentur, famem excitarem.

MAXIMILIANUS ARCHIEPISCOPUS Laureacensis, ac Martyr.

Defuncto S. Quirino sub annũ Christi CC.VIII, diuus Maximilianus successit, omniũ uotis tam cleri quàm populi, anno à nato IESU, CC.LXXXVIII, natus in Celeia ciuitate nobili, quã hodie Ciliam dicimus, ex magnis & claris parentibus: sed nõ tam insignis parentela, quàm uitæ ac morum integritas, cũ sanctimonia uitæ, clarũ reddiderunt & dignũ antistitem, à teneris annis rectè institutum, & in timore Dei educatum sub Oranio præceptore. Dum quatuordecim annos ageret, patrem amisit, sexto anno pòst matre secuta. Maximilianus itaque utroque parente orbatus, familiam, quam numerosam possedit, manumisit, & cuique de prædijs suis iuxta suam conditionem distribuit, reliqua egenis cõtulit: totus orationibus, uigilijs, ieiunijsque deditus. Sed postquam Quirinus in Aquileiensem sedem esset translatus, inuitus & ui cõpulsus Laureacum se contulit, benignè ab uniuerso populo acceptus: ubi cum sacris initiatus sacerdotem ageret, Romam accessit, nihili faciens Decianam rabiem ac furorẽ, à Sixto Pontifice episcopalem benedictionem accepit: domumque reuersus, Cileiæ incolas quotidiana uerbi Dei prædicatione rectè instituit. Sed cum Numerianus Imperator post Carum patrem, & fratrem Carinum, quendam Eulasium præfectum misisset Cileiam, ut Hunnorũ insultus compesceret: edictoque cauisset, ne quis stato die non Marti Deo ob uictoriam adipiscendam libaret, multique metu tyrannidis etiam initiati sacris conuenissent in templum: solus Maximilianus episcopus, contemptis omnibus

minis, præfectum increpat, & unum Deum IESVM CHRISTVM & re & uerbo fatetur. Quem frustra tyrannus quũ blanditijs abduci posse speraret, acrius castigat beatus Maximilianus. Seuus itaq; tyrãnus bile ac ira motus, extra muros Celeiæ diuũ obtruncat, anno nostræ redemptionis CC. LXXXVIII, quum uiginti annis ecclesiæ Laureacensi præfuisset.

DIVVS FLORIANVS, TRIBVNVS MILITVM, martyr Laureaci passus, Austriæ patronus.

Florianus tribunus militum in superiori Austria, cum quadraginta fortissimis & electissimis militibus in oppido residens, cui nomẽ Cecia, patria lingua hodie Zeisselmaur, sub Otthone duce Austrię nobile oppidum, ubi à rusticis nobili uiro Ostrofranco de familia Fuchs genito, multi ioci habiti sunt, & hodie adhuc quibusdam carminibus Alemanicis, quæ uulgò decantantur, audientibus risum mouent. Cecia olim dictum oppidum, quòd sub monte Cecio haud admodum longo interuallo adiacet. Hic inquam diuus ille Florianus, cum suis militibus habitabat. nam & hic locus subiacebat episcopatui Laureacensi. Et audiẽs Aquilam præfectum Diocletiani, sub quo tanta fuit Christianorum persecutio, undiq; disquirere Christianos, qui nollent idolis immolare, & crucifixum abnegare, quærentibus Christicolis latebras & speluncas quibus abderentur, hic uir fortis & strenuus Christi athleta: Cõmilitones, inquit, ô charissimi, turpe est uobis omnibus, sic segnes torpescere: quin imus obuiam sæuis istis lanijs, qui corpus quidẽ occidere possunt, animæ nihil possunt obesse, neq; hanc in piaculum adducere, quantumuis truces & sanguinolenti, cruorisq; humani auidi & insaturabiles. dictoq; citius forti illi athletæ audientes, cum tribuno suo festinabundi Laureacum contendunt: in ponteq; præfecto illi Aquilę, per quem Anasus fluuius labitur, intrepidi occurrunt: & quid uenerint, minimè hæsitantes liberè profitentur. Attonitus præfectus animositate militum, carceribus occludi iussit, & custodibus muniri: & post multas ultro citroq; habitas dissertationes, blandimentis commixtis minis, nihil moueri poterat insanus ille præfectus. Ob id in iram motus, post sæuissima uerbera, quibus diuum Florianum cæterosq; in timorem affecit, tandem in fluuium præcipitauit, ac submersit. Et cum eius corpus, licet manus & pedes essent constricti ac ligati, submergi nequiret: tandem lapidem molarem iussit appendi, ut submergeretur. Et licet animam sanctus martyr efflaret, tamen Deo Opt. Max. sic iubente, eius Floriani corpus in quandam petram est delatum, contra naturam aquæ, indicante aquila expansis alis, corpus diui Martyris, & postea à sacris uiduis & matronis sepulturæ traditum. Subsecuti sunt dehinc cæteri milites animo constanti & firmo, nullo tormentorum genere territi, animas suas Deo offerentes. Feruntur hæc facto anno à nato IESV, CC. XXX, regnante Diocletiano Imperatore, sæuissimo tyranno. Nec mireris lector, & Quirinũ & Maximilianũ obijsse, alterũ CC LXXXIIII, alterum CCXLIIII. Hi enim ob dignitates suas tanquam archiepiscopi sunt prælati, ac illic præpositi.

S. SEVERINVS, POST ATTILAM HVNNORVM Regem defunctum, secundarius Austriæ Apostolus.

Diuus Seuerinus quondam Rauennæ archiepiscopus, gratia prædicationis uerbi in hanc patriam descendens, & primùm Asturum ueniẽs, ubi etiam S. Colomannus, ut pòst dicemus, martyrium passus est: dum ciues & incolas diuinitùs admoneret, ut insidias sibi imminentes orationibus & pijs operibus pręcauerent, nihilq; sancti uiri admonitiones curassent, descendit in Austriam, sibiq; cellulam struxit ad uineas haud longè à Vienna, quæ tum Flauabis Gotthico uocabulo dicebatur, ut Batabis quæ nunc Batauia: cuius cellulę uestigium hodie adhuc manet, quam quidem uillam nos hodie possidemus, ob amorẽ diui Quirini mercati: licet & à sancto Seuerino patria lingua Seuerin appellatur: pulchra uilla, & populosa, extructa uineis, & hortis excultissi-

excultissima. Indeq; per hanc patriam remeans, ad Comagenis oppidum, quod hodie Kaumberg uulgo dicitur, uenit, undiq; uerbum Dei prædicans: regem Rugorũ Flaccitheum nomine, qui tum Burgum habitabat, ubi hodie est Burckensdorff, fidem Christi docuit. Tum Quintanis, quæ hodie uulgo dicitur Cuntzing, prope Batabin: & Tiberinam, quæ hodie Ratispona dicitur, perrexit. Et rursus Laureacũ concessit, quæ hodie à fluuio Anaso, Ens uulgo dicitur, & in Boiotro oppido circa Batabim, inter Oenum & Danubium, Euangelium prædicauit. unde monachos statuẽs, & uiros religiosos, factus sic Apostolus Australium, ut longè lateq; in eius uita, quæ tamen rara & paucis nota est, scribitur. Tandem quum, ad quod missus erat à Deo, exequutus, finem uitæ suæ, multo antè præuidens agnouisset, mortuus, ad regnum Neapolitanum delatus est: ubi dein monasterium exædificatum, & illic multis quotidie miraculis claret. Quod autem Apostolus Australium dicitur, hinc est, quòd ea tempestate non Austria hæc regio dicebatur, sed adhuc Noricum uocabatur. Sed eius uestigia adhuc in prædicta uilla, ab eo nominata Suiering, cernũtur. Claruit sub Marciano Imperatore oriẽtis, à nato IESV, CCCC LIII circiter, post Sixtum Papam III, ut in nostris Coss. latè disseruimus. Præterea in uilla mea Swechat, reperta sunt duo corpora humana sub terra, in domo lanij, cum puero. quod quidem sepulchrum erat ex coctilatericio saxo: quod aspexi, & legi hanc in eo inscriptionẽ: LEG. I. NOR. LEG. X. & post erosas aliquot literas PP. Quod est euidens argumentũ, hos fuisse præfectos legionis primæ Noricorum, & legionis X Noricorũ, qui hic sepulti sunt post mortem in Austria, quæ tum Noricum dicebatur. Et ideo hoc nemo dubitare debet. nam post multa secula hæc regio postea cœpta est dici Austria, sub Carolo Magno scilicet. Si quis plura de tam sancto uiro nosse cupiat, eius uitam perlustret, quę non caret miraculis, & multas huius patriæ antiquitates inueniet.

DE SANCTO COLOMANNO MARtyre, quinto Austriæ patrono.

Ordo nunc exigit, ut de diuo Colomanno loquamur. Colomannus natione Scotus, quæ natio olim admodũ religiosa, terram sanctam, quã olim Saluator noster suis sanctis pedibus calcauit, frequens inuisit: immò qui hanc non adijsset, non censebatur rectè Christianus uir. Itaq; sanctus in has oras siue fortuitò, siue Deo sic uolente delatus, in oppidum Stockeraw, quod antiquitùs Asturis dictum est, linguę & idiomatis nostri ignarus, cum quicquid rogaretur, imprudens omnia affirmasset, pro stolido habitus, siue exploratore patriæ, anno à nato IESV, M. XII. ab hominibus impijs & inexpertis est in arbore uimine siue reste suspensus. Postquam uir Dei animam suo creatori reddidisset, uiuenti similior quàm mortuo: resticula etiam florescẽte, & folia emittente. quibus miraculis territi homines, cœperunt stupêre, & admirari. Ac cum in Melicum monasteriũ à Mainhardo episcopo Halberstatensi transfereretur, post duos annos à suo martyrio, plus cœpit indies miraculis coruscare, ubi quotãnis à multis peregrinis aditur, colitur ac ueneratur.

DE S. LEOPOLDO PIO MARCHIOne, & sexto Austriæ patrono.

De hoc Leopoldo satis superq; superius in Marchionibus Austrię suo ordine diximus. Hic est enim Marchio ille, propter quẽ tantũ hunc laborẽ recepimus, ut superius latissimè scripsi. Repetere itaq; eadẽ sæpius, & inculcare, fastidiũ & nauseã pariter studioso lectori. Satis sit mihi, eruditũ ac doctũ carmẽ Ioannis Stabij mathematici & historici diui Maximiliani Cæsaris, de ijs sex patronis Austrię subscribere, ne pereat.

IN SANCTOS AVSTRIAE PATRONOS, Precatio Ioannis Stabij.

Aetherei proceres, placido quos numine sentit
Austria patronos, qui culmina summa polorum
Luce sub immensa Christo regnante tenetis,

Annuit omnipotens quibus omnia rector Olympi:
Pro nobis quoties nostraq; salute precari
Collibuit, quoniam semper Deus audit amicos,
Vos patriæ Austriacæ in primis decet esse benignos,
Unde gradum primò è terris super astra tulistis,
Et liquidum scandistis iter, cœloq; recepti
Sanctorum adscripti numero angelicoq; senatu.
Vestras reliquias hæc puris mentibus ornat,
Et precibus castis cumulat, ueneratur, adorat.
Hæc uobis patria in terris, uos illius ergo
Patroni, indigetesq; boni: pro Principe sitis
Solliciti, populoq; pio, cum uenerit hora
Iudicij, Christusq; sedebit in aere iudex,
Depositum uobis gremio complexa benigno,
Quod tenuit reddet: quanta tunc luce patescet
Gloria uestra patres? ubi uos spectare licebit
Austriaca tellure noua consurgere carne,
Aeris & liquidos conscendere corpore tractus,
Felices turbæ (quondam dum uita manebat)
Quas precibus iuuistis, erunt comites famuliq;
Obuia sic Christo ducentes agmina, sanctis
Spiritibus mixti, medios transibitis orbes.
O utinam nobis sacra ad uestigia ferri
Contingat Domini, placidos tum cernere uultus,
Auribus & cupidis hoc uerbum audire, VENITE.
Interea populis, qui numina uestra rogando
Sollicitant, aras uotis & thure Sabæo
Cum precibus cumulant, speratum adhibete fauorem.
Præsidio semper secura sit Austria uestro,
Morborum omne genus, quæ corpora nostra fatigant,
Infandumq; malum, crudelem auertite pestem.
Sit flauæ Cereris, læti sit copia Bacchi:
Tartareo sonitu reboent nec classica Martem,
Sed pax alma ferens ramum felicis oliuæ
Illustret terras, soror & Concordia mitis,
Sed comitem Astrea societ cum uirgine sancta.
Pulcher uirtutum properet simul huc chorus omnis,
Pura Fides, Spes alma, Dei dilectio, uestras
Possideant animas, cœliq; palatia pandant.
Cæsaris Augusti uobis ante omnia curæ
Sit pietas, prolisq; piæ: sit numine uestro
Victor ubiq; potens, sit felix Maxmilianus:
Sospite namq; illo, sunt nobis omnia salua.

EPILOGVS AD LECTOREM.

Habes candide lector, sub compendio succinctè Marchiones & duces Austriæ, à primo Marchione, qui in has terras ex Sueuia delatus, hanc patriam gubernauit: unà cum familia Habspurgensium, ad nostros usq; Principes CAROLVM V scilicet, & Regem FERDINANDVM, cum uniuersa eorum familia, filiabus atq; nepotibus: sub breui catalogo. Dehinc Austriæ descriptionem, quantum pateat, & cur ita dicta: tum Danubij descriptionem, fluentis per utranq; Pannoniā, cum sexaginta nauigabilibus fluminibus: dehinc Prælatorum, Baronum, militum & oppidanorū quatuor ordinum ac statuum ad comitia uenientium seriem, à quibus sint monasteria & cœnobia fundata: postremò sex Austriæ patronorum uitas, cum precatione Ioannis Stabij. Superest, ut nunc omnes fluuios, montes, oppida, castra & uillas pro complemento subijciamus, quæ omnia sua peregrinatione Ioannes Stabius oculis lustrauit, & iussu Maximiliani Cæsaris descripsit: Georgius Collimitius auxit, & in pulchrā tabulam redegit, quam nunc subiungam, ut omnibus innotescat Austriæ situs.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Quæ sequebantur, in exemplari manuscripto, quo unico sumus usi, cū & mutila essent prorsus, & ita concisè negligenterq; scripta, ut uix percipi certa aliqua ex illis sententia posset, omittenda esse duximus: maximè cum & à D. Vuolfgango Lazio eadem & plenius omnia, & eruditius, in Viennæ & Austriacarū rerum historia descripta extent. Cæterùm quod ad M. Alberti Argentinensis Chronicon attinet, neq; illud adiecissemus, nisi ipsi Cuspiniano ita omnino esset uisum operæprecium, non semel & honorificè ipsius mentionem facienti, & eum se isti Austriæ suæ adiecturum suprà pollicito. Itaq; rem ipsam potius, quàm dictionis simplicitatem, consiliumq; nostrum, ac in tuendo officio nostro fidem expendens, non facile reperies lector, quod iure uel in his reprehendas, uel in nobis desideres. Vale, & opera nostra qualicunq; fruere.

CHRONICON MAGISTRI ALBERTI ARGENTINENSIS, INCIPIENS À RUdolpho primo Habspurgensi usq; ad sua tempora.

RVdolphus Comes de Habspurg, ex antiquis progenitoribus ab urbe Roma traxit originē. Olim namq; duobus fratribus propter potentis po. Romani occisionē eliminatis ab urbe, propter eorum nobilitatē, Romanus dans cuilibet eorum immensam pecuniam, ipsos iussit abire in partes remotas. Qui se in superiori Alemania receperunt. Antiquior autem ad emptionem prædiorū & munitionum, iunior autem ad uasallorum multitudinem contendebant. Patre autem eorum post aliquot annos filios uisitante, cum uidisset senioris prædia, ab eo empta, eius prudentiam commendauit. Requirens autem de iuniore, quid egerit: illum se in fortissimam quandam munitionem collocasse uidit. & iussis omnibus uasallis suis, cum eorū liberis masculis, optimè armatis, uenire ad montem, ubi castrum Habspurg est collocatum: illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem ostendit, quos & omnes eorum posteros masculini sexus suæ posteritati fideles fore speraret. in illius ergo animosa nobilitate gauisus, magnum thesaurum destinauit eidem. ex his itaq; duobus fratribus, omnes de Habspurg postea processerunt. *Hasburgensium origo uetus.*

RVDOLPHVS uerò cū esset cum Friderico Imperatore in Lombardia (qui & ipsum Rudolphū leuauit de sacro fonte) Astronomus quidā ipsi Rudolpho, quamuis iuueni, frequenter assurgens, ipsum præ cunctis spectabilibus & clarissimis honorauit. Sciscitatus ergo Astronomus à Cæsare, cur isti præ cæteris tantum exhiberet honorem? respondit, quia ad eum Imperij honor & ipsius Principis posteritas deueniret. Turbato autem Cæsare, & illi indignanti, Astronomus dixit: Non indignemini ei: quia

ei: quia antequã incipiat eius dominium, ex uobis, qui iam decem habetis filios, qui succedat in imperio penitus nullus erit. Verùm Rodolplus abinde recesit.

DE ELECTIS POST FRIDERICUM, non habentibus processum.

Malè autẽ succedente Principi deposito, & dolis cleri præualentibus contra eum, ipso tandem in regno suo Siciliæ in Panormo defuncto, Principes Germaniæ Richardum regem Angliæ inclytum eligere decreuerunt: qui regi Franciæ inuidens, illico eidem ciuitatem quandam obsedit, & in obsidione iaculo est occisus. Statimq; postea electio per Principes Vuilhelmo Comiti Holandiæ cessit: qui Renum ascendens, Brisacum uenerat: & descendens Frisiam inuasit, ibiq; est occisus. Et ita post Fridericum Imperatorem, imperium regnumq; Romanorum 30 annis uacauit. Richardus enim, & Vuilhelmus, quia non durauerunt, non fuisse existimantur.

Richardus Angliæ rex. Vuilhelmus Comes Holandiæ. Viginti annis uacat Imperium.

INNOCENTIVS autem Papa quartus, qui Fridericum deposuit, Carolũ Marcellum Comitẽ prouinciæ, fratrem scilicet regis Franciæ, instituit Siciliæ regem: contra quem Chunradinus nepos Friderici, ex Chunrado ueniens, in Italiam cum duce Austriæ, & magna multitudine Germanorum profectus, cum Carolo iniit conflictũ. Victoq; per Germanos Caroli exercitu, & fugato: Germani prædam fugientium insequentes, Chunradinum cum Duce dereliquerunt. Quod uidens Carolus, qui se in montem cum magna parte exercitus sui receperat, ut finem uideret, Chunradinũ quasi desolatum inuasit: quo cum Duce capto, & quibusdam aliis, indeq; abducto, exercitus totus dispersus ob prædam miserabilem, fugatus est, & occisus. Scripsit autem Carolus Martino tunc propè existenti, quid faciundum esset de Chunradino: qui rescripsit, Vita Chunradini mors Caroli, mors Chunradini uita Caroli. Sic Carolus Chunradinum cum duce Austriæ & cæteris decollauit.

Chunradinus.

DE PETRO REGE ARRAgonum.

Quod Petrus Arragonum rex, Chunradini proauunculus, ægrè ferens, aliquibus machinationibus per mare occultis, insulam Siciliæ ingressus, occisis Francigenis, & fugato Carolo & aliis, insulam Siciliæ occupauit: quam eius posteritas postea tenuit, & eius abnepotes hodie detinent, sine lite. Carolus autem Neapolim, & reliquam partem circa mare, unà cum comitatu prouinciæ, summa postea cum quiete possedit, semper resistendo Germanis. sub quo Guelphonum de parte Ecclesiæ, & Gibelinorum ex parte Imperii, sunt nomina inchoata.

Guelphi. Gibelini.

DE POTENTIA ET SUPERBIA SEdis Apostolicæ, ac Prædicatorum & Minorum.

Post Fridericum creuit potentia & superbia sedis Apostolicæ, ac Minorũ & Prædicatorum, qui per Fridericum & suos detestabantur. Tunc ipsa sedes præ cunctis ordinibus, priuilegiis illos exaltauit in tantum, quòd nunc ipsa sedes & clerus uix defendantur ab illis.

DE ASTUTIA ET HONORE COmitis de Habspurg.

Creuit autẽ Rudolphus de Habspurg, astutia & honore. qui cum litem duram haberet cum Abbate S. Galli, & duæ lites aliæ sibi succrescerent, ad domum Abbatis iuit, qui eum persequebatur odio capitali. Ac ibi sedens ad mensam eiusdem edentis,

nihil

nihil hostile prę se tulit. Abbas ergo, licet iratus, ipsum tamen honorifice & gratanter recepit. & sic illico in tantum sunt amici effecti, quòd Abbas cum exercitu ad inuadendum alios cum eodem perrexit. Tunc dixit ei Comes: Quicũq; tres lites habeat, duas reformet. Habuit sororem, quam dedit Domino de Ochsenstain in uxorem: ex quo Domini & de Ochsenstain, & de Strasberg, postmodo prodiere. Ochsenstein. Strasberg.

Erat autem antiquũ castrum in Brisgagia, ex opposito nunc castri Friburgensis. Brisgauu. Cumq; olim dux Carringiæ, à sororio suo Comite de Kyburg, precibus obtinuisset, ut annueret Ducem facere domũ uenationis in monte castri Friburgensis, uxor Eritia dixit Comiti: Bene dixit frater meus, quòd domũ uenationis ibi facere uellet, quia uenabitur & expellet uos per ipsam domum.

DE MORTE DUCIS ZARINgiæ, tempore Friderici Imperatoris.

Mortuo autẽ, tempore Friderici, Berchtoldo duce Zaringeñ. uni sororio de Khyburg cesit illud dominium in Burgen: alteri Egenoni cum barba, Comiti de Vrach, cessit inferius dominium. quo mortuo, cum reliquisset duos filios, scilicet Chunradũ seniorem, cui cessit Brisgagia: & Egenonem, cui cessit pars in Sueuia, à qua Comites de Fürstenberg processerũt: Chunradus Comes Friburgensis moriẽs, reliquit duos filios: Egenonem seniorem, cui cessit dominium Friburgense: & Heinricũ, cui cessit Newenburg & Baden. qui Hainricus, cum Newenburg uenisset, animo recipiendi in crastino ab hominibus fidelitatem: tunc in sero sub macellis uxorem cuiusdam Burgensis stuprauit: propter quod illi Burgenses fidelitatem facere noluerunt. Berchtoldus de Zaringen. Furstenberg. Neuuenburg.

DE NOBILIBUS CIUITATIS BASIliensis, & primò de Psitacis & Stelliferis.

Erant autem in diebus illis partes inter nobiles Basilienses, hodieq; durans inter Psitacos & Stelliferos. Cum enim ad tornamenta, uel probamenta alia uenirẽt, & cũ multitudine egrediebantur, dicebant: Qui sunt isti? tum dicebatur, Scalarij monachi, qui erant excellentiores. de quo alij commoti, consilio habito, fecerũt uexillum albæ stellæ magnę in rubeo campo, sub quo signo erant progenies de Eptingen, Rynow, Krentzow/Riehen/Pfäffingẽ/de Ramstain, Am kornmarckt, de Newenstettẽ, Martrer, & plures alij. Alij uerò fecerunt uiridem Psitacũ in albo campo: ij erant Scalarij monachi, marscalci, kamerer, & multi alij, qui semper Stelliferos præcesserũt: omnes Comites, & nobiles uicini, de altera partium. Et etiam eo tempore inualuit bellũ contra Neuuenburgenses, quòd pluribus annis nec agri nec uineæ, nec unus hortus culti fuerunt: multisq; occisis, & captis ultra quinquaginta, qui pedibus sunt truncati, multa etiam alia acciderant. quod durauit usq; ad creationem Rudolphi, in Regem promoti. qui tamen, conquerentibus de stupro oppidanis, ad ius Romanũ eos accepit. Et faciẽs tum etiam, quod Comes fuit captus, & ad unguem excoriatus. Sed insuper Rex decimam partem omnium bonorum oppidanorum recepit, quam Comiti asignauit. Psittaci. Stelliferi.

DE EPISCOPO MOGUNTINO, QUI promouit Rudolphum Comitem de Habspurg in Romanorum Regem.

In diebus illis, electo quodam archiepiscopo Maguntino, ad urbem pro confirmatione proficiscente: Rudolphus Comes prædictus per Electum prædictum literis rogatus ab Argentina usq; ad Alpes euntem conduxit: eoq; feliciter confirmato ac redeunte, archiepiscopus grates sibi agens, optauit ut nunquam moreretur, nisi Comiti de tanto officio respondisset. Itaq; Maguntinus feliciter & prosperè pro creatione regis Principes ad oppidum Franckfurt conuocauit. Interea accidit, quòd Psitaci Stelliferos, & eorum fautores iuxta capellam Binningen circa Basileam obsederunt.

Congregatis autem Principibus & Electoribus, & inter se de periculo uacationis Imperij, & de perditione iuris Principum quærentibus, & de persona eligenda tractantibus, Maguntinus Rudolphi Comitis de Habsburg magnanimitatem ac sapientiam cõmendauit: multisq; potentibus nominatis, Maguntinus asserens, sapientiam & strenuitatẽ diuitijs & potentiæ esse præferendas, Pio Rudolpho institit, Coloniensem quoq; & Treuerensem ad ipsum inducens. Dux autem Bauariæ, qui clarissimam uxorem suam, ex patre duce Brabantiæ, & ex matre Hollandiæ natam, ob falsam adulterij suspicionem decollauerat, inter conuocatos IIII Principes aderat. Sed & Burggrauius de Nornberg, qui & ipsius Rudolphi extitit consobrinus, ad quem dux Bauariæ ait: Si Rudolphus promoueretur, quomodo essem ab eius læsione securus? Habét ne aliquam filiam, quam mihi daret in uxorem? Et illo asserente, quòd Rudolphus sex haberet filias: & de danda sibi una, sub omnium bonorum suorũ hypotheca Duci cauente: dux annuit. quod audientes, dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgensis, qui & ipsi nõ habebant uxores, receptis rationibus de dandis sibi Rudolphi filiabus, similiter consenserunt. sicq; concorditer est electus, anno Domini M.CC.LXXIII. 12. Octobris.

QUOD NUNCIATUM FUIT RUDOLpho de Habspurg, per Burggrauium de Nurenberg, quia fuit electus.

Burggrauius autem acceptis literis de electione Principum, Basileam ad Rudolphi exercitũ properauit, & uenit ibi repentè in media nocte. & dicto sibi quòd esset Rex: ille credens se illudi, contra Burggrauiũ mouebatur. Ille uerò dixit: Absit quòd uos ludam, ualentissimum dominorum. & sibi exposuit seriem rei gestæ. Rex uerò audiens, filias suas nuptiatas tantis Principibus, de prosperitate sua digna gauisus, Burggrauium direxit in ciuitatem ad episcopum & Psitacos, & eius inimicos, pro amicitia & reformatione. Audiens autem episcopus, quod erat factum, se percutiens ad frontẽ, dixit: Sede fortiter Domine Deus, uel locum occupabit Rudolphus tuũ. Igitur Rudolphus cum regina & magnatibus illarum partium, & cum Alberto strenuissimi Comitis de Hohenberg F. cuius habuit sororem, quæ fuit regina, qui uenerunt Aquisgranum pro ipsorum coronatione, egregiè profecti sunt rebus per omnia bene gestis.

DE TRIBUS FILIABUS PRAEDICTI electi magna progenies processit.

Ex his namq; tribus filiabus multi duces Bauariæ, Saxoniæ, & Marchiones de Brandenburg processerunt. Deditq; unam filiarum Carolo tertio nepoti prędicti regis Siciliæ, ex qua reges Vngariæ, Clemẽtia regina Frãciæ, & mater Delfinorum, & Andreas rex Ceciliæ processerunt. Non dico rex insulæ, sed Ceciliæ, quam semper Arrogani tenuerunt. Habuit autem rex à prædicta uxore de Hohenberg tres filios, Albertũ, Rudolphum & Hartmannũ: qui Hartmannus prope Rinaw in Rheno fuit submersus. Basileę cum matre prædicta, & uno filio paruulo, in choro maioris ecclesiæ sunt sepulti. Albertus autem accepit Elizabeth filiam Comitis Tyrolis. erat autẽ ipsa Elizabeth soror quondam Chunradini ex matre, ex patre Chunrado rege defuncto. recipit Comitem Tyrolis. Vacauerãt autem Imperio à tempore occisionis Chunradi, in ducatus Austriæ & Carinthiæ. Rex autem de ducatu Carinthiæ, quem aliàs ipse Comes occupauit, recepta ab eo magna pecunia, inuestiuit eundem: qui postea non Comes, sed dux Carinthiæ uocabatur.

Clementia. *Rœnauu.* *Comes Tyrolis.* *Dux Carinthiæ.*

DE UACATIONE DUCATUS AUstriæ, quem Rex filijs suis contulit.

Ducatum autem Austriæ, quem occupabat Ottokarus rex Bohemiæ, contulit Al

berto & Rudolpho filijs suis. & ueniens cum exercitu, in Viennam ciuitatē Austriæ
capitalem receptus est: habitisq; multis tractatibus, Ottocharus Bohemiā, Austriā,
Morauiam, & Hungariam, & totam quasi terram usq; ad Brusiam, & usq; ad mare
tenuit, à rege suo feuda receperunt. Viennenses autē ad regem cum ineffabili pompa
& ostensione potentiæ & diuitiarū peruenerunt. Rex autem largus, & gracilis statu-
ra ualde, aquilum habens nasum, indutus grisea rusticali tunica, cum alto galerio, in
communi strata sedens: Ottocharus autem indutus preciosissimè, cui more regio ser
uierunt nobiles, genibus flexis, etiam in feudis recipiendis. Cum autem Rudolphus
rex feuda contulisset, indignatus Ottocharus, & per uxorem suam Polonicam con-
temptus, quòd se in tantū subijceret, cœpit regem & Austriā infestare. Rex autē con
gregato forti exercitu, Bohemiam cōtra Ottocharū est profectus. transeuntes aūt syl-
uam Bohemiæ per inuasores, qui fugientes damna plurima sunt perpesi. Episcopus
aūt Basiliensis tenēs extremā custodiā, inuasores iterū uenientes, inuasit: qui in amnē
fugiētes more solito se trāsituros credebāt. Episcopus uerò personaliter in flumē pro-
siliens, quem sui sequebātur, cæpit eosdem: quos nudos ligatos super equis secum du
xit ita diu, quousq; fuerunt à muscarum corrosione perempti, nec amplius fuerunt
infestati. Dicebatur autem de multitudine inimicorum, latitantium in sylua. quod
cum rex dixisset Episcopo, constanter episcopus procurauit, quòd quingenti galeati
ultra flumen, iuxta Regis exercitum processerūt. Quærenti autem regi qui essent illi,
episcopus respondit: Pro uobis sunt illi. Rex habens tædium de illis, rogauit episco-
pum, ut abirent: & iubente episcopo, abierunt. Venit autem Ottocharus cum exerci
tu innumerabili contra regem. Rex autem nō insignis regalibus, sed in armis rubigi-
nosis prodijt in conflictum. Venit autem quidam uolens ad regem, cupiens ab eo
donum, eo animo ut sibi seruiret. Quod cum rex renueret, uenit ad Ottocharum: &
illius dono recepto, permisit regem, quantumcunq; se abscondentem, positurū ad ter
ram. Videns Ottocharus exercitū Regis, nec uolens eum uitare, accessit ad dominū
Zeuusch, Bohemū potentem, cuius fratris filiam ipse Ottocharus dolose cognouit, Zeuusch.
& patrem eius in turri igni occidit, dicens illi, quòd ignosceret, si quid unquam malè
egerit contra ipsum, ut perpetuò ditaret eundem. Ille uerò respondit, quòd pro eo fi-
deliter pugnare non posset, segregans se ab Ottocharo cum electis duobus milibus
Bohemorum. Appropinquantibus autem timorose & paulatim exercitibus ad con-
flictum, Rodolphus de Reno, miles Basiliensis, sonora uoce cantauit, quòd per am-
bos exercitus audiebatur, Domina sancta Maria, domina sancta: quod tempore Le-
taniæ rustici cantant. præordinauerat Hainricus Marchio de Hochberg, quòd quan-
docunq; tempore conflictus acclamarent, ipsi fugiant: quòd & cæteri etiam clama-
rēt. quod factū est. Per quod territi sunt Bohemi. Heinricus quoq; Schorlin Sueuus,
seruitor Episcopi Basiliensis, habens equum indomitum, pressuram & cornu seu a-
ciem exercitus regis sufferre non ualens, tacto equo cum calcaribus, primus Bohe-
mos inuasit. Dixitq; rex, Tempus est ut iuuetur. Initoq; conflictu prædictus Valens,
qui dona ab Ottocharo recepit, cognoscēs Regem quamuis absconditum, per scapu
las proclinans, occiso equo regis, Regem prostrauit in terram. & illo Valente occiso,
cum seruitores Regis pro ipso, multi pro illius erectione se occupare uellent, Rex di
xit: Non curetis de me. non est uis de uno homine, sed progredimini ad conflictū. Illi
dimisso Rege progrediētes uiriliter, Ottocharū occiderunt: imò eo capto, finito con-
flictu, quidam Bohemus occidit, cuius relictā prædictus Zeuusch postea recepit u-
xorē: quē Vuenceslaus rex Ottochari filius postea decollauit. Reliquit enim Otto-
charus filium & filiam, quibus Romanus rex prædictus suos liberos copulauit, dans
Vuenceslao unam filiarum suarū, & sorori eius filium suum Rudolphum, cui sorori
dominium de Khyburg hæreditario iure donauit. Rudolphus uerò dux postea mo-
riens, Ioanni duci Alberti regis uxorem reliquit. Vuenceslaus rex Bohemiæ quie-
tè & sine armis in lecto moriens, filium & duas filias ex prædicta uxore reliquit. Fi-
lius factus rex, clam in lecto occisus est. Vnam filiarum habuit Heinricus dux Karin-
thiæ, quem pro rege receperunt Bohemi: qui tamen propter iustificationes Alberti
regis,

regis, qui & ipse filium suum Rudolphum primogenitum ibi regem constituerat, possessionem habere pacificam nequiuit. Aliam uerò filiam Vuenceslaus, diu postea occisus, succedens Adolpho & Alberto regibus, & creato Hainrico Comite de Lutzelburg in Romanorum regem, recepit in uxorem, & regnum Bohemorum cum ea. Filius autem Ioannes Imperatoris eiusdem. Occiso itaq; Ottocharo, Rudolphus rex in Austriam pergens, diu permansit in Vienna.

DE MAXIMO DOLO ET FRAUDE, quod rex Rodolphus unquam fecit.

Erat autem quidam potens Comes Vngarus, nomine **Ywan**, qui regem & Austriam plurimum infestauit, pluries pacta inita inter ipsos infringens. Pro quo rex uerbis pacificis misit in dolo. & cum uenisset Viennam, & timor magnus irruit super eum, accedens mensam regis, bibit de scypho Regis, dicēs: Modò sum securus, quia bibi cū probiore uiuente. Verùm statim post mensam arreptus est, & sub glacie submersus. Videns autem quidam de Bele magister militum arreptionem, irruit in gladium suum pro illius defensione. Rege uerò dicente: Desiste, quid ad te? ipse uidens perfidiam regis, mœrens quieuit. Quidam uerò miles, qui eum iubente rege illic conduxit, ac uidens quòd fiebat per se impediri non posse, quasi amens factus, postea præ uerecundia laudauit. Cum autem in Vienna nocte famuli spoliarentur, euntes pro uino, & resistentes uulnerarētur: Fridericus Comes de Liningen, quadam nocte assumens Gruem militem suum, personaliter iuerunt pro uino: circuiens undiq; cum cannis tanquam garconnes, omnes in eum irruerunt. & omnibus illis amputatis capitibus, Grus cuiuslibet caput posuit super uentrē. Mane autem facto, plures ciuium filij occisi reperti sunt, & magnus clamor factus est coram rege. Quis autem fecisset, nemo sciuit. Progrediente autem rege ad missam, & sequente eum Friderico Comite, uiderunt unum in strata occisum, caput non supra uentrem habentem. & clàm dicente Friderico ad Gruem, se illi non rectè fecisse: Rex audiens, tacuit. Sed pòst in camera quærens à Friderico facti seriem, ipsum cōmendauit. de cuius Friderici consobrini regis gestis, integra historia opus esset.

Albertus de Vualsee. Reliquit autem filio suo Duci Alberto multos Sueuos in Vienna, quorum unus de **Walsee**: cuius liberi propter eorum uirtutem constantiæ ditissimi sunt effecti: ita quòd, qui per pedes uenerant in Austriam, postea decem milium marcarum redditus habuerunt. Rediens autem rex ad Renum cum episcopo Basiliensi, ad castrum & oppidum Brundrut: qui episcopus post multos bonos actus, & strenuos & utiles ecclesiæ Basiliensis, ad Maguntinum archiepiscopatū promotus est. Rex autem nullum motum habens ad Italiam, forsitan quia uidit cæteris malis multis successisse, misit prædictum regem Hainricum ad episcopum Basiliensem, cum membranis sigillo suo sigillatis, ad ciuitatem Romanā, qui ibidem sedit Apostolicè Romandiolani, & quædam alia in damnū gratię Imperij, ubi habitis quibusdam tractatibus nomine regio sigillauit.

Fuerunt autem tres fratres de Habsburg, filij patrui Regis, scilicet Rudolphus episcopus Constantiensis, Gottfridus dominus de Louffenberg, & Eberhardus qui dicebatur de Khyburg. Rex quoq; oppidum Rottlingē obsedit: & oppidum Murten *Berna.* de manibus comitis Sabaudiæ eruens, ad regnum retraxit. Rex quoq; Bernam sibi rebellantem obsidens, & euertere non ualens, sed quotidiana lite infestans: tandem Rudolphum filium suum clàm cum quadringentis equitibus misit, qui se ponens in insidijs, quosdam abductores pecorum solito more præmiserunt: quos illi insequentes usq; ad locum insidiarum, capti sunt, & occisi. Ipsi uerò Ludouuicum Comitem de Hennenberg, patrem ualentissimi Vuernharij, primùm aggredientium cuspiti*Columbaria.* bus recipientes necarūt. Sicq; Berna est regi reformata. Cumq; rebellantē sibi Co*Pseudofridericus.* lumbariam obsedisset, quidam uerò Imperatori Friderico simillimus, in inferioribus Reni partibus seipsum Fridericum fingens, ac Barones ac ciuitates sibi congregans,

& usq;

& usq; Vuestphelat uenisset, Rex pertimescẽs admissam cũ Columbariensibus concordiam, cum gente descendens, ac si illum uellet tanquã Imperatorem uenerari, ipsum apprehensum cremauit. Dicitur quoq;, quòd cum rex Franciæ illis diebus monasterium sancti Dionysij, quod Imperio pertinebat, grauaret, & pluries à rege Rudolpho rogatus non desisteret: tandem Rege scribente Franco in singula, quòd desisteret, alioquin ipsum uisitaret, per uires & uiros, quos sibi felix Germania germinauit: Francus se nolens inbrigare cum illo, quieuit.

In diebus illis cum Petrus Basiliensis episcopus, haberet litem cũ Gallicis uicinis, succubuit in cõflictu militum, præsertim Basiliensium magna multitudine captiuata: rex Rudolphus pro illorum recuperatione ueniens, Bisanciam obsedit: ubi manicas uuambasij sui fractas cũ nouis pecijs reparans, dedit exemplũ alijs, ita faciendũ. Dux aũt Burgundiæ, cum omniũ quasi potentia Gallorũ, cum exercitu maximo se posuit contra Regis exercitum, ne Regi uictualia possent afferri: ita quòd una die Regis exercitus in uictu defectum maximũ est perpessus. Videns autem Rex rapas in campo, rapas rasas comedit: quod uidentes alij, rapis sunt omnes saturati. Rex autem accedens ad Gallorum exercitum, in ualle positum iuxta ripam, in monte desuper se recepit, ita quòd unus exercitus in alterum posset respicere. Et in sero tractans cum satrapis suis de ineundo manè conflictu, cũ quidam ex eis mirarentur, & dicerent quomodo uiuere uellent: Rex dixit, inanem ipsos habere curam, respondens: Si ipsos uicerimus, uictualibus eorum uescemur: si nos uicerint, cum nobiles sint, dabunt uictũ captiuis. Ipsisq; sic tractantibus, nox accessit. Erat autem tumultuosum murmur in exercitibus, ut moris est. Et ecce quidam de Suuicia, quorum Rex mille quingentos habuit, soliti currere in mõtanis, descendentes montem irruerũt in castra Theobaldi Comitis Ferretarum, qui fuit adiutor in acie Gallicorum: à quibus est occisus, ipsius spolia deferendo, & plurima laniando. Itaq; in ualle facta est commotio clamorosa, Gallicis quoq; tractantibus de præcludendo Regi descensum. & quia nõ erat aptus descensus ad eos, securus à conflictu, quidam ex eis dixit: Nosco Regem talem, & si deberet manibus & pedibus repere, nos inuadet. Sicq; timentes, diluculò solennes uiros ad Regem pro concordia destinarunt. Cumq; Rex aliud nollet nisi ante omnia captiuis liberè restitutis: Dux & maiores Burgundiæ se Basileam præsentarunt, ibi de concordia tractantes. Vasalli Imperij quoq; præstita fidelitate, sunt de regalibus inuestiti. Dicitur etiam, Regem in ipso exercitu dixisse, se in qualibet mundi parte cum electis quatuor galeatorum, & quadraginta peditum armatorum de Alemania milibus, stare inuictum: æstimans, hos omnem multitudinem aggressuros.

Theobaldus Comes Phyretarum.

DE GENEALOGIA DOMINÆ ANNÆ.

Rex autem Rudolphus cum Anna de Hochenberg, sorore Alberti de Hochenberg, habuit tres filios, inter alios: Rudolphum, Albertum & Hartmannũ. Qui Hartmannus apud Raynaw in Reno perijt, & cũ matre & paruulo fratre Carolo in choro Basiliensis ecclesię est sepultus. Itẽ habuit sex filias, quarũ unam habuit dux Bauariæ superioris, alterã dux Bauarię inferioris, tertiã dux Saxonię, quartã dux Vratislauiæ: quo defuncto, recepit Marchionẽ in Brandenburg. quintã habuit rex Vuenceslaus Bohemiæ, filius Ottochari, per ipsum regẽ Rudolphum regem occisi. sextã habuit Carolus primogenitus regis Ceciliæ, siue Apuliæ. Ex Rudolpho filiorũ primogenito, ex sorore Vuenceslai, descendit Ioannes Bohemiæ dux, occisor prædicti Alberti. Ex Alberto, qui habebat Elizabet, filiã Comitis Tyrolis, antequã pater promoueretur in Regem, quẽ Comitem ipse Rex postmodũ ducem Carinthiæ creauit, creati sunt, Rudolphus primogenitus, qui factus est rex Bohemiæ, & filiam regis Franciæ ducens, sine liberis est defunctus. item Fridericus, in Romanorum regem in discordia electus, & coronatus: qui ex filia regis Arragonum, sola relicta filia, quæ postea Comiti Carinthiæ data est, sine alijs liberis est defunctus. item dux Leopoldus strenuissimus,

nuissimus, qui relictis duabus filiabus ex filia Comitis Sabaudię, quarum una postea data est duci Sweinitz Silesiæ, alia domino de Cusin Franciæ, sine alijs liberis defunctus. Item Ottho dux ex filia ducis Bauariæ inferioris, duos relinquens filios, Fridericum & Leopoldum, qui mortui sunt sine liberis. Item dux Austriæ, qui ex filia Comitis Ferretarum habet filios & filias, quorum Rudolphus primogenitus habet filiã Caroli Imperatoris, & Bohemiæ regis. Item Agnes, ducens Andream regem Vngariæ, sine liberis defuncta, quæ hodierno die ducit uitam sanctam & beatam. Item ducissa Lotringensis, ex qua Rodolphus filius, & Rodolphus nepos, & domina de Babylone sunt nati. Itẽ Catharina desponsata Hainrico Imperatori, eo defuncto Duci nupta Calabriæ, filio regis Ruperto Ceciliæ, sine liberis est defuncta. Itẽ Comitissa de Ottingen, ex filia Rudolphi regis in inferiori Bauaria. ex superiori Bauaria nati sunt, Rudolphus primogenitus dux & Palatinus Reni, Ludouicus Romanorũ Imperator quartus, & Landgrauius Hasſiæ. Ex Rudolpho & Metza, filia Adolphi regis Romanorũ, eius coniuge, descenderunt, Adolphus, Rudolphus, & Rupertus minor, quẽ Arnestum nominãt: cuius mater fuit de Ottingeñ, & de Vuyrttenberg: qui Arnestus filiam regis Ceciliæ duxit uxorem. Ex Rudolpho & filia ducis Carinthiæ, descendit uxor Romanorum & Bohemiæ regis. Ex Ludouico Imperatore descenderunt, ex Polona Ludouicus & Stephanus filij, ex Marchionissa de Missen: ex Holanda autem descenderunt, Romerius Marchio Brandenburgensis, Vuilhelmus Comes Holandiæ, & Albertus, & duæ filiæ, quarum unam habet frater regis Hungariæ, aliam Masturus dominus Veronensis. Ex Ludouico primogenito Marchione in Brandenburg, ex filia regis Daciæ, descendit filia nupta regi Noruuegiæ: ex filia uerò ducis Carinthiæ, ablata Ioanni Bohemo, propter impotentiam, nati sunt filij & filiæ. Ex Stephano, & filia regis Ceciliæ, & postea ex filia Burggrauij de Norenberg, multi filij & filiæ sunt creati. Ex Marchionissa Missenẽsi plures filij & filiæ creati sunt. Ex Saxona, Rudolphi regis filia, plures Saxoniæ duces sunt creati. Ex ducissa Vratislauię, postea ex Marchione in Brandenburg, Vuolmarus, & quidam alij Marchiones nati sunt. Ex regina Bohemiæ ipsius Rudolphi regis filia, & ex Vuenceslao rege, descenderunt Vuenceslaus filius, qui Rex factus sine liberis est defunctus: Item duæ filiæ, quarum unam habuit Hainricus dux Carinthiæ, ex qua descenderunt duæ filiæ. aliam habuit Ioannes rex Romanorum, & Ioannes Marchio Morauiæ, uxor Hainrici ducis Bauariæ inferioris. Ex Carolo Romanorũ Imperatore, & sorore regis Franciæ, descenderunt duæ filiæ: una regina Hungariæ, quæ sine liberis est defuncta: alia ducissa Austriæ. ex regina Siciliæ ipsius Rodolphi filia descenderunt, Carolus successor patris, etiã regis Ceciliæ, sed per patrem Rudpertũ & per Papam eiectus, sed de adiutorio Alberti regis Romanorum auunculi sui Hungariæ rex creatus: item Delphina, ex qua duo Delphini filij sunt nati: item Clementia regina Franciæ, quæ absq; liberis est defuncta. Ex Carolo rege Hungariæ prædicto descenderunt, nunc Carolus, primogenitus rex Hungariæ: item Andreas rex Ceciliæ, iugulatus per Iohannam uxorem & patruelem suam.

DE ANIMOSO ET PROBO COMITE *Alberto de Haigerloch & de Hohenberg, qui dicebatur esse unus de XII. pugilibus.*

Albertus Comes de Hohenberg & de Haygerloch, frater prædictę Reginę, dominæ Annæ, duos Comitatus habuit antiquos ualde, scilicet Haygerloch & Hohenberg: & siti sunt in corde Sueuiæ, & dicebantur Comites de Hurmingen, & illi Comites fuerunt potentes in Sueuia & Elsacia. in Elsacia habuerunt castrum quod dicitur Ortenberg, & magnas uillas, & totam uallem quæ dicitur Albrechtztall, cum omnibus pertinentijs: in qua ualle duo domini & fratres de Hurmingeñ, quorum unus fuit laicus, construxerunt claustrum solenne ordinis S. Benedicti, in honorem S. Michaelis, & procurauerunt eximi ab omnibus exactionibus & muneribus quibuscunq;

S. Michaelis cœnobium.

buscunq;

buscunque à Papa Sixto, excepto quod annuatim debent præsentare ad Cameram Papæ unum marmotinũ, hoc est, denarium aureum, qui bene noscitur à curia, & est minoris ualoris quàm paruulus florenus de Florentia. Nomen Claustri latinè Hugonis curia, Teutonicè Hugeschonem. Prædicti uerò duo domini ambo mortui sunt, & in dicto claustro sepulti, ubi corpora eorum hodierna die requiescũt. Quod dominium Albertus Comes postea dedit Rudolpho de Habsburg, in dotẽ dominæ Annę prædictæ sororis suæ. Albertus uerò prædictus multa bona fecit tempore suo, & laudabilia. Fuit bellicosus, animosus, & probus. & cantatum fuit à quodam magistro, qui dicebatur Kumier, quòd idem Albertus esset sustentaculum Romani imperij, totius Sueuiæ. qui Albertus fuit occisus in proprio comitatu suo, per quendam ducem Bauariæ, iuxta castrum Lintstetten, pessimè derelictus à seruitoribus suis, quorum progenies hodie prædicto domino est nota: qui fugitiuè recesserunt à domino suo, sicut canes quibus alligantur uesicæ, quibus impositæ sunt fabæ. Progenies fugientium dicuntur die Lember uon Vuittingen, & duxerunt agnũ per ista: & sicut legitur, quòd una ouis interficit totũ gregem, ita dominus eorũ interfectus fuit per fugam ipsorũ: utinam fuissent lupi rapaces, qui deuorassent corpora eorum. Ex prædicto Alberto descenderũt, Albertus & Rudolphus. Albertus dicebatur Kösthman. Rudolpho existente, Albertus mortuus est. Rudolphus multa & laudabilia fecit: & potentior Sueuus fuit, qui tũc uixit. Et habuit tres Comitatus, scilicet Rattẽburg, Haygerloch, Hochenburg. exceptis pluribus munitionibus, Horuue, Nordlingen, Vuersch, † der Buss, Buggingeñ. Obsedit etiam Rudolphus Eberhardum de Vuirtemberg, & filiũ suum Vlricum unicum, cum machinis & alijs instrumentis, cum quibus castra & munitiones inuaduntur, & duo sibi castra destruxit, & eum obsedit pluribus septimanis cum magnis expensis: quorum unum dicebatur Mogneggeñ, aliud uerò Pfullentz Grauenuueyler. & ita destruxit, quòd domini de Vuirtenberg nunquam audebant eum depellere de loco. Ex Rudolpho & domina de Vuerdemberg descenderunt, Albertus, Rudolphus, Hugo, Hainricus, & una filia.

Hugonis curia.

Sueuus mons, à quo Sueuia nomen habet.

DE ALBERTO PRIMOGEnito Rudolphi.

Albertus missus fuit in Constantiam per patrem suum Rudolphum, causa studij: ubi stetit honorificè pluribus annis, & multum profecit in artibus. factus est Canonicus maioris ecclesiæ: & rector cuiusdam ecclesiæ in Austria, quæ dicitur Ruspach, & rector trium ecclesiarum in Sueuia, quarum pater eius fuit patronus. Postea missus fuit Parisios, ubi stetit pluribus annis cum magnis sumptibus, & profecit in magnum clericum: & legebat iura ad tempus, multis audientibus. Postea Licentiatus fuit in Decretis, non causa dominij, sed causa ueræ scientiæ. Postea rediens ad patriam, receptus est in Canonicum Argentinensem. Mortuo autem domino Rudolpho episcopo Constantiensi, electus est in episcopũ: sed in discordia nõ habuit processum, quia maior pars Capituli & burgenses erant contra eum, qui timuerunt potentiam patris. Postea factus est Cancellarius domini Ludouici Imperatoris, & eius aduocatus prouincialis totius Elsatiæ. in cuius seruitio multa peregit, & in solennibus negocijs missus fuit per Imperatorẽ in Franciam, tunc in prouinciam ad Papam, modò ad regem Angliæ, tunc ad ducem Austriæ. Postea uidens Imperatorem esse pigrum, & nõ multum promotum ab eo, transtulit se Auinionem. ibi diu stetit per longum tempus: ubi prouisum fuit sibi de episcopatu Herbipolensi, à Papa Clemente sexto. & non obtinuit, propter potentiam illius de Hohenloch, cõcorditer electo à toto Capitulo. Post mortẽ domini de Ottingen, qui fuit famosior physicus mundi, papa Clemens sextus prouidit prædicto domino Alberto de episcopatu Freysingensi, quẽ potenter & sine impedimẽto tenet: qui fuit uirtutibus plenus, sociabilis, affabilis, largus: sed minus humilis, quia nimia humilitas parit contemptũ. Rudolphus secundogenitus fuit probus, uirilis, sed crapulosus. Ex quo, & domina sua de Nassouue, descendit unus filius,

Albertus in Constantia causa studij canonicus maioris ecclesiæ, plebanus in Ruspach.

lius, qui sepultus est in Collegio Ehingensi, iuxta Neccarum, quod pater ipsius construxit. Hugo uerò tertiogenitus, animosus, bellicosus, mitis, uirtuosus, sociabilis, & audax, non curans de futuris contingentibus, sed excessit in multiloquio, contra dogma Catonis:

Virtutem primam esse puta compescere linguam.

Et Aristotelis: O' quàm speciosum est, & honestũ in homine, abstinere à multiloquio. A' quo, & filia Ferretarũ Comitis, descẽdit filius. Hainricus uerò quartogenitus, animosus, bellicosus, & prodigalissimus erga seruitores suos, ita quòd omnes munitiones & uillas cis distribuit, exceptis paucis uillis, & una munitione optima su per Danubio, quã tenuit, scilicet Fridingeñ, uel die Neuuenhohnberg: qui dominus Hainricus occisus fuit, & cum eo optima iudicia Sueuię, in episcopatu Curiensi, per dominos de Bellmont, & adiutores eorũ, in montanis: qui sepultus fuit honorificè in claustro quod dicitur Salmansuuiler, anno Domini M.CCC.LII.

QUAEDAM FABULA DE QUOdam notario Alberti Comitis de Hohenberg.

Quidam notarius domini Alberti Comitis de Hohenberg, qui dicebatur Cappadocier, sociabilis, curiosus, & subtilis, nõ curans pecuniam, qui fuit rector cuiusdam ecclesiæ in Schera, nomine Tieringeñ: Rex uerò Rudolphus libentissimè confabulabatur cum eo: in cuius curia frequenter morabatur, propter dominium suum, cuius sororem Rex habuit in uxorem. Quadam uice Rex indixit curiam Principibus in Franckfurt. Cappadocier ueniens à longè, & uadens ad cancellariam, inuenit mensam paratam, & cancellarium & notarios splendidè prandentes. Sedit uerò & ipse ad mensam, & pauca cibaria dabantur sibi, licet magnam haberet famem: & superius in mensa erant magnæ scutellæ, impletę optimis cibarijs. Ipse uerò uocauit unum de seruis suis, & dixit ad eum: Redeas ad modicum tempus, & uoca me festinanter, & dicas quòd dominus meus miserit pro me. Ille uerò interim circumuoluit secretè mensale, & in fine rotæ calcaris sui fortiter firmauit. Seruus uerò intrauit, & festinanter uocauit dominum suum. Ille surgens festinanter, & mensale cum omnibus ferculis & scyphis traxit in terram, & exiuit ad dominum suum. Rex uerò percipiens, quæsiuit ab eo, dicens: Quid modò fecisti? ille respondit: Dum ueni ad mensam cancellarij, & notarij uestri habuerunt fercula diuersa, & dabatur mihi, quod sanæ mentis & corpore infirmus bene comedissem: tunc egi, quòd ipsos mecum oportuit ieiunare. Rex uerò ridens, & respondens, Optimè fecisti. Ille uerò postea gratulanter & honorificè tractatus fuit à cancellario, & omnibus notarijs Regis. Item quæsitus fuit à Rege, si haberet ecclesiam bonam: ille respondit, Fortem & bonam ecclesiam habere, & bonas campanas, sed quod dominus suus nimis frequenter acciperet sibi fructus ecclesiæ. Quod Rex audiens, promisit se acturum, quòd dominus permitteret fructus cum ecclesia.

ALIA FABULA DE EODEM.

Item Rex quadam die erat in Vlma, ubi oleum nucum erat in carissimo foro. Cappadocier dixit, dominũ suum habere plures arbores nucũ in comitatibus suis, quàm in tota Elsatia & tota Vuestaugia, idq; iurando affirmauit coram multis dominis & alijs. aliqui credebant eum mentiri, & dixerunt Regi. Rex uerò uocauit Cappadocier, & dixit: Quid dicis de arboribus nucũ sororij mei? respondit: Ego dico, & dixi per iuramentum, dominum meum plures habere arbores nucum, quàm in tota Elsatia & Vuestaugia sunt. Sed sunt coryli, qui sunt arbores nuces proferentes, si non magnas, tamen paruas. Rex ridens dixit: Sicut te dimitto, ita te inuenio. Multa talia fecit prædictus.

ALIA FABULA DE QUODAM milite, qui dicebatur Iacobus Muller de Thurego.

Rudolphus Comes de Habsburg fuit inimicus capitalis Iacobi dicti Müller, militis Thurocensis, antequam fuit electus in Regem. Cui quadam uice obuians, cum nullo modo posset effugere manus Comitis, sapiens fuit, & festinanter descendit equum, & proiecit gladium suum in terram, & extraxit braccam, & sedit in uiam quasi merdando. Comes uerò & seruitores sui uenerunt uehementer exeuaginando gladios suos, uolentes eum occidere. Ille uerò extensis manibus, clamauit Comiti: Non decet dominationi & honestati uestræ occidere merdantē, detis mihi pacem quousq; attraham braccā. Comes respondit: Sit ita. Ille uerò dixit, Tunc bracca mea nunquā plus ueniet ad culum meum. Comes uerò hoc audiens, furore repletus, recessit ab eo. & idem postea factus est seruitor eius specialis.

DE MORTE ET SEPULTURA HAINrici, dicti Frouuenlop, magni dictatoris.

Anno Domini M.CCC.XVII, in uigilia S. Andreæ, sepultus est Hainricus dictus Frouuenlop, in Maguntia, in ambitu maioris ecclesiæ, iuxta scalas honorificè ualde: qui deportatus fuit à mulieribus ab hospitio usq; ad locum sepulturæ, & lamentationes & querelæ maximæ auditæ fuerunt ab eis propter laudes infinitas, quas imposuit omni generi femineo in dictaminibus suis. Tanta etiam ibi copia fuit uini fusa in sepulchrum suum, quòd circumfluebat per totum ambitū ecclesiæ. Cantica canticorum dictauit teutonicè, quæ uulgariter dicuntur Vnser frawen laidt, & multa alia bona.

FABULA QUAEDAM DE REGE.

Rex quadam uice transiens pontem Thuregi, cum uidisset quendam senem cum canorum multitudine pilorum, dixit ad quendam confabulantem sibi: O' quot bonos dies in uita sua peregisse potuit iste canus? Quod audiens ille, dixit suauiter: Domine fallimini, quia nunquam habui bonum diem. Quod quasi audiens Rex, quæsiuit ab illo, quid factum fuisset ab eo? Respondit, & dixit: se regentem in iuuentutē uetulā deformem, quam accepit in uxorem propter pecuniam, cum qua diu uiuentē iracunda præ timore aliarum mulierū, dixit, se uitam irascibilem peregisse: quia ipsa iam sene defuncta, illico iam aliā iuniorem recepi, nec illi in lecto cōplacere possum, uitam cum ea rixosam & duriorem peregi. De quo Rex in risum est prouocatus.

ALIA FABULA DE REGE.

Igitur cum iam quidā diues mercator, sagacior præ omnibus in mercatura, semper gerens negocia sua uerisimiliter pro utiliori conamine, & tamen defecisset: quadam uice eum uocauit Rex, quærens si uellet recipere pro socio mercatorem, & consilium suum sequi: quo annuente, quilibet eorum ponit centum marcas. Dixit autem Rex, Volo omnino quòd Argentinæ empta hallecia traducas Coloniam, & ibi uina empta reducas Argentinam: cuius consilio quamuis nimis & meritò territus adquieuit. Erat autem eo tempore Argentinæ tanta multitudo hallecum, quòd quasi pro nihilo uendebantur. & cum uenisset Coloniam, accidit quòd periculum in lacu factum est, quòd illo anno non poterant haberi hallecia, quia non poterant captiuari, & ualde in hallecibus lucrabatur. Accidit aūt quòd tanta multitudo uini descēderat, quòd uina leuiori foro & precio uendebātur Coloniæ, quàm in Alsatia: uina itaq; super curribus Argentinam ducens, cum interim uineæ repentina geliditate perierint, illa precio uendidit triplicato: ita quòd Rex & ipse maximè sunt lucrati. Dixit ergo Rex: Oportet quandoq; contraria, non semper lucri, sed ueri similia inchoare.

DE QUADAM ASTUTIA REGIS.

Venit etiam quadam uice clam ad Regem in Nurnberg, quidam mercator, indicans Regi, quòd hospiti ibidem noto & famoso commiserit ducentas marcas argenti, quas hospes se recepisse negabat. Rex autem scissitans, in quo sacco esset argentũ, mercatorem abscondit. Venientibus autẽ ciuibus, & inter illos hospite, ad alloquendum Regi: Rex alloquens iocose hospitem sibi notum, uidens eum pulchram ualde habere mitram in capite, sicut tunc moris erat, dixit se oportere mitram eandem habere: & ipsam extraxit ab illo. de quo hospes ridens, gaudebat. Proposito autẽ sermone ciuium, Rex pro consilio intrauit cameram, & clam quendam de ciuitate cum mitra per interinsignia misit ad uxorẽ hospitis, quòd sibi hospiti talem saccum cum argento illicò destinaret. quod cum illa fecisset, ille Regi præsentauit argentũ. quo ostenso mercatori, & illo dicente suum esse: Rex absconso argento, uocato ad se hospite solo, ei querelam exposuit mercatoris: quo negante præcisè, mercatore uerò asserente, instans Rex, producto sacco hospitem nimis territum deuincit. Redditoq; mercatori argento, hospitem prædiuitem in substantiam bonorum mulctauit. Rex quadam uice de Marchione Hainrico, quid comederet, requisiuit: quo respondente, quòd ipse & sui comederent unum pulmentum cum carnibus, & ipse & uxor eius unum caponem, & qui uellet acciperet alteri: Rex respondit, Non malè comedis, si sic facis.

DE MORTE RUDOLPHI REGIS.

Deficiente tandem rege præ senio, & dicentibus sibi medicis, quòd ultra certos dies durare nequiret, ipse dixit: Eamus Spiram ad alios Reges sepultos. & manens in Germerschen iuxta Spirã, ibiq; moriens, & sepultus Spiræ in sepulchro regali, honorificè, anno regni eius XVIII. cuius Epitaphiũ in silice supposito sculptũ tale est:

ANNO DOMINI M. CC. LXXXXI. PRIDIE CALEND. OCTOBRIS OBIIT RODOLPHVS REX.

DE ELECTIONE ADOLPHI de Nassouue.

Mortuo itaq; Rudolpho, & ueniente Alberto duce Austriæ, pro quo eligendo Principes miserant cum magnis expensis usque Haganow, Adolphus Comes de Nassouue in regem Romanorum est electus à Principibus. à quo idem Albertus de feudis suis, præsertim ducatu Austriæ inuestitus, in Austriam est reuersus. à quo Duce cum postea missis legatis Rex petijt filio suo filiam suam copulari, Dux respondit: Se, si posset ex filia sua facere Principem, hoc facturum: uel quòd Rex filiam suam uni ex filijs Ducis coniungeret, quoniam se Principem facturum promisit. Ex quibus & alijs inter Regem & Ducem odium est subortũ. Rex autem Metzam filiam suam Rudolpho duci Bauariæ Palatini in uxorem copulauit, qui ex ea genuit tres filios, Adolphum, Rudolphum, & Rupertũ: tamen intoxicatus Albertus in Austria, & diu per pedes suspensus, oculum perdens euasit.

Albertus monoculus.

DE BONIFACIO PAPA OCTAuo, & Columnensibus, ac rege Angliæ.

Eisdem temporibus Bonifacius Papa 8. Columnenses persequebatur ad unguem, Cardinalibus de Columna depositis, alijsq; plurimum molestatis. Fouens autẽ Rex Franciæ Columnenses, Papã persequebatur odio capitali, propterea Papa in odium Franciæ Regẽ diligebat Adolphũ. Rex aũt Angliȩ propter antiquã dominorũ guerram,

ram, cupiens aggredi Francum, centum milia marcarum pro auxilio sibi promisso, Adolpho principi, sed non præstito destinauit: qui infideliter agens, se non disposuit ad litem, sed à Marchione Misnensi, nepote olim Friderici Imperatoris ex filia, odiū habente, filio suo eundem Marchionatum emit, & tempore breui possedit, exceptis quibusdā munitionibus: quia filius Marchionis Fridericus nomine, eiecto Principe occupauit eundem. Princeps enim Misnam potenter ingressus, crudelia multa peregit. unum tamen castrum uincens, C. L. decollauit, qui domino suo castrum manu tenuerant. Postea Princeps Columbariam, quæ sibi fidelitatem fecerat, sibi rebellantē obsedit: cui aderant inter alios episcopus Basiliensis, Comes de Ferrato, de Liechtenberg, de Rapoltzstetten, episcopus Argentinensis, & alij. Et per quosdam plebeios porta de nocte aperiebatur Principi, & fugientiū multi sunt comprehensi, inter quos Anshelmus de Rapolstetten uix decollationem euasit. Captus est autem Baltherus Schultetus Columbariæ, & Ioannes filius eius, per episcopum Basiliensem: quos omnino Rex habere uolēs, sed propter officium episcopi uitam reseruans, eorum patrē omni die longo tempore fecit ligari super rotam erecta manu, in signum perfidiæ, & per uias & ciuitates ante se duci, & tandem matri seruari: & ibi patre extincto, filius post mortem Regis est liberatus.

DE ODIO INTER REGEM ET *ducem Austriæ.*

Princeps autem intendebat facere brigam duci Austriæ, propter quod multi Australium superbiebāt cōtra Ducem. dixerat autem Dux: Si dominus meus Romanorum Princeps stipendiarius est Angelici factus: & ego minore dedecore stipendiarius ero Franci. Plures electorum Principum, & specialiter Maguntinus, Principem ipsis æstimantes ingratū, Duci, quòd ueniret ad Renum, & nuncios & literas destinarunt. Dux autem timens se à Rege in Austria uisitari, allata secum pecunia, partes Reni & Sueuiæ est ingressus, malens in partibus consanguineorum suorum potius litem inferre, quàm in Austria uisitari. Rex autem ascendens cum Chunrado de Liechtenberg, episcopū Argentinensem Duci fauentem in Rubiaco oppido diu potenter obsedit. Fuerant autem quatuor duces Bauariæ fratrueles, Rudolphus & Ludouicus fratres superioris, Stephanus & Ottho inferioris. Venienti autem Otthoni in auxilium Regis, Albertus strenuissimus Comes de Hohenberg in Sueuia, sibi obstaculum ponens, ab Otthone in conflictu est occisus.

DE CONGRESSU REGIS ET *Ducis, & occisione Regis.*

Cum Dux Austriæ ueniēs de Sueuia iuxta oppidum Kentzingen castra metaret, Rex eundē locū accessit: cumq; propter flumē Eltzach exercitus se mutuò inuadere non possent, oppidumq; Regi aperiretur, Dux cum hostili exercitu Sueuorum & Renensium equitum descendens Maguntiam uenit, ibiq; à Principibus quibusdā quasi congregatis, Regemq; tanquam inutilem ac destructorem reipub. & Imperij destituentibus, in Romanorum regem est electus. Et cum regi Adolpho adesse nimiam multitudinem populi ascendentis sentiret, se doluit descendisse. & ascendens iuxta montem Dornberg prope Vuormaciam, expectauit. Rex autem feruens, metuēsq; Australem aufugere, non expectato peditum exercitu suo, cum equitibus suis celeriter sequebatur. Argutus autem, suis dicentibus, Aciem equitū esse minus fortem, noluit assentire. Aspiciens autem exercitum Ducis, quem credidit non mansurū, dixit: Verū dixistis, nostrū exercitū nimis breuē esse. illis uerò dicentibus, modò neglectū esse. & sic inierunt conflictum. Erat enim Rex animosus ualde in Australes. atq; habito consilio, exercitum suum declinauerat, ut acies Regis obuium haberet solem. Ipsis aggredientibus, hinc inde occisis, & præ calore, inter quos Ottho de Ossenstein uexillifer Alberti & Ludouici, cum alijs, caloribus sunt extincti. Rex ipsum Alber-

tum aggrediens dixit: Non euadetis, sed hic imperium dimittetis. Ille uerò dicens, Hoc est in potestate Dei: Regem iuxta oculum uulnerauit gladio. Prostratus autem Rex in terram, per quosdam comites syluestres, & alios Bolleria, modico in collo est uulnere occisus. quod uidit Dux, & nullũ amplius occidi permisit. Sicq; Adolphus cum octo annis regnasset, nolens expectare suos, stultitiæ furia est occisus, & in monasterio Frowenfeldt ad quod præsente Alberto uenerunt, est sepultus, de quo scripti sunt uersus:

Anno milleno trecenteno minus uno,
In Iulij mense, Adolphus ruit in ense
Per manus Australi processi marchinam.

Victo autem Regis exercitu, cum Rex per garcones spoliatus, omnino nudus iaceret, Maguntinus, scilicet de Eppenstein, cõsanguineus & machinator facti, uidens Regem, fleuit, dicens: Cor ualidissimum perijsse. Dux autem timens Maguntinum uariari, dixit ei: A' me non recedatis, meo negocio non perfecto.

DE ELECTIONE ALBERTI Ducis in Regem.

Occiso itaq; Adolpho, Albertus dux Austriæ occisor, ab omnibus Principibus est electus, & Aquisgrani solenniter est coronatus. Quem Papa Bonifacius diu odio prosequens, & læsæ maiestatis crimine reum dicens, tandem similiter in odium regis Franciæ approbauit: quem Albertum cum Papa contra regem Francię mitigare uellet, ille se hoc non facturum, nisi sibi & hæredibus suis regnum & Imperium confirmaretur per sedem, respondit: quòd si sibi fieret, aut se Francum expulsurũ de regno, aut se per hoc moriturum promisit. Noluit enim in hæredum destructionem se tanto periculo exponere, pro incerto. De quo cum multum tractaretur per sedem, tandem in contrarium resedit consilium. recensuerunt enim, quantum à tempore promotionis Rudolphi regis patris sui illa fuerit progenies exaltata, in seruitutem redegisse timẽs. Dixit ei Papa: Non fiat uiuente ista Iesabel: denotans Elizabet reginam, quæ ex matre soror extitit Chunradini. Hic Bonifacius alludens suo tempore centesi- *Iubileus.* mum annum statuit Iubileum, in quo scilicet M.CCC, Romã multitudo maxima confluebat. hunc Bonifacium Columnenses de auxilio Franci Aramiæ captiuarunt, qui tentus, necdum illos absoluere uoluit: imò amplius maledixit, & præ ira manus corrodens, tandem liberatus per Romanos, egrediens de Aramea, conuersus ad eum dixit: Si non meminero tui, obliuioni detur dextera mea. Verùm breuiter expirauit. Hic est Bonifacius, de quo dicitur, quod Cœlestino prædecessori suo, uiro utiq; sancto, de quo curia doluit se in luteis non perficere, per longam cannam loquebatur, Cœlestine cede, Cœlestine cede: quo etiam cedẽte, & Bonifacio tanquam certissimo creato, eum populus uenerabatur ut Papam. Bonifacius hoc sub excommunicatione prohibens, constitutionem edidit, quo Papam posse renunciare papatui declarauit: quia multi asserentes contrarium, eum Papam negabant. Hic condidit Sextum *Sextus Decretalium.* Decretalium, in quo claritate & uenustate dictionis omnes qui unquam iura scripserunt antecessit: edidit cõstitutionem Super cathedram, grauem Minoribus & Prædicatoribus. Quo mortuo, Benedictus IX successor, qui fuit Prædicator, fecit constitutionem Inter cunctas, per quam reuocauit aliam. Quo etiam sub Alberto rege mortuo, creatus est Clemens quintus Vuasto, qui constitutionem Super cathedram reuocauit. Ex tunc curia fuit à Roma translata. primò enim fuit in Burdegali, postea super Rhodanum. hic contraxit cum Heinrico Imperatore. Iste Albertus rex monoculus, potens in regno Almaniæ, & inibi filijs suis omnia quæ potuit attrahens, partes alias non curauit.

DE SEX FILIIS ALBERTI REGIS.

Habuit enim sex filios: Rudolphum primogenitum, qui ex relicta secunda scilicet

uxore Vuenceslai regis Bohemiæ, filio eiusdem regis mortuo contrahens, & rex Bohemiæ effectus, sine liberis est defunctus. Item habuit Fridericum, elegantem, formosum & fortem: Leopoldum bellicosum, & prudentem: Hainricũ, Albertum, Otthonem, & una filiarum eius Andreæ regi Hungariæ patri nupta, olim de regno Hungariæ eiecto. & ueniens Venetijs filiam ditissimi ciuis ducens, & ex ea hunc Andream genuit: qui ueniens ad curiam Alberti huius, adhuc ducis Austriæ, & receptus in regem Hungariæ, petijt Alberti filiam. quod cum Dux renueret, dicens eum mercatoris filium: ipse Hungarus Viennam in omni parte obsedit, & dandam sibi filiam coegit, dans filiæ Bresburg, & multas alias munitiones. cuius fratres postea Bresburg recipientes, dederunt ipsi Reginæ relictæ alia bona. Captis autem Hainrico & Friderico ducibus Austriæ, Carolus rex Hũgariæ ab ipsis Bresburg extorsit. Quo Andrea sine liberis defuncto, relicta in loco occisionis patris, uitam cœlibem duxit. Item aliam dedit duci Lothringiæ, quæ ex eo ducem Rudolphum Lothringiæ procreauit. Item dedit unam Goldemmaro Marchioni Brandenburgensi: quo mortuo sine liberis, ipsam dedit duci in Presla Poloniæ. Itẽ Comitis relictã de Strasberg, sororẽ, Otthonis de Ochsenstein, consobrinam Regis, ipse rex Rodolphus Marchioni dedit de Baden. Regno Hungariæ uacãte, Carolo quarto filio sororis Regis Alberti de regno Hungariæ per populum prouiso, Albertus rex eundem nepotem & regnum Hungariæ traducens, ipsum potentẽ effecit: quæ eius potentia pluries liberis Alberti regis in perniciem conuersa est. Ipse namq; Carolus strenuè se tenens, eiectis pluribus magnatibus regni, potentissimus est effectus. Accepit aũt filiam regis Cracouię, filiam sororis regis Lituaniæ gentilis in uxorẽ. quæ uxor quadam uice conata ipsum regem interficere, sedentem in mensa, per gladium, ipsa gladium manibus suis detegens, ad caput regis tres digitos amisit. Ille autem malefactor per quendam repentè fuit occisus. Fato autem eodem rege Alberto functo, uixit adhuc relicta, olim Rudolphi ducis Austriæ, fratris Alberti: qua morante adhuc in Brugga, misit frater eius Vuenceslaus rex Bohemiæ pro ea, uolens eam copulare regi Hungariæ. quæ cum filio suo duce Ioanne ueniens in Bohemiã, est defuncta. Rex autem Albertus omnino uolens rehabere Ioannẽ ipsum, remissum cum filijs suis, tandem ab ipso est occisus, quem enutriuit. Orta autem discordia inter Albertum regem, & Vuenceslaum Bohemum super quibusdam terris, Bohemiam decem septimanis cum magna potentia incendio deuastauit, sed nullam munitionẽ obtinuit. Alberto rege facto, Comes de Friburg habens sororem Chunradi de Liechtenberg, episcopum Argentinensem ad subijciendum sibi Friburgenses obsedit. Ciues autem castrum Friburg machinis deturbarunt. Veniens autem episcopus ad deuastandum Friburgenses, illisq; exeuntibus, inierunt conflictum: multisq; Friburgensium occisis, quidam carnifex episcopum sub dextro in rubea basia circumeuntẽ, & exercitum suum ad pugnandum incitantem, cuspide perforauit. quo occiso, Comes & sui per ciues postea continuè debilitati sunt, & depresi. Rex Albertus Ioannem episcopum Eystettẽ, cancellariũ suum, illegitimè natũ, pro episcopatu Argentinensi obtinẽdo Ioanni de Ochsenstein scholastico Argentinensi, consobrino Regis, ad Romanam curiam destinauit. Papa non scholastico, sed eidem Cancellario de episcopatu Argentinensi prouidit: quem Rex tanquam sua manu tenuit, & uix de scholastici amicis defendit: episcopo multa pro illis faciente, & magna donante. Hic Ioannes in structuris & munitionibus benefecit ecclesiæ, & postea filijs Regis, præterquam in fine adhæsit Bauaro. Rex quoq; in principio creationis, cũ Chunrado episcopo Theobaldum Comitem Ferretarũ, inuasit, eius terrã uastando: qui Comes dando filiam suam Otthoni de Ochsenstein, Regi est reformatus. Aliam filiam dedit Vdalrico de Vuirtenberg Comiti, ex quibus duabus nunc domini de Vuirtenberg & de Ochsenstein peruenerunt. Itẽ cuidam Petro de Tyrole, qui physicus erat, & per sedem Apostolicam in episcopum est promotus Basiliensem. Ioannes autẽ fratruelis Regis, quem Rex in curia sua cum filijs suis nutriuit, asserens dominium in Khiburg ad se spectare, tanquam matri suæ per Rodolphum regem olim Morganatico iure donatum, libenter habuisset sua, *Morganaticum ius.*

instans feruenter, ut sibi saltem eum intuentes aliquos assignasset. ad quod Rex minimè induci potuit, quòd nequiret, & insuper multos Baronum bonis suis & uiribus spoliaret. Instabat uerò frequenter regina, ut liberos suos sibi cõmendatos haberet, ac ipsius Ioannis prodigalitatem nimiam accusabat: tandem ipse Ioannes dux cum Baronibus Rudolpho de Vuart, Vualthero de Esthibach, & Vdalrico de Palma, Regem interficere cogitauit. Ascendente autem regina uersus Rinfeldam, cum iuxta minorem Basileam ad eam currens uenisset Ottho episcopus Basiliensis, iuxta currũ eius gratiam pro rege placando implorans, luto fuit perfusus. Crastinò autem Rege existente apud locum suum balnearum, ac Ioanne episcopo Argentinense rogante Regẽ, ut prædicto Duci de munitionibus suis aliquid assignaret: Rege uerò respondente, quòd uellet ipsi Duci committere centum galeatos in expeditionẽ Regis uersus Bohemiam, & post reuersionem uellet sibi aliqua assignare: hoc episcopo ad Ducem prolato, Dux dicens se nihil habere in commissione quod sibi facięti onerosum esset futurum: Episcopo respondente, se mortem & suorum ablationẽ ad paria iudicare. Vualtherus quoq; de Elschibach, cum à Rege sibi ablata repeteret, dicens se Regis consanguineum, & patrem suum in seruitio occisum, nec proficeret: quòd pariter ipsum posset submergere, dixit Regi. Prandentibus autem illis cum Rege, eiusq; filijs, rex Ioanni Duci unum crinile rosarũ posuit super caput, & alijs. Dux aũt flens, suum posuit super mensam: ipseq; & sui comedere noluerunt in mensa. Cum autem post prandium Rex uellet equitare ad regnum in Rinfeldam, uenissetq; ad flumen Rusam, Ioannes dux & sui primi in naui ascenderunt, quæ ibi unica erat. Sequenti autem uice transeunte Rege, & equitante per sata, sicut in more habuit, colloquente sibi milite de Casteln, accesserunt Dux & sui, primusq; Rudolphus de Vuart dixit: Quàm diu istud cadauer equitare permittimus? ac Rulassingensi famulo eius frenum Regis apprehendente, Ioannes Dux cultrum collo Regis infixit. Rudolphus uerò de Vuart Regem gladio perforauit, Vdalricus uerò de Palma faciem & caput diuisit: Vualtherus uerò de Elschibach licet Regem facto non læserat, interfuit tamen sic Rege occiso in sua terra, anno Domini M. CCC. VIII, Calend. Maij in meridie, anno regni sui decimo, in quo loco occisionis solenne monasterium Kunigsfeldt ordinis Minorũ est constructum, in quo Rex primò sepultus, Spirã postea translatus: in quo loco plures filiorũ suorũ sepulti sunt. Occisores aũt sunt fugati. Primò enim uenerũt in castrũ Froburg. dolo autem illusi per Comitem de Nydow, postea sunt dispersi. De Palma autem miles fortis diu Basileæ in domo Conuersarum, item in castro suo Alburnensi latitans, tandem obijt. Obsesso aũt per Luipoldum Regis filium † Schmibelburg, decapitati sunt quinquaginta, & alijs bonis Vualtheri & Eschibach destructis, ipse in terra Comitis de Vuirtenberg pastor pecorum est effectus. post annos XXXV, in morte se pandens, honorifice est sepultus. De Vuart uerò, postquam in castro suo de Valkenstein aliquandiu latitasset, uolens ire ad sedem Apostolicam, ueniens ad Ylam oppidum Theobaldi Comitis de Blamund, pandente histrione comiti & uxori suæ, quæ fuit de Veringẽ, illaq; cum lachrymis dicente, Absit quòd euadat, qui dominum & consanguineum meum interfecit: per ipsum Comitem fuit captus, cum famulo suo Rulassingẽ. receptaq; pecunia, duci Lupoldo sunt assignati. Vnde & mercator idem dictus est Comes Rulassingẽ, iuxta Einsingsch est positus super rotam. de Vuart uerò, iuxta locum occisionis Regis ductus ad iudicium, cum non daretur ei aduocatus pro se loquens, primò negans occidisse Regem, obtulit se duello. Secundò dixit, in eo nullum fuisse crimen commissum, qui occidendo dominum suum Romanum Regem reus læsæ maiestatis fuisset. Sed ex quo ipsi occisores fuerunt, per sententiã Hainrici Imperatoris dãnati sententialiter fuerũt: & quòd nulla alia sententia opus esset, ut ligaretur ad caudam equi, tractusq; ad locum supplicij, fractis dorso & membris, flexus est super rotam. Eius uxor de Palma ueniens nocte sub rotam, prostrata ad terram ad modum cruxifixi in oratione permansit. Ille uerò interrogatus, si suã uellet uxorem adesse? respondit, quòd non: quia pari modo in uxoris compassione, atq; in propria pateretur. quæ relicta, multis annis Basileæ beatissimam

† Fortè Vuiuelspurg, quod Auenticum olim.

tissimā duxit uitam. Ioannes uerò Dux post multas occultationes, tandem in forma Beghardi ueniens Pisas, ab Imperatore Hainrico inibi captus, & post Imperatoris mortem pluribus annis tentus, tandem inibi honorificè est sepultus. Occiso autem rege, cum obsessi in Furstenfeldt se manè uoluissent captos dedisse: in crepusculo noctis ueniens nuncius, in uertice montis clamās, Domine de Raperg, Rex est occisus: eoq; audito, etiam exercitus ante mediū noctis nunciū haberet: territi, summo manè recesserunt. Obsessi autem uenientes Basileam, contra Monachos mouebantur. & magna facta briga in Basilea, omnes Monachi & adhærentes expulsi fuerunt.

DE ELECTIONE HAINRICI DE *Lutzelburg, strenui Imperatoris.*

Occiso itaq; Alberto rege, Hainricus Comes de Lutzelburg, strenuus & sacer, eodem anno in festo omnium Sanctorū, à Principibus concorditer in Franckfurdt est electus, & Aquisgrani in sequenti Epiphania coronatus. Ascendens autem Rhenum, cum uenisset Spiram, uenit Eberhardus Comes de Vuirtenberg cum D CC equis in magna superbia, etiamq; cum multa tyrannide in homines Imperij commissa. eius cum non recordaretur, à Rege indignanter recessit. propter quod idem Comes postea ad mandatum Regis per ciuitates in Sueuia adeò est destructus, quòd sibi uix tres ex omnibus suis munitionibus remanserunt. quem de casto Asperg obsessum, cum multo tremore fugiētem, Hesso Marchio de Baden in oppido Belencken recepit. qui Comes depauperatus, cum concepisset Imperatoris gratiam, in Italia, postea percepit de morte Imperatoris, paulatimq; reuixit. Venientibus autem nuncijs ad regem Argentinam, pro gratia Regis & priuilegiorum inuocatione transmissis, nec Spiræ nec Argentinæ ab ipso responsum habebant. Ascendentes autem Columbariam ad Regem, edocti à quodam secretario Regis, dixerunt ei: Ciues uestri Argentinenses hoc petunt, quos Rex dicens se antè non intellexisse, quorum fuissent nuncij: cum dominos Argentinenses se nominassent, fauorabiliter exaudiuit. Ascendens autem Homagia, & fidelitatem dominorum & ciuitatum capiens, cum non abundaret, concepit in Italiam proficisci: & ueniens Spiram, Fridericum ducem Austriæ occisi filium post plures tractatus & tentationes, si possent Alberti liberi ab Austria separari: dicente cōsilio Regis, quandoq; Reges propter ducatum Austriæ occisos: ac Friderico respondēte, Et iste, si carere noluerit, poterit esse sextus. Tandē de illo ducatu & alijs dominijs eū inuestiuit, quæ pendebant ab Imperatore, acto quòd duces Regi ultra montes cum ducentis galeatis seruirent: auditoq; quòd Rex una die, Albertus & Adolphus Romanorum reges, sepulti fuerunt Spiræ, & ipse interfuit. postea collectis multis per prouinciā Sabaudiæ Comitis, intrauit Lombardiam, cumq; eo Lupoldus dux Austriæ, Rudolphus Bauariæ, archiepiscopus Treuerensis, Leodiensis, Basiliēsis, & plures alij episcopi, & quasi totius Alemaniæ stipendiarij ciuitatum. & ueniens Astam, post receptionē suam, de eis dubitans per Guidonem de turri Gelfiæ dominium ciuitatis habentem (credidit enim eum citò recessurum) misit Rex pro melioribus in tota Italia, de utraq; parte Gibellinorum & Guelfiorum, tentans si quo modo posset inter eos concordiā ordinare. ac illis post magnam deliberationem dicentibus hoc impossibile esse, Rex desistens, illos negotio imperfecto remisit. Videns autem Guido, Regem diu & potenter in Mediolano morari, & de traditione & nece regis & suorum per se & suos cogitans, quendam de Sodoma damnatum educere decreuerant ad cremandum, ut Alemannis egredientibus ad uidendum, clausis portis Regem occiderent desolatum. Et irruentibus illis cum populo ad palatium Regis, primi fratres Teutonici signati S. Mariæ armis & uexillo ordinis, qui decreuerant non exire cum cremando, cum quibusdam alijs irruentem populum uiriliter inuaserunt: defensoq; palatio Regis, ad portam ubi iacuit Lupoldus dux Austriæ cum ducentis galeatis, cum labore properantes, proiecta in uicum uasorum, & alia obstacula remouerunt, ictusq; lanceorum & lapidum de domibus sustinentes:

nentes: & uiolenter aperta porta, cum Dux & alij ad Regis palatiũ perueniſſent, ad mandatum Regis Guidonem & ſuos inuadentes, nemini pepercerunt. illoq́ extra ciuitatem fugato, ſuisq́ occiſis, cum Comes Sabaudiæ conqueſtus eſſet, qui fuit Guelphus, quòd Teutonici illos ſine miſericordia occidiſſent: Rex reſpondit, quòd ipſos in potentiam uoluerunt calliare. Quibus uictis & eiectis, Rex de Mediolanenſibus pro ſua diſpoſuit uoluntate, Matthæum Vicecomitem ponendo miniſtrum: qui, & liberi ſui, etiam poſt mortem Cæſaris, illius terræ dominium tenuerunt. Rexq́ poſtea Gibellinis adhæſit. Vualtherus autem Comes de Hohenberg relictus in Lombardia à Rege, quot & quantas uictorias habuerit, & quàm feliciter nomine Imperatoris triumpharit, integra hiſtoria non caperet. Poſtea obſidendi animo ad Cremonam tranſiuit, qui eum & ſuos miſſos renuerunt acceptare. Territi autem Cremonenſes, ferendo funes in collis obuiam ibant regi. Habita igitur Cremona, & multis alijs ciuitatibus Lombardiæ, Brixiam obſiſtentem inuenit: quam cum Mediolanenſibus, Veronenſibus, & alijs ciuitatibus ſuaq́ militia per integram æſtatem obſedit: ubi Vualtramus frater Regis iaculo eſt occiſus. Huius obſidionis & exercitus multitudine fœtorem & peſtilentiam eſſe factam, quid opus eſt narrare? cum multę ciuitates ibidem quaſi cum domicilio reſiderent, ut aggredientes per duo miliaria fœtorem ſenſerint. Exercitus ambitum habebat per tria miliaria, nec erat numerus captiuorum & mutuò occiſorum, nec unquam mors communior uidebatur. Omnes autem Guelphi eidem ciuitati in uictualibus auxilium præbuerunt. Habebant autẽ intrinſeci pro ſe montem contiguum ciuitati. Et ecce quadam die manè aſcendens montem uirilis Regis exercitus, uicit multitudinem aſcendentium ex aduerſo conflictu. Ibi Theobaldus Brixiæ dominium tenens, autor huius belli, quem Rex Spiræ militauerat, lethaliter uulneratur. Allato autem eo regi, Rex eum intuendo cognoſcens, mirabiliter eſt gauiſus. Cum autem ille ope medicorum curari non poſſet, & diutius puniretur, per quatuor tauros membratim eſt laniatus, & quælibet partium poſtea ſuper rotam, & caput uerſus portã ciuitatis lancea figebatur. Quæſitus aũt ille adhuc uiuens, cur tantum nephas attentauerit contra Regem? reſpondit, Se Regis ſuperbiam ferre nõ potuiſſe. Intrinſeci autem uidentes quæ fiebant, de multitudine captiuorum de exercitu Regis magnum numerum iuxta mœnia ſuſpenderunt. Obtento autem monte ab extrinſecis, tandem illi intrinſeci ſe & ciuitatem Regis gratiæ obtulerunt, funes ferentes in collis. Rex autem demolita parte muri, ingreſſus eſt ultra murum. Poſthæc circa hyemem Iannam profectus cum regina, honorificè eſt receptus: ubi Beatrix regina moriens ſepulta eſt ad Minores. Ibi pluribus menſibus permanens, poſtea iuit Piſas. Piſis autem menſibus aliquot manente eo, uenerunt ſubinde nuncij ſolennes Romanorum pro rege. Erat autem ingreſſus Italiam de aſſenſu & approbatione Clementis papæ quinti, qui ei Hoſtienſem epiſcopum cum tribus alijs Cardinalibus, pro impendenda unctione & confirmatione cum inſignijs deſtinauit. Rex igitur properauit ad urbem, quò etiam Rupertus rex Apuliæ ueniens, Romanos auſus eſt impedire. Stephanus uerò de Columna, cum ſuis, potentiores, Latriani, tenebant unũ pontem ſuper Tyberim: alios uerò tenuerunt Vrſini, qui quaſi omnes adhærebant Ruperto. Miſit autem Rupertus Ioannem fratrem ſuum cum alijs, ad obſtruendum iter Regi, ad fractionem pontis, qui parati machinis & alijs quamplurimum laborabãt: quo facto receſsit ad S. Petrum. Rex autem in uigilia Pentecoſtes pontem tranſiens, multos fecit milites. Belſi enim ex turri, quem habebant ſuper pontem, in Regem & ſuos inſtar grandinis direxerunt ſagittas. Latriani autem honorificè eſt receptus. & ſuper caſtro, quod Militia dicitur, manens, quaſi quotidie ex parte Ruperti, & fautorum ſuorum multas pugnas pariter & conflictus ſuſtinuit. Miſit autem pro 50. melioribus Latrianis, qui & pro eo miſerãt, petens ab eis, ut ſua urbs ſibi fortalicia aperirẽt. qui cum ſe difficiles redderent, aliqui uerò præcedentes fingerent ſe eſſe Ruberti uaſallos: Rex ab ipſis recedens, eos fecit includi, quouſq; ſibi liberos & obſides & fortalicia aſsignarent: turrimq́ prædictam illicò expugnarunt. ſicq́ Capitolium nunc hac nunc illa parte contraria inuadentes, continuè expugnarunt, quouſq; totaliter occuparent

parent

parunt Latrianũ. Occisis aũt in eiusmodi conflictu multis, & quadam uice ab episcopo Leodionensi, Regis consanguineo, & abbate Vuissenburgensi domino de Blanckenberg, id Regi flendo nunciaretur: Rex ipsum redire cũ fletu ad suam matrem dicebat. Differẽtibus aũt Cardinalibus, quorũ unus obierat, coronationẽ Regis, & deprehenso quodã cũ literis Papalibus, quibus ipsis Cardinalibus papa Regis coronationem interdixerat, & persuasione Hostiensis, qui & Gibellinus fuit, & Stephani de Columna: multitudoq; Romanorum irruisset in Palatium regis: & requirente Rege, qui nollent, se uelle occidere: illi Vuarateres dixerunt, qui stipendia militum deuorarent. & sic territi Cardinales, Regi in ecclesia S. Ioannis Calend. Augusti unctionem coronationis Imperialis impenderunt. Erant autem alba omnia eius indumenta, cum equo albo. Postea uerò assurrexit Cardinalibus, nec quenquam in suam mensam locabat, sicut antè. Pœnituit autem Papam, uidentem eius potentiam ac rancorem inter Rupertum & ipsum, imò & inter Philippum regem Franciæ & ipsum Regem. Turbauit Francũ, quòd ipse Rex se in scribendo præposuit. Cæsar recedens inibi, reliquit Hugonem de Buchegge Comitem cum ducentis galeatis, qui cum Stephano prædicto uiriliter se tenens, & frequenter cum Belfis confligens, urbem S. Petri, quam Cæsar habere nõ potuit, acquisiuit. Cęsar autem Florentiam, habentem centum milia armatorum (omnes autem Gelfi illic subsidium destinarãt) cum pauca gente obsedit. Infirmos autem aliquantulum in uillam uicinã sub monte causa melioris aeris collocauit. & ascendentes inimici in montem, uexarunt Cæsarem lapidibus & sagittis. & dicente Cæsare, Ah quòd neminem habeo cui hæc cordi existant: multi ascendentes de turba Cæsaris, difficulter è monte inimicos fugarunt, interficiendo ducentos, & ultrà. Decrescente autem turba Cæsaris, misit pro relictis in urbe, & sic Hugo de Buchegge cum reliquis Romæ, urbe Stephano cõmissa, ad Cæsarem properauit, in itinere duobus conflictibus feliciter triumphando. plures enim quàm ipsi fuerant in obsidione Florentiæ, Cæsari præsentarunt captiuos. Posthæc Cæsar Pisas rediens, citato inibi Ruperto rege, & habitis processibus debitis, tanquam in maiestatis læsæ reum ac proditorem & hostem Imperij, priuationis omnium dominiorum & decapitationis, si unquam ueniret in Imperij fines, sententiam promulgauit: quã sententiam Clemens post mortem Cæsaris reuocauit. Conuenit autem Cæsar cum Rege Siciliæ, de danda filia sua, filio suo Siculo. & disposuit se iterũ Neapolim, & in partes illas. Rex quoq; Rupertus disposuit recedere de regno Cæsare uenĩete, & in prouinciam se transferre. Decreuit autem Cæsar, se Apuliam & terram Ruperti, Siculo commissurum. Præceperat enim omnibus ciuitatibus, episcopis, & alijs magnatibus Almaniæ, ut transmitterent nouam gentem, quæ iam erat in itinere ueniendi. Venerat etiam mater Imperatoris cum filia Siculo danda, usq; Basileam, ad Cæsarem profectura. Ducebatur iam etiam domina Catharina soror ducum Austriæ, imperatori nuptura. Præmisit etiam Cæsar prædictum Comitem de Blanckenberg, ad urbem, sibi apud S. Petrum domicilium paraturum: & uenit Cæsar cum exercitu suo iuxta Senas, aliquot diebus, ad Senensium sibi rebellium terram ignis incendio deuastandam, & captos ex eis in arboribus suspendendos. Et in assumptionis uirginis Mariæ uigilia, decantata coram eo missa, eoq; per quendam Prædicatorem communicato, post missam cœpit illico infirmari. dicebatur enim, quòd ipse Prædicator uenenũ sub ungue digiti tenens absconsum, post cõmunionem potui Cæsaris immisisset, & illicò discessisset. Cum autẽ consuleretur Cæsari, quòd Pisas reuerteretur: ipse se in seruitio Domini esse, & non retrocessurum, respondit. & procedens, cum uenisset ad uillam quæ dicitur Bonconuet, progredi ultra nequiuit: sed in die beati Bartholomei decessit. quem exercitus Pisas reduxit, ubi cum ineffabili lamentatione est honorificè sepultus, anno Domini M.CCC.XIII. Sicq; heu perijt columna magnanimitatis & iustitiæ, ac flos germinis germinorum. Pisani autem, magnates Cæsaris repatriantes secum manere rogarunt. multiq; etiam militares de exercitu remanserunt cum illis. Et facta est briga inter Rupertum regem capitaneum Gelforũ, & Pisanos. & pòst facto conflictu ante montem Catinum, ubi omnis pars Gelforum cõuenerat, Pisani cum Al-

Heinrici Imperatoris mors.

cum Almannis uicerunt: & occisi sunt in die illa centum milia Gelsorum. & cecidit Ioannes princeps, frater regis Ruperti: super quem sedens comes Niger Pisanus, miles factus est super eum. À tempore enim Conradini, nullus de progenie eorundem Comitum militari uoluit, nisi in bello, ubi fieret uindicta in stirpe, quæ Conradinum occidit.

DE LUDOUICO BAUARO
Romanorum Imperatore.

Perdito itaq; felici Hainrico Imperatore, & uocatis Principibus in Francfort, Fridericus dux Austriæ, filius Alberti regis, & nepos Rudolphi regis, pro regno laborauit. Cui Petrus Treuerensis, Mogunt. & olim episcopus Basiliensis, quem Albertus quondam Rex læserat, & Ioannes Bohemus, se opponunt. Fridericus autem Australis alloquitur Rudolphum & Ludouicum duces Bauariæ, Palatinos Rheni, exhibens se ad asistendum eis. & æstimantes se tanto negocio impotentes, se Friderici seruitio astrinxerunt. Dux uerò Saxoniæ, & Blodmarus Marchio Brandenburgensis, Friderico adhæserunt. Hi enim laici omnes, ex uxore Bohemi fuerunt, quondam regis Rudolphi nepotes. Item Hainricus de Freiburg Coloniensis, inter alios tractatus fecit, quòd filia fratris sui Comitis de Friburg copulata fuit Hainrico duci Austriæ, fratri Friderici: & hic similiter adhæsit eidem. Venienti autem Friderico cum forti exercitu ualde, & castrametato iuxta Franckfurt apud Saxsenhausen, Petrus Moguntinus uictualia iuxta Maguntiam abstulit Friderico. Exercitus autem Moguntini, Teuereñ, & Bohemi, se ex inferiori parte Moguntiæ collocauit. Inductus est autem dux Ludouicus Bauariæ iunior, qui & aliàs Friderico præualuit in conflictu, quòd contra eum eligi se permisit: quia in promissione facta Friderico, ipse Ludouicus intelligebatur exceptus. Inductus est autem miles Goldemari Brandenburgensis, habēs ab eo mandatum sufficiens in genere eligendi Ludouicū contra dominí uoluntatē. Electi sunt igitur in discordia, in die beati Lucæ Euangelistæ, anno Domini M.CCC.XIIII, Fridericus dux Austriæ, ab episcopo Coloniensi, à Rudolpho Bauaro, Palatino Rheni, duce Saxoniæ electus: Ludouicus uerò, à Petro Moguntinensi, Vualdeuuind Treuerensi, Goldemaro Marchione, & Iohanne Bohemo. Nec hi Principes conuenerant, sed quisq; in suo exercitu, per se uel procuratorem elegit, & in suis exercitibus publicarunt. Australis uerò præ fame recedere est coactus, multiq; dextrarij in ascensu manserunt in uia. Ludouicus itaq; Aquisgrani à Moguntino & Treuerensi, in loco quo debuit, sed non à quo debuit: Fridericus uerò in Bunna à Coloniense, à quo debuit, sed non in loco in quo debuit, coronati sunt. Adhæserunt autem Ludouico ciuitates inferiores Rheni, usq; Seltz: Friderico autem, Seltz, & superiores Rheni, exceptis Berna & Soldera, quæ neutrum curabant. Descendit autem Lupoldus dux Austriæ cum grandi exercitu Spiram, contra Ludouicum: ubi Ludouicus cessit de campo in cemiterium Iudęorum. Lupoldus autem uillas Spirensium & aliorum inibi aduersariorum comburens, ascendit, & uastans transiuit. Post hæc ipse Lupoldus iuxta Augustam, ad flumen Lech, & in superiori Bauaria multa, & inter alia oppidum Landsperg, per se uictum, ignis incendio deuastauit. Indicta est autem curia, in festo Pentecostes solennissima per Australes, ubi inter Fridericum & filiam Regis Arragonum, & Lupoldum & filiam Comitis Sabaudiæ, nuptiæ celebrarentur. Ibi quot & quanta hastiludia, etiam torniamenta peracta sint, quis enarraret? Vbi Comes de Katzenellenbogen, per dictum Gratt & Gelluuil militem hastiludio prostratus, cum maxima pœnitentia moriens, cum magno fletu mulierum Basiliensium, ad Rhenum est deductus. monstrabantur ibi sanctuariorum insignia, quæ Regum dicuntur, scilicet lancea, clauis, pars crucis Saluatoris, corona, gladius Caroli, & alia, per quendam Cisterciensem: & cecidit machina, ubi plurimi sunt depressi, & plurimæ dominarum læsæ, & multa clenodia sunt detracta. Vbi Ioannes de Clingenberg, præteritis & præsentibus, & postea XXX annis cōtinuatis, ualentissimus militum censebatur. Obsedit autem Lupoldus Solodorum, & ad recognoscendum,

fratrem suum pro Rege coegit. Ascenditq; cum magno exercitu uersus Suuiciam, uolens fratri uillas illas quæ sunt de iure Imperij subiugare. Et cum Ottho Comes de Strasberg cum uno exercitu ex parte Ducis ingrederetur, per uallem Vnderwalden, artans eam partem, ac declinare uolens ad Ducem, & ascendente Ducis exercitu magno ex alia parte montium: ecce descendit populus Suuiciæ cum impetu per cliuum montis quendam, & læsis ibi atq; sine misericordia interfectis melioribus nobilibus, qui præcesserant, Ducem cum exercitu suo lamentantem fugauerunt. Et Ottho de Strasberg intelligens, per cliuum montis, per quem descenderant pedites, festinanter ascendit: ex quo læsus intrinsecus, postea breuiter est sepultus. Perierunt autem ibi mille quingenti. Sicq; ualles illæ pòst adhuc stant inuictæ.

DE QUODAM CONCILIO VIENNAE, *per Papam Clementem quintum contra Hainricum Imperatorem celebrato.*

Celebrauit autem Clemens Papa quintus post mortem Cæsaris concilium Viennæ, reuocans sententiam Imperatoris contra Rupertum prolatam: & eidem facto Imperatori periurium impinxit, multas faciens constitutiones, quas nõ publicauit, morte præuentus. Obijt autem, ubi curiam habuit: cuius thesaurum, eius patruus occupauit. Vacauit aũt curia plus quàm per annum. Post hæc Cardinales cõgregati Auinionem, per Rupertum regem inclusi, Iacobum episcopum Caturicensem, ipsius Regis olim cancellarium, elegerunt in Papam, anno Domini M. CCC. XV, mense Augusto. Et uocatus est Ioannes XXII, qui constitutiones Clementis publicauit: sanctum Ludouicum minorem, prædicti Ruperti fratrem, canonizauit: episcopum Caturicensem ex quadam suspicione sortilegij in Papa facti degradatũ, excoriari fecit, & in omnibus fauit Ruperto. Postea Fridericus & Ludouicus electi Romanorum reges cum magnis exercitibus in Sueuia iuxta Eslingeñ, quam uterq; habere conabatur, ubi in fluuio Neccaro non ex proposito, sed casu adaquantibus equos hincinde abeuntes, & adiuuantibus unusquisq; suos paulatim, magna est facta strages utrinq;, multiq; nobiles utrinq; capti. Vbi & Vuernherus Comes de Hohenberg est captus, Neccarusq; sanguineus uidebatur, propter occisionem equorum.

DE CURIA ET HASTILUDIO, *quam Lupoldus frater Friderici regis habuit in Baden.*

Indixitq; Lupoldus dux curiam in Baden, in terra sua: ad quam quanta multitudo nobilium confluxerit, quantaq; hastiludiorum solemnia sint peracta, de machinis spectaculorum, de 12 candelabris, & candelarum magnitudine & longitudine, quarum unam uix 12 uiri portabant, & multis alijs, quis enarrabit? Ibiq; soror dominorũ ducum Austriæ, Ludouico seniori de Ottingeñ est cõiuncta, quæ antè ex sorore Comitis de Vuirtenberg habuit filium & filiam, qui Ludouicus antè fuit secretarius Ludouici electi, & seruitor: postea eum persequebatur ad unguem.

QUALITER LUPOLDUS CUM MAGNA *gente descendit uersus Spiram.*

Lupoldus quoq; dux cum grandi exercitu ueniẽs Spiram, aduersantiũ uillas comburens: & cum ascendisset, dimissa gente, illicò denunciatur, Ludouicum ascendere cum magno equitatu feroci. Ipse Lupoldus dilapsa gente sua, nuncios misit, ipseq; ad Vdalricum Ferretarum & Ioannem episcopum Argentinensem repentè descendit: qui duo cum suis populis ad Bruscam flumen, ab occidente uersus orientem fluens, in Argentinam se cum magno tremore locarunt. Et uenit super Bruscam Ludouicus electus, cũ Treuerensi Bohemo, gente Maguntini, & alijs quatuor millibus galeatorum electis. In nocte aũt Comes Ferretarum de Brusca uersus Mollestein, præ timore

 recesit:

† recessit: manè reuersus ad Bruscam, populis quos aduersari quemadmodũ comedissent: illi asserentes se nolle cũ rusticis pugnare, Bruscam iuxta Argentinam transibãt, se iuxta Thorolzhaim collocantes, tamdiu confringere differendo, quoad Lupoldo gens magna equitum & peditum affluebat. Argentinensium autem pars una, scilicet Zoronum, Friderico: alia uerò, scilicet † Milenheinss Ludouico fauebant. Et cum Argentini post Fridericum, nunc in transitu Ludouicum multis cum armatis ingredientem, & citò egredientem in maiori ecclesia receperunt, qui & ipse eorum priuilegia confirmauit, anno Domini M.CCC.XX, de mense Augusto: & Fridericus in Austria de congregatione Ludouici intellexisset, cum paucis spadonibus cursu uelocissimo properauit ad regnum. Veniensq; Rinaugiã, intellecto de constructione fratris, properauit ad ipsum, & appropinquans aciei Ludouici, quam credebat esse Lupoldi, retrocedentes per aliam uiam ad aciem Lupoldi uenerunt: qui amplectens fratrem præ gaudio, fleuit amarè, dicẽs: O' domine, quàm diu & in quãto periculo me dimisistis? & distabant acies in plano campo ad inuicem, non ad quartã partem miliaris, paratæ ad conflictum. Gens aũt Lupoldi abductis equis se parauit ad pugnam, clamatumq; fuit sub pœna capitis, ne quis calcaria retineret: gauisiq; sunt de Friderici aduentu. Dicto autem in acie Ludouici, de aduentu Friderici, missus est miles cum conductu ad tentandum, si ita esset. Prætenderant enim inferiores, se nolle confligere cum Lupoldo, quia eo uicto finem negocij non haberent. Adducto autem milite coram Friderico, dixit Fridericus militi: Dicite auunculo meo, me hic ad conflictum paratum, & tempus esse ut finem demus nostræ guerræ, † impij fidelibus faciamus. Et cum iam superiores essent, in angustia & tremore fuissent, eo quòd inferiores nobilissimam habentes miliciã, euaginatis iam gladijs se istos simulauerãt inuasuros: ecce reuersi sunt ultra Bruscã, quanto ocius poterant: descendentes quoq; isti, per biduũ sunt sequuti.

† Mulenhausen

DE OBITU MARCHIONIS BRANdenburgensis.

Eisdem temporibus, anno 19 obijt Vuolmarus Marchio Brandenburgensis absq; liberis, Marchionatu ad Imperium deuoluto: de quo prędictus Ludouicus, Principi Ludouico, filio suo primogenito, prouidit.

DE ELECTIONE EPISCOPATUS Constantiensis.

Eisdem tẽporibus Gerhardo de Bena episcopo Constañ. mortuo, exclusis aliquibus electis, Rudolphus de Monte forti per ipsum Papam ad Constantieñ. ecclesiam est promotus. Cui etiam uacans monasterium S. Galli committitur. Sed eo tam diu assistente Ludouico, idem monasterium ad preces Hugonis de Buchegge, collocatum est N. de Bonstettñ, auunculo Berengarij de Landenberg, qui se fecit extra cemiterium sepeliri. Mortuo Basileæ illis diebus Vdalrico, unico Comite Ferretarum, absq; filijs, & Comitatu pro maiori parte ad ecclesiam Basiliensem deuoluto, iamq; in ipsius Comitatu populus aduentum Basiliensis episcopi expectaret, ecce Iohanna Comitis filia cum dominio traditur duci Alberto: & post multa discrimina, post submersionem Montanam, nuncij plures literas legentes. post expugnationem aliquam castrorum per Gabilonem factam, de episcopatu litigante cum commissione Basiliensis post multos processus, tandem cessit Hartungus dispensatione super beneficijs, & pro receptis obtentus.

DE QUODAM EXERCITU FRIderici Australis in Bauariam contra Ludouicum.

Egressus est autem de Austria sub anno M, CCC, XXI, Fridericus electus cũ gente magna

te magna in Bauariam, ad quem Lupoldus cum DCCC galeatis de Sueuia properauit. Lupoldus autem cum exercitu suo, antequam fratres conuenire possent, aciem suam ad inuadendum Fridericum direxit. Lupoldus autem iuxta Monacum Bauariae, Iseram transiens, sed satis ambiguae coniunctus fortunae, Ludouici exercitum sequebatur. quod Ludouicus intelligens, recessit de campo, munitionibus se committens. Sicque Fridericus & Lupoldus conuenientes, quod non posse fieri credebatur, mirabiliter sunt gauisi, terramque Ludouici superiorem Bauariam decem hebdomadis incendio, omnique inquietudine uastauerunt.

QVALITER AVSTRALES MISE- *runt Hainricum fratrem ipsorum in Lombardiam.*

Posthaec miserunt Australes Hainricum fratrem ipsorum cum exercitu, in fauorem Papae Ioannis Brixieñ. in subsidium partis Gelfae: qui cum inibi aliquandiu stetisset, non multum uiriliter agens, concordatus cum Cane Veronensi aduersario, clam comportauerat pro conductu: & simulans se cum exercitu suo quosdam Gibellinos inuasurum, repentè recessit, & in Austriam est reuersus.

DE CONFLICTV, QVEM LVDOVI- *cus & Fridericus inuicē habuerunt, quando Fridericus captus fuit per Ludouicum.*

Ingressi sunt itaque iterum superiorē Bauariam sub anno Domini M.CCC.XXIII, de mense Septembri, Fridericus & Heinricus Australes, cum duobus milibus & ducentis galeatis, & quatuor milibus Hungarorum sagittariorum, missis sibi à rege Hungariae, & de Sueuia Lupoldus frater eorum cum ducentis galeatis electis. Tardante autem se in uastatione terrae Vuilhelmi Comitis de Monte forti, qui cum Ludouico adhaesit: ipse Ludouicus episcopus Treuerensis cum exercitu suo, scilicet mille D. galeati, & cum 30000 peditum, ad fratris exercitum declinauit uexillum, conflictum committens cum Comite de Flusselberg. Ipse autem Ludouicus met duodecimus in armis blancis, cum albis crucibus, ne cognosceretur, absque signis Regis apparebat. Non enim dubitauit, si uinceretur, occidi. Aderāt etiam sibi Burggrauius de Nurnberg, duo de Ottingeñ, Vuilhelmus de Monteforti, multique Comites & Barones. Cumque uenissent ad flumen paruum, quod eorum exercitus diuidebat, sagittarij Australes adeò infestabant, quod ad castrum suum uicinum situm super ipso flumine declinauit manē transeuntes ibidem. Intellecto autem quòd Bauari transiuissent, & consulentibus pluribus quòd Fridericus paulatim uersus iter Lupoldi declinaret: ipse Fridericus animosus nimis, omnino se disposuit ad conflictum in armis Regis contra suorum consilium procedendo, & praemisit aciem ducentorum galeatorum, quam sequebantur cum uexillo acies octingentorum galeatorum. Postremò ipse in acie octingentorum processit, & progredientibus ad conflictum, fractoque uexillo Bauari, acriterque certantibus Australibus, & praesertim Friderico manu sua, qui ualentior in pugna reputatus est in omnes: cedenteque acie Bauarorum, ita quòd uicisse credebatur omnino. Et ecce equites Bauari reuocantes pedestres, qui cesserant, ac se terrae committentes, cum illis reuersi sunt ad conflictum. Posthaec uenit Burggrauius cum acie equitum, cum clamore: & fugientibus sagittarijs Australibus, multisque cum illis, captoque Heinrico Australi, ac deuicto Australium uexillo, eisque pro maiori parte terga uertentibus, & ualentioribus captis, tandem armiger quidam Fridericum desolatum à suis, equo etiam eius perforato, eoque se demittente ad terram, capere uolens, nec eum cognoscens, quaesi-

tus fuit ab illo, cuius esset seruitor. Quo respondente, quòd Burggrauij: Fridericus fecit Burggrauium aduocari, cui gladium porrexit, & eius gratiæ se commisit. qui cum certificatus de uita, Bauaro præsentauit, salutante eum Bauaro, & dicente: Auuncule, libenter uidemus uos. Ille autem consternatus animo, non respondit. Licet autem multi consuluerunt, quòd in signum uictoriæ per noctem in campo manerent: Ludouicus timens aciem Lupoldi, non remansit. Lupoldus hoc intelligens, dolenter recessit, mirans quòd rex Romanorum in discordia captus, non esset occisus. Et factus est conflictus in die sancti Michaelis, quo quinque anni erant, quòd auus amborum Rudolphus de Habsburg in Regem electus est Romanorum, & postea Australes in potentia decreuerunt. Habuit autem Ludouicus quendam Martinum monachum, postea factum sacerdotem, qui sibi multa futura prædixit. Hic ante medium annum, Fridericum ante diem Michaelis finitum, captiuandum prædixit, curiam suam in ualore centum marcarum cuidam de Monaco, paciscenti in contrarium, ad certam summam pecuniæ obligans super eo. & in die sancti Michaelis, alter inuicto Martino, & continuò dicente, Vos aliud audietis: per iudiciũ occupauit, quæ sibi comperta ueritate est restituta: ipseque Martinus pecuniam acquisitam iussus est recipere. Hainricus quoque Australis captus regis Bohemiæ, restitutis ipsi Regi quibusdam munitionibus Morauiæ, quas Australes occupabant, liberatur: Fridericus uerò in castro † Tribenstritt Ludouici fortissimo detinetur, multique Australium, præsertim de Vualsee durè tenti in magnis sunt cathenis. Ciuitates autem Elsatiæ, Columbaria, Schletstatten, Ensenheim, Bosheim, Hagnouue, quæ Friderico adhæserant, territæ, Henbeloneg de Liechtenberg, Suueuum, in aduocatum Ludouici nomine receperunt. Ioannes episcopus Argentinensis conuenit cum eo, de non assisten do alicui eorundem. Marchiones uerò de Baden perseuerantes in Lupoldo, oppidum Seltz Imperiale eis obligatum per Fridericum, ingressi, infestationes plurimas patiebantur. Lupoldus autem ueniens Basileam, militiam congregauit. Congregati uerò sunt nobiles utriusque sexus, qui Lupoldum chorisare & iocundari quantum poterant compulerunt, & ille fecit omnia absque risu. Misit autem 50 galeatos in Eenizheym, qui Columbarienses cum inquietudine infestarent, quos posthæc in Seltz destinauit, qui ciuitates & Bauaros spolijs & incendijs infestinãtes, inibi potenter sunt obsessi. Lupoldus autem gentem in nauibus traducens, quamuis respectu obsidionis ueniens, liberauit obsessos, & contra suorum consilium, suadentium omnium ultra Renum reuerti, per Elsatiam est reuersus, undique cum incendio prætereundo: Argutus autem ab Argentinensibus damnificatus, malè in se actum esse, & ob hoc, se huiusmodi incendia nõ obmissurum respondit. Verecundantes autem Bauari, quòd ob tam paucam gentem recesserant, de obsidione scripserunt Lupoldo: qui iam uersus ab exercitu Bauari erat, ut eos expectaret, per biduum pugnans: quos biduo expectauit, & ascendit.

Traußnit. (margin note to † Tribenstritt)

DE OBSIDIONE CASTRI RICHENberg, & Marchionũ de Baden, per Eberhardum comitem de Vuirtenberg.

Post hæc Eberhardus de Vuirtenberg, castrum Richenberg, quod Marchiones de Baden tenebant, potenter obsedit. Matthias Maguntinus, cum magna gente subuenit eisdem.

Inuenit autem Lupoldus expertum nigromanticũ, cum quo de eductione Friderici tractauit. Considentibus aũt solis in camera bene firmata, Lupoldo, & magistro faciente characteres suos: Ecce uenit dæmon stans coram eis, in specie uiatoris, habentis calceos corruptos, & pellicium in capite, oculosque lippos. Cui Lupoldus ait, Nostis me? at ille ait: Bene nosco te. & quæsitis aliquibus, iniunctoque sibi quòd absque omni periculo deduceret Fridericum: eo respondente, quòd sic eum educeret, dummodo consentiret: nimis territus est Lupoldus. Dæmonque ueniens Trauusznit in specie scholaris cuiusdam, in partibus Argouiæ habentis pannum circum-

uolutum

uolutũ per collum, ac si in eo panes portare uellet. dixitq; Fridericus: Ingredere hunc pannum, & ducam te ad tuum fratrem Lupoldum. quo respondente, quis esset? & illo dicente, Non cura, si ingrederis, securè te ducam: Fridericus facto crucis signo, & inuocato Christi nomine, dæmonem profugauit, dicẽs custodibus, quòd per aliquas reliquias uel preces à dæmonio se custodirent. quod & factum est diligenter. Qui postea liberatus, uidens scholarem dixit: Hic fuit dæmon, qui uoluit me eduxisse.

DE OBITU MATTHAEI MEDIOLANENsis, qui reliquit quinq; filios, seniore dominium occupante.

Eo tempore mortuo Matthæo Mediolanensium domino, relictis Galeatio, Ioanne, Marco, Luca, & Stephano filijs, & Galeatio seniore dominium occupante, cum Papę Ioannis mandatis pluribus paruisset, tandem eo non desistente, parêre contempsit: qui citatus personaliter, etiam de articulo fidei responsurus, non comparens, excommunicatus, post annum de hæresi est damnatus. Hic à Ludouico Romanorum rege, cum Friderico cœpissent regnum Mediolanenses, assumpsit. Conglutinatis autem Papa Franco & Lupoldo, Papa Ludouicum super eo quòd nondum approbatus per sedem Apostolicam, iura Imperij ministraret, & Galeatium hæreticum fouet, citauit: & non comparentem, excommunicatum, post annum similiter de hæresi condemnauit, priuationis iuris, electionis ducatus, & dominiorum, & alijs pluribus in eum & filios & fautores eius successiuè sententijs promulgatis: quas Lupoldus undiq; ubi potuit promulgauit, & procurauerat promulgari. Conuenerunt autem Francus & Lupoldus, ubi multa, & præsertim contra Ludouicum tractarent. Conuenerunt & Principes ecclesiastici, nuncij Papæ, & Franciæ, ac Lupoldus in Rienſz: ac soli ducti super Rhenum in naui, diu tractarunt de Franco in Imperatorem promouendo. Sed per Berchtoldum de Buchegge commendatorem Maguntineñ. principaliter extitit impeditum, de quo eum Secretales Papæ post mortem Maguntini ab ipsius Berchtoldi prouisione retraxit. Reuersæ sunt autem prædictæ ciuitates Elsatiæ ad Lupoldum, qui aliquoties scribens Franco, uel Papæ, tali titulo utebatur: Lupoldus Dei gratia Austriæ, Stiriæ, Sueuiæ, Carinthiæ & Morauiæ Dux, dominus Carniolæ & portus Naoni, Comes in Habsburg & in Kyburg, ac Landgrauius superioris Esatiæ.

DE OBSIDIONE OPPIDI DICTI BURgouue, ducis Austriæ, per Ludouicum Principem, tempore hyemali.

Obsedit autem eo tempore Ludouicus oppidum Burgouue, ducis Austriæ, tempore hyemali, quo Dux in illa parte eum impedire posse nullatenus credebatur. Scripsit autem dux Burchardo de Ellerbach, ministro suo, quòd se uiriliter teneret, quia eum infra dies 14. liberaret: & repentè ueniens cum gente feroci, illis ignorantibus appropinquaret. Ludouicus tandem intelligens, dimissis multis, Lupoldus eum insequebatur. Tractabatur autem sæpe de liberatione Friderici: & impediente liberationem, quòd Dux insignia sanctuariorum Imperij lanceam uidelicet, & alia noluit resignare, dicentibus suis quòd frater esset eius captiuus. Dux prænoscens astutiam Ludouici, dixit tractatoribus: Ecce ne hoc mihi impingatur à uobis, dabo uobis ea, & scio quòd nec adhuc tractastis quòd fratrem habebo. quod etiam cum factum esset, Lupoldus Ludouicum infestauit: quòd tandem Ludouicus cum Friderico, comitante eos ambos uno Cartusiensi, eorum confessore, & seruare pacta iurantibus, latenter conuenit. Emisso autem fratre, & seruante pacta, Lupoldus usq; ad mortem suam restitit Ludouico. Obsedit autem Lupoldus oppidum S. Hippolyti, Lantgrauij Elsatię seruitoris Ludouici, qui ipsi Lupoldo sæpe ueneris causa Argentinã eunti,

dicebatur insidias posuisse. Ipse Lupoldus muros destruens, funditùs uillam tenebat. Quamuis autem medici sibi prædixerint, quòd eum labores necarent, non destitit ab expeditione. Itaq; de Spira reuersus, Argentinæ in curia dominorũ de Ochsenstein decumbens, & insaniens, absq; pœnitentia diem clausit extremum. Iuerat autem illis diebus Ludouicus in Lombardiã. quem Galeatius Mediolanensis deduxit, ac postmodum etiam post magnam sibi datam pecuniam, Romam quasi captiuatum traduxit, Vuilhelmo de Monte forti Mediolanum committens, quòd nõ Imperij, sed fatasua agens, & pecuniam ad partes transmittens, Imperium negligebat. propter quod, quamuis æstimaretur in uirilibus gestis ualentior huius mundi, non tamen extitit ibi nimium commendatus.

DE INGRESSU IOANNIS REGIS BOHEMIÆ in Italiam, & de consensu principis Ludouici.

In diebus illis, post egressum Principis de Italia, uiuente Ioanne papa, Ioannes rex Bohemiæ cum consensu Principis ingressus est Italiam, & diu inibi manens, Lucanam ciuitatem per se tenens, quæ eum pro domino recepit, nõ more patris sui quondam Hainrici de Lutzelburg Imperatoris, qui inibi uiriliter se tenuit, & constanter se tenens, ac se successorem Imperatoris, & pacificatorem Italiæ scribens, Papæ & Imperatori complacere cupiens, & ambobus displicens: obligata Lucana cum uerecundia reuersus est, nulla sibi uel Principi in Italia parte relicta. Erat autem in diebus illis Bononiæ legatus Papæ, Betrandus de Pogeto, Hostieñ. episcopus, dominium ciuitatis tenens crudeliter multis occisis: qui Bononiæ murum circundans, & sibi fortissimum castrum inibi construens, multaq; mala peragens, quamuis Gelfæ ipsi rex Bohemiæ familiaris extitit, tandem per rumorem populi uicto repentè castro, & funditùs demolito, turpiter est fugatus. Habuit autem rex Bohemiæ duos filios, quorũ maior Carolus nomine, qui Marchio Morauiæ nominabatur, habuit sororem Philippi regis Franciæ in uxorem. Minor uerò habuit filiam ducis Carinthiæ, & duas filias: quarum unam habuit Ioannes primogenitus regis Franciæ, aliam Hainricus Bauariæ. Et ecce mortuo duce Carinthiæ sine filio, sola ipsius regis Bohemiæ nuru relicta, cum ipse Rex sine omni briga crederet in ipso ducatu filium suum successurum, Princeps de ipso ducatu duces Austriæ filios sororis ipsius quendam ducis Carinthiæ inuestiuit: filio autem regis Bohemiæ Comitatus Tyrolis remansit. ex quo ipse Rex contra Principem mouebatur odio capitali, iuramento affirmans publicè, se nunquam reformaturum eidem Papam regi Franciæ, ducem Bauariæ, item reges Hungariæ & Cracouiæ, incitans contra eos ipsum. Papa autem Ioannes de militari progenie ditans fratrem, & sororum filios & nepotes diuitijs & honoribus, anno pontificatus sui 19 moriens, reliquit sedi decies septies centum milia florenorum. Erat autem quidam uicinus episcopus Romæ, in uia eundi ad Curiam, ad Papam: cui in nocte mortis Papæ in somno apparuit quidam dicens: Papam quæris? nõ est. Et post pusillum: Vis uidere Papam? ecce iste est: mõstrata sibi persona magna incognita. & procedens in itinere de morte Papæ, ueniens autem Auinionem, iuit ad consistorium, ingredientes diligenter inspiciens singulos Cardinales. Et cum non uidisset personam monstratam, quæsiuit à quodam, nunquid omnes cardinales ingressi fuissent? & responso accepto, quòd omnes, excepto Cardinali Blanco ordinis Cistercieñ. & illum quæsiuit in domo ipsius, ipsumq; inspiciens, perpendit monstratam sibi soli in camera sua. dixitq;: Pater uos estis Papa futurus. De quo cum ille risisset (nulla enim fuit spes promotionis eius, cum esset pauperior inter omnes) episcopus exposito sibi somnio adiecit: Pater, ille qui mihi monstrauit faciem uestram, introduxit me ad stabulum immundissimum, stercoribus plenum, ubi uidi archam marmoream altissimam, sed uacuam. uos estis illa archa, quam debetis in officio uestro implere uirtutibus. Et ô pastor & stabularie, curiam & sedem Apostolatus, iam immundissimũ

stabulum

stabulum, ab auaricijs & fumosis stercoribus expurgate, uobisq́; sanctam Romanam ecclesiam & urbem recōmissas habete. Et ecce in electione à tot Cardinalibus, quasi inscijs, sub altercatione electus extitit: Ego N. nomino illum: qui si esse non poterit, nomino Blancum. quòd repertum à duabus partibus nominatum, dictusq́; Benedictus XII. Itaq́; statim pro reformatione ecclesiæ S. Petri in urbe 50. milia expendit florenorum. Et sic à Ioanne papa discrepabat in statura. Ille enim fuit pallidus, uoceq́; pusillus: iste in corpore maximus, facie sanguineus, & uoce sonorus. Ille ad magnificandum & ditandum consanguineos, ad regnandum nobilibus, & exaudiendis eorum petitionibus, ad uestiendum annuatim plus quàm 70 Comites & milites intendebat: iste de talibus non curauit. Dixit enim, Absit quòd rex Franciæ per consanguineos meos super me ditaretur, meq́; sicut prædecessorem meum ad sua quæuis uota coartaret. Fuit enim ex Tholossa regis Frāciæ, filius pistoris, Theologorū summus, quem inter omnes à longissimus temporibus iustissimū æstimabant, cui & ante suam mortem quidam S. homo, se pro eo captiuū tradens, quòd illo anno moreretur, prædixit.

DE LEGATIONE REGIS FRANCIÆ ad papam Benedictum, in principio creationis suæ.

Huic in principio creationis suæ Philippus rex Francię mittens legatos audacter, quasi nihil sibi denegare deberet, petijt inaudita: inter alia scilicet, ut filium suum primogenitum generum regis Bohemię, faceret regem Viennæ, quòd se faceret uicarium Italiæ, quòd sibi per totam Christianitatem daret decimam decimarum per decennium, & sibi daret totum ecclesiæ thesaurum in subsidium terræ sanctæ. De quo ipse & Cardinales territi, se reformare cum Ludouico Romanorum Principe decreuerunt: quod Principes ex scriptis quorundam familiarium suorum quos in curia Papæ habuerūt, qui & hoc ex Cardinalibus intellexerant, statim Papæ & collegio nuncios & literas humillimas destinarunt, qui à Papa & fratribus edocti sunt qualiter & sub qua forma redire deberent, & cum quibus articulis: iterum à Principe, cum illis articulis & mandatis sufficientissimis sunt reuersi. Inter quos erant duo Comites de Ettingen, præpositus Argentinens. de Randegg, præpositus Bambergeñ. postea per Papam eiusdem ecclesiæ præpositus effectus: & mater Vdalrici protonotarij Principis doctissima. Et proposito in publico consistorio, cū inter se per prædictū de Randeck ex parte Principis humillimo super petitione absolutionis & restitutionis in faciundo sermone, de quo omnes qui aderant mirabantur, Papa gloriosissimè respondens dixit, Se & fratres suos de hoc, quòd ramus, qui se in persona domini Ludouici lædi per ecclesiā æstimans, iam ob arbore ecclesia separari cœperat, eidem arbori cū tam magno honore sedis reintegraretur, plurimum gratulari, multum commendans Alemaniam, & dominum Ludouicum, quem nobiliorem mundi dicebat: conquerens regi Italiam per tyrannos, ac regnum Armeniæ capi à Paganis, cuius Princeps tempore Ioannis Papæ & suo Christianorum implorabant auxilium, ac terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari. unde meritò dixit, absolutionem impertiri debere, quæ & dari crastino sperabatur. Verùm prædictus rex Franciæ, & rex Ceciliæ, seu Apuliæ, omnes Cardinales à proposito auerterant præconcepto. Venerāt enim ad impediendū factum ad Curiam domino Archiepiscopo duo episcopi, & duo Comites ex parte Franci, & totidē ex parte Ruperti, proponentes erroneum esse, tantum heresiarchā proponere dominis eorum ecclesiæ fidelissimis: Papamq́; cauere debere, ne fautor hæreticorum esset. Papa uerò dicente: Quid uolunt domini uestri, quòd non sit Imperium? illis uerò proteruè dicentibus: Pater non impingatis hoc dominis uestris, uel nobis, quòd non dicimus: quia contra imperium non loquimur, sed contra personā Ludouici damnatam. Cumq́; dicerent, Ludouicum multa contra ecclesiā fecisse, Papa dixit: Imò nos fecimus contra eum. quū ipse cū baculo uenisset ad pedes prędecessoris nostri, ipse noluit eum: & quicquid ille fecit, prouocatus fecit.

Quantumcunque autem Papa assereret, se meliora sperare ab ipso Ludouico, pro prædictis regibus, eorum regnis & posteris extractum, quàm si eum teneret, penitus nil profecit. Rex Franciæ etiam in terra sua undique bona & redditus Cardinalium interdixit. Scripserant etiam illis diebus ad Curiam, rex Bohemiæ, & Hainricus dux Bauariæ, gener eius, quòd de auxilio Vngariæ & Cracouiæ regis, & aliorũ, alium uellent constituere regem Romanorũ potenter. Et sic Cardinales Papam absolutione Principis retraxerant, dicentes, cum sui in partibus suis uellent eum destruere, incautum esse sedi, si propter impotentem & inopem tot Principes offensaret. Sic dato alio termino nuncij infecto negocio sunt reuersi. Et ecce illis diebus rex Hungariæ, filius fratris prædicti Ruperti regis, terram ducum Austriæ tunc fautorũ Principis ingressus, ipsam multis hebdomadis potenter uastauit. Prædicti autem Bohemiæ & Cracouiæ reges, & H. dux Bauariæ, terram Principis Bauariam superiorem ingredi intendebant. Princeps autem gentem immitissimam congregans, Hainrici ducis inferiorem Bauariam ingressus est cum septem milibus galeatis, illam 10. hebdomadis deuastando. Rex autem Hungariæ audiens tam fortem exercitum adesse Principi, ab Austria sine mora recessit, aduentum eius etiam in Hungaria pertimescens. Alij uerò tres, quamuis magnam haberent gentem, expectare Principem in campo non audebant. Veniens autem Austriæ ad Principem, exercitum eius in Bohemiam ducere nitebatur. Exercitus uerò diu in campo fatigatus, se grauem reddebat, ita quòd hinc inde exercitus sunt reuersi. Dicebatur autem, quòd exercitus Principis quàm diu habuisset uictum, in omni parte mundi iacuisset inuictus. Gloriabatur autem Papa ab exercitu Principis, dicens: Isti dicunt esse destitutum, sed quis adhuc ingressus est locum suum? Misit ergo Papa solennem legatum, episcopum Magolensem, qui mores & motum Principis erga ecclesiam indagaret. Prætendebat etiam Papa occupationem archiepiscopatus Maguntinensis, per Treuerensem factam, exclusione Hainrici de Vuirtemberg archiepiscopi sedis prouisi reformationi obstare. Volensque procedere contra Treuerenses, & Treuerensem archiepiscopum, Moguntinensis potenter tenuit, Capituloque resignauit. Capitulo uerò, præsertim magister Ioannes Vnderschoff decanus sedis prouisus, adhærentes, Imperatori prædictum Hainricum archiepiscopum, ligantem se primò Principi, retentis in manibus capituli VI, castris abiuratis per eum ne uariare posit, scilicet Oppenhaim, Bingen, Erenuuelsz, Starckenberg, Lonstain & Miltenberg, concorditer receperunt, qui & postea feruenter Imperatori adhæsit.

DE HOMAGIO PRAESTANDO PRINcipi à rege Bohemiæ.

Rex quoque Bohemiæ uidens se non proficere, se cum Principe reformauit, Homagium præstando eidem. Dataque certa pecunia Bohemo per Australem in recompensam ducatus Carinthiæ, cum Australi concordatus est & Hungarus & Bohemus, quantumcunque Benedictus Papa ad absolutionem Principis niteretur in prædictis Franciæ & Apuliæ regibus: ut quasi omnibus Cardinalibus seductis, per eos assensum habere nequiret. Vnde tandem legatis Principis sæpe ad curiam uenientibus, cum legati Regis plures in curia uerecundias inferrent, quòd nullum posset habere finem, respondit, asserẽs sibi hoc non ab homine, sed à S. Spiritu inspiratum. Et creditur habuisse reformationem in animo, non cum tanto honore & commodo prædicti Regis & sedis, sed cum eorum detrimento & fraude & dolo processuram, quòd & ipsius Regis discrimina subscripta demonstrant. Et extunc Papa, qui ab initio quasi mortem non curans, ea quæ gessit in animo patefecit, motum suum didicit occultare. In diebus illis, Spiræ cõuenientibus principe Hainrico, Moguntinẽs. archiepiscopo, item Argentinens. Augustan. Eystetteñ. Spireñ. Curiens. & quibusdam alijs episcopis prouinciæ Maguntiæ cõuocatis, missisque per eos literis & nuncijs, scilicet episcopo Curiensi, & Berlaco Comite de Nassouue, ad Papam, pro absolutione Principis: & deli-

& deliberato de eo, si Papa uellet, quòd iterum conuenire deliberent, & deliberare
quid sit faciundum de eo. Cum Papa nuncios recepisset benignè, manè nuncius flens
conquerebatur, quòd rex Franciæ scripsit Bauarum sine eius uoluntate, si absolueret,
peiora sibi fierent, quàm Papæ Bononiæ à suis prædecessoribus essent facta. nunciĳq;
ad rogatum Papæ per Delphinum per montana sunt usq; Lausannam producti.

QUOMODO EDUARDUS REX UAlentißimus Angliæ, intromittit se de regno Franciæ.

Eduardus rex Angliæ ualentissimus, reuocato contra Philippum prædictum re-
gem Franciæ regni hæredem, habitis tractatibus cum Flandriensibus, duce Braban-
tiæ, Comitibus Hollandiæ, Gelriæ, Iuliacens. Montium, & alĳs inferiarum partium
magnatibus, qualiter posset ipsum Francum inuadere cogitauit. Quamuis etiã Prin-
ceps Aquilo ipsum Francũ ipsis grauem & exosum haberet, cuius causa omnes qua-
si eius essent uasalli, non ab Imperatore mouerentur, cuius essent ligĳ, inuadendi
eum cum occasionem aliquam, non habebant. Et ecce rex Angliæ cum reuerentia
accedens in uilla Rinse, Principem super Rhenum sibi facto homagio, colligauit se
eidem. Princeps ipsum Regem dans, super eo literis Imperialibus generalem Vica-
rium per Germaniam & Teutonicam deputauit. Scripsit quoq; literas Princeps regi
Franciæ, Philippum de Volasio nominauit, quòd ab occupatione terrarum Imperĳ
desisteret: ac fideli Imperĳ Eduardo regi Angliæ, Principi suo, & querelis suis iusti-
tiam faceret, coram ipso Principe. Aliquando cum ipse Philippus feuda quæ tenet ab
Imperio, non recognouisset, sic ut rex Angliæ ipsi Eduardo cogeretur, & defraudare
Philippum, quo diffidato & monitis inferioribus Principibus ut asisterent imperio
omnes ĳdem principes sunt regi Angliæ colligati. Dedit autem Angliæ Principi
LXXX milia aureorum, & in duplo tantum, ut cum eo magno exercitu terram acce
deret Franciæ, eidem promisit. Fuit autem Rex recens, & paratus Franciam uisitare:
sed ex persuasione & astutia Principis, simulantes se illicò progredi, nõ iuerunt: Rex
autem Franciæ timens eorum aduentum, se in finibus regni sui uersus Flandriam po-
suit, cum XXX milibus galeatis, decem hebdomadis eorũ expectantes aduentum.
cumq; in aliqua parte terram inimicorũ attingens, sed quolibet die duos florenos pro
quolibet galeato expendẽs, exceptis equorũ perditionibus, & alĳs damnis, ita quòd
brigarum sarcinam didicit inconsuetam. Sequenti autem anno rex Angliæ se simu-
lans non iturum in Franciam, cum duodecim galeatorum milibus est ingressus, ter-
ramq; ipsam per XL miliaria in circuitu ignis incendio, & aliàs crudeliter uastauit.
Quæ uastando multas munitiones non bene fortes fundithus demoliuit: Ludouico
de Brandenburg, Marchione filio Imperatoris, qui tunc eidem Regi cum centum ga
leatis aderat, in ipso exercitu cum incendiarĳs Regem continuè præcedente. A' Pari
sĳs autem ipsius Angli exercitus minus una dieta distabat, quẽ Francus cum XXX
equitum milibus, & sua multitudine aggredi nõ audebat. Et cum ipse Anglicus die-
bus aliquot expectasset, tandem præ carentia uictualium illæsus recessit. Tertio au-
tem anno, rex Angliæ cum omni potentia Flandrensium, & præscriptorum Aquilo
nis Principum, se parans Principi, sibi pecuniam promissam aliquot diebus post ter-
minum statutum in oppidum Francfurt destinauit, desiderans eum secum propria in
persona trãsiturum. Princeps autem prætendens lapsum termini, & pactum partium
de amittendo iam datam pecuniam, cum liberatione promissi, nisi contra terminum
præfixum pecunia solueretur, pecuniam remisit eandem, prætendens & se non cum
quingentis galeatis, pro ut Rex egerat, sed cum duobus milibus sub expensis Re-
gis, pro ut conuentum asseruit, & pro eo ut deceret Principem, transiturum. sicq; con
querente Rege de ipso Principe secundum quosdam, secundum alios occultè in u-
num concordantibus, Princeps cum magno uituperio Almanorum remansit. Angli
cus uerò cum prædictis Principibus & Flandrensibus ciuitatem Tornacensem regis
Franciæ

Franciæ pluribus mensibus potenter obsedit. Francus uerò se ponens in uicinio, cum maxima hominum multitudine, Anglici exercitum non inuasit. Habuit enim Anglicus, exceptis equitibus, ter centum milia peditum armatorum. Et post multa discrimina, relicta quondam comitis Hollandiæ Monialis, soror Franci, mater comitis Hollandiæ, socrus principis Anglici & Comitis Iuliaceñ. de uno exercitu in alium sæpe transiens, nititur treugas inter Francum & Anglicum & eorum consortes, cum difficultate maxima ordinare. Dixit autem Papa Benedictus de Franco: Iste pacem noluit, & elongabitur ab eo. Tunc misit Francus nuncium & literas Imperatrici, filiæ sororis suæ, ad quam dominus Alemaniæ scripsit, ut inter ipsum & Principem concordiam ordinaret, & sibi nuncium, de quo Princeps confideret, destinaret. Et missis hinc inde pluries nuncijs & literis inter Principem & Francum, interpositis iuramentis, & cõfectis literis liga perpetua & firmata: in qua ipse Francus Principem cum sede Apostolica reformare iurauit, & sic Princeps per Francum & in tota Francia est Parisijs scriptus & nominatus Imperator. Cum autem consiliarij Franci propter processus Apostolicos anxij dubitarent, dicebant nuncij Principis: Si estis in proposito nostro, quòd processus nõ ligent, consuluistis Domino uestro: sin autem, tradidistis eundem. & sic Princeps cõmissionem uicariatus factam regi Angliæ, in publico proclamato reuocauit. Missisq; interim sæpius nuncijs Imperatoris, unà cum legatis & literis Franci, nunc hæreticum, nunc Christianissimum haberi debere, respondit. & protracto uarijs occasionibus negocio, Francus, ut credebatur, quod noluisset, simulauit se uelle: Benedictus uerò, quod uoluisset, simulauit se nolle. Interim conuenientes in uilla Rens super Rhenum Imperatores & Principes & Electores, cõfectis desuper literis & iuramentis præstitis, quod imperium & eius iura contra omnes nullo excepto manu tenerent, & ad ipsum omnes quos possent artarent, nulla absolutione uel quauis occasione obstante firmarũt. Princeps quoq; in Franckfurt decretũ quoddam de consilio quorundam fratrum Minorum confectum, sub sigillo suo magno, in quo & inter alia declarauit processus quondam domini Ioannis Papæ nullos, & quòd Papa non possit contra Imperatorem talia attentare, cum iurisdictiones sint distinctæ, ianuis suæ curiæ affigebat. Quarum copiam, & cõiurationis principium cum Papæ tulissem, exponendo, ducem Argentinensem nec posse plus resistere Principi suo, quo minus ab eo regalia faciendo Homagium recognoscat: ipse uisus durè loqui de Principe, cum à me audiuisset benignum sermonem, suum Principem plus extulisse, quàm si ei centum milia marcarum dedisset: Papa ultra modum ridens dixit, O' uult ergo pro beneficio malum reddere. Ex quo risu apparuit, quòd ex corde uerborum duritia non processit.

DE MORTE HAINRICI DUCIS BAUAriæ, generi Bohemi.

Obijt autem Hainricus dux Bauariæ, gener Bohemi, relinquẽs filium paruulum: quo breuiter mortuo, Princeps totã eius terram, scilicet inferiorẽ Bauariam, excepto matri relicto usufructu, illicò occupauit: quod non solum Bohemus, sed & Australes ægrè tulerunt. Duo enim filij quondam Otthonis ducis Austriæ, qui fuerant filij sororis prædicti Hainrici Bauariæ, ad terram aspirabant eandem. Rex autem Cracouiæ, qui prædictam relictam etiam non uisam marito uiuente amauit, assumpto sibi Bohemo patre causa ducendi ipsam, in Bauariam est profectus. quam inuenerat infirmantem. Ingrediens autem pater, rogauit eam, ut aduenam Cracouum diligentẽ salutaret benignè. de quo Cracouo quasi gentili illa probissima ualde territa, cum eum salutasset, se uertens ad parietem, nullo uerbo dicto amplius, expirauit. Cuius terram Princeps similiter occupauit. Histriones autem quidam, super prædictorum nece Bauarorum, intoxicationis fraudem Principi impingebant. Item eo tempore duces Austriæ obierunt, ita quòd de Australibus nemo remansit, &c. Albertus Secundus in manibus & pedibus contractus, qui ex Ioanna de Phirtt Rudolphum filium paruulum

lum habuit. & quia non crederetur eius Contracti filius, ipse eum suum esse fecit in sermonibus prædicari. Cum autem Princeps aspirare ad ducatū Austriæ diceretur, idem Albertus, ac Carolus Marchio Morauiæ Bohemus, de prædicto Rudolpho puero & filia Marchionis sponsalia contraxerunt. Cum autem Rupertus rex Ceciliæ, imò Apuliæ, non haberet filium, misit ad Carolum regem Hungariæ, fratruelem suum, ut sibi unum de filijs suis destinaret, post se dominia sua obtenturum, recognoscens se eundem Carolum supplantasse. Massoq; Andrea Hungari filio, Rupertus ei neptem suam ex filio copulauit. Mortuo autē eodem Carolo quarto Hungaro, successit ei filius primogenitus Carolus quintus. Idemq; Carolus quintus rex Hungariæ, filiam Caroli Marchionis Morauiæ duxit in uxorem. Obierat autem sine liberis masculinis, uxor Ludouici Marchionis de Brandenburg, primogeniti Principis, quæ fuit filia regis Daciæ.

DE PRIVATIONE COMITIS TYROlis, filij Bohemi per Ludouicum primum.

Cumq; Hainricus Comes Tyrolis, filius Bohemi impotens, uxorem suam semisatuam plurimum molestaret, inter alia eius mordendo mamillas: illa cum Baronibus suis, habitis occultis tractatibus, eiecto Bohemo de Comitatu, Marchionem de facto in maritum recepit. Sicq; Ludouicus princeps, filius Ioannis regis Bohemiæ, uxore & dominio spoliauit, inconsuetum & horribile facinus attentando. Filium namq; ad hoc maleficij genus induxit inuitum, quòd uidelicet uxorem sui consanguinei in tertio gradu, non separatam ab ullo iudice ecclesiæ, ipsamq; suam consanguineam non uxorem, sed mœcham traduxit. Prætendit autem Princeps, se iustè illum à comitatu eiecisse, de quo ut tenebatur, & ut sibi per Regem Bohemiæ patrem promissum asseruit, sub cautione rehabendi ciuitatem Eger non fieret, nunquam se in Principe petijt inuestiri. O idolorum seruitus auaritia, quæ tantos Principes confudisti. ex quibus iterum inter Bohemos & Principem & filios suos non immeritò liuor edax, & odia suscitantur. Progredior autem ad gesta Papæ Clementis sexti, & ad aliqua quæ sub Benedicto gesta sunt, stilo reddenda.

DE MORTE REGIS CECILIAE RVperti, & fratre Andrea obtinente dominia.

Mortuo namq; Ruperto Ceciliæ rege, & prædicto Andrea fratre Hungariæ regnum comitatumq; prouinciæ, & omnia Ruperti dominia obtinente, eoq; apud Papam Clementem pro coronatione laborante, Papa sibi Cardinalem dare uisus est, cũ rationemq;. quod ille petens, nimium uilipendit. Cardinalis quoq; Petraganitensis, ex cuius sorore olim Ioannes frater Ruperti regis reliquit filium Principem, tardanti pro eodem Principi in consistorio allegauit, ipsum tanquam una linea Ruperto proximiorem quàm fuerat Andreas, eadem dominia annis aliquot tenuisse. Tandem missis nuncijs Papæ per regem Hungariæ fratrem Andreæ, octoginta milibus florenorum pro coronatione Andreæ, cum crederet coronari debere, nocte Neapolim cum ipse Andreas in camera sua iam ingredi uellet lectũ, quidam uocantes eum, dicebant sibi de fratre suo nuncios destinatos: quos cum in crastinum expectare iuberet, & illi pro eius egressu instarent: uxor Andreæ ipsum egredi incitauit. Quo egresso de camera, illi mittentes laqueum in collum regis Andreæ, ipsum crudeliter iugularunt, ipsum etiam præcipitantes de muro. nutrix autem eius, quam de Hungaria secum adduxerat, quæ frequenter reginæ aderat, de mora reuersionis Andreę attædiata, egressa cameram, cum neminem inuenit, prospiciens per fenestram, uidebatur ei uidere Regem in terra iacentem. ac territa dicens, Domine: ac repentè descendens, ipsum reperit iugulatum. de quo crimine non solum Principes tardantes coronationem, sed & Papa & aliqui Cardinalium tenebantur suspecti. Factum est autem hoc

facinus anno Domini M.CCC.XLV. Sed quid ex hoc sequutum sit, reseruans, regredior ad priora.

DE DUOBUS FRATRIBUS DELphinis Viennensibus.

Erant autem duo fratres Delphini Viennenses, nepotes Caroli tertij regis Apuliæ, ex filia, & pronepotes Rudolphi Romanorum regis: quorum iunior Humbertus nomine, ducens filiam sororis Ruperti regis, fratris prædicti Caroli, cum ipso Ruberto Neapoli morabatur. Socer autem prædicti Humberti, quem uxor eius clam receperat, Comes Nouellus à nouitate est dictus. Orta est autē briga durissima inter Delphinum seniorem, & Cymonem comitem Sabaudiæ, à tempore Ioannis Papæ multis annis durantem. ac tandem Delphino per iaculum in cuiusdam castro prædicti Comitis occiso, Humbertus frater eius dominiū Delphinatus nanciscens, ita Cymoni comiti reformabatur, quòd pro maiori causa quilibet eorū uasallus alterius est effectus. sicq; inter eos briga cessauit. Hic Humbertus bene literatus, liberis carens, faciem quasi muliebrem habens, plus sermonibus & studijs militiæ insistebat. Hunc Benedictus Papa diligēs, statim promoto, curiam suam omnem dedit eidem. Et quia Papa regi Franciæ exosus erat, multum in Delphini defensione confidit. Cum autem quandam terram Delphini uicinam Curiæ ab eo emisset, si sine liberis decederet, ad Romanam sedem deuoluendam, & 5. milibus florenorum ipsiq; Delphino pro uita sua castrū pontis Sorginæ assignasset, recepta pecunia, homines terræ cum cōsentire nollent, districto commeatu penitus Delphino ferè tota remansit. Misit autem rex Franciç pro Delphino, qui cum bona fide ad curiam Regis uenisset, quidam salutans in transitu dixit ei: Facite quicquid petetur à uobis, uel perpetuò estis tentus. Ductus autem Delphinus ad cameram Regis, in præsentia cōsilij audiuit à Rege: Auuncule cupio quòd recipias pecuniam, & sis seruitor meus, annuēs omnibus factis meis. Ad quod respondit: Domine, cum sitis consanguineus & promotor meus, aliter in omnibus uobis consentirem. ex quo ergo largitatem uestram mihi ostenditis, feruenter in omnibus uobis obstringar. Rex autem grates ei referens, & annuos redditus promittens, dixit: Cum intendam uillam Viennensem intra Rhodanum circumdare muro, rogo quòd tibi placeat. cui ille: Non solū illud, sed quicquid uolueritis placet. Delphino itaq; euadente, Rex illicò ex opposito Viennæ ciuitatem construxit, turrim in ponte ponendo, quòd pro Delphinis progredi nō audebat. Post hæc idem Rex cum auxilio archiepiscopi Viennensis attrahere conabatur Viennam. Veniens autē Delphinus, episcopum expulit. Transeuntes autem ministri Regis, dixerunt Delphino: Domine, factum archiepiscopi est factum Regis, quibus ille satis habet agere. Rex uerò uehementer abcessit, & sic dolus Regis est impeditus. Posthæc tempore Clementis papæ sexti, cuius & cor regis Franciæ unū cor erat, actum est, quòd terra Delphini post mortem eius sine liberis, pro multa pecunia data & promissa, ad Regem deuolui deberet: quæ tamen terra quasi tota ab Imperio detinetur.

QUALITER REX LITUANIAE IUUEnis plurimum infestauit fratres Teutonicorum.

Rex autem Lituaniæ gentilis, iuuenis & recens, tempore ipsius Clementis fratres Teutonicos S. Mariæ in Brussia & Lituania plurimum infestauit, multa Christianorum milia occidendo, & conuersos ad fidem reducendo in perfidiam. Venerunt autem magistro ordinis, sequenti anno, scilicet sub anno Domini M.CCC.XLV, in subsidium, reges Hungariç, Bohemiæ, Marchio Morauiæ, filius Bohemi, Comes Hollandiæ, & multi dominorum. Sed propter desidiam magistri de eis diffidentis, cum uenissent in terram Lituaniæ, & diceretur Regem Lituaniæ ex alia parte ingressum, reuersi sunt, & infecto negocio recesserūt. Ob quam desidiam deposito magistro, alter uirilis est substitutus, anno Domini M.CCC.XL.

Qualiter

QUALITER COMES HOLLANdiæ obsedit ciuitatem.

Eisdem diebus Comes Hollandiæ à Frisonibus est occisus, qui fuit iuuenis & re-
cens, qui fuit frater Imperatricis & reginæ Angliæ, gener ducis Bauariæ. Sed relictā
accepit filius Ioannis regis Bohemiæ, Comes de Lutzelburg. Sicq; eodem anno Do
mini M. CCC. XLV, comes Hollandiæ & Andreas rex Apuliȩ perierunt. Eoq; tempo
re gentiles, scilicet Turci, qui & antè regnum Armeniæ ad perfidiā coegerant, & ter-
ras Christianorum, scilicet Cyprum insulam, Rhodos Hospitaliorū, & alias uicinias
cœperūt uiriliter infestare. quibus Veneti, rex Cypri, Hospitalarij, & alij Christicolæ
restiterunt: quibus etiam Delphinus cum CCC coopertis equis, quasi sub nomine Pa
pæ in subsidium transfretauit, qui prædictum regem Andream Apuliæ cōsobrinum
suum iugulatum inuenit.

Item Benedictus Papa una uice rogatus, ut promoueret suos, respondit: Si mei
non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Obijt autem feliciter Benedictus Pa-
pa, octauo anno pontificatus sui, scilicet anno Domini M. CCC. XLII, de mense
Maij. & inclusis Cardinalibus per Senesscalcum prouinciæ, statim electus est Pe-
trus Rogerij, ordinis S. Benedicti, Cardinalis progenie militaris, qui nominatus
est Clemens sextus. Statim ergo ut electus est Petrus, sermonem faciens, & gra-
tes Deo referens: qualiter primò in diuitem Abbatem, postea in optimum Archie-
piscopum Franciæ promotus fuerit, & has dignitates omnes grauibus reliquerit
sarcinis debitorum grauatas, & postea ad Cardinalatum, & postremò ad summam
hanc dignitatem prouenerit, & diuitias, eo quòd priora eum nutrire nequiuerant,
per ordinem enarrauit. Hic ab antecessoribus suis moribus multum distans, mu-
lierum, honorum & potentiæ cupidus, ac suorum auidus promotor, ac seipsum &
curiam de Symonia difformans: ipse Francus, Franco feruenter adhæsit. Tempo-
re quoq; coronationis suæ, primogenito Franci, qui cum duce Burgundiæ auuncu-
lo suo aderat, magnam pecuniæ summam erogauit. Qui filius Franci, gener Bohe-
mi, intrans consistorium, pro rege Almaniæ rogauit, in dolo. Simulauit Papa se refor
mationē Principis affectare. Missiq; iterum atq; iterum nuncij per Principem ad Pa-
pam, & ad regem Franciæ: sed legati dolo diu tenti finem habere non ualentes, infe-
cto negocio sunt reuersi. Papa aūt processus hostijs ecclesiæ Auinioni affixit contra
Principem, ut usq; ad tertium diem satisfaceret ecclesiȩ & Deo, aut ab occupatione iu
rium Imperij desisteret, & plura alia faceret sub grauium cōminatione pœnarum. in
quo termino consistorio, & crastino similiter Latinè & Theutonicè declarari fecit, si
aliquid adesset pro Ludouico de Bauaria: nemine tamen comparente. & licet contra
eum intendisset acriter, procedere tamen ipsum reputauit, solummodo cōtinuatione.
Scripsit Princeps Franco, cum certum esset Papam ad nutum suum regi: Si quid con-
tra se fieret, hoc à Franco haberet, & si nihilo se regeret. & ipse Princeps literas Franci
Principibus ostendebat. Vnde pro tunc Francus scripsit Papæ, quòd nullatenus pro-
cederet contra illum. Postea tamen innouauit omnes processus factos per Ioannem
Papam, nominans schismaticum & hæreticū, & sermones publicos fecit contra eum.

Eisdem diebus episcopus Argentinensis per Papam est absolutus, præstito iura-
mento, quòd eidem Ludouico de cætero non assistat, nisi fuerit cum ecclesia reforma
tus. Eisdem diebus Ioannes rex Bohemiæ, & Carolus Marchio Morauiæ, filius eius,
fuerunt in curia, de oppressione Ludouici principis, & de promotione Caroli cogi-
tantes. Antea autem idem Carolus in curia existens, in odium Hainrici Maguntini,
Braygens. episcopatu subditum Moguntinens. promoueri in archiepiscopum procu
rauit, & duos episcopatus in Bohemia sibi subijci, & à Moguntineñ. ecclesiæ ditio-
ne absolui: & eidem Braygeñ. ius coronandi regem Bohemiæ. Quod autem habuit
Moguntinus, † concedit. de quo postea Argutus Ioannes rex Bohemiæ, pater eius, à
Principibus, resvondit, quòd sine scitu eius factum esset, iurauit. Posthæc prouisus
Maguntinus de Nassouue, ad uillam Rens super Rhenum ad feriam quartam, post

 Marga-

Margarethæ, sub anno Domini M.CCC.XLVI, ad eligendum regem Principes conuocauit. ubi conuenientes Baldeuinus de Lutzelberg Treuerensis, Vualderamus de Iuliaco Coloniensis, episcopi, item Gerlacus de Nassouue nouiter prouisus Moguntinen. archiepiscopi, item Rudolphus dux Saxoniæ, & Ioannes rex Bohemiæ, & Imperium diu uacasse decernentes, prædictum Carolum Marchionem Morauiæ in regem elegerunt Romanum: pro quo prædicti, Colonien. & dux Saxoniæ, magna pecunia sunt corrupti. Intenderat autem electus ire Aquisgranum, pro coronatione. cui tamen Aquenses, quantum in eis fuerat, intenderant restitisse. Imperatrix autem stans tunc Hollandiæ, scripsit Ludouico principi, quòd per gentem suam posset resisteret Carolo, ne posset Aquisgrani uenire. Occiso enim à Frisonibus, anno priori, Comite Vuilhelmo Hollandię sine liberis, cum Imperatrix esset senior sororum eius, regina Angliæ & Comitissa Iuliacens. iuniores fuerunt. Gentes autem occisi Imperatorem, & unum de filijs suis accipere in dominos, decreuerunt. Transcenderat autem in hyeme Imperatrix cum uno filio suo, per Lotringiam & Franciam: & primò ueniens Hagnouiam, inibi est recepta: ita tamen, quòd de redditibus terrarum nihil reciperet, quousque occisi omnia debita sint persoluta. Promouit autem rex Franciæ Imperatricem, forsan non amore Principis, sed quia Turcos per Anglicum timuit occupari. Anxius autem Princeps propter diutinam uxoris absentiam, cum misisset pro illa, gentes autem illæ uoluerunt habere seniorem filium Imperatoris pro domino, Princeps Vuilhelmum filium suum misit ad terram illam, cum Comite de Katzenellenbogen, post quem idem filius spadonem, more Garconis, equitabat. Timor enim erat pariter, propter litem prædictam, ipsum deprehendi in uia.

DE CONFLICTU EPISCOPI LEODIENSIS, *quem habuit contra ciuitatem Leodiensem.*

Cum autem Carolus electus, ad coronationem iuisse debuisset, eodem mense Iulij episcopus Leodiens. propter quædam homicidia & iniurias clero allatas, ciuitatem Leodiens. obsedit, uolens ibi ad condemnandum illos pro tribunali sedere. ad quem episcopum tanquam consanguineum & adiutorem suum, idem Carolus properauit, & pater. Habuit autem episcopus secum circa quatuor milia galeatorum. Aderant enim sibi rex Bohemiæ, & Carolus filius etiam Comes Marchiæ, frater eius Marchio Iuliacens. Comes Montium dominus de Kalkenburg, & alij multi Barones. miserât autem quædam ciuitates uicinæ populo Leodiensi XL milia peditum armatorũ, qui se posuerũt in locum iudicis, qui sunt extra muros ciuitatis, se circumuallantes, ne ibidem episcopus posset præsidere. Cum autem extra locum episcopus præsidere illum uinceretur, habitisque inter partes tractatibus, uolenteque populo restituere clerum in personis & rebus, & super iniuria ad arbitrium meliorum satisfacere, episcopi eadem uice: episcopo autem contra consilium suorum omnino præsidere uolente: ecce quidam Ribaldi de populo impetum facientes in aciem equitum, qui uersus stratam, ubi popularibus patebat exitus, fuerant ordinati, eodem equitis ab ingressu per eandem stratam ad populum prouocarunt. & ingredientibus circa quingentis galeatis, occisisque in impetu multis de populo nõ armatis: de populo uerò armato in equites impetum faciente, multisque occisis, & præcipuè domino de Vualkenburg ualentissimo, quingenti ingressi, cum alij non sequerentur, eò prout poterant inuaserunt, totaque acies episcopi statim confusa recessit. Iuliacensis autem in loco libentissimè permansit. Venientibus autem rege Bohemiæ, & filio suo, statim uenerunt noua, de transitu regis Angliæ in terram Franci, Francusque Bohemos pro adiutorio deprecatur, qui illicò in Franciam sunt profecti. Anglus autem Normandiam partem Franciæ ingrediens, cum aliquibus egregijs uiris, ciuitatibus alijs modicis omnino destructis, spolijsque in Angliam destinatis, terram illam per LX miliaria in circuitu ignis incendio deuastauit. Posthæc ad ciuitatem Parisiensem ad unum miliare transiuit, ibique multis

diebus

diebus glorians, multaque uastans, non audente Philippo cum longè maiori gente Parisios egredi contra ipsum, tandem per defectum uictualium recessit: uersusque ciuitatem Almaneñ. descendit. Egrediebatur autem Philippus, sequens eum cum gente innumerabili equitum & peditum, ad 4 diætas. & ubi Anglus præcedente nocte iacuit, se posuit Francus sequenti nocte. Sciens autē Anglicus illos sequentes, uno die eo uelocius quandam syluam transiuit, manè iuxta syluam quasi absconsus se ad conflictum disponens. Transiens autem Francus cum exercitu suo, cum credidisset Anglum ad unam diætam transijsse, ecce reperit eum ad conflictum paratum. Anglus enim omnes equos suos cum Garconibus ad se iuxta syluam collocans, pedestribus se commisit, curribus se circundans, ne equites Franci alibi quàm in cornu anteriori inuadere eum possent ante se, & milites suos præmittēs triginta milia sagittariorum. Francus autem præmisit 10 milia sagittariorum, & gentem innumerabilem Bauariæ fratris sui Comitis, item Comitis Flandriæ, ducis Lotringiæ, & aliorum, si posset, illos ponens post Bohemos & Alemannos, nolens eis dare honorem progrediendi Alemannis. ita se fatum crediderunt sequutos: manens ipse Francus cum exercitu suo circa XVI milia equitū. Congredientibus autem primis ad conflictum circa meridiem, sabbatho post Bartholomei, anno Domini 1346. diuque certantibus, sagittarijsque Franci terga uertentibus, ac cum populo fugientibus, tota Frāci acies fugā dedit, eo reclamante diu, cumque paucis manente. Diu autem in certamine remanserunt Alemanni, ita quòd multi sint occisi: inter alios, Ioannes rex Bohemiæ cæcus, Rudolphus dux Lotringiæ, Comes Flandriæ, Comes de Blass nepos Franci, Comes de Salmis, dominus de Rodtbach, item Monachi de Basilea, Hainricus de Clingenberg, Hainricus de Ratenhusen, & alij plures electi.

QUALITER REX ANGLIAE DOluit de occisione regis Bohemiæ, & Alemannis.

Anglus autem recessum inimicorum uidens, & Bohemum occisum dolens, super eum dixit: Alter lectus regem Bohemię deceret. celebransque solennissimè exequias, ipsum in Lutzelberg cum XII dextrarijs habentibus arma Bohemiæ deorsum uersa transmisit. Doluit autē de Alemannis dicens, Et bene hi in mortem cum Franco pergunt, qui eos odio prosequitur, nec eis quicquam largitur, & ego eos diligens largitus sum eisdem. Carolus autē cum armis Imperialibus fugiens de conflictu cum alijs, cum à Franco aliquid peteret, saltem pro Alemannorum expensis, nil dedit eidem. Dicebatur autem, quòd Francus magnam pecuniam dederit Ioanni Bohemo patri pro stipendio Alemannorum: quam ille eis nō assignans, Coloniensi archiepiscopo pro coronatione filij destinauit. Filius aūt Franci, ac dux Burgundię, exeuntes in Vasconiā cum uiginti milibus, in obsidione cuiusdam munitionis, optimè per Comitem de Hercke capitaneum Angli uicti treugas fecerūt amodò subueniendi Franco: sed antequam eò uenerunt, Francus uictus est, ut præfertur.

DE CAUSA GUERRAE ANGLOrum & Francorum.

Licet autem ab antiquo inter Anglos & Francos super terram Vasconiæ lis fuerit immortalis, causam tamē specialem discordiæ horū Philippi & Eduardi super regno Francię, digrediens à materia duxi breuiter exprimendā. Olim Philippus Pulcher, rex Francię, qui regnauit tēpore Clementis sexti & Hainrici Imperatoris, qui omnes Iudæos à terra sua expulit, eorum thesauris retentis: ordinem quoque Templariorum, propter eorum potentiā & diuitias, pro quibus aspirauit, confictis in eos quibusdam turpibus, ab ipso Papa destitui procurauit, quorū domus hospitalariæ sunt unicę, per quod modicum profecerunt. qui Philippus habuit fratrem Carolum, huius Philippi de Volasio Regis patrem. Ipse habuit tres filios, Ludouicū, Philippum & Carolum: quorū primus & tertius de Burgundia, sorores duas habuerūt uxores. Habuit etiam

ipse Rex filiam reginam Angliæ, matrem prædicti Eduardi. Hæc post natiuitatem ueniens ad Philippum patrem, Eduardum maritũ suum de Sodomia deferẽs, ipsum de patris auxilio captiuauit, & usq; ad mortẽ tenuit captiuatũ. quo defuncto, hic Eduardus præclarus regnans, matrem captiuauit, & detinuit captiuã: multosq; qui in nece patris aspirasse propter adulteram Reginam dicebantur, occidit. Hęc Angla antequã discederet à curia patris, nedum maritum de Sodomia, sed & tres uxores fratrum suorum militum de curia accusauit de adulterio: nec cessauit, nisi decollatione uxoribus, militibus excoriatione extinctis. Ludouici uxore extincta, idem filiam Caroli tertij regis Ceciliæ, neptem Rudolphi Romanorum regis duxit uxorem. quibus, Ludouico & Philippo post mortem patris successiuè regnantibus, & sine prole defunctis, cum iam Carolus frater eorũ regnaret, uenit ad eum ducissa Burgundiæ, mater uxoris eius captæ, timens huic similiter mortis periculum imminere, dicens ei: Parcatis mihi domine, ego iungam matrimonio filiam meam, quam pater meus de sacro fonte leuauit. & adducens Ducissa quosdam testes expertos ad Clementem Papam quintum, gaudente Rege, diuortium per Papam fieri procurauit. Regiq; Carolo, filia quondam Hainrici Imperatoris, soror prædicti regis Bohemiæ, data est in uxorẽ: quæ formosa ualde, omnes alias uirtutibus & moribus antecessit. Transiens autem quadam uice Rex, & Rubertus Atrebatẽsis Comes, causa uenationis iuxta castrum, in quo prior uxor morabatur captiua, missa familia sua in syluam, ipse Rex & Comes sunt castrum ingressi. Illa autem existens in lotione capitis, fugiente familia, uiso autem Rege, se in modũ crucifixi ad pedes Regis prostrauit. timuit enim ex aliqua delatione clam Regem iratũ uenisse. Erat enim pulchra & amabilis ualde. Rex autem eleuans ipsam, egresso Comite, eam repentè cognoscens recessit. ex quo illa impregnata, soli nunciauit Comiti, rogans ut ipse uirtute sua uice mulieris & partus insidias præcaueret: quæ pariens masculum, clam eo subtracto, alienum submisit. Verus aũt filius ex ordinatione Comitis, ad amicam suam, prædictam reginam Angliæ est trãsmissus, quę eum clam delicatè nutriuit: putatiuus autem filius breuiter expirauit. Dicebatur enim, Carolum patruum, prædictorum filiorum cura quasi ad regnum aspirasse, & ob hoc filiorũ Regis mortem petijsse. Mortuo autem eodem Carolo, & post eum Carolo rege & uxore sua de Lutzelburg nulla prole relicta: ecce hic Philippus prædicti Caroli filius, sibi regnum usurpat: qui omnes reges Franciæ à tempore Caroli Magni diuitijs & potẽtia antecessit. Mortuo aũt Eduardo Anglo in captiuitate, Eduardo succedente præclaro, filiumq; Caroli auunculi sui secum habente, uictoq; per eum rege Scotorũ, idem Anglus cum prædicto Philippo litem pro regno uiriliter est ingressus, non prætendens tam auunculi filium, quàm sententiã Papę, quum se prædicto ultimo rege Carolo proximiorẽ hæredem cũ Francia à nullo haberi dicatur in feudum, quouis econtrà nullus per femininã lineam in regnum successisse dicatur.

DE EMPTIONE OPPIDI DICTI MINISTER, & castri Scharpfenstain, per Albertum ducem Austriæ in Brisgaugia.

Prædicto anno XLVI, Albertus dux Austriæ emens à Ioanne de Stouffen oppidum Minister Brisaugiæ, S. Ruperti castrum Scharffenstain, quod à Duce tenebatur in feudum, † sub Friburss castrum cum oppido confregerat, asserens ea sibi obligata, nec tempore statuto redempta.

Friburgensi castro.

QUALITER REX SCOTORUM IUIT ad oppugnandum terram regis Angliæ, ipso Rege existente in obsidione Kalis.

Anglo illis temporibus in obsidione occupato, rex Scotorũ ex instructione Franci latenter, ut credidit, Angliam est ingressus. Anglus munitus, scripsit Anglis: qui, ingrediente rege Scotorum, occisa omni sua gente, ipsum cæperunt. Eisdem temporibus

ribus, ante festum Martini, in dominica, Papa in consistorio prædictum Carolum & Romanorum regem solenniter approbauit: quem Aquenses & Colonieñ. non recepissent, nec Colonienses, nisi in Bunna ab archiepiscopo Coloniensi extitisset Coronatus, & ab ipso Colonieñ. Treuereñ. Gerlacus de Nassaw prouisus Moguntinus archiepiscopus: item Monasteriensis, Metensis, Leodiensis, & Virdunensis episcopi de suis regalibus inuestiti.

DE CONDOLORE REGIS HUNgariæ, pro fratre suo rege Apuliæ Andrea, iugulato per Gallicos.

Prædicto anno XLVI, mense Iulij, Carolus rex Hungariæ de iugulatione fratris dolens, cum magno exercitu scilicet LXX milium equitum, Aquilegiam est ingressus, patriarcham coercens, ingrediendi Apuliam uiam quærens. Intromisit autem se defensioni Rhodis ciuitatis maritimæ, quam olim Veneti obsederant, cupiens ibi portum maris habere. Et cum diu Rex in terra, Veneti uerò circa ipsam ciuitatem iacuissent in mari, Venetorum exercitus latenter de montanis egrediens, magnam occidit multitudinem Hungarorum. Triumphauerant enim Veneti cum domino Mediolanensi, & Veronensibus, ita quòd potentes fuerunt. Sic quòd Vngarus iuuenis & inexpertus litium, frustratus proposito suo & negocio, Vngariã est ingressus. Veneti autem ciuitatem uicerũt. Papa enim sciens sibi aduersari Ludouicum principem Vngarum, cum Mediolanensi antiquo hoste fœdus amicitiæ ligauit.

DE INGRESSU COMITATUS TYrolis per Ludouicum Principem, cum Ludouico & Stephano filijs suis.

Eodem Iulij mense Ludouicus Princeps cum Ludouico & Stephano filijs suis, Comitatum Tyrolis est ingressus. & in Tridẽto, quòd sibi & filio ratione ipsius subesse credidit, sic antè cum Vngaro & Mastino Veronensi habere colloquium nitebatur. Episcopus autem Tridentinus ad preces regis Bohemiæ sedis prouisus, occisa sibi gente Mediolanensi, Tridentinos à prædicti Ludouici Marchionis denominatione retraxit: & custoditis Montanis, ne illi conuenire possent, impediuit.

CAROLUS INGREDITUR BOHEmiam latenter post electionem per Elsatiam.

Carolus electus dum latenter per Elsatiam & Sueuiam transiuit, & ad terram Bohemiæ properauit, honorificè est receptus. Postea de mense Februarij, anno Domini XLVI, ipse Carolus cum Carolo rege Hungariæ genero suo, & cum Alberto Australi colloquium habuerunt in Vienna: quibus simul euntibus in Bresburg, eiusdem Vngari, Ludouicus princeps statim in Vienna colloquium secretissimum habuit Australi. Bohemus autem ueniens Tridentum, pro rehabendo Comitatu Tyrolis, de auxilio Mediolaneñ. institit. Inerat autem Marchio Brandenburgensis Brusiæ contra gentiles, cuius uxor castrum Tyrolis omnibus necessarijs muniuit ad annum. Engelmarus autem miles & potens in Comitatu, qui & ipsum tradidit Marchioni, tractatus habuit hinc & inde. Marchio autem intelligens hoc, illicò est reuersus. Bohemus autem cum oppidum Meron, & alia plurima uicisset, Principe cum magno exercitu uicto, per se comburens reuersus Tridentum: Princeps similiter est reuersus, quia maxima fuit caristia utrobiq;. Ludouicus autem Marchio, ipseq; Bohemus, in ipso Comitatu multis mensibus se inuicem infestarunt. Bohe-

mus, cui etiam adhæsit episcopus Curiensis, aliquas munitiones per se uictas Mediolanensi pro multa pecunia obligauit.

DE ELECTIONE IACOBI LAVrentij prudentis notarij, in notarium Romanorum.

Eodem tempore quidā Iacobus Laurētij notarius prudens & facundus, plebeius, Romæ in tribunum electus, scelera, & item iurisdictionem urbis exercens, unum de captiuis decapitauit, & Columnenses ab urbe exterminans, arguente Romanos Papa de his turbato, quòd non infra annum rediret: Se cum Romanis alium Papam creaturum respondit.

DE QVODAM HUMBERTO DELphini, quid egerit uxore sua defuncta.

Eo tempore Humbertus Delphini, qui per annum steterat inter cunctos, defuncta sibi uxore, nepte quondam Ruperti regis ex sorore, infecto negocio est reuersus. Papa enim iuxta promissum suum & thesaurum, nec gentem misit eódem. Rex enim Curtorum cum uenisset Delphinus in terram suam, in quandam ciuitatem fortem per Christianos obtentam, ex quo nomine ecclesiæ uenerat, suspicatus eum magnam habiturum sequelam: treugas fecit cum eo, animo uisitandi personam, & intelligens quòd absq; Alemannis uenerit: nec ex facto imperij cernebat muliebrem personam, ipsumq; paruipendens recessit, & magis ex aduentu eius animosus factus est. Eodem anno Princeps Ludouicus, in uenatione ursi in syluis iuxta Monacum, de equo corruens expirauit, anno Domini M.CCC.XLVII. V Idus Octobris, anno regni sui XXXIII, minus octo diebus finito.

DE EGRESSU CAROLI REGIS BOHEmiæ, electi Romanorum regis, animo inuadendi terram Ludouici principis.

Egressus est itaq; de Bohemia, cum magno equitatu, in Bauariam, animo inuadendi terram Ludouici principis, Carolus rex Bohemiæ, electus Romanorum nepos, ex filio quondam Hainrici de Lutzelburg, Romanorū Imperatoris. Item pronepos ex filia & nepte Rudolphi de Habsburg, Romanorū regis, proneposq; Ioannis ducis Brabantiæ, sororius Philippi regis Franciæ, cuiusq; Philippi primogenitus Ioannes dux Normandiæ ipsius Caroli est sororius, ipse Carolus socer Caroli regis Hungariæ, socerq; Rudolphi ducis Austriæ: & ueniens in terram ipsius Ludouici Bauariam, intellecta morte Principis Ratisponam perrexit, ubi tanquam Romanus illicò est receptus. Deinde ueniens Nurnberg, ibi grauibus factis promissionibus Burggrauio, ibidem quem euadere non potuit, in Nurnberg est receptus. Miserunt autem Eberhardus & Vlricus fratres, Comites de Vuirtenberg, secretarios suos singulos ad ipsum Regem, & ad Ludouicum Marchionem in Brandenburg, querentes cuius eorum se seruitio obligarunt, & reuertentibus prius ad Regem missis, ipsi Comites cautione recepta de LXX milibus florenorum eius se seruitio astrinxerunt. De quo alij à Marchione uenientes, & pactum de centum milibus florenorū asserentes, plurimum sunt commoti. Duoq; fratres de Hohenloch, unus Bambergens. alter Herbipolensis episcopi, etiam se Regis seruitio astrinxerunt. Argentinæ etiam honorificè est receptus, ipsum episcopum in gradibus ecclesiæ induens regalibus insignijs, habens coronam auream in capite, & pomum & sceptrum in manibus, de suis regalibus præstito sibi homagio solenniter inuestiuit: deinde per ciuitates Elsatiæ, quæ & singulæ eum receperunt, spopondit ciuitatibus, se relaxationem processuum Papalium curaturum.

Articuli

Articuli commissionis Bambergensis de absolutione illorum, qui adhærebant Bauaro, sunt tales: Cum multi per sententias & processus & pœnas Ioannis Papæ inflictas, adhærentibus quondam Ludouico de Bauaria hæretico, & de hæresi damnato, redire cupiant ad Ecclesiæ unitatem, committimus tibi, ut qui confessi fuerint errores suos, confessatos & non confessatos, & pœnas quas inciderunt explicitè uel implicitè: & iurauerint, deinceps fideles fore sedi Apostolicæ, & nulli deinceps uel scismatico fauere, & credere quòd non spectat ad Principem, Papam disponere, & alium creare, sed hoc hæresim esse damnatam: & quòd nullum pro Imperatore habebunt, nec per sedem Apostolicam probatum, nec relictæ & liberis ipsius Ludouici pareant, nisi cum ecclesia reformentur. Et qui Carolo Romanorum regi per sedem approbato parebunt, ab huiusmodi sententijs & pœnis absoluas, ita quòd si in aliquo errauerint, in sententias & pœnas pristinas relabantur: & quòd procuratoriorum & gestorum formam episcopus Bambergensis Papæ rescriberet, sub publicis instrumentis.

DE FORMA ABSOLUTIONIS, *ut haberentur diuina per Papam Clementem.*

Visa autem forma huiusmodi dura, omnibus displicente, aliqui consuluerunt eam non acceptandam esse per Regem, sed occultandam, & pro alia forma scribendum. Sed timor erat Basilienses non iuraturos Regi, ne reformarentur diuina * repertum oportuit exhiberi. Cum autem ciues uellent facere ut formam iurarent, clerus autem quasi penitus cessauit, & si non occasione quæreretur celebrandi animo nunquam similia reactandi: ecce comparuerunt Magistri & Consules Basilienses coram Rege, * cum quibus & Conradus de Berenuelss magister ciuitatis, necessitatem uniuersitatis uulgariter coram tabellione præsente exponens hæc in uerba: Domine Brandenburgeñ. sciatis quòd nec facere nec credere uolumus, quod quondam Dominus noster Ludouicus Romanorum Imperator unquam fuit hæreticus. Quemcunque etiam nobis dederint Principes Electores, uel maior pars ex eis, pro Romanorum rege & Imperatore, illum habebimus, etiamsi nunquam Papam requiret: nec quicquam aliud faciemus, quod sit contra iura Imperij quouis modo. Sed si habetis potestatem à domino Papa, quòd uultis nobis remittere omnia peccata nostra, placet. Et conuertens se ad populum, dixit: Datis mihi & Conrado Monachi potestatem petendi, ut absoluamini à peccatis uestris? qui dicebant: Placet nobis. nec aliud procuratorium habuerunt. Qui duo milites seorsum coram Secretario Papæ Ioanne de piscario præsente iurauerunt secundũ mandati formã, sicque relaxatis processibus diuina publicè sunt reassumpta, quiesque regni solitũ præstiterãt iuramentũ, scilicet quòd ius aduocatiæ seruarent. Basiliensis quoque episcopus Ioannes Sennæ, & Abbas Morbaceñ. de regalibus suis solenniter inuestiti sunt. Ciuitates autem, præsertim Argentina, exasperatæ fuerũt, propter formam huiusmodi. In die sancto natiuitatis Domini Rex communicatus fuit, legitque in missa alta uoce, habens in manu euaginatum gladium: Exijt edictum à Cæsare Augusto. Postea Rege ueniente Vuormaciam, circa uesperas, conuenerunt Clerus & Consules ciuitatis, & quæsitum est à clero, num uellent absolui, uel sentirent de processibus? Qui cum econtrà quærerent à Consulibus, quid ipsi sentirent: illisque dicentibus, se de illis nil sentire: clerusque diceret, ad ipsos animo nil faciendi, ab inuicem recesserunt. In crepusculo uerò Collegia constituentes procuratores, singulos uerò curari, & clerici per seipsos, & religiosi per procuratores iuramentis præstitis, per Bambergeñ. absoluti fuerunt. Et cum populus more solito uellet habere diuina, clerusque nollet corã populo celebrare, factus est tumultus. Clausisque portis omnibus, populus ad hospitium Regis, ad quẽ & Bambergeñ. confugatur, armatus accessit. Ipseque Bambergeñ. mandato Regis territus, omnẽ clerũ & populũ Vuormaciensem sine omni cõditione & iuramẽto absoluit. & statim omnis clerus, religiosus & secularis, contra iuramentũ serò præstitũ publicè omnia resumpsit.

DE DECOLLATIONE ENGELMARI militis in comitatu Tyrolis, potentis ualde.

Interea Engelmarus miles qui Comitatum Tyrolis, cum uxore, tradidit Marchioni Brandenburgeñ. ex quadam suspicione per Marchionem capitur, & ante castrum suum, fortè quod tenuit frater eius, decollatur, & succesiuè omnia sua per Marchionem, mediante Duce Conrado de Teckh, sibi fidelisimo occupantur.

DE CONFLICTU TEUTONICORUM in partibus regis Lituaniæ.

Eodem anno, scilicet XLVIII, de mense Ianuarij, Magister ordinis Teutonicorum cum XXII milibus equitum ingressus terram regis Lituaniæ gentilis, sex hebdomadis terram uastauit, quem in reuersione, usq; ad glaciem fluuij reuertentem, Rex cum XL milibus insequitur. Et cum simul ad glaciem uenerunt, subiungendi autem Christiani, qui iam super glaciem partim uenerant, uidentes illos, reuersi de glacie, ad campum iniere conflictũ. Illosq; tendentes ad glaciem, ipsorum circa sex milia submerserunt, & circa duodecim milia occiderunt, reliquos uerò ad syluas Lituaniæ insequuntur. Duo autem Reges fratres uolentes effugere, arbores ascenderunt: quas cum Christiani succidere uellent, illi uidentes se non posse euadere, ne de Christianorum morerentur manibus, cum cingulis suis ad ramos arborum se suspenderunt. Christianorum etiam electorum occisi sunt quinquaginta, uel circa.

QUALITER REX HUNGARIAE recesit ab Apulia propter pestilentiam.

Reuerso autem propter pestilentiam Vngaro, Ioanna relicta Andreæ fratris sui, de auxilio Papæ subiugatur Vuernhero de Vrselingeñ. Sueuo, qui primò Vngaro adhæsit, & ab eo propter quandam suspicionem falsò sibi impictam, ut dixit Licenciatus, recesit. Vendidit autem ipsa Ioanna, quantum in ipsa fuit, ciuitatem Auinioneñ. pro multa pecuniæ quantitate.

DE TERRAEMOTU MAXIMO IN die conuersionis S. Pauli.

Eodem anno M.CCC.XLVIII, mense Ianuarij, in conuersione S. Pauli factus est terræmotus generalis & magnus, ex qua homines pati syncopam putabantur, & in aliquibus locis multis diebus durauit, præsertim in Carinthia, ubi oppidum grande Villach cum multis castris & uillis eiusdem uallis corruerunt & perierunt, & in multis locis ex hoc incredibilia peruenere.

DE PESTILENTIA HOMINUM maxima.

Facta autem pestilentia mortalitatis hominum in partibus ultramarinis & alijs, qualis à tempore diluuij non est facta, aliquibus terris penitus euacuatis, Marsiliæ episcopus cum toto Capitulo, & quasi omnes Prædicatores & Minores cum dupla parte inhabitantium perierunt. quot uerò in Monte Pessulano, in Neapoli, & alijs regnis & ciuitatibus mortui sint nemo posset enarrare: Auinione & in curia per contagionem morbi infecta, ex quo multi sine sacramento perierunt, nec curam habebant parentes de filijs, nec econtrà, nec socij sociorum, nec famuli dominorũ. Papa inclusus cameræ habenti ignes magnos continuè, nulli dabat accessum. nec poterant prophetantes, quamuis multa dicerent, certam de his dicere rationem,

nem, nisi quòd Dei esset uoluntas. Hæcq; nunc hic, nunc alio loco, per integrum annum & plures annos durabat.

DE MALA FAMA ET INFORTUNIO Iudæorum in diuersis terris & regionibus.

Et infamati sunt Iudæi, quòd huiusmodi pestilentiam fecerint, uel auxerint, fontibus & puteis iniecto ueneno. & cremati sunt à mari usq; ad Alemanniam, præterquã Auinione, ubi eos Papa Clemens VI defendit. In multis autem ciuitatibus ad clamorem Papæ sine iudicio sunt cremati. Spiræ autem & Vuormaciæ, Iudæi in una domo congregati, combusserunt seipsos. & inuenta sunt quasi omnia mala maleficiorum genera, quæ in Hispania, habito per eos dudum consilio, de ueneficiis conuenisse: item de multorum puerorum nece, de falsis literis, de corruptione monetarum, furtis, & aliis multis, in quibus offendebant Altissimi maiestatem. Facta sunt hæc, & multa alia de Iudæis, anno Domini M.CCC.XLIX, Dominica ante Valentini.

DE ELECTIONE GUNTHERI DE Schuuartzenburg, strenuissimi & animosissimi Comitis, in Romanum regem, contra Carolum quartum, filium Ioannis regis Bohemiæ.

Guntherus Comes de Schuuartzenburg Turingeñ. circa XLV annos, uir robustus & strenuus & prudens in bellis, quasi solito Hainrici Moguntini & quondam Ludouici Principis plurimũ laborauit, quiq; in pluribus conflictibus feliciter præualens propriis, capiendo & uastando plurimum est ditatus à Principibus * Carolo contra se intromisit, de regno rogatur. qui primò & renuens, tandem Principes ex pacto aiunt, si in Franckfurt per Principes & nobiles sententiatum fuerit, uacare regnum & Imperium: maiorq; pars Principum, qui similiter per sententiam declarati fuerint, ius habere ipsum absq; omni Symonia elegerint, propter Deum dicens se expositurum periculis pro Deo & Imperio corpus suum. Hoc facto, cum exercitu suo in campo se posuit iuxta Franckfurt, feria sexta post Hilarii, anno M.CCC.XLIX. Conuenientibusq; inibi Principibus 4, & multis aliis Baronibus, & per sententiam detectam Imperium uacare, & eisdem quatuor competere ius eligendi, electus est in Purificatione per Hainricum archiepiscopum Moguntinum, Ludouicum Marchionem de Brandenburg, Rudolphum de Bauaria Palatinum Rheni, annuente Ruperto suo fratre, capto cum Ruperto fratrueli eorum, & Ericenn. Ducem Saxoniæ. Huic enim Erico tanquam filio fratris senioris Rudolphi ducis, electionis Caroli decernebatur ius eligendi habere. Cumq; per sex hebdomadas potenter iacuissent in Franckfurt, more regio est receptus. Aliæq; ciuitates imperii eum similiter receperũt. Intelligens autẽ Carolus eum iacere in campo ad Rhenum, se transferens, Treuereñ. Colonieñ. Leodoneñ. episcopos, ducem Brabantiæ, & alios Principes amicos alloquitur. Scribens etiam Baronibus & ciuitatibus, quæ eum receperunt pro subsidio, & quod in uilla Castellis ex opposito Moguntiæ castrametari uellent, Dominica Esto mihi, ad quem terminum Guntherus quasi in derisu tornamentum indixit.

DE CONTRACTIONE MATRIMONII per Carolum regem cum filia Rudolphi Palatini Rheni, siue ducis Bauariæ.

Carolus autem unicam filiam Rudolphi Palatini prædicti ex matre de Carinthia duxit uxorem, quòd quasi duo Carolus & Rudolphus quondam Rudolphi regis prone-

pronepotes fuerant, ipseq́ Rudolphus & quondam uxor eius mater sponsæ similiter fuerunt eiusdem Rudolphi regis pronepotes, pro quo nunquam dicitur dispensatum. Cum autem Carolus Guntherum præ potentia sua & sibi adhærentium inuadere non posset, indixit colloquium Spiræ ad dominicam Lætare. Vbi conuenientibus Treuerense, Gerlaco, Moguntineñ. Comite de Vuirtenberg, multisq́ Baronibus, & ciuitatum nuncijs, cum speraretur Guntherum in uicino uenturum pro concordia tractanda, ipse spernens, castrum Friburg obsedit. Posthæc in principio ueris infirmante Gunthero in Franckfurt, magister Fridaugus, famosus medicus, sed comitibus de Nassouue antiquitùs familiaris, cũ Gunthero potionẽ daret, eamq́ tentaret licet inuitus, post hoc Guntherus inflatus, quo ad ualentiã inutilis est effectus. & creditur famulum medici iniecisse uenenum.

Eo tempore ad preces Ioannis, filij quondam Bohemi, quem Comitem Tyrolis nominauit, Papa commisit episcopo Curiensi, à captiuitate liberato, ut si inueniret cõsanguinitatis uel affinitatis, uel aliud impedimentum inter eum & Margaretham quondam Hainrici ducis Carinthiæ filiam, Ludouico de Bauaria nominanti se Marchionem Brandenburgeñ. de facto copulatam, quòd ob maleficium diuortium celebraret. quòd si non inuenerit, cum x annis & interim per continuum triennium cohabitauerint, operam copulæ dantes: nec potuerint commisceri, sed posset sibi reddi sine strage & scandalo, ipseq́ se habilem asserat ad alias mulieres, & cupiat esse pater, quod iustum fuerit decernat. Qui Curieñ. inter eos diuortium propter maleficium celebrauit. Marchio autem cum Mastino Veronensi ligam cõtraxit, eiusq́ filio suam ex prædicta Margaretha filiam desponsauit.

DE CONVOCATIONE EXERCITVS IN Moguntiam, per Carolum regem, contra Guntherum de Schuuartzenburg.

Conuocauit autem rex Carolus exercitum ad Moguntiam in Maio. Moguntini enim sibi in odium Hainrici Archiepiscopi, qui eos læserat, & Franckfurtensium, à quibus Rex abstulerat nundinas, dans Maguntinis, firmiter adhæserant. Intentio autem Moguntinorum fuit, expugnare oppidum Alteuill, constructum per Moguntinum super Rhenum, ad duas leucas à Moguntia. Guntherus autem lethaliter infirmus, cum gente sua se in Alteuill collocauit. Transeunte autem Carolo Rhenum, ducenti equites Guntheri impetum facientes, Carolum terruerunt. Accelerantes autem equites Eberhardi de Vuirtenberg, & quidam alij, fugarunt eos: de qua fugatione multi milites sunt creati. Veniens autem Marchio de Brandenburg sine gente, habitis tractatibus cum Rege, uidens etiam Guntherum factum inualidum, negocium oportuit expediri. Ita quòd Gunthero data sunt XXII milia marcarum, & duo oppida Thuringiæ Imperialia, pro tempore uitæ suæ. Quod ipse Guntherus, licet infirmus, difficulter consensit, etiam quòd sanus nullatenus consensisset, de Principum perfidia conquerendo. Obijt autẽ ipse Guntherus in Franckfurt, & in ecclesia parrochiali ibidem præsente Rege fuit cum lamentatione sepultus. Rex enim Franckenfurtensibus omnia sua priuilegia confirmauit, & nundinas restituit, datis sibi XX milibus marcarum, quæ recepta sunt à Iudæis ibidem.

DE REVERSIONE REGIS in Spiram.

Reuersus est autem Rex Spiram, uocatisq́ Baronibus & ciuitatibus, tractans de pace generali circa Rhenũ, sed non perficiens, in Bohemiam est reuersus circa finem Septembris, malè terra regni pacata. Reliquit autem in Sueuia præsidem Eberhardum de Vuirtenberg.

DE EBERHARDO COMITE DE Vuirtenberg.

Eberhardus autem de Vuirtemberg, præses in Sueuia, cum oppida imperialia, Nordlingeñ. quod consueuit respicere Comites de Ottingeñ, & Vuerde, super Danubio, quod in dominio Bauarorũ ab antiquo steterat, ad suam nomine Regis obedientiam assumsisset: tunc inter duces Bauariæ, Comitesq́ de Ottingeñ. cõtra ipsum Eberhardum odium est subortum. Ciuitates autem Sueuiæ ipsi præsidi uicinæ, alijs quantum audebãt fauentes, præsidem, sicut & patrem & auum, habuerunt exosum. Ipse Eberhardus oppidum Lande super Neccaro episcopi Vuormaceñ, quod ante Rupertũ ducẽ Bauariæ defensario episcopi nomine respexit, sibi de episcopi consensu attraxit. Ex quo inter Ducem & Comitẽ exercitus congregantur & remittuntur. Rupertus autem dux in Bohemia Carolo regi nimis familiaris est effectus, qui & uicarius Regis dicebatur: postquã fratruelem suum Rupertũ, quem & Arriectum nominant, de captiuitate redemit. Postquam in Brandenburg pro pace laborauit plurimum, ciuitates Sueuiæ contra Comites de Vuirtenberg acriter incitauit. ac multi episcopi & Comites per Eberhardũ de Vuirtenberg habere credebantur exosum, propter eius uirtutes: & quia malam timuerunt consequentiam, si aduersus illa oppida præualerent, se mutuò colligarunt, sicq́ furor uulgi quieuit.

Humbertus uerò Delphini uice quodammodo destitutus, terram suam retentis aliquot munitionibus, nepoti regis Franciæ ex filio primogenito uendens, frater Prædicatorum est effectus.

QUALITER TREUERENS. ARCHIEPIscopus constituit Ioannem de Liechtenberg, tunc temporis præpositum Argentinens. uicarium episcopatus sui in spiritualibus & temporalibus.

Valdeuuinus autem Treuereñ. cum XLII annis ecclesiam suam rexisset, ac propter senium & tenacitatem nil plus proficeret, cum frequenter solitarius uitam quasi carnificum duceret, Ioannem de Lichtenberg, qui & in Argentinensi ecclesia præposituram, decanatum, cantorianatum & pincernatum simul tenebat, ualentem & prouidum, in spiritualibus & temporalibus administratorem & uicarium deputauit.

DE MINISTRATIONE CUNONIS DE Valckenstain contra Papam & Gerlacum prouisum.

Cuno uerò de Valckenstain, minister Hainrici Moguntini, inuito Papa & Gerlaco prouiso, & quòd idem Hainricus quondam in Gunthero de Suuartzenburg fideliter egerit, laudatur, Bauari uerò perfidia diffamatur.

DE MORTE QUARUNDAM DOMINArum, filiæ regis Bohemiæ & reginæ Hungariæ, & sororis regis Hungariæ, uxoris Ioannis Franciæ regis.

Moriuntur quoq́ eodem anno XLIX, filia regis Bohemiæ, regina Hungariæ, & soror eiusdem Regis, uxor Ioannis primogeniti Franci: item primogenitus ducis Brabantiæ, gener prædicti Ioannis: & Domina de Kussa, filia quondam Lupoldi ducis Austriæ: Item filia regis Ceciliæ, uxor Stephani ducis Bauariæ. Circa principium anni quinquagesimi, Francus clam uni seruitorum regis Angliæ Lomperdo, te-

do, tenenti custodiam unius portæ, pro traditione in Kales pecuniam maximã pollicetur. at ille breui termino deliberandi recepto, uelociter Anglum alloquitur. Iussitq; eum recipere pecuniam, & gentem Franci uenire iubet. Anglus autem cum filio suo & suis nocte ueniens per mare, gentem Franci, intromissamq; multitudinem uidelicet nobilium, interfecit, & aliquos captiuauit.

QUALITER CLEMENS PAPA SExtus perpetuò constituit annum Iubileum.

Cum aũt Clemens papa VI, L annũ perpetuò statueret Iubileum, quẽ Bonifacius Octauus 100 statuerat, quasi nouum inchoans, timorosus dicens ipse Clemens 50 magis conuenire: ecce inchoante eodem anno, & per totum quinquagesimũ tanta Romæ Christicolarum confluit multitudo, qualis non illic ab urbe condita confluebat.

QUALITER PAPA INHIBUIT PROcessum Flagellatorum per consensum Caroli regis Romanorum.

Requisitus autem Papa per Carolum regem Romanorũ, processu quoq; Flagellatorum sectã detestans, eos inhiberi præcepit, & religiosos eis fauentes per episcopos captiuari. Castigationes tamẽ occultas in hospitio bona intẽtione permittere prætendit, quoq; in processu: quòd sicut manus in necem Iudæorum, quos pietas Christiana defendit, laxarunt, similiter de is contra probos alios sit timendum.

CUSPINIANUS LECTORI.

MAgister Albertus Argentinẽsis in suis Chronicis hoc loco prolixum caput de origine & dignitate & patria gentis Sueuorum, ex Gottofredo Viterbiensi recenset, narrãs quo pacto Sueui à mõte Sueuo, quod Lucanus testatur, in septentrione denominati, etiam in exercitu Attilę, quem numerosissimũ habuit, in campis Catelaunicis fuerint, & qui ipsorum reges extiterint, quas prædas abstulerint, & usq; ad Burgundiones perrexerint. Et quomodo eosdẽ Burgundiones extinxerũt, & terras suas tanquam in suum proprium dominium cõtraxerunt. Extat & peculiare opusculum Attilæ, quo hæc cõtinentur: & ego Cuspinianus in opere meo Consulum nonnihil, nõ sine summa diligentia, perscripsi. Præterea ut paulo antè testatus sum, antiquũ nactus exemplar magistri Alberti, quod prę uetustate legi uix poterat, reperi & aliud exemplar eiusdẽ magistri Alberti longè diuersum à priore, fenestratũ, ac plerisq; in locis mancum: cui confidere non erat securum. Ob id moneo omnes lectores, ne facile credant his exemplaribus, sed cauti sint legendo. Nam facile inconsideratus lector offendet sese, & in errores præcipitabitur: quod admonitionis causa præfari uolui. Nam quæ in eodem magistro Alberto scribuntur de regibus Italiæ, regibus Latinis usq; ad Aeneam, ex Orosio notiora sunt quàm ut de ea re pluribus agamus. Item quę de quatuor regnis tradit, Persico scilicet, Babylonico, Macedonico, & Romano, & Eusebius & pleriq; alij historici testantur. Item quæ tradit de Euandro, & Pallante, cũ eius Epitaphiũ in historia Martiniana etiam contineatur, & alibi item quæ scribit de Seruatore nostro, quo pacto Imperiũ honorauerit, & natiuitate sua, & in uita, & post mortem, omnibus nota sunt hæc adeò, ut superfluũ sit ea toties repetere, & literis inculcare. Itẽ de Gallia triplici, Cæsar in Commentarijs satis superq; explicat & docet. Item quæ de regibus Francorum, à Carolo ad Clodoueum, quem S. Remigius baptizauit, & cæteris sequentibus Regibus historia complectitur, aptius alibi leguntur: adeò quòd nihil penitus inueniam in præsenti Alberti historia, quod non alibi cõmodius legatur, & inueniatur. Ob id puto indignum, frustra lectorem detineri hac sua garrulitate, meliora enim semper sunt legenda, & non hæ quisquiliæ & peripsemata.

Reueren-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO,
D. BERNHARDO Præsuli Tridentino, Serenifs. Regis Hungariæ & Bo-
hemiæ, Archiducis Austriæ, &c. FERDINANDI primario à Consi-
lijs, V. C. atq; opt. Ioannes Cuspinianus Salutem &
felicitatem optat.

*Scripsi his diebus, Reuerendißime Præsul, miserabilem & execrandam Turcorum stragem, qua Lu-
douicus Rex Bohemiæ & Hungariæ miserè perijt, & regia urbs Buda & Pestum oppidum à Turco in-
censa conflagrarunt, templa desolata sunt, muri cōquassati corruerunt, quod nemo sine lachrymis cernere hodie
poßit: Principes sacri Romani Imperij & proceres adhortando, ut postposita mora ueniant in subsidiū Christia
nitati, ne hoc idē experiātur. Facilis enim est aditus Turcis ex Hungaria in Austriam, Bauariam & Sueuiam. Et
licet idem Aeneas Syluius in conuentu Mantuano, tanquam Pontifex Romanus: Antonius Campanus episcopus
Aprutinus, in conuentu Ratisponensi Friderico III. Cæs. Rom. cunctisq; Principibus astantibus, suasit & ad-
hortatus est, ut arma cōtra crudeles Turcos sumāt: Franciscus quoq; Philelphus lōgè lateq; Carolo & Lodouico
Francorum regibus, Vladislao regi Hungariæ, Nicolao Pont. Ro. Paulo II. Pont. Max. Sixto IIII. Nicolao
Trono, & Christophoro Mauro Ducibus Venetorum, Friderico Vrbinati Duci, Bernardo Iustiniano Patricio
Veneto, Ludouico Fuscarino Equiti aurato & Iureconsulto, & paßim alijs de Turcis expugnandis scripsit arti
ficiosißimè simul & elegantißimè: ego tamen simpliciter, ut res gesta est in nostra uicinia, & quæ oculis uidi,
& fama ad nos peruenit, rem disserui: ut omnes intelligant, si modò legerint, crudelis illius tyranni sæuitiam ab
omnibus Christianis Principibus animaduertendam: & citò quàm citißimè succurrendum, si Christianitatem tu-
tari ac defendere uolunt. Vale Reuerendiß. & simul optime Princeps, boniq; consule.*

ORATIO PROTREPTICA IOANNIS CV-
SPINIANI AD SACRI RO. IMP. PRINCIPES ET PROCERES,
ut bellum suscipiant contra Turcum: cum descriptione conflictus nuper
in Hungaria facti, quo perijt rex Hungariæ LVDOVICVS, & qua uia
Turcus Solemet ad Budam usq; peruenerit ex Alba Græca: cum enume-
ratione clara dotium, quibus à natura dotata est Hungaria: cum in-
sertione multarum rerum annotatu di-
gnißimarum.

DIXERINT licet plurimi, multiq; sint dicturi deinceps, de crudeli-
tate Mahumeticę sectę, quàm impiè sęuierint semper in Christianū
sanguinem: quamq; sint ueluti lupi, qui raptu fiunt indies efferatio-
res: quū tamē omniū sint effeminatissimi & imbelles Asiatici, ut an-
tiquitùs de eis ferebat, O' Phryges & uerè Phryges sinite arma ui-
ris. Nam & Gręci, olim gens strenua, adeò degenerauit, ut originem
suam nesciat, uoluptatibus omnis generis corruptissima. Quandoquidē apud Tur-
cos nullum est peccatum, quàm non peccare. Si tamen mihi à Deo opt. max. liceret
optare quę uellem, in commune Christianitatis commodū, nil aliud poscerem, quàm
ut oculata fide omnes Christiani Principes cernerent, quæ nuper sæuus Christiani
nominis hostis Soleymānus, Turcorum princeps, dum cōflictum statuisset cum pijs-
simo Hungarorū rege Ludouico uictor patrauit & Budæ, & in Hungaria, quam ui
occupauit, & incendio, & hominum cæde truculentissima. Tum neminem pu-
to ex uobis, ô Principes, & sacri Romani Imperij proceres, tam segnem & oscitabun
dum domi torpere, quin hanc cladem pro sua uirili uindicare, & optimum quemq;
manu sua strenuè ulcisci, relictis domi omnibus rebus, festinaret, rupta omni mora:
ne crudelis illa & sanguinolenta bestia, sumptis cornibus latius ueluti rabidus canis
in Christi gregem populabunda sæuiret, & suo rictu aperto uorare quod restat Hun
gariæ conaret. Nempe cum superiore anno Zelimus tyrannus, huius progenitor,
ut hinc ordiar (nā altius repetere quę ante annos quinquaginta & amplius acta sunt,
Mathia rege & Ioanne Huniade regnantibus, quando Turci uicti & castris exuti re
pulsi sunt, & Belgradum a b hostibus liberatum, licet gentium terror tum passim ap-

pellaretur Turcus, iam inutile duco: dicturus, quæ præsens nostra ætas uidit, & heu proh dolor experta est, quę sine lachrymis effari uix possunt) Cum inquam Selymus superiore anno post deuictum Sultanum, recepta Palęstina, Syria & Alexandria, & post superatum Persarum regem Sophi, cum plerisq; locis, quæ tributaria fecit, mortuus esset, relicto filio Solometh: qui efferacior patre, Hungaris malo fato negligentibus ac dormitantibus, clauem regni Nandaralbam, Taurunum siue Belgradum ueteribus dictum, eripuisset: uel, ut loquar uerius, potius Hungari sua desidia amisissent: capta dehinc Rhodo nobilissima insula, pari torpore Christianis principibus malè uigilantibus, Zelimo extincto, filius Solometh patre sæuior, multoq; truculentior, maiorum suorum uestigia sequutus: ut uoraret cæteras Christiani orbis regiones, sicut à maioribus fuit institutus, maximam classem nauium toto anno fabricare nixus, quo contra Danubium irrumperet in Hungariam, quam multo antè inuadere meditatus fuerat. Cum iam diu Bulgariam, Mœsiam, Illyrici & Croatię partes cũ Græcia insatiabilis bestia deuorasset, sic rem aggressus est, ut ordine omnia explicem. Tria namque maxima flumina Danubio, qui Hister postremò appellatur, in unum alueum prope Nandaralbam coeunt: Sauus, Drauus, & pisculentissimus Tibiscus, qui nostra ætate Tissa uulgò dicitur, prope Segedunum Danubium ingrediens, receptis prius in suum alueum Keres & Maros fluuijs: maximus illic fit alueus in Danubio. Qui deinceps per Transalpinam Vualachiam, ob montes præcipites, & in cœlum usq; uergentes, ut sic dicam, fit arctior: sed miræ profunditatis, ut Traianus Cæsar olim debellaturus Decibalum regem in Persas proficiscens, occasionem sumens pontem supra Danubium mira arte & ingenio strauisse feratur: cuius fragmenta hodie adhuc extant, cum inscriptione, TRAIANI NERVAE FILII CAESARIS VERE PONTIFICIS, quòd paucis etiam doctissimis notum est. Vbi haud longè fons scaturit, qui S. Crucis uulgò dicitur, & magnis miraculis claret. Quoties enim Rex aliquis Hungariæ uel moritur, uel periculum aliquod subire cogitur, aqua fontis in cruorem uertitur, ad multos hominum languores, quibus medetur, haud inutilis. Quod accolis longè lateq; patet, & longa experientia comprobatum est. Vere itaq; proximo huius anni, Hungaris dormitantibus somnum Epimenidis, choreisq; & uino indulgentibus, sanguinolentus tyrannus Solometh, innumeris nauibus paruis & magnis, temporarijs quoque, celeribus tamen, quas antiquitas celoces appellat, onustis commeatu & magnis machinis, cum magno exercitu quoque in Hungariam irrumpit. Fertur autem ducentena milia hominum, præter inutilem turbam calonum & lixarum, habuisse in exercitu, cum triginta milibus camelorum, qui artalariam ingentem, commeatum ac cætera impedimenta ferebant: cum selectissimis equitibus & peditum caterua, qui Ianizari uulgò dicuntur, ex sanguine Christiano ferè omnes orti, quos pro decima parentibus surripit, & gladiatoria arte ac militari disciplina institui facit, quibus custodiam corporis committit proprij: hos, quoties castrametatur, in suo tabernaculo habet custodes, & sine eius iussu ne digitum quidem transuersum agunt ab Imperatore. Nam de cæteris eius ministris, quibus utitur, nunc non est differendi locus, qui copiose alibi de ijs scripsimus. Posteaquam ergo Solomet ex Nandaralba soluit, recto itinere primùm arcem munitissimam Salankemen peruenit, quam nullo labore cæpit. Hinc adiacentes arces & oppida aggressus, donec Varadinum Petri, strenuis uiris ac militibus egregijs munitum, ac commeatu & bellicis machinis bene prouisum peruenit. Vbi substitit, & aliquot diebus frustra conatus, licet semper ad solitas fraudes, ut pelliceret ad se inhabitatores, confugeret: cum illis persuadere nequiret, indignatus ueluti frendens bellua acrius instare: at illi tanquam uiri fortes acrius sese defendere, quoad præcipuos è suo exercitu milites amitterent. Tum blandiri cœpit militibus: ac libertatem, si sese dederent, obtulit. At ij sperantes à Rege auxilium, mori prius decreuerant omnes, quàm sese dedere. Cum uerò nusquam auxilium ueniret, nec à Rege, nec à Regnicolis, accepta libertate, ultrò se dediderunt. Turcus castro & arce munitissima potitus, nullam (ut assolet) seruat

Marginal notes: *Taurunum. Nandaralba. Belgradum.* — *Pons Traiani in Danubio.* — *Fons sanctæ Crucis.* — *Salankemen. Varadinum Petri.*

seruat fidem: sed captiuos ut pecora abegit, in perpetuam seruitutem, ac miserum exilium. Dehinc arcem hanc munit, & militibus ac necessarijs prouidit, pro'que fortalicio firmissimo usque nunc utitur. Paulatim adiacentes uillas & oppida hominibus uacua occupat. Titellum arcem, dehinc Vlack oppidum in ripa Danubij situm, ubi quondam Capistranus in sepulchro quiescens, resurrectionem communem expectat, flammis ferro'que expugnauit. Tandem exciti Hungarij, episcopo Collociense, lachrymis ac precibus commixtis adhortante & efflagitante, ne tanquam inertes, uino somno'que sepulti, uniuerso mundo essent fabulæ (uix enim dici potest, quantum uir ille, religiosus equidem, & bono zelo motus, cum tamen ab ineunte ætate semper fuisset bellicosus, sæpissimè manus conserens cum Turcis, passim cunctos ad aggrediendum cohortatus, ut patriam, uxores & liberos tuerentur, quamuis sæpe rideretur à plerisque, qui omnia iniquè interpretantur.) Sic itaque pijssimus rex Ludouicus, cupiens regnum & subditos sibi commissos tutari ac defendere, paucis comitantibus (multi enim ex suis immemores iurisiurandi, fatum sui Regis expectantes latuerunt) Budam egressus xxiiij Iulij, decem & octo milibus passuum Tolnam uenit, haud longè ab oppido quod Batha uulgò appellatur, ubi sanguis Christi religiosissimè ueneratur, Turco occurrit. At contrà, Turcus à Danubio cum exercitu haud longè discedens, omnia longè lateq; deuastat: arcem Soclos, quam olim Emericus Deperinn magnis sumptibus struxerat, regni Hũgariæ Palatinus, uir sanè haud ignobilis, & Cæsari Maximiliano, dum ambo uiuerent, haud ingratus, oppugnaturus, scalas apponit Turcus, credens uno aut altero die in potestatem suam ui posse redigere. Sed omnes illius conatus, uiri fortes, qui hanc arcem custodiębant, eluserunt: & ter repulsus ab expugnatione arcis, tandem cum ignominia cessit belua, frendens præ ira. Idem illi accidit in altera arce haud longè ab hac, cui nomen Vualpo: quam pari furore aggressus, irrito labore omni & frustrato ridiculè cessit, amissis pluribus bellicosissimis uiris & militibus. Vtinam omnes alij sic uires intendissent. Non sunt enim ferrei Turci, ut uulgus opinatur, ut non possint uinci: sed molles & effeminati, omnia furore & impetu agentes, præcipites: mox si uires uideant, ab incœpto desistentes, ceu mulieres: quæ primis suis consilijs longè anteuertunt uiros, sed mox languentes à suis decidunt meditationibus, si paulo fortius adoriũtur. Cum in Soclos & Vualpo malè cessisset Turco, conuertit se ad Quinquecclesias, ciuitatem haud fortem: ubi Episcopatus nobilis uirum habuit olim nostra ætate insignem, & prudentia ac experientia multis regionibus comprobatum, cui nomen erat Georgius Zotmar. Hanc urbem facile igne & ferro expugnauit. Hic sæuitia usus crudelissima in uiros, quos trucidauit, & mulieres ac uirgines, quas stupro in luxum suis militibus concessit, & postremò in seruitutem abegit: uolens compensare sæua truculentia ignominiam, quã & in Soclos & Vualpo adeptus erat. Sic misera urbs uiris & mulieribus spoliata, tandem cremata est: nec preces nec lachrymæ, quas mulieres ac liberi cum parentibus non absque magnis singultibus ac gemitu emiserunt, locum ullum apud sæuum hostem habere potuerunt. O' crudelissimum spectaculum, quod meritò Principes & proceres Romani Imperij cordi suscipere debeant. Erat enim hæc urbs uiris ac feminis speciosis decora, mercimonijs clara, diuitijs insignis: quę una die sic misere perijt & occidit, cum tot hominibus ac bonis quæ in spolium ac prædam Turcorum cessere omnia. Rex Ludouicus interim circa oppidum cui nomen Mohatz, exercitum habens, ut fertur, triginta milium equitum, expectauit à suis subsidium: iussitq; ut thezaurum ecclesiæ in tanta rerum necessitate dissoluerent. Maria regina Hungariæ, de nobilissimo stemmate Regum Hispaniarum & Archiducum Austriæ orta, & quæ maritum unicè deamauit, nihil obmisit quod ad salutem Domini sui spectare uidebat, rogando, petendo auxilia ab exteris & suis regnicolis, opes suas omnes dilargita est. Bohemos nobiles accersiuit, nullis parcendo expensis, ut suo Regi suppetias ferret. Intendebat omnes neruos Paulus Temeri achiepiscopus Collociensis, qui prius aliquoties, priusquam habitum Sancti Francisci indueret, tanquam

Titellũ, Vlack, arces.

Ludouici Regis in campum progreßus cũ exercitu.

Tolna.

Batha.

Soclos.

Vualpo.

Quinq; ecclesiarum expugnatio.

Georgius Zotmar.

Mohatz.

tanquam strenuissimus miles à pueritia sæpe manus cum Turcis conseruit: & ob id propter præclaras eius res gestas in archipræsulem electus, ueluti uigilantissimus pastor super gregem Dominicum, omnes angulos circumeundo, adhortando & monendo anxiè obiuit, ut sese, liberos, uxores & patriam defenderent. Aliĳs fletum excussit & lachrymas, aliĳs risum (qui subsanando monachum, tanquam inutilem rei bellicæ putabant, tanquam surdis fabulam cecinit. Aliĳ præsules & nobiles regni suum regem comitabantur, susquedeque omnem fortunæ aleam æstimantes. Regem admonere nemo bonus censuit, suopte ingenio plus satis ad quæque pericula subeunda promptum, qui nullis calcaribus egebat. Vtinam fuissent, qui eius rei rationem habuissent, & tam pium Regem tanto periculo non commisissent. Sed cum ex suis multi imprudentes Regem hortarentur ut cum Turco congrederetur, impar & uiribus & potentia contra tam sæuum ac potentem hostem, noluit degener apparere & inglorius, ne timidus incusaretur, propriam uitam contempsit & salutem: manusq́ue conserere (licet testudineo gradu ad tam arduum opus sui se mouerent) cum hoste tam potente statuit. Aliĳ causabantur, exercitum suum non satis fore turbæ tantæ. Aliĳ arguere Regem, si hostem elabi sineret, arma conuersuros in ipsum. Pars expectare plura auxilia ex Bohemis suadebat, pars satis esse affirmabat. Sic piĳssimum regem ancipitem suis suasionibus, qui tamen minus uirium habuit, quam tantum negotium requirebat, reddebant. Aliĳ ut urgerent Regem ad hoc fatum, aliĳ sibi magis quàm Regi consulerent, uariĳs argumẽtis instabant. Contumelias quas in ipsum Regem iaciebant, ferre non potens Rex: licet careret & Imperatore experto, qui aciem instituere sciret, tormenta iaculari, & exercitum ordinare: plerisq; reluctantibus & dissuadentibus aciem educit, non satis compositam, xxx Augusti, qua die Ecclesia decollationis S. Iohannis festum religiose colit. Fit clangor tubarum, strepitus armorum, ferit æthera clamor uirorum. Nostri tormenta bellica & machinas frustra iaculantes, ne exercitus Turci ullã quidem partem attigerant. Aliqua distantia haud modica Turcus audiens ibi paratam aciem, cũ numerosa sua multitudine præmissis tormentis ac bellicis machinis, ne ictum quidem ullum frustra emisit: quin recto tramite in exercitum Regis, ueluti repentinus imber & tonitru certis grandinibus uenit. Quo territi nostri, cum dicto citius Turci exercitum Regis obruerent, à multitudine superati, pauci uertuntur in fugam, saluti suæ consulentes fuga. Posteaquam nec punctim nec cæsim Turci à nostris possent offendi, ita armati cortesinis & loricis, tam copiosum sanguinem fuderunt, ut campi sanguinolenti instar torrentium fluitarent. Nostri palantes, territi barbarico clamore frequentato, Dabra Dabra hu, quas uoces crudeliter reiterabant, maximumq́ue terrorem nostris iniecerunt, præsentem mortem oculis animaduertunt. Dissolutus exercitus à nostris, Regem arripuit malè custoditum à suis: qui præter opinionem omnium in lacum, quem Danubius inundatione facit, insiliĳt. Et cum non essent qui piĳssimum Regem armis exuerent, obrutus aquis in lacu submersus est, & absorptus: ut olim Imp. Decius Augustus pari conflictu periĳt. Et pòst mense Octobri tandem repertus, in Alba Regali, ubi maiores sui sepulti quiescunt, præsentia multorum regnicolarum terræ mandatus. Ex nostris cecidisse ac captos esse tringinta circiter milia feruntur, in quîs episcopus Tschinadiensis, Varadiensis, Quinquecclesiensis, Gauriensis, Strigoniensis, & Archiepiscopus Collociensis: cuius caput longæ hastæ affixum, per exercitum ostentari fecit, in suorum consolationem: ut pote quos crebrò sua strennua manu occidit, in ludibrium. Id quod olim C. Nero Coss. post cæsum Hannibalis fratrem, qui Hasdrubal dicebatur, ante bellum Punicum secundum, ut Silius Italicus prodidit, exclamabat:

Clades cũ rege Ludouico facta xxx Augusti.

Dabra Dabra hu.

C. Nero. Hasdrubal.

Tum Nero procera sublimia cuspide portans
Ora ducis cæsi: Cannas pensauimus, inquit,
Hannibal, & Trebiam, Trasimeni littora tecum,
Fraterno capite, i duplica perfida bella,

Etge-

Et geminas arcesse acies: hæc præmia restant,
Qui tua transmissus aptauit Alpibus arma?

Sic Turcus ostenso capite Archiepiscopi Colociensis, magno tympanorum & tubarum præmisso sonitu consolari uoluit suos, incommoda multa ab eo passos. Quis est obsecro tam ferreus, tam durus, tam impius, qui non tam deflendũ casum miseretur? tam pij Principis Ludouici indignissimam mortem non defleat? tot antistitum & præsulum miserabiles cædes, tot uirorum fortium honesta pectora, ob patriæ suæ defensionem, & liberorum protectionem, constanti animo conflictus passorum, mortes non ingemiscat? Fuit occisus cum multis episcopis Rex Vladislaus iuxta Varnam Bulgariæ ciuitatem inclytam, anno Christi M.CCCCXLVI, cum ipse prior irritasset Turcos, & iusiurandum datum & scriptum, iussu Romani Pontificis, per Cardinalem Iulianum uiolasset turpissimè, qui & ipse uiolatæ fidei, qui hosti etiam seruanda est, pœnas dedit. Sed Sigismundus Imperator cum haud prouidè cũ Turcis manus conseruisset iuxta Nicopiam urbem, eamq; prouocasset in campo lato, quem Panisus fluuius prope Hemos montes præterlabitur, stulticiæ suæ pœnas luit, anno nostræ salutis M.CCCXCVI. priusquam Rex Romanorum designaret. Sed pòst in Regem Romanorũ creatus, à nato Iesu anno M.CCCCIX. prope Galambotz infra Zenderouiam, in ripa Danubij, grauissima clade affectus, uix ultra Danubium fuga salutem inuenit. At hic innocentissimus rex Ludouicus, non ut hostem prouocaret, sed regnum suum tutaretur, à tam cruento hoste, tam miserandum fatum subijt, omnium posteritate commiserandum. O sacri Romani Imperij Principes & proceres eminentissimi, hanc stragem cordi recipite, futuro malo occurrite, facite ne Turcus de tanto conflictu lætetur amplius, ne toties simus uictimæ hostibus, quas immolent: ne in conspectu uestro uxores, liberos, uirgines & pueros, uidere cogamini turpissima quæque pati, ensibus trucidari, abigi in exilium omni morte crudelius: non expectetis, ne talem aleam iterum atq; iterum subire Christiana gens cogatur.

Varnensis clades.

Sigismundi Cæsaris clades.

Nicopia.

Galãbotz.

Zenderouia.

Nam neglecta solent incendia sumere uires:
Et tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Perfecto igitur prælio, cum pars sese fugæ dedisset, pars miserè cæsa occubuisset: Turcus uocatis ad sese summis suis consiliarijs, qui uulgò Bassæ dicuntur (quorum duos habet primarios, alterũ qui præest Romaniæ, alterũ Natoliæ, quib. rerũ summã cõmittit. sic enim omnes suas prouincias intra & ultra mare diuidit: hũc Cõstãtinopolitano Imperio, alterũ Orienti præponit, & hinc nomina sortiũtur: Imerim Bassa ex ijs primas partes habet, quẽ ut propriã animã charũ habet, quasi dicas Abraham Bassa: alter Balibeck Bassa patria lingua dicitur) ijs cõmittit, cum iam dissipatus esset exercitus, & Rex fuga elapsus miserè perijsset, ut Regiam urbem Budam adorirentur. Hi dicto audientes, ut Budam arripiant & spolient, ingenti exercitu Turcum præcedunt. Tunc fit miseranda fuga ciuium. & Maria regina in tanta festinatione, ignara adhuc de mariti fato, omnem supellectilem in naues asportat. Sic cæteri ciues cum uxoribus & liberis ac supellectili, quam in tanto metu ac trepidatione eripere poterant, Danubio sese committunt, ut Viennam uersus fugiant. Feruntur septuaginta sex naues onustæ per Danubium ascendisse: præter illos qui curribus & equis satagebãt auferre, quas quisq; potuit reculas suas. hic miserum cerneres spectaculũ. Erãt in nauibus mulieres impregnatæ & partui uicinæ, quæ pariebant, & ob timorẽ aborsum fecerunt. Quædam puerperiũ nuper egressæ, infantes lactauerunt: & dũ hos curant, alios præcipites pueros è nauibus præcipitari uident. Hic eiulatus, singultus, lachrymæ, fletus die noctuq; audiuntur. Nec enim satis in festinatione tanta commeatu prouisæ matres, pueros panem petere non sine miseria uociferantes audierunt. Ventum est in Danubio ad Strigonium Archiepiscopalem sedem. tum Husserones incolæ regni, Turcis longè sæuiores & crudeliores, nulla pietate moti, nulla misericordia, nauem unam onustam regia supellectile reginæ auferunt, spoliãt

Bassa Romaniæ, Bassa Natoliæ.

Fuga Reginæ & ciuium ex Buda per Danubium.

& diripiunt. Nec tanta feritate satiati, nisi ludibrio etiam suam Reginam afficiant, in tanta anxietate: muliebres uestes, & puellarum soleas ex Gynæcio asportatas induunt, choreas faciunt, risus & subsannationes in timidum sexum faciunt. O' gens effera, & crudelior omni Turco, omni supplicio perdenda, & mille mortis generibus castiganda: soboles scelerata, non aere, non terra ferenda. Id tuæ Reginæ facis pijssimæ, uiro orbatæ, fletu & lachrymis tabescenti? O scelus. Num ô principes sacri Romani Imperij, & proceres, est hæc gens funditùs è radicibus exterminanda & delenda? Bonos, si qui extant, semper excipio. Quibusdam nauibus funes nauticos secuerunt, ut in Danubio fluctuarent errabundæ, & submergerentur. Denique nullum genus sæuitiæ ac crudelitatis, quod in Reginam suam & miseros ciues profugos excogitare poterant, obmiserunt hi strennui milites. Vt hinc facilè liquescere posit, quãtum Regem suum amarint, quantum illi seruierint, quantum auxilium illi præstiterint. Animus meminisse horret, dictuq; refugit. Quis potest lamenta mulierum, uociferationesq; diurnas nocturnasque satis pro rei indignitate recensere? Postquam appulerunt Posonium, Regina & miseri ciues cum uxoribus & liberis, ut textum orationis meæ seruem, urbs regia à Basis, qui Cæsarem præuenerunt, incendio horrendo conflagrauit: & Pestum oppidum, in quintum usque diem: Troiam ardentem tum quisque imaginari poterat. Corruerunt tecta & turres, templa sanctorum spoliabantur donarijs, reliquię quę superfuerant corripiebantur. Nihil tutum, nihil tranquillum relinquebatur. Serui dominorum profugorum scientes repositoria, adaperiebant, ut furta committerent, quæ uellent, ne nihil tutum bonis uiris remaneret. Iudæi, quorum magnus numerus Budę erat, pro uita usque & libertate strennuè sese defenderunt. Priusquam Solomet Turcus urbem Budam intraret, ducenti fortè ex pauperibus, quibus fuga non erat concessa ob inopiam, regiam arcem occupabant. Et cum Imperator uellet ingredi, tanto ardore ac impetu tormentorum, ingressum eius arcuerunt (licet uix annona in dies paucos ijs sufficeret) ut uitam ijs saluam promitteret, si eius ingressum haud impedirent: quod ratum tenuit, quoad occupata arce in solio resedit. Tandem suasionibus induxit, ut secum in Turciam proficiscerentur. Cum itaq; regia urbs in cinerem esset penè uersa, nono die aduentus sui in Budam, Turcus festinabundus fugam molitus, pontem temporarium ex insula sancti Georgij, ubi moniales habitant, strauisse fertur: causatusq; ualetudinem (sed reuera, ut occurreret Sophi, Adrianopolim ferro flammisq; euastanti, ut ex exploratore, qui Viennæ captus fuerat, didici) pontem traiecit festinabundus, multis sese comitantibus ac prementibus, rupto in fine ponte submersis ac precipitatis. Rumor inde sparsus, Turcum mortem oppetijsse: qui ad eius usque Locumtenentem dimanauit, qui sese creat Cęsarem: & cum falsus esset uano illo rumore inuictus Sophi, occasionem Turcorum Cæsari dedit, ut perhibent, eum usque hodie in Sophia, insigni urbe inter Nicopiam & Philippopolim perseuerare, ancipitem & dubium quò dirigat iter, tum propter discordem Locumtenentem, tum propter crudelissimam pestilitatem, quæ homines & iumenta depascit, ut sui non compos, quid agat, planè nesciat. Vtinam ô Principes & proceres Romani Imperij, qui prius aliquoties Budæ fuistis, unde uestri subditi in Bauaria, Sueuia, & Rheno alimenta sæpe ex tam locuplete emporio sumserunt, cerneretis in eam redactam turpitudinem ac deformitatem, ut non modò uillæ cuipiam, sed ne pago quidem alicui sit conferenda, sine tectis, turribus, muris scissis & ruinam minantibus, planè rudera potius appellanda quàm urbs regia: olim diuitijs affluentem, & uoluptatibus plenam, iam defędatam, & suo pristino aspectu deformem, lupis & uulpibus quàm hominibus ad inhabitandum aptiorem. Nemo certè uestrûm sibi à lachrymis temperaret, nemo ex uobis non excandesceret in cruentissimam belluam Turcum: nemo se cohiberet, si posset, quin arma sumeret ad uindicandũ tam nefariũ opus. Nulla iam tẽpla sanctorum uidentur solito ornatu redimita: sed squalida, sed lacera, sed scissa, & imaginib. beatorũ uacua, stabula uerius porcorum

Excidium Regiæ urbis Budæ & Pesti oppidi.

rum quàm loca sacra. Vrbs oppleta cadauerib. hominum & iumentorum. Quis hæc uidens non ingemiscat, ac doleat tantæ urbis tam citum interitum, & desolationem? Tanti inquam regni, quod in Europa unicum est & solum archiregnum, tam citam euersionem? De cuius bonitate ac fertilitate nunc latius disseram, ut omnes intelligant, non abs re antiquitùs Archiregnum dictum & habitum. In primis bonitas terrę, & fertilitas agri consideretur, quæ uinetis, fructibus omnis generis, montibus, hortis amœnissimis, agris fertilissimis adeò est excellens, ut nec Italiæ quidem, quæ flos mundi appellatur, cedere uideatur: si eximas mala granata aut punica, quæ alijs ęquè nobilibus fructibus compensat, & dulcedine, & sapore. Et ut particularius de singulis loquar: nunquid hęc regio Hungariæ uina producit simplicia & tenuia, Vaciensa dicta, claritate aquam æquātia? acriora uerò & fortia Summachia rubea & alba? Sirmiensia excellentissima, quæ cum Cretico aut Corsico certare putantur uino, alba item & rubea? Vnde motus Imperator Probus, uetuit uina coli omnia, præterquam in Pannonijs, hoc est, Sirmiensia: & Gallijs, quæ excellunt in uniuerso orbe. De agrorum fertilitate haud longè à Temesio longa experientia comprobatū est, quòd si quis siliginem serat, tertio quoq; anno in triticum uertatur. Quis in hoc regno colonorum certat cum uicino de transgresso limite cespitis? cum liberum sit cuique, quot uelit iugera arare, aut serere. Timent nobiles rustici, si plus colligerent frumenti quàm sibi pro annuo censu hero dando, ne præda fiat nobilibus, si frumento abundauerint. Ita rapiunt nobiles quicquid colonis abundat, & id facit socordes & ignauos rusticos. Alioqui hæc terra tantum frumenti produceret, si coleretur, ut duobus regnis sat esset. omnia enim pauperum alimenta exposita sunt prædæ, & spolijs nobilium: qui excarnificant subditos, si uiderint eos abundare annona, & alijs necessarijs. Abundantiam piscium omnis generis quis mihi enarrabit? Tibiscus, quem nostra ætas Tisam appellat, adeò pisculentus est, ut si alueum excesserit & inundet in paludes, porci inde saginentur. Sæpe uisum est, scaphis haurire pisces seruum uolentem aquare equos, qui aquatum ducuntur. Capitonum huius fluminis multitudo hinc manifestior fit, si quis consideret, quomodo in aere ad solem arefacti, & hinc saliti, plenis curribus in exteras usque nationes ferantur. Quotannis Viennam ducuntur currus talium piscium innumerabiles. Neque esoces qui uulgo Husones appellantur, pisces sine ossibus, ut Mela scribit, ex Euxino in Danubium prodeuntes, in Hungariam usque, sunt omittendi. Viennę quandoq; uno die ducenti à me uisi sunt, quandoque plures. Vt interim prætereeam alia genera piscium infinita, quæ ex Hungaria Viennam deferuntur, quorum nec numerus, nec nomina inueniri facile possunt.. Age disseramus nunc de iumentis omnis generis, quibus bona pars Europæ pascitur, tauris, bobus, uaccis, capris, ouibus, uitulis, equis & equabus: quibus celeres currus, qui uulgo Gotschi ab oppido passim nominantur, quibus uno die quindecim millia passuum facile sine labore currere potest quispiam. Sunt publicæ nundinæ in Austria, die Vrbani, S. Viti, S. Vdalrici, S. Crucis & Catharinæ, quibus multa milia boum inducuntur, qui per Bauariam in Tyrolis ducatum & Sueuiam feruntur. Præter hos, qui hebdomadatim in urbe Vienna per totum circulum anni uenduntur, semper ducenti aut trecenti simul: ut quispiam facile credere posit, exhauriri boues ac iumenta omnia Hungariæ. Omitto, quæ per Segniam & Illyricum ac Dalmatiam, in Italiam abiguntur: quæ si quis uno anno enumeraret, altero deficere Hungariam arbitraretur. Quid de feris syluestribus omnis generis commemorabo? ceruis, hinnulis, & in altis montibus prope Themesum capricornis, capris syluestribus, quæ gregatim quando ambulant, timorem incolis noctu inijciunt suo strepitu, ut hostem aliquem potentissimum suspicari posis. Cæpit una uenatione Marchio Georgius centum & uiginti ceruos, me uidente. ut interim minores feras obmittam, quæ liberè possunt sine Principis edicto, quoties libet, quotcunque capi. Idem de uolatilibus dicere possum: unum quasi exteris miraculum recensebo. Festo diuæ Virginis, quo eius natiuitas Budæ celebratur, tanta uenit mul-

Commendatio Regni Hungariæ ab omnis generis emo. umentis.

Triplex uinum in Hungaria.

Fertilitas agrorum.

Tibiscus. Abundantia piscium.

Copia iumentorū omnis generis ex Hungaria.

De multitudine ferarum.

titudo turturum, quæ sunt me præsente numeratæ à mercatoribus, uiris fide dignis, ut fidem superet, posse tot reperiri uno die turtures, quæ publico foro distrahuntur. Supra enim octoginta milia & sexcenta sæpius numeratæ sunt, ut uix tot columbæ possent alicubi capi. Veniam nunc ad metalla omnis generis, quæ hæc terra ubertim producit: ut hinc planè dijudicet optimus quisque, solam Hungariam possidere abundantissimè & locupletissimè tot metalla, quot aliæ regiones plures paulatim & parcè producunt. Et ut à minimis ordiar, affluit hæc regio uitriolo, cinnabari, lapide Lazuli, Mercurio uiuo, ferro, plumbo, cupro, tanta abundantia, ut multas regiones alat mercibus uarijs. Argento purissimo, mediocri & tenui, quod triplici reperitur forma: sic & auro, quod effoditur in aurifodinis copiose, & purissimum in summo gradu. Item quod ex aquis lauatur ingeniose, & ex arenis colligitur, & quod in montibus ueluti quædam ramenta copiose nascitur. Nec id tacendum puto, in Transalpina regione inueniri montes, unde effoditur cera, & inde coquitur miræ aromaticitatis cupressum olens, unde fiunt cereæ miri odoris. Montes salis lucidi, quod ueteribus Salgemma uocatur, habet adeò longos latosque, ut rex aliquis ex hoc solo prouentu ingentem possit alere exercitum: quod sine labore, non, ut fit in Germania, magnis cum impensis coquendo, exciditur. Et hæc bona penè omnia habet Transyluania, iuxta ciuitatem Claudiopolim, à Claudio Cæsare extructam: ut meritò olim hæc terra produxerit Cæsares & Augustos potentissimos, qui totum penè orbem rexerint: Decium scilicet, è Bubali ortum: Claudium II, qui urbem potentem Colosuuar condidit, è Dalmatia oriundum: Aurelianum, è Syrmio progenitum: Probum Cæsarem, item è Syrmio: Diocletianum, è Dalmatia, quæ regio huic terræ similiter ascribitur: Carum Illyricum, cum filijs Carino & Numeriano: Valentinianum seniorem, ex Cibala ortum, cum fratre Valente. & Valentiniani filium Gratianum, è Syrmio congenitum. quorum numismata & aurea & argentea sæpe in agris Hungaricis reperiuntur, tantorum Regum ac Principum uestigia ac indicia. Et si hodie boni Principes hanc terram incolerent, non dubito quin breui Cæss. & Augg. innumeros procrearent: ut meritò hæc terra alijs bonitate naturæ præferatur, & Archiregnum iure optimo dici possit. Habent aliæ regiones singulæ singulas dotes: unde Maro nos admonet, ut regiones obseruemus,

Bonitas metallorum, & copia in Hungaria.

Triplex argentum & aurũ.

Cera, cupressum olens.

Salgemma.

Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset,
Hic segetes, illic ueniunt felicius uuæ.
Arborei fœtus alibi, atque iniussa uirescunt
Gramina: non'ne uides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At chalybes nudi ferrum, uirosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?

Sed quæ regio omnia, quæ diximus, tam ubertim? Nulla profectò. Hoc tam felix beatumque regnum patiemini, ô Principes, & sacri Romani Imperij Proceres, esse in manibus Turcorum, ut pro sua libidine tot regias & inclytas urbes depopulentur, & fertiles agros euastent? Si nulla uos mouet, ô Principes, pietas humana & dilectio proximi: at sperate Deos, memores fandi atque nephandi. Ponite ante oculos, qualis rumor uix uestris auribus audiendus clementissimis, ô uiri Germani, per uniuersum penè orbem cicumfertur: uos residere ignauos, uicinos dilacerari: & id quidem apertis oculis cernere, & non uestris strenuis manibus malum hoc ulcisci, sed inultum præterire. Cum tamen id compertum sit, Turcum neminem plus uereri quàm Germanum loricatum, & splendidis ornatum armis, uibrantem cuspidem & longam lanceam: solo uisu uestro terrentur molles hi Asiatici. Tantæ itaque occasioni deesse, uiri Germani, qua fronte uerecundiaque uultis? Nunquid habetis tria nobilissima flumina in Hungaria, quæ nullis alijs mundi partibus cedunt, Danubium, Drauum, & Sauum: per quæ non modò exercitus pedestris

& terre-

& terrestris, sed artalaria omnis generis, annona & commeatus copiosissimus, & recto quidem itinere transuehi possunt? Nunquid Deus optimus maximus hoc anno fertilissimo affluenter & abundè nobis annonam, copiam uini, & aliarum rerum cunctarum diuinitùs largitus est? apertissimo indicio quasi digito monstrans, uobis non esse ociandum, somno, ueneri'que indulgendum: sed durum opus Martis, ad quod nati uidemur, uos præsertim ô uiri Germani, aggrediendum alacri animo, ad Christi fidem propagandam: & omnibus uiribus enitendum laborandumq́, ut hostibus fidei exterminatis, unũ Christo ouile tandem constituatur. Sed heu proh dolor, quomodo donis à Deo affatim datis abutimur, quasi ad perdenda tanta dona nati essemus? Ingurgitamus nos mero, crapulamur, in noctes usque medias bibimus. Nullus potest conuentus Principum celebrari, nisi symposijs uerius quàm conuiuijs, bonam partem insumamus. Postquam de sessione, uter alteri sit præferendus, plures dies absumpsimus, magno Christianitatis detrimento: tum bibitur ad plenos cyathos, & pocula exiccantur, pergræcatur, & preciosissimus thezaurus Tempus frustra conteritur: ordine talia symposia & per uices celebrantur, quasi ad hoc unum conuenerint Principes. Vltimò tandem temporis puncturo consultatur quid agendum, & breuiter quidem & obiter: quia iam sunt crumenæ exhaustæ, & pauperum census tributusq́ consumptus est, ut nouum uectigal instituatur cogitandum. Hæ sunt diętæ Imperiales. Turcus interim uigilat, & Christianorum Principum desidiam primùm, tum mutua bella, quibus sese inuicem lacessunt, obseruat: & unum post aliud regnum uorat, irridens digladationes Principum inanes. Cogitate ô Principes, quot regna ab quinquaginta annis citra, post orientale Imperium, deuicta Constantinopoli, atq; amissa, perdita sunt: de quibus usq; in hodiernum diem ne pagus quidem ullus recuperatus est à u obis, gliscente indies uoragine beluæ. Vt enim Trapezuntum & regnum Græciæ nobilissimum obmittam, quomodo Bulgaria, utraque Mœsia, Dacia, Seruia, Bosnia, nuper Rhodus nobilissima insula, Assyria, Babylonia, Memphis, Alexandria, & pridem bona pars Hungariæ concessit in ditionem Turci? Ex ijs quas Turcus occupauit terras aut regiones, quas unquam amisit malè, aut perdidit? Sed semper ultrò progressus, suum dilatauit Imperium. Nunquid hæc uobis Principes sunt animaduertenda? Erat Belgradum superioribus duobus annis in eum usque diem quasi antemurale Christianitatis, & propugnaculum, quod Turcos arcebat ab ingressu. Sed anno salutis uigesimoprimo, post M. D. citius perditum & traditũ est in manus Turcorum, quàm Hungari animaduerterent per suos, quibus custodia erat demandata. Tanta est iam maiorum & nobilium uigilantia & integritas. De bonis non loquor, quos semper excipio: sed de ijs qui auro corrumpunt, & honestatem nauci ęstimant. Si mundi Principes ebrietatem, quę etiam intra cubicula sua serpsit, aliquo strenuo mandato sequentibus pœnis interdicerent, mala multa uitarentur. Nec enim Princeps aliquis laudem meretur inter suos militares, nisi liberalitate sit adeò prodigus, ut una nocte uas integrum offerat bibulis ebibendum, ut amissa ratione tandem sese uulneribus conficiant & digladientur. Sic contrahitur noua amicitia, sic in alterius amici album accipitur ignotus nobilis: sic alter alteri X, alter XX equos offert, quoties uult ire prædatum, & spoliare inopes. Sic instituuntur phratriæ passim per plures regiones, quæ ebrietatis dicuntur. Ab solo uicio ebrietatis, inter Principes Germanię (ut citra adulationem loquar) libera est domus Archiducum Austriæ: cuius maiores ab auis & atauis, semper exhorruerunt ebrietatem. Licet eorum regio sit uini fertilissima & locupletissima. Quòd si Principes Imperij unanimi consensu post edictum suis consiliarijs, primarijs, thesaurario, cancellario, magistro Equitum, quem Marescalcum uulgò appellamus, & alijs senioribus interdicerent, ut in exemplum minorum ebrietatem (è qua nascitur blasphemia, luxus, stuprum, & mille mala) interdicerent: & hi dicto non audientes surda aure transgrederentur, petituri dehinc à Principe gratiam, & castrum aliquod seu uillam, non exaudirentur, & indignatio-

Phratriæ ebrietatis.

Remedium cõtra ebrietatẽ.

indignationem Principis sentirent: cautiores deinceps dubio procul, ne gratiam omnem Principis amitterent, ebrietatem fugerent. Hoc singulare censerem remedium, quo huic malo mederi posset. Si ex Christiano orbe propelleretur ebrietas, cui dediti sunt non tam Principes quàm subditi, multis malis essemus liberati. *Mahumethes.* Mahumethes Turcorum pseudopropheta, licet omnem illis luxum concederet, unum, in quo ebrietas est, interdixit: omnes iussit abstemios esse, & aquam cum zuccaro bibere. quod & ipse per se fecit, ut simul comitialem morbum, quo laborauit, tegeret: & ebrietatem uitandam doceret, quum suos semper in armis esse iuberet, & gladium eis præcipuum insigne daret. Quod si ita uigilaremus ad bellum, non ad cyathum: non dormiremus somnum Epimenidis, in utramuis aurem securi, admonitiones omnes quasi anilem fabulam surdis auribus excipientes. Sed nunc tempus est ut expergiscamur è somno, si uolumus patriam, uxores, liberos saluari. Tempus est, ô Principes Imperij, & proceres, tempus est, satis est somno datum. Intendit omnes uires ingenij Pius Pontifex in Mantuano conuentu, dum Principes adhortaretur ad sumenda arma contra prophanam & imbellem gentem Asiaticam. Idem fecit Ratisbonæ Antonius Campanus, Episcopus Aprutinus, præsente Friderico III Cæsare, & cunctis alijs principibus Romani Imperij: sed nihil est sequutum. Quum æmuli Friderici palàm assererent, si contributio per uniuersum Romanum Imperium indicta fieret, posse utrunque Cæsarem, & Turcum & Fridericum superare. O' Christiana responsio. Ita sunt semper Principum nonnullorum æmulationes, Christianæ Reipublicæ noxiæ habitæ. Et uires Turci sunt indies auctiores factæ, quoad iam Hungaria subacta, in uestibulum usque peruenit. Iam nulla oratione nec adhortatione opus est, sed armis, sed gladijs, sed lanceis.

Nec uos moueat ô Principes, uanissima cuiusdam assertio, asserentis, pugnare contra Turcum esse pugnare contra Deum, ob peccata nostra. Si hic assertor esset uicinus noster, cum sua inani & stulta opinione, sese delirum fateretur ingenuè. Expergiscimini igitur, expergiscimini, ô Principes, satis iam somno datum. Non enim minus celeritate opus est, quàm uiribus. Iactabat olim Amurathes Turcorum rex, se propediem templo diui Petri pro stabulo ganeoq; usurum, propter Christianos Principes inter se mutuò digladiantes. Quod & Solomet post deuictum Rhodum insulam cogitauit, & quosdam ex cœtu Cardineo auro tentauit: & nisi Pontifex præuenisset, traditio cœpta fortè ingens malum in Christianitate peperisset. Ob id inuictissimus Cæsar Carolus V, à se reijcit omnes Turcorum oratores & legatos, nec patitur ullũ ad se accedere: quod sapientissimũ & consultissimũ regẽ decet. Utinam Veneti sic à se deijcerent Turcos, & ipsorum legatos, quibus se Christianitati faciunt suspectos. Sed fortè idem fatum & Venetos & Turcos agitat. Utraq; enim natio, nisi fallor, est prope interitum: qui circa idem penè tempus emerserunt, & fortè simul occident. Ferdinandus Hungariæ & Bohemiæ Rex, nullam obmittit occasionem, quin proximo uere coactis ex Bohemis, Morauis, Slesitis, ex Imperio Principibus & proceribus, immensis militibus & generoso exercitu bellum suscipiatur contra Christi hostes. Deus opt. max. factum fortunet, & cœptis faueat, ne superbi & elati Turci ex Hungarica uictoria in Austriam, dehinc Bauariam ac Sueuiam, postremò in Gallias serpant. Nam plus sitit, qui semel bibendi fines excesserit. Ut olim Hunnorum rex Attila in campos usque Catalaunicos non sine cæde cruenta multorum migrauit, & tandem post Aquileiam destructam (unde Venetiæ ex eius ruderibus exædificatæ sunt) inopinata morte obrutus est tandem. Non deerit, ô Principes, inuictissimus Cæsar Carolus V, non cæteri Christiani Reges & Principes, quin dubio procul suppetias ferant tam pio uoto: ut semel occiso & conculcato Dracone insatiabili, rictum suum uoracem expleant pice & sulphure, qui totum mundum cupit uorare, inexplebilis belua: pacato'que Christiano orbe, fides Christi syncera propagetur & dilatetur, quæ iam obruta tot malis fuit languida & ægrota. Mahomet II Turcorum Amyras (sic enim

Reges

Reges suos nominant) filio olim suo pomum integrum, cum mensæ astaret, uorandum dedit: sed puer patrem intuens, poscit cultrum quo in partes secet. Quomodo, inquit, ô pater, integrum uorabo pomum diuidendo, & partem post partem deglutiendo? Itidem tibi suadeo faciẽdum in uoranda Christianitate, ut regna & prouincias unã post alias paulatim decerpas, & tandem uores. Sic primùm Constantinopolis, Nea Roma dicta, est excisa: tum Trapezuntum, tum Græcia omnis: dehinc Bulgaria, post Bosnia, tum Seruia, cum Mœsijs duabus, & Dacia: dehinc Alexandria, Assyria, Thebæ, Memphis, Aegyptus, ac Antiochia, tum Rhodus, nunc Hungaria. Adeste ô Principes, corripite arma, acuite enses, uibrate gladios, libretis tela, malo futuro occurite. urgeant uos uxores, liberi & propinqui. Cogitate quod Cimbricæ mulieres, post defunctos maritos dixerunt: Si, inquiunt, erimus uita spoliatæ, non fodiemur, non secabimur, non lacerabimur, non arabimus, in sepulchris maiorum sepeliemur. Sic uestræ idem loquentur & dicent: Itẽ mariti bonis auibus, & uires ostendite contra tam imbellem & effeminatam turbam, ne nos uideatis in conspectu uestro stuprari, uiolari, pessima quæque pati, liberos uestros trucidari: & quod omni morte crudelius est, abigi in perpetuam seruitutem. Si nos genuistis, facite ut uiuamus, sicut parentes uestri uobis fecerunt. Non expectate ut singultus singultibus, lachrymæ lachrymis, nos simul miscere uideatis. Heu grauis erit ille aspectus, & horrendum spectaculum, suspiria & lamenta, uociferationes & eiulatus simul cernere. Quemadmodum sæpe fit in Carniola, ubi planctus mulierum, & ululatus liberorum audiuntur, ex subita hostium irruptione: quando neque trepidatio, neque fuga, neque latebræ prosunt. Tunc enim neque ætati parcitur, neque sexui, contra ius gentium omnia aguntur, contra humanitatis pacta, contra legem naturæ, contra fœdera hominum, contra conditiones bellorum. Hæc omnia, ô uiri, prius cogitate, quàm experiri uos contingat. Sera est nimium illa pœnitentia. Si profectò, ô Principes Romani Imperij, uideretis, quæ nos hic apud uicinos nostros uidemus, uera me dicere, quisque uestrûm, & plus quàm uerum, fateri cogeremini. Credite me uobis folium recitare Sibyllæ. Voluite animo ardorem bellandi uobis natura esse ingenitum, qui uultus habetis quantum pace lętos & hilares, tantũ bello natura hostib. terribiliores. Non ab re antiquitas, Martem maiores nostros coluisse tradit: utpote quibus ante alias nationes, cura equorum, & studiũ armorum concessum est. Nolite à maioribus uestris degenerare, ne uobis obijci possit: Plus olim feminis Germanicis uirium, quàm nunc uiris, ad communem libertatem defendendam inesse. Sexingentis quadraginta amplius annis Germani Imperium habuerunt, à Carolo Magno usque in Carolum v Cæsarem. Illud uultis, ô Principes ac proceres, nunc rumpi aut desolari? Simul enim ruet Imperium, & religio Christi: nec alterum sine altero durare diu potest. Et quum nostro seculo religio Christi propter quorundam peruicaciam, in mille annis amplius fuit adeò ruinosa: uideatis, ne simul imperium, quod etiam lapsum minatur, ruat. Vtinam sim uanus augur. In una namque concordia Germanorum sita est Christianorum omnium salus. Nec est, cur uel dissimuletis inferre bellum, uel arma non quamcitissimè suscipiatis. Semper enim Germani fuerunt inuicti, si intestinas simultates deposuerunt. Has iam, ob Dei opt. max. laudem, deponite quæso, & unanimi consensu in propinquum hostem terribilem, truculentum & trucem, ac nunquam dormientem, ite. O' Germani, etymon nominis uestri paulo diligentius considerate, à quo sit uobis inditum. Germani, id est, toti uiri, non effeminati, qui in sola multitudine confidunt, sed in sua uirilitate spem ponunt, estis appellati. Consulendum est namque posteritati: id quod Græci, Illyrici, Bulgari, Bosnæ, qui quotidie uexantur, & miseram seruiunt seruitutem, Christiani ferè petunt modis omnibus, & supplices in cœlum usque manus tendentes, anxiè quotidie clamant & uociferantur: O' Germani succurite, ferte suppetias miseris, liberate nos non modò è duris carceribus, quibus affligimur, sed à misera seruitute & exilio.

lio. Talis clamor indies auditur, ô uiri Germani, qui uos moueat. Euboia olim amissa, liberum iter in Pontum aperuit. Rhodus expugnata, in Tuscum mare & Hadriaticum pandit iter. Hungaria deuicta, in Germaniam omnem indicat uiam. Sic iam hostis & terra & mari, quocunque uelit, nisi iter resecare festinabitis, liberè progredi potest. Cogitate ô Germani, quàm sæpe parua manu uiri bellicosi, Balduinus, Hugo Magnus, Boemundus, Gothofredus, Tancredus, cruce signati, hostes Christi adorti, uictoriam reportarunt ab hoste sanguinolento. Mathias olim rex Hungariæ, & eius genitor Iohannes de Huniade, regni Hungariæ gubernator, Belgradum, quod nunc Alba Græca uulgò dicitur, à sæuissimo Turcorum tyranno Mahumete obsessum (qui uulgo terror gentium passim dicebatur) non modò ab obsidione liberarunt, sed uictum & castris exutum ridiculè repulerunt, à nato IESV anno M.CCCC.LXIII. Sed tum uixerant Paulus Gnysi, Stephanus de Bator senior, quanti uiri, per Deum immortalem? qui quotidie manus cum Turco conseruerunt, semper uictores: ut & hodie eorum præclara gesta ad citharam decantantur. Non enim amatoriæ cantilenæ, ut apud nostrates, sed uirorum fortium gesta, de Iohanne Huniade, de Mathia, de Paulo Gnysi, & Stephano Bathor seniore circumferebantur. Nam rege Mathia uiuente, semper continuus exercitus alebatur, cui nomen erat Nigra legio: quæ ad omne momentum parata erat contra Turcos, in castris genita & educata à pueritia: quæ nunquam uel rarò urbes incolebat, quæ simul cum uita Mathiæ regis defecit. Adeò ut Hungaria nunquam talem passa calamitatem meo iudicio fuisset, si & nostri ita uigilassent: nec unquam, si talia essent à uate aliquo enunciata, credidissent. Rectè enim posset dici nostra ætate Hungaris, sic suos Iubaiones excoriantibus, & soli rapinæ studentibus, id quod Appius Cæcus in bello quod cum Pyrrho erant gesturi, licet luminibus esset priuatus, apud Ennium dixit:

Ioannes Huniades. *Mathias Rex.* *Paulus Gnysi.* *Stephanus de Bathor senior.* *Nigra legio.* *Cæcus Appius*

Quò uobis mentes, rectè quæ stare solebant
Antehac, dementi sese flexere ruina?

Et nostra ætate in manus Solometh præsentis tyranni nullo labore uenit, non sine ingenti Christianitatis ignominia & clade, clauis hæc Regni, & clypeus, Nandaralba, anno primo & uigesimo supra M. D. Ex cuius deditione, uel proditione potius, subsequuta est calamitosa hæc in Hungaria clades. Vtinam illi dentibus lacerarentur, qui hodie degunt tanti mali autores, & cæteris nobilitate uolunt præferri. FERDINANDE, ô Ferdinande Rex clementissime, indue arma, aduoca reges & principes Imperij, ut Christianus orbis à tam sæuo hoste tandem liberetur: signa te cruce, Deumq; optimum maximum precare, ut cœptis assistat. Et quemadmodum olim Constantinus Maximus hostem Maxentium debellaturus, in cœlo uidit columnam ardentem, cum oraculo in aere clamante, In hoc uinces: ita tu, prælato tibi labaro cum imagine crucis, fortiter hostem aggredere. Non deerit tibi diues Italia, nobilis Gallia, fortis Hispania, bellicosa & populosa Germania, qui te omnes comitabuntur, pæana canentes, & Deum psallentes, ut tandem te ex hoste trophęa reportantem, & spolijs onustum, uictoriam certam cernere ualeamus miseri. Ad hoc tam sanctum opus te iuuabit inuictissimus Cæsar, frater tuus, qui sua classe ex ultimis Hispaniæ finibus & gentes fortes adducet, cum numeroso exercitu, & artalariam cum bellicis machinis copiosam, ut hostis crudelis undique circumuallatus, det suæ uoracitatis pœnas aliquando: aut abiectis idolis, incipiat uerum Deum adorare & recognoscere, & cum omnibus suis subditis unam nobiscum religionem assumat. Interitus enim, & calamitosus suæ sectæ exitus propè est: id quod & sui asserunt, qui paulo sunt eruditiores, & futura præuident. Quod si in Germania (ut fieri solet, & iam rumor incertus, utinam falsus & uanus, adulat) nouus tumultus suboritur: unde seditiones & simultates nouæ sunt pertimescendæ, quibus posset tam sanctum, tamq; pium opus impediri (sæpe enim uisum est, cum expeditio generalis contra Christi hostem esset sumenda, nouam quandam zizaniam

Constantinus Max. *Maxentius.*

am rebellium esse ortam, ut incœpta res impediretur. Calumniator namque Diabolus libenter & promptè intercipit, unde sperat animarum multarum perditionem: & plerique homines mali, timentes ne bonum opus perficiatur, ad impediendum sunt promptiores quàm exequendum prius cœptum. plures enim sunt mali, ut ait unus è septem sapientibus Bias Prienæus) Hoc si FERDINANDE Princeps potentissime, malũ inuestigaueris, tanquam uicarius Imperij, diris hos deuoueas, & Imperiali banno execrare, ac anathemate ita ferias, ut in tertiam usque generationem isti mali seminatores zizaniæ cum natis natorum, & qui nascentur ab illis, malè pereant, miseram'que & calamitosam uitam perpetuò uiuant. Vt enim paulo antè commemini, in sola Germanorum concordia, Christianorum omnium salus sita est. Non sinite, ô sacri Imperij Principes & proceres, tantum malum inter uos oriri: ne ab omnibus exteris nationibus malè audiatis. Reuoluite animo, quoties à maioribus uestris tam pia cogitatio bonorum à malis paucis est intercepta & impedita. Non uultis aliquando uxores, liberos & patriam uestram in portum aliquem tutum collocare? Debet'ne semper Christianitas fluctuare? & bellis discordibus lacerari? Dij talem auertite pestem. Aperiatur terra, & suo hiatu deglutiat tales gladiatores insanos, qui sua libidine alios impediendi, cæteris uolunt fortiores & bellicosiores uideri. Nec terreamini multitudine imbellis & Asiatici populi. Nunquam enim supra ducenta milia educunt Turci, quos centum milibus facilè potestis prosternere, uiri Germani. Sed spero in uestram fidem, ô uiri Germani, ne in tali articulo totius Christianitatis tam inauditum scelus inter uos oriri permittatis: sed potius tales rebelles, si qui fortè erunt, malo semine orti, compescatis, & resipiscere persuadeatis: ut posit Christianitas aliquando uniuersa extinctis omnibus & sopitis discordijs, Christo Deo opt. max. unum constituere ouile, in quo laudetur nomen eius, glorificetur, & syncerè colatur. Id quod uniuersus populus Christianus, pius expetit, & desiderat. Ad quod nos iuuet Deus ille trinus immortalis & immensus: qui suam gratiam diuinam nobis cœlitùs ubertim subministret & largiatur, Amen. Sed more nostro, hoc claudamus tetrasticho:

Hæ si non moueant rationes, ite repentè
Turco ultrò dantes oppida, regna, lacus.
Accipite inq; domos uestras: nati quoq;, & uxor
Seruiat æternùm, hoste uidente, nephas.

CASP. VRSINVS VELIVS AD GERmaniæ Principes.

Qualia maiorum cineres, Germanaq; uirtus,
Marsq; pater uobis dicere uerba uelint,
Quales credibile est nequicquam effundere questus,
Plurima Turcaicis oppida capta uiris:
Quæq; fuit facies accensæ flebilis urbis,
Quæq; fuit fœdæ nuper imago fugæ,
Desertus caderet cum rex LVDOVICVS in armis,
Pannoniasq; ferus uelleret hostis opes:
Parua hæc enumerat uobis Oratio: sanè
Parua, sed ingenio magna, sed ampla fide.
Hæc nisi uos docto succendet buccina cantu,
Non aliam spes est posse ciere tubam.

Principibus

PRINCIPIBVS GERMANIS, VT TANDEM PRISTINAE VIRtutis memores, bellum in immanisſ. Turcum, fortiter & prudenter instituant: IOANNES Alexander Braſsicanus, Philoſophus ac Ireconſultus.

Pana graui memorant accendere bella tumultu,
Agmina cum ſubitò ſæpe mouere metu.
Pelleum iuuenem erexit concentus ad arma,
Iuſsit & Herculea prælia inire manu.
Tibia uirtutem Spartanam inſigniter auxit,
Per citharam Cretes bella paraſſe ferunt.
At nihil hic uel Pan, ſiue Orthia carmina proſint,
Tibia cum fidibus nil quoq; frugis habet.
Una atq; unica uos moueat παίτολμος ἀνάγκη
GERMANI *tandem, Martia corda,* DVCES.
Verùm hanc hiſtorico præſens oratio cultu
Explicat, ardenti quenq; dolore uocans.
Quod ſi animo ſegni tam fœdum haud pellitis hoſtem,
Credite, qui ueſtras mox erit ante fores:
Credite (uerùm opto patriæ ſim uanus aruſpex)
Credite, & è tripode credite dicta ſacro:
Actum eſt de noſtro collo: Germania quondam
Strennua, uictoris iura ſuperba feret.
Illa igitur quàm ſint horrenda aduertite, & illi
Certam hortatori quæſo adhibite fidem.

C. VRSINI VELII AD eundem Ioannem Cuſpinianum, Elegia.

Inter magna tibi commiſſa negocia diui
Cæſaris, & curas Cuſpiniane graues:
Dum tua Pannonias felix induſtria gentes
Seruat in officio, Principibusq; uacas:
Incumbitq; tibi uis irrequieta laboris
Cæſarei, & magnis rebus habere rates:
Tu genus Aeneadum, & magnæ incunabula Romæ
Sedulus immenſa texis in hiſtoria.
Incipis, & Bruto finis in conſule reges.
Agnoſcit faſces Martia Roma ſuos.
Nomina Cæſaribus, uitasq;, & ſingula reddis
Facta, prius nullis commemorata refers.

Quæq;

Quæq; aut inuidia, aut uitio neglecta maligni
Temporis, Almani sanguinis acta latent.
Promis iò æternis rediuiua laboribus, & iam
Non fraudata suo nomine cuncta uigent.
Si quid habent manes sensus, lætantur Othones,
Atq; Bauarorum dia propago ducum.
Et quibus à pace est nomen nostrate, sed ingens
Extat honos forti partus in orbe manu.
Tum quod successit, tum quod manauit ab illis,
Omne genus debet Cuspiniane tibi.
Ille autem, cuius nunc munere fungeris, ingens
Cæsar, & Austriacæ gloria summa domus:
Quiq; extrema tuis accedit gloria libris,
Quas tibi non grates ille referre paret?
Fecerit hoc merito, de quo tu maxima scribis
Peruigil, & pro quo magna subinde facis.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN HOC CVSPINIANI COMMENTARIO memorabilium INDEX.

A

Q. Apu-

campana

chrysostomi

cordi

item

M. Geganij

H

hosdroeni

K

L

licinij

poppea

magna

uiriatus


FINIS.

ERRATA IN CVSPINIANI CONSVLIBVS.

Pagina 30. uersu 9. tulimus. 39.38. ripēsem. 124. Ioui pro Laui. 178.2. Aelius pro Aemilius. 229.25. petijt pro perijt. 238.30. titulo. 256. uersu penul. Contrebiā pro Cantabriam. 310.19. Marcellū. 311.15. Iugario uico. 317.20. cognouerat. 317.36. præteritarū rerum. 328.34. horrendū. 333.7. sextum Ianuarij. 342.2. studiorū. 433.33. Temporum. 453.33. Antoninus. 466.44. Cæsarem legit. 475.29. Aureliano secundo, &c. 550.2c. Chronicis.

BASILEAE, PER IOANNEM HERVAGIVM ET Ioannem Oporinum, Anno salutis humanæ M. D. LIII. Mense Septembri.





·IOANIS CVSPINIANI·TO·I·




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm